# FORMALIS EXPLICATIO

SUMMÆ THEOLOGICÆ

## S. THOMAE AQUINATIS DOC. ANG.

Tomus nonus.

# FORMALIS EXPLICATIO

SUMMÆ THEOLOGICÆ

## S. THOMÆ AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI,

QUA OMNIA ARGUMENTA, ET RATIONES, QUÆ IN SINGULIS ARTICULIS TRACTANTUR, NON MODICA CLARITATE FORMANTUR, ET EXPLICANTUR, ARGUMENTORUMQUE RESPONSIONES EXPLICATÆ AD IPSORUM PARTES APTE ACCOMMODANTUR,

CUI ETIAM ACCEDUNT ELUCIDATIONES, SEU APPENDICES P. SERAPHINI CAPPONI Á PORRECTA ORDINIS PRÆDICATORUM

AUCTORE

Fr. Hieronimo de Médicis à Camerino,

SACR. THEOLOG. MAG. ORD. PRED.

ET MANTUÆ CONTRA HÆRETICAM PRAVITATEM GENERAL. INQ.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

TOMUS NONUS.

Continens tertiae partis primum volumen.

ALMA COLLEGE
20818
LIBRARY
M469
Alma California

VICIS:

APUD SOLER FRATRES, TYPOG. EDIT.

1861.

26419

Veritatem meditabitur guttur meum et labia mea detestabuntur impium.

*Proverb. VIII. 7.*

# FRATER HIERONIMUS DE MEDICIS

## Á CAMERINO ORDINIS PRÆDICATORUM.

BENIGNO LECTORI.

Ingens desiderium nostrum, quo magnopere optamus, cunctos sacrarum litterarum professores ad Sancti Thomæ Aquinatis doctrinæ studium trahere, nos indefesse in ejusdem doctrinæ explicatione, pro modulo nostro, laborare compellit. Sane, cum jam pridem alias Summæ sacræ theologiæ partes explicatas, atque formatas, ad studentium commoditatem, in lucem dederimus, nunc tertiam ejusdem Summæ partem (ac cito supplementum) simili modo accommodatam, exhibemus. Nullas controversias circa textum movimus, nec difficultates ab extraneis motas, contra Sancti Thomæ doctrinam, induximus, quia id gravissimi ac doctissimi Patres, et antiqui, et recentiores, ex nostro ordine, exacte sunt prosequuti. Nos vero rectam intelligentiam veritatis solvere quascumque difficultates arbitramur. Nec melius adversariorum argumenta, quam ex doctrina recte percepta solvi posse credimus. Unde non defuit, qui ex ipsis Sancti Thomæ verbis, omnia, hanc impugnantium doctrinam, argumenta dejecerit; præterquam quod inveniuntur in hac Summa decem millia, et amplius argumenta soluta; nec facile est adversariis, nova adinvenire, quæ ex recto hujus doctrinæ intellectu, non appareant soluta. Intendant igitur Patres studentes nostri studio textus Sanctissimi Doctoris nostri, nec ullum articulum exacte considerare prætermittant: id enim agentes jucundum et fœcundum studium experientur: nos enim, ut eos juvaremus et ad lectionem textus alliceremus, maximis superatis laboribus, per viginti annorum spatium, divino nos juvante auxilio, sine quo hoc vastissimum mare pertransire nequivissemus, universam hanc Sacræ Theologiæ Summam formavimus, explicavimus, et magna ni fallimur, claritate donavimus. Divinæ igitur majestati multæ gratiæ, ad cujus gloriam et honorem, hæc et cuncta nostra effecta esse volumus. Quæ omnia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ et correctioni humiliter submittimus.

---

IMPRIMATUR.

Frater Franciscus Petrasancta Sacræ Theologiæ Magister; Inquisitor Brixiæ.

Pro Illustriss. et Reverendis. D. Episcopo, Gabriel Albericus Vicarius Episcopalis Brixiæ.

Pro republica. Augustinus Dulcius Secretarius, etc.

Gli Illustriss. et Excellentiss. Sign. Capi dell'Eccello Consegio di Diecii infrascritti.

Havuta fede dalli Sign. Reformatori del Studio di Padoa, per relatione á loro fatta dalli due á questo deputati, ciose dal Rever. Padre Inquisit. et dal Circ. Se-

cretario de Senato Agostino Dolce, che nel libro intitulato *Formalis explicatio* Tertiæ partis Summæ Sacræ Theologiæ Sancti Thomæ Aquinatis Ordinis Prædicatorum, etc. Editæ per Fratrem Hieronymum de Medicis à Camerino ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Professorem; no vi è cosa contraria alle leggi, et che si puo estamparlo; concedemo licenza che possa esser stampato. Dovendo si mandar uno di essi libri nell'Officio delle loro Signorie Eccellen. juxta le leggi. Dat. Ven. Die 14. Februarii 1621.

D. Zuanne da Leze.
D. Carlo Ruzini. } Capi dell'Eccel. Conseglio di X.
D. Piero Bondumier.

Excelsi Consilii decem Secret.
*Bartholomæus Com. Secret.*

# Tractatus

## DE DEO INCARNATO.

### PROLOGUS.

Quia salvator noster Dominus Jesus Christus, teste Angelo, Matth. 1. Populum suum salvum faciens á peccatis eorum, viam veritatis nobis in seipso demonstravit, per quam ad beatitudinem immortalis vitæ resurgendo pervenire possimus, necesse est, ut ad consummationem totius theologici negotii post considerationem ultimi finis humanæ vitæ, et virtutum, ac vitiorum, de ipso omnium Salvatore, ac de beneficiis ejus humano generi præstitis, nostra consideratio subsequatur.

Circa quam *primo* considerandum occurrit de Salvatore.

*Secundo*, de Sacramentis ejus, quibus salutem consequimur.

*Tertio*, de fine immortalis vitæ ad quam per ipsum resurgendo pervenimus, seu de statu animæ post mortem.

Circa *primum* duplex consideratio ocurrit. *Prima* est de ipso Incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo, seu de ipsa unione divinitatis et humanitatis, et de his, quæ ad eam consequuntur. *Secunda* est de his, quæ per ipsum Salvatorem nostrum, idest Deum incarnatum, sunt acta et passa, seu de mysteriis vitæ et mortis ejus. Dei autem incarnati nomine intelligitur divinæ et humanæ naturæ unitas in una persona divina, nempe Verbi. Actio, qua hæc mirabilis unio facta est, communiter vocatur Incarnatio, seu actio, qua Verbum divinum assumpsit carnem ad suum esse personale. Licet enim non solum carnem Verbum assumpserit, sed etiam animam, mentem, et totam humanam naturam; frequentius tamen á carne Verbum dicitur Incarnatum, quam ab humanitate inhumanatum, quia sæpe in S. Scriptura nomine carnis totus homo designatur. His notatis sit.

---

### QUÆSTIO PRIMA,

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Circa primum tria consideranda occurrunt. Primo quidem de convenientia incarnationis Christi. Secundo de modo unionis Verbi incarnati. Tertio de his quæ consequuntur ad hanc unionem.

*Circa primum quæruntur sex.*

Primo, utrum conveniens fuerit Deum incarnari.

Secundo, utrum fuerit necessarium ad reparationem generis humani.

Tertio, utrum si non fuisset peccatum, seu homo peccator, Deus incarnatus fuisset.

Quarto, utrum principalius sit incarnatus ad tollendum originale peccatum, quam actuale.

Quinto, utrum conveniens fuerit Deum incarnari á principio mundi.

Sexto, utrum ejus incarnatio differri debuerit usque in finem mundi.

## ARTICULUS I.

*Utrum conveniens fuerit Deum incarnari.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod non fuerit conveniens Deum incarnari.

1. Deus ab æterno fuit absque omni carne. Ergo non fuit conveniens Deum in tempore carnem assumere.

Conseq. probat., quia cum Deus, qui solus ab æterno fuit, sit ipsa essentia bonitatis optimum est ipsum semper esse, sicut ab æterno fuit.

2. Eum qui in infinitum distat á carne, inconveniens est incarnari; sed Deus in infinitum distat á carne. Ergo inconveniens est Deum incarnari.

Maior prob., quia quæ sunt in infinitum distantia, inconvenienter junguntur. Inconveniens enim junctura esset humani capitis cum equina cervice. Et multo inconvenientior est junctura finiti cum infinito.

Minor prob., quia Deus est simplicissimus; caro autem (et præcipue humana) est maxime composita.

3. Omnino inconveniens esset, si Deus, qui est summa bonitas, malitiam assumeret. Ergo est etiam inconveniens quod Deus, qui est summus spiritus increatus, corpus assumat.

Conseq. prob., quia sic distat corpus á summo spiritu, sicut malitia á summa bonitate.

4 Ille qui excedit magna, inconvenienter in minimo includitur, et cui imminet magnorum cura, inconvenienter ad parva se transfert. Sed Deum, qui totius mundi curam gerit, tota rerum universitas capere non sufficit. Ergo videtur inconveniens, quod intra corpusculum vagientis infantiæ lateat, cui parum putatur universitas, et tamdiu á sedibus suis absit ille regnator, atque ad unum corpusculum totius mundi cura transferatur,» ut Volusian. scribit ad August. Epist. 2. inter oper. Aug.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud per quod Dei invisibilia, per visibila monstrantur, est conveniens. Sed per incarnationis mysterium Dei invisibilia monstrantur. Ergo incarnationis mysterium est conveniens.

Maior prob., quia ad hoc totus mundus est factus, ut per visibilia, Dei invisibilia monstrarentur, secundum quod dicitur Rom. 1. *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.*

Minor prob. Quia Damas. dicit in 3. lib. Ortod. Fid. cap. 1. Per Incarnationis mysterium monstratur simul bonitas, et sapientia, et justitia, et potentia Dei, vel virtus: bonitas quidem quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem; justitia vero quoniam, homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem; sapientia vero quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem: potentia vero, sive virtus infinita, quia nihil est maius, quam Deum fieri hominem.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Deum incarnari.

Probatur. Illud per quod Deus creaturæ summo modo se communicat, est Deo conveniens. Sed per incarnationis mysterium Deus summo se creaturæ communicat. Ergo Deum incarnari fuit conveniens.

Maior probat. Quia summo modo se communicare creaturæ est Deo conveniens. Quod ostenditur. Illud quod convenit alicui secundum rationem propriæ naturæ, est ei conveniens: sicut conveniens est homini quod ratiocinetur, quia ratiocinari competit homini secundum rationem propriæ naturæ. Sed summo modo se communicare competit Deo secundum rationem propriæ naturæ. Ergo summo modo se communicare est Deo conveniens.

Minor hujus prob. De ratione summi boni est summo modo se communicare, ut Dion. dicit 1. cap. de div. nom. Sed Deus est summum bonum, cum sit ipsa

essentia bonitatis, ut idem Dionys. dicit 4. cap. de div. nom. Ergo Deo convenit secundum rationem suæ naturæ, summo modo se communicare.

Minor principalis prob. Quia summa communicatio Dei ad creaturas maxime fit per hoc, quod Deus naturam creatam sic sibi in mysterio incarnationis conjungit, ut una persona fiat ex tribus, scilicet Verbo, anima, et carne, sicut Aug. dicit in lib. 13. Trin. cap. 17.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod mysterium incarnationis non est impletum per hoc, quod Deus aliquo modo sit mutatus á suo statu, in quo ab æterno fuit; sed per hoc quod novo modo se creaturæ univit, vel potius per hoc quod novo modo sibi univit creaturam. Unde tota mutatio in creatura facta fuit. Et est conveniens quod creatura, quæ secundum sui rationem mutabilis est, non semper eodem modo se habeat: et ideo sicut creatura incepit esse, cum prius non esset, ita convenienter cum Deo prius non esset unita in persona, postea ei unita fuit.

Ad 2. Dicitur ad maiorem quod aliqua possunt distare in infinitum dupliciter. Uno modo ita quod neutrum habeat aliquam habitudinem ad alterum, puta causæ ad effectum, materiæ ad formam, vel hujusmodi; alio modo quod unum ipsorum habeat aliquam habitudinem ad alterum. Maior igitur est vera de his, quæ distant in infinitum, et nullam habent habitudinem ad invicem, ut sunt caput humanum, et cervix equina: et ideo inconvenienter junguntur. Non autem de his, quæ etsi distent in infinitum, habent tamen aliquam habitudinem ad invicem. Tunc ad minorem dicitur quod etsi caro á perfectione divina in infinitum distet, et Deus in infinitum excedat carnis naturam, tamen est carnis ad Deum habitudo, sicut effectus ad causam, propter quod et caro est quodammodo Deo similis, sicut et cæteræ creaturæ, de quibus dictum est 1. part. q. 6. artic. 3. quod sunt Deo similes, et propterea caro potest convenienter á Deo assumi, non obstante infinita perfectionis distantia. Convenientia tamen hujus assumptionis non fuit ex parte carnis, secundum conditionem suæ naturæ, quia hoc erat supra dignitatem ipsius; sed fuit conveniens ex parte Dei; conveniens enim fuit Deo secundum infinitam excellentiam bonitatis ejus, ut sibi carnem pro salute humana uniret.

Vel aliter explicatur hæc responsio, quod convenientia unionis factæ in mysterio incarnationis non est ex parte carnis: hoc enim erat supra conditionem ipsius, sed ex parte divinæ bonitatis: convenientissimum enim fuit divinæ bonitati, ut carnem, pro carnis salute, sibi uniret. Unde ad formam argumenti negatur maior in subjecta materia: Deum enim, etsi in infinitum excedat carnem, conveniens est, incarnari propter excellentiam suæ bonitatis. Ad probationem dicitur: quod unio capitis humani cum equina cervice non potest esse conveniens, quia nec ex parte capitis humani, nec ex parte equinæ cervicis invenitur aliqua convenientia talis unionis, sicut invenitur in unione incarnationis.

Ad 3. Neg. conseq. Ad cujus probationem negatur assumptum. Non enim sic distat corpus á summo spiritu, sicut malitia á summa bonitate, quæ est Deus. Quamvis enim corpus, et quæcumque alia creatura in infinitum distent á summo spiritu qui est Deus; tamen creatura corporea, sicut et quæcumque alia creatura, et omnes conditiones, per quas á Deo differunt, sunt factæ á Deo per suam sapientiam, et ad Dei bonitatem ordinatæ. Deus enim propter suam bonitatem, cum sit increatus, immobilis, et incorporeus, produxit creaturas mobiles et corporeas. Et similiter malum pœnæ á Dei justitia introductum est propter ipsius gloriam. Malum autem culpæ committitur per recessum ab arte

divinæ sapientiæ, et ab ordine divinæ bonitatis. Et propterea Deo conveniens esse potuit assumere naturam creatam mutabilem, corpoream, et pœnalitati subjectam; non autem ei potuit esse conveniens assumere malum culpæ.

Ad 4. Dicitur, quod argumentum supponit quod per assumptionem carnis, Dei virtus fuerit coarctata, et inclusa in assumpto corpore, quod tamen est falsum. Unde dicit August. ad Volus. «Non habet hoc christiana doctrina quod ita sit Deus infusus carni humanæ, ut curam gubernandæ universitatis, vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam transtulerit. Hominum enim est iste sensus, nihil nisi corporea valentium cogitare. Deus non mole, sed virtute magnus est. Unde magnitudo virtutis ejus nullas in angusto sentit angustias. Non est incredibile, si verbum hominis transiens simul auditur á multis, et á singulis totum, quod Verbum Dei permanens simul ubique sit totum.»

## ARTICULUS II.

### *Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit necessarium ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari.

1. Verbum poterat sine carnis assumptione humanam naturam reparare. Ergo non fuit necessarium assumere carnem ad reparandam naturam humanam.

Anteced. prob., quia Verbo Dei, cum sit Deus perfectus, ut dictum est 1. art. quæst. 4. artic. 1. nihil virtutis per carnem assumptam accrevit. Unde sicut Verbum Dei incarnatum naturam humanam reparavit, potuit etiam eam absque carnis assumptione reparare.

2. Homo poterat Deo satisfacere pro peccato. Ergo non fuit necessarium Verbum incarnari ad reparationem humanæ naturæ.

Conseq. prob., quia ad reparationem humanæ naturæ, quæ per peccatum collapsa erat, nihil aliud requiri videbatur quam quod homo pro peccato satisfaceret. Si ergo homo hoc poterat; sequitur quod non fuerit necessarium Deum incarnari.

Anteced. prob., quia Deus non plus debet requirere ab homine, quam præstare possit, et cum sit Deus pronior ad miserendum, quam ad puniendum, sicut imputat homini ad pœnam actum peccati, ita debet ei imputare ad meritum actum contrarium.

3. Illud per quod minuitur ratio reverentiæ hominis ad Deum, non solum non est necessarium ad reparationem humanæ naturæ, sed est inconveniens. Sed per assumptionem carnis minuitur ratio reverentiæ hominis ad Deum. Ergo non solum non erat necessarium Verbum incarnari, sed potius fuit inconveniens.

Maior probat., quia ad salutem hominis præcipue pertinet, ut homo Deum revereatur. Unde dicitur Malach. 1. *Si ego pater, ubi est honor meus? Si dominus ubi timor meus?*

Minor prob., quia ex hoc ipso homines magis Deum reverentur, quod eum considerant super omnia elevatum, et ab hominum sensibus remotum. Unde in Psalm. 132. dicitur: *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus.* Et postea subditur. *Quis sicut Dominus Deus noster?* quod ad reverentiam pertinet.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud per quod humanum genus liberatur á perditione, est necessarium ad humanam salutem. Sed per mysterium incarnationis humanum genus liberatur á perditione. Ergo necessarium fuit ad humanam salutem Deum incarnari.

Minor prob., quia Joan. 3. dicitur: *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Incarnationem divini Verbi esse necessariam ad reparationem humani generis, potest intelligi dupliciter. Uno modo simpliciter: alio modo ad bene esse. Fuisset necessaria simpliciter, si sine ea genus humanum non potuisset reparari: illud enim est necessarium simpliciter ad consequendum aliquem finem, sine quo nullatenus potest quis finem illum consequi, secundum quem modum dicimus cibum esse necessarium ad conservationem humanæ vitæ: fuisset vero necessaria ad bene esse, si sine ipsa humanum genus potuisset quidem reparari, sed tamen non ita convenienter. Illud namque dicitur esse necessarium ad bene esse, sine quo quis potest quidem consequi finem; convenientius tamen per illud ad finem pertingit: juxta quem modum equus dicitur necessarius ad iter. Habet igitur quæsitum duplicem sensum. Prior est an incarnatio Verbi fuerit sic necessaria ad reparationem humani generis, quod sine ea non potuerit reparari. Alter vero an incarnatio sit necessaria ad hoc, ut convenientius fuerit reparata.

1.ª Conclusio. Deum incarnari non fuit simpliciter necessarium ad reparationem humani generis.

Prob. Quia Deus per suam omnipotentem virtutem poterat multis aliis modis naturam humanam reparare.

2.ª Conclusio. Necessarium fuit Deum incarnari ad hoc, ut humana natura convenientius repararetur.

Prob. dupliciter. Primo auctoritate August. dicentis lib. 13. de Trin. cap. 10. *Verum etiam ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati omnia subjacent, sed sanandæ miseriæ nostræ convenientiorem alium modum non fuisse.*

Secundo probatur ratione. Illud per quod homo promovetur ad bonum, et retrahitur á malo, est convenientissimus modus reparandi humanam naturam. Sed per Verbi Dei incarnationem homo promovetur ad bonum, et retrahitur á malo. Ergo Verbi incarnatio fuit convenientissimus modus reparandi naturam humanam.

Maior patet. Quia per hoc natura humana cecidit, quod á bono discessit, et ad malum perrexit. Unde id per quod á malo retrahitur, et ad bonum promovetur, est conveniens modus reparandi hominem.

Minor habet duas partes. Prima quod per incarnationem Verbi homo fuerit promotus ad bonum; secunda quod á malo retrahatur. Et quoad utramque probatur: et primo quoad primam.

Promovetur enim homo per Verbi incarnationem ad bonum, quantum ad quinque.

Primo quidem quantum ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc, quod ipsi Deo loquenti credit. Unde Aug. dicit lib. 11. de Civit. Dei cap. 2. « Ut homo fidenter ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei filius homine assumpto constituit, atque fundavit fidem.»

Secundo quantum ad spem, quæ per hoc maxime erigitur. Unde August. dicit lib. 13. de Trin. cap. 10. « Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis, quantum diligeret nos Deus; quid vero hujus rei isto judicio manifestius, quam quod Dei filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium?»

Tertio quantum ad charitatem, quæ maxime per hoc excitatur. Unde Augus. dicit lib. de cathechizandis rudibus cap. 4. « Quæ maior est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? et postea subdit: Si amare pigebat, saltem reamare non pigeat. »

Quarto quantum ad rectam operationem, in qua nobis exemplum se præbuit. Unde Aug. dicit in quodam sermone de Nativitate Domini, « homo sequendus non erat, qui videri poterat, « Deus sequendus erat, qui videri non

« poterat; ut ergo exhiberetur homini, « et qui videretur ab homine, et quem « homo sequeretur, Deus factus est ho- « mo. »

Quinto quantum ad plenam participationem divinitatis, quæ vera est hominis beatitudo, et finis humanæ vitæ, et hoc collatum est nobis per Christi humanitatem. Dicit enim August. in quodam sermone de nativitate Dom. *Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus.*

Deinde probatur eadem minor quoad secundam ejus patem. Retrahitur enim homo á malo per incarnationem Christi, quantum ad quinque.

Primo, quia per hoc homo instruitur, ne sibi diabolum præferat, et eum veneretur, qui est auctor peccati. Unde Aug. dicit lib. 13. de Trin. c. 17. «Qando- " quidem sic potuit Deo conjungi huma- " na natura, ut fieret una persona, su- " perbi illi maligni spiritus non ideo se " audeant hominibus præponere, quia " non habent carnem. »

Secundo per hoc instruimur quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinemus peccando. Unde August. dicit in lib. de ver. relig. cap. 16. «Demons- " travit nobis Deus, quam excelsum lo- " cum inter creaturas habeat humana " natura in hoc quod hominibus in vero " homine apparuit. » Et Leo Papa dicit in Serm. 1. de Nat. " Agnosce ô chris- " tiane dignitatem tuam, et divinæ con- " sors factus naturæ, noli in veterem vi- " litatem degeneri conversatione redi- " re. »

Tertio quia « ad tollendam hominis " præsumptionem, gratia Dei, nullis in " nobis meritis præcedentibus, in homi- " ne Christo commendatur, » ut Augus. dicit lib 13. de Trin cap. 17.

Quarto quia « superbia hominis, quæ " maxime impedimento est, ne inhæreа- " tur Deo, per tantam Dei humilitatem " redargui potest, atque sanari, » ut August. ibidem dicit.

Quinto ad liberandum hominem á servitute peccati: quod quidem, ut August. dicit 13. de Trin. cap. 13. *fieri debuit sic, ut diabolus justitia hominis Christi superaretur*: quod factum est Christo satisfaciente pro nobis. Homo autem purus satisfacere non poterat pro toto humano genere. Deus autem satisfacere non debebat, unde oportebat Deum, et hominem esse Jesum Christum. Unde Leo Papa dicit in Serm. 1. Nat. «Suscipitur " á virtute infirmitas, á majestate humi- " litas, ut quod nostris remediis congrue- " bat, unus atque idem Dei, et homi- " num mediator, et mori ex uno, et re- " surgere posset ex altero. Nisi enim " esset verus Deus, non afferret reme- " dium; nisi esset verus homo, non præ- " beret exemplum.»

Promovetur igitur homo ad quinque bona per incarnationem filii Dei.

Primo promovetur ad certitudinem fidei.

Secundo erigitur ejus spes.

Tertio excitatur ejus charitas.

Quarto inducitur ad rectam operationem.

Quinto promovetur ad perfectam participationem divinitatis.

Retrahitur etiam homo per eamdem incarnationem Verbi à quinque malis.

Primo á prælatione dæmonis.

Secundo ab inquinatione naturæ.

Tertio á præsumptione.

Quarto á superbia.

Quinto liberatur à diaboli servitute.

Sunt autem et aliæ quamplurimæ utilitates que ex Verbi incarnatione consecutæ sunt: quæ tamen sunt supra humani sensus apprehensionem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod probat primam conclusionem, scilicet quod Verbi incarnatio non fuerit absolute necessaria ad reparationem humanæ naturæ. Et quantum hoc argumentum potest tangere secundam, dicitur ad antecedens, quod Verbum poterat quidem reparare naturam humanam absque assumptione car-

nis, tamen hic fuit convenientissimus reparationis modus.

Ad 2. Dicitur quod aliqua satisfactio potest dici sufficiens dupliciter. Uno modo perfecte. Alio modo imperfecte. Illa satisfactio est sufficiens perfecte quæ est condigna per quamdam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ. Illa vero est sufficiens imperfecte quæ est sufficiens solum secundum acceptationem ejus cui fit, quia est ea contentus, quamvis non sit condigna. Si quis enim debeat centum, et centum reddat, perfecte satisfacit. Si quis vero debeat centum, et reddat triginta, et ille cui debentur centum, satisfactum se dicat, datis tantum triginta, imperfecte satisfacit. Tunc dicitur ad formam argumenti quod si in antecedenti sit sermo de satisfactione sufficienti perfecte, hoc est de condigno, est falsum: homo enim purus non potest de condigno Deo satisfacere: et hoc propter duo. Primo quia tota humana natura corrupta erat per peccatum. Unde nec bonum alicujus humanæ personæ, nec plurium simul, poterat pro peccato totius humanæ naturæ ex condigno Deo satisfacere. Secundo quia peccatum in Deum commissum, ratione majestatis offensæ, quamdam infinitatem habebat; tanto enim offensa est gravior, quanto maior est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem quod actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, et hominis existens. Si vero sermo sit de imperfecta satisfactione, conceditur ipsum antecedens. Homo enim purus potest sic Deo satisfacere. Sed tunc negatur consequentia. Ex hoc enim quod homo poterat sic satisfacere, non sequitur quod non fuerit necessaria Verbi incarnatio. Cum enim omne imperfectum præsupponat perfectum, à quo sustentetur, omnis puri hominis satisfactio (utpote imperfecta) efficaciam habet á satisfactione Christi: et hinc patet quid dicendum sit ad probationem consequentiæ. Ad reparationem enim humani generis non requirebatur, nisi satisfactio pro peccato; sed hæc hominis satisfactio non poterat fieri, nisi fundata in passione et satisfactione Christi.

Ad 3. Negatur minor. Deus enim assumendo carnem, non minuit suam majestatem, et per consequens ex hoc non fuit diminuta ratio reverentiæ ad ipsum. Immo ex incarnatione crevit ratio reverentiæ; quia cum Dei reverentia magis augeatur ex maiori divinæ naturæ cognitione, et cum ex hoc quod carnem assumpsit, nobis magis appropinquaverit, magis nos ad sui cognitionem attraxit, ac per hoc maior accessit reverentiæ causa.

## ARTICULUS III.

### *Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.*

*Pro affirmativa* = Videtur, quod si homo non peccasset, nihilominus Deus incarnatus fuisset.

1. Multæ aliæ sunt causæ incarnationis Verbi Dei, præter liberationem naturæ humanæ á peccato. Ergo etiamsi homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

Antecedens prob., quia August. dicit lib. 13. de Trin. cap. 17. *Alia multa sunt cogitanda in Christi incarnatione, præter absolutionem á peccato*, de quibus articulo præcedenti dictum est.

Conseq. prob., quia manente causa, manet effectus.

2. Opus quod est perfectivum universi, et per quod solum divina potentia infinita monstratur, debuit fieri, etiamsi homo non peccasset. Sed incarnatio filii Dei est opus perfectivum universi, et per quod solum ostenditur Dei infinita potentia. Ergo incarnatio Verbi debuit fieri, etiamsi homo non pecasset.

Maior prob., quia ad omnipotentiam divinæ virtutis pertinet ut opera sua perficiat, et se manifestet per aliquem infinitum effectum.

Minor habet duas partes. Prima est

quod opus incarnationis divini Verbi sit perfectivum universi. Et hæc prob. Quia per incarnationem filii Dei ultima creatura, scilicet homo qui ultimo creatus fuit, conjungitur primo principio, quod est Deus. Altera ejusdem minoris pars est, quod per Verbi incarnationem ostenditur Dei potentia infinita: quæ sic probatur. Infinita potentia manifestatur solum per infinitum effectum. Sed sola Verbi incarnatio est infinitus Dei effectus. Ergo per solam Verbi incarnationem manifestatur Dei potentia infinita.

Minor hujus probatur, quantum ad utramque exponentem. Est enim incarnationis mysterium infinitus Dei effectus quia in eo conjunguntur ea quæ in infinitum distant, scilicet Deus, et humana natura. Non est autem alius Dei effectus infinitus, quia omnis pura creatura est secundum suam essentiam finita.

3. Ante peccatum natura humana erat capax gratiæ unionis. Ergo etiam si homo non peccasset, filius Dei incarnatus fuisset.

Conseq. prob., quia Deus non subtraxisset humanæ naturæ bonum, cujus erat capax.

Antec. probat. Humana natura post peccatum est capax gratiæ unionis, quæ est maxima gratia. Ergo etiam ante peccatum erat hujus gratiæ capax.

Conseq. hæc prob., quia humana natura per peccatum non est facta capacior gratiæ, quam esset ante peccatum.

4. Christus prædestinatus est filius Dei. De ipso enim dicit Apostolus ad Rom. 1. *qui prædestinatus est filius Dei in virtute*. Ergo etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

Conseq. prob., quia prædestinatio est æterna. Unde ad hoc ut prædestinatio impleretur, etiam non existente peccato, necessarium fuit Deum incarnari.

5. Incarnationis mysterium fuit revelatum primo homini qui tamen non fuit præscius sui casus. Ergo etiamsi homo non peccasset, Filius Dei incarnatus fuisset.

Prior pars antecedentis patet per hoc, quod dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, quod Apostolus dicit ad Ephes. 5. esse *magnum Sacramentum in Christo, et in Ecclesia*. Altera antecedentis pars patet, quia nec angelus fuit præscius sui casus, ut prob. Aug. lib. 11. super Gen. ad lit. cap. 18., et eadem ratione nec homo sui casus præscius fuit.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in lib. de verb. Dom. serm. 36. exponens illud, quod habetur Lucæ 19. «Venit Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat.» «Ergo si homo non peccasset, Filius hominis non venisset.» Et 1. Tim. 1. super illud: «Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere,» dicit Gl. August. serm. 9. de verb. Apost. «Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est medicinæ causa.»

*Determinatio.*

*Diversæ opiniones.*

Aliqui circa hoc diversimode opinantur. Quidam enim dicunt, quod etiamsi homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset. Et hanc probant argumenta facta pro affirmativa.

Alii vero contrarium sustinent. Quam sententiam probat argumentum pro negativa. Et huic assertioni magis assentiendum videtur.

*Vera sententia.*

1.ª Conclusio. Si homo non peccasset, Filius Dei incarnatus non fuisset.

Prob. In Sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur. Ergo convenientius dicitur incarnationis opus ordinatum esse á Deo in remedium contra peccatum, ita quod peccato non existente, incarnatio non fuisset.

Consequentia prob. Quia ea quæ ex sola Dei voluntate proveniunt, supra

omne debitum creaturæ, qualis est Verbi incarnatio, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit.

2.ª Conclusio. Deus potuisset, etiam peccato non existente, incarnari.

Prob. Quia Dei potentia non limitatur ad hoc, quod non possit incarnari, nisi in remedium peccati.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod omnes aliæ causæ quæ sunt assignatæ in præced. art. quare Deus sit incarnatus, pertinent ad remedium peccati. Si enim homo non peccasset, perfusus fuisset lumine divinæ sapientiæ, et justitiæ rectitudine perfectus á Deo, ad omnia necessaria cognoscenda et agenda. Sed quia homo, deserto Deo, collapsus erat ad corporalia, conveniens fuit ut Deus, carne assumpta, etiam per corporalia ei salutis remedium exhiberet. Inde dicit Aug. tract. 2. in Joan. super illud: *Verbum caro factum est. Caro te obcæcaverat, caro te sanat, quoniam sic venit Christus, ut de carne carnis vitia extingueret.* Negatur igitur simpliciter ipsum antecedens: non enim apparet illa causa in scripturis, propter quam fuerit incarnatus, præter remedium peccati, et illæ rationes de quibus articulo præcedenti dictum est, ad hanc tamquam ad principalem reducuntur, qua remota, nulla dictarum remanere potest.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. prioris partis dicitur, quod ad perfectionem universi, non est necessaria unio Dei in persona cum humana natura, hoc enim excedit limites perfectionis naturæ, sed sufficit, quod naturali modo creatura ordinetur in Deum, sicut in finem. Ad prob. secundæ partis dicitur, quod infinitas divinæ potentiæ in ipso modo productionis rerum ex nihilo ostenditur.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod duplex capacitas attendi potest in humana natura. Una quidem secundum ordinem potentiæ naturalis, et hæc á Deo semper impletur, dat enim Deus unicuique rei ea quorum est capax secundum naturalem capacitatem. Et secundum hunc modum natura humana nec ante, nec post peccatum fuit capax gratiæ unionis. Alia est capacitas secundum ordinem divinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum, et sic natura humana est capax gratiæ unionis, sed hanc capacitatem non semper Deus implet, alioquin non posset Deus facere in creatura, nisi quod facit: quod est falsum, ut dictum est p. p. quæst. 105. art. 6. Unde etsi natura humana esset capax gratiæ unionis, etiam ante peccatum, non sequitur quod necessario debuisset fieri etiam non peccante homine, quia natura est capax gratiæ unionis, solum secundum ordinem divinæ potentiæ, quæ capacitas non semper impletur, sed solum quando placitum est divinæ voluntati. Et si quæratur, quare hæc capacitas impleta fuerit post peccatum, et non erat implenda, non peccante homine? sic enim videtur, quod peccatum fuerit causa hujus magni boni, quod est gratia unionis; Respondetur, quod ratio, quare post peccatum facta est incarnatio, jam dicta est. Nec prohibet ad aliquid maius humanam naturam perductam esse post peccatum. Deus enim permittit mala fieri, ut inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur Rom. 4. *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Et in benedictione Cerei Paschalis dicitur, *¡O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!*

Ad 4. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod prædestinatio est quidem æterna, sed præsupponit futurorum cognitionem. Et ideo sicut Deus prædestinat salutem alicujus per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinat opus incarnationis in remedium humani peccati, tamquam medicinam in remedium morbi.

Ad 5. Negatur consequentia. Nihil enim prohibet alicui revelari effectum, cui non revelatur causa. Potuit igitur primo homini revelari incarnationis mysterium, sine hoc, quod esset præscius sui casus. Non enim quicumque cognoscit effectum, necessario cognoscit causam.

## ARTICULUS IV.

*Utrum principalius Christi incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale.*

*Pro negativa* = Videtur, quod Deus principalius incarnatus fuerit in remedium actualium peccatorum, quam originalis peccati.

1. Peccatum actuale est gravius quam peccatum originale. Ergo incarnatio Christi principalius ordinatur ad deletionem actualium peccatorum, quam ad deletionem originalis peccati.

Anteced. prob. *Quia peccato actuali maior pœna debetur, quam originali, cui debetur minima pœna*, ut Aug. dicit lib. 5. cont. Jul. cap. 8.

Consequencia prob., quia quanto peccatum est gravius, tanto magis humanæ saluti, propter quam Deus est incarnatus, adversatur.

2. Christus ut pro peccato satisfaceret, passus est pœnam sensus in cruce, non autem pœnam damni: nullum enim habuit fruitionis, vel visionis defectum. Ergo Christus principalius venit ad deletionem peccati actualis, quam peccati originalis.

Conseq. prob., quia peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, ut dictum est 2. sent. d. 33. quæst. 2. art. 1.

3. Quilibet debet hunc affectum habere, ut existimet Christum passum fuisse pro propriis cujuslibet peccatis. Ergo hunc affectum habere debemus, ut existimemus eum principaliter propter peccata actualia venisse.

Antecedens prob., quia Chrysost. dicit lib. 2. de compunctione cordis, « hic « est affectus servi fidelis, ut beneficia « Domini sui, quæ communiter omnibus « data sunt, quasi sibi soli præstita re- « putet; quasi enim de se solo loquens « Paulus, ita scribit Gal. 2. *dilexit me, « et tradidit semetipsum pro me.* »

Conseq. prob., quia propria peccata nostra sunt actualia, originale autem est commune peccatum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 1. dicitur: *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Quod exponens Beda dicit, *peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi.*

*Determinatio.*

*Quid sit certum in hoc quæsito.*

In hoc quæsito certum est, Christum venisse in hunc mundum, non solum ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros; sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ postea superaddita sunt. Non quod omnia deleantur (quod est propter defectum hominum, qui Christo non inhærent, secundum illud Joan. 3. Venit lux in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem) sed quia ipse exhibuit, quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem. Quod etiam apparet ex Apost. dicente Rom. 5. Non sicut delictum, ita et donum, nam judicium ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem. Certum est igitur Christum venisse ad delendum omnia peccata, idest ad ferendum remedium contra omnia peccata. Dubium autem est an principalius venerit ad delendum peccatum actuale, an originale.

*Ad quæsitum.*

Conclusio. Incarnatio Christi principalius facta fuit ad tollendum peccatum originale, quam actuale.

Prob. Propter illud peccatum principalius facta est incarnatio, quod est maius. Sed peccatum originale est ma-

jus, quam peccatum actuale. Ergo propter peccatum originale principalius facta est incarnatio.

Maior probatur, quia tanto principalius ad alicujus peccati deletionem Christus venit, quanto illud peccatum maius est.

Minor probatur; dicitur enim aliquod peccatum maius dupliciter. Uno modo intensive, sicut est maior albedo, quæ est magis intensa. Et per hunc modum, peccatum actuale est maius, quam originale, quia peccatum actuale habet magis de ratione voluntarii, ut dictum est 1. 2. quæst. 81. artic. 1. Alio modo dicitur aliquid maius extensive, sicut dicitur maior albedo illa, quæ est in maiori superficie. Et hoc modo peccatum originale est maius quolibet actuali peccato, quia per peccatum originale totum humanum genus inficitur; per actuale vero singularis persona. Et quia *bonum gentis divinius est, et eminentius, quam bonum unius*, ut dicitur 1. Ethic. cap. 2. hinc sequitur, quod simpliciter peccatum originale, quod tollit bonum totius humani generis, maius simpliciter sit, quam peccatum actuale, quod tollit solum bonum singularium personarum. Et sic remanet probata minor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod peccatum actuale est gravius secundum priorem modum, idest intensive, propter quod ei debetur intensior pœna. Tunc negatur consequentia. Non enim principalius venit Christus ad tollendum peccatum, quod est intensive gravius, sed ad tollendum peccatum, quod est gravius extensive, quia hoc tollit divinius, et eminentius bonum, ut dictum est in corpore.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi peccato originali in futura retributione non debeatur pœna sensus, sed pœna damni; tamen pœnalitates, quas in hac vita patimur, sicut sunt fames, sitis, mors, et alia hujusmodi ex peccato originali procedunt: et ideo Christus, ut plene pro peccato originali satisfaceret, sensibilem dolorem pati voluit, ut has pœnalitates in seipso consumeret.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, et ad ejus prob., quod sicut Chrysost. ibidem dicit. « Verba illa dicebat Apostolus non « quasi diminuere volens amplissima, et « per orbem terrarum diffusa Christi mu- « nera, sed ut pro omnibus se solum in- « dicaret obnoxium. Quid enim interest, « si et aliis præstitit, cum quæ tibi sunt « præstita, ita integra sunt, et ita per- « fecta, quasi nulli alteri, ex his aliquid « fuerit præstitum? » Ex hoc igitur, quod unusquisque deberet reputare beneficia Christi sibi præstita esse, non debet existimare, quod non sint aliis præstita. Negatur igitur consequentia, ex hoc enim, quod aliquis existimare debet, quod divina communia beneficia sint sibi soli facta, non sequitur quod Christus principaliter venerit propter actualia peccata, sed solum ostenditur, quod illud peccatum naturæ, ita in unoquoque perfecte curatum est, ac si in uno solo esset curatum. Et ideo propter unionem charitatis, totum quod in omnibus impensum est, unusquisque sibi debet adscribere.

## ARTICULUS V.

*Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod conveniens fuisset Deum incarnari á principio humani generis.

1. Opus, quod processit ex immensitate divinæ charitatis, debuit fieri ab initio mundi. Sed opus incarnationis procedit ex immensitate divinæ charitatis. Ergo opus incarnationis debuit fieri ab initio mundi, nec debuit differri, sed statim per ipsam humano generi subvenire.

Maior probat., quia charitas non retardat subvenire amico necessitatem patienti: secundum illud Prov. 3. *Ne di-*

*cas amico tuo, vade, et revertere: cras dabo tibi, cum statim dare possis.*

Minor prob., quia ad Ephes. 2. dicitur: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.*

2. Opus, quod ordinatur ad salvandos peccatores, debuit fieri in principio humani generis. Sed incarnatio est opus ordinatum ad salvandos peccatores. Ergo incarnatio debuit fieri in principio humani generis.

Maior prob., quia plures salvati fuissent, si á principio humani generis factum fuisset opus, quod ordinatur ad peccatores salvandos. Plurimi enim ignorantes Deum, in suo peccato perierunt in diversis seculis.

Minor prob., quia 1. Tim. 1. dicitur. *Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.*

Aliter. Christus est incarnatus, ut peccatores salvos faceret, ut dicitur 1. Tim. 1. Ergo convenientius fuisset, quod á principio humani generis Deus incarnatus fuisset.

Consequentia prob., quia plures salvati fuissent, si à principio humani generis Deus fuisset incarnatus: nam plurimi ignorantes Deum, in suo peccato, in diversis seculis perierunt.

3. Opus, in quo consideratur perfectio gratiæ, erat faciendum in principio humani generis. Sed in opere incarnationis consideratur perfectio gratiæ: secundum illud Joan. 1. Verbum caro factum est. Et postea subditur; plenum gratiæ, et veritatis. Ergo incarnatio debuit fieri á principio humani generis.

Maior prob. Natura sumit initium á perfectis, ut Boët. dicit lib. 3. de Cons. pros. 10. Ergo etiam opus gratiæ debet á principio esse perfectum. Opus igitur, in quo consistit plenitudo gratiæ, debuit fieri ante omne aliud gratiæ opus.

Conseq. prob., quia opus gratiæ non est minus ordinatum, quam sit opus naturæ.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud opus quod Deus prædefinivit fiendum in plenitudine temporis, et non in principio mundi, convenienter factum est in plenitudine temporis, et non debuit fieri in principio mundi. Sed opus incarnationis prædefinivit Deus fiendum in plenitudine temporis, et non in principio mundi. Ergo opus incarnationis non debuit fieri in principio mundi, sed convenienter factum est in plenitudine temporis.

Maior probatur, quia Deus sua sapientia convenientissime omnia definivit.

Minor prob., quia Gal. 4. dicitur. «At «ubi venit plenitudo temporis, misit Deus «filium suum factum ex muliere, factum «sub lege.» Ubi Glos. dicit quod «pleni«tudo temporis est quod præfinitum fuit «á Deo Patre, quando mitteret filium «suum.»

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Non fuit conveniens à principio humani generis, ante peccatum Deum incarnari.

Prob. Opus quod principaliter ordinatur ad reparationem humanæ naturæ, per peccati abolitionem, non convenienter factum fuisset in principio humani generis, ante peccatum. Sed opus incarnationis principaliter ordinatur ad reparationem humanæ naturæ, per peccati abolitionem: ut in præcedentibus articulis dictum est. Ergo opus incarnationis non debuit fieri in principio humani generis ante peccatum.

Maior prob., quia non datur medicina, nisi jam infirmis. Unde ipse Dominus Matth. 9. dicit: «non est opus valentibus medico, sed male habentibus: non enim veni vocare justos, sed peccatores.»

2.ª Conclusio. Non fuit conveniens Deum statim post peccatum incarnari.

Probatur quadrupliciter. Primo quidem propter conditionem humani pec-

cati quod ex superbia provenerat: et sic formatur ratio. Opus quod ordinatur ad liberandum humanum genus á peccato, quod primus homo commiserat, non debuit fieri statim post peccatum. Sed opus incarnationis ordinatum fuit ad liberandum humanum genus à peccato primi hominis. Ergo incarnatio non convenienter fuisset facta statim post peccatum.

Maior prob., quia peccatum primi hominis processit ex superbia. Unde eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret, se indigere liberare. Unde super illud ad Gal. 3. *ordinata per Angelos in manu mediatoris*, dicit Glos. ord. «Magno Dei consilio factum est, ut post hominis casum non illico Dei filius mitteretur.» Reliquit enim Dominus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturæ suæ cognosceret. Ubi cum deficeret, legem accepit, qua data, invaluit morbus, non legis, sed naturæ vitio: ut ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, et gratiæ quæreret auxilium.

Secundo probatur conclusio ex ordine promotionis in bonum, hoc modo. Opus per quod homo promovetur ad bonum, non debuit fieri statim post peccatum. Sed incarnatione divini Verbi homo promotus fuit in multiplex bonum, ut artic. 2. dictum est. Ergo incarnatio non debuit fieri statim post peccatum.

Maior probatur: nam in ordine promotionis ad bonum proceditur de imperfecto ad perfectum. Unde Apostolus 1. Cor. 15. dicit: *Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.*

Tertio probatur conclusio ex dignitate Verbi incarnati. Unde Glos. super illud ad Gal. 4. *At ubi venit plenitudo temporis*, dicit: *quanto maior judex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat.*

Quarto tandem probatur eadem conclusio. Quia si statim incarnatus fuisset, fervor fidei prolixitate temporis tepesceret. Nam circa finem mundi frigescet charitas multorum. Unde Luc. 18. dicitur: *cum veniet filius hominis, putas inveniet fidem in terra?*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad probat. dicitur, quod charitas non differt amico subvenire, salva tamen negotiorum opportunitate, et personarum conditione. Si enim medicus statim á principio ægritudinis medicinam daret infirmo minus proficeret, vel magis læderet, quam juvaret. Et ideo etiam Dominus non statim á principio incarnationis remedium humano generi exhibuit, ne illud contemneret ex superbia, si prius suam non cognosceret infirmitatem. Tunc igitur convenienter est incarnatus, quando homo humiliatus suam cognoscere potuit impotentiam.

Ad 2. Negatur maior primæ formæ, vel consequentia alterius formæ. Ad quarum probationem quæ eadem est, respondet Aug. dupliciter. Primam responsionem affert in lib. de sex Qq. paganorum quæst. 2. epist. 49. dicens "quod tunc voluit Christus hominibus "apparere, et apud eos suam doctrinam "prædicari, quando, et ubi sciebat esse "qui in eum fuerant crediturí: his enim "temporibus et his in locis tales homines "in ejus prædicatione futuros esse præs- "ciebat, quales non quidem omnes, sed "tamen multi in ejus corporali præsen- "tia fuerunt qui nec in eum, suscitatis "ab eo mortuis, credere voluerunt.» Cujus responsionis sensus consistit in negatione assumpti, ad probandum maiorem, sive consequentiam; scilicet quod plures salvati fuissent, si incarnatio facta fuisset in principio, statim post peccatum. Et hoc, quia Deus prævidit quando homines essent magis dispositi ad recipiendum salutarem medicinam quæ per Verbi incarnationem facta est, et tunc est incarnatus.

Quam responsionem reprobat idem August. in lib. de persev. cap. 9. ostendens quod incarnatio Verbi non est facta in plenitudine temporis, ex hoc quod Deus viderit plures homines, et magis esse dispositos ad recipiendum viam salutis. Inquit enim: "numquid "possumus dicere Tyrios, et Sidonios, "talibus apud se virtutibus factis cre- "dere noluisse, aut credituros non fuis- "se si fierent, cum ipse Deus attestetur "eis quod acturi essent magnæ humi- "litatis pœnitentiam, si in eis facta es- "sent divinarum illa signa virtutum?» Sciebat igitur Dominus quod si in Tyro et Sidone fuissent facta signa quæ fuerunt facta in Capharnaum, et in Betsaida, egissent pœnitentiam in cinere, et cilicio, et tamen Dominus illa signa in illis civitatibus non fecit. Unde quod Dominus salvet aliquos, non est ex prævisione bonæ dispositionis. Non est igitur verum quod prima responsio asserebat, quod Verbum fuerit tali tempore incarnatum, et non statim post peccatum, quia præviderit homines plures, et magis dispositos ad salutem.

Unde aliter solvit, dicens quod «sicut "Apostolus ait: non est volentis, neque "currentis: sed miserentis Dei, qui "iis quos prævidit, si apud eos facta es- "sent, suis miraculis credituros, qui- "bus voluit, subvenit: aliis autem non "subvenit, de quibus in sua prædestina- "tione, occulte quidem, sed aliud juste "judicavit. Itaque misericordiam ejus in "iis qui liberantur, et veritatem in iis qui "puniuntur, sine dubitatione credamus.»

Quæ responsio consistit in hoc, quod si Deus incarnatus fuisset ab initio mundi, statim post peccatum, et subvenisset multis qui perierunt, illi salvati fuissent, sicut si fuissent facta signa in Tyro, Tyrii egissent pœnitentiam: tamen illis juste non fuit provisum, et nobis misericorditer dignatus est subvenire. Ex hoc igitur quod si Deus statim post peccatum incarnatus fuisset, essent salvati plures qui perierunt, non sequitur quod Deus tunc debuerit incarnari, quia juste illos reliquit, et misericorditer nos per suam incarnationem á damnatione liberavit.

Ad 3. Neg. maior. Ad probationem dicitur quod in utroque ordine, scilicet gratiæ et naturæ, in diversis perfectum præcedit imperfectum; in uno vero, et eodem imperfectum præcedit perfectum. In generatione enim alicujus hominis, puta Petri, imperfectum præcedit perfectum, et perfectum præcedit imperfectum. Perfectum præcedit in diversis: generatio enim Petri, præsupponit perfectionem in eo qui generat, scilicet in patre, qui tunc perfectus est quando potest generare sibi simile. Sed in persona Petri imperfectum præcedit perfectum; est enim primo infans, deinde puer, deinde vir. Sic etiam in ordine gratiæ, in diversis perfectum præcedit imperfectum; in uno est é contra. Perfectum quod præcedit in ordine gratiæ, est Deus, á quo est gratia. In homine autem qui ad gratiam promovetur, imperfectum præcedit perfectum: est enim primo in ordine incipientium: deinde in ordine proficientium, et tandem in ordine perfectorum. Salus igitur hominis respectu diversorum habet principium á perfecto, scilicet á Deo; in homine autem prius fuit imperfectum naturalis legis, deinde legis scriptæ, et tandem perfectio est subsecuta in lege gratiæ per Verbi incarnationem: in qua humana natura fuit Deo unita.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod incarnationis opus debuerit differri usque ad finem mundi.

1. Tempus misericordiæ debuit differri usque in finem mundi. Sed tempus incarnationis est tempus maxime misericordiæ. Ergo incarnatio debuit differri usque ad finem mundi.

Maior probatur quia in Psalm 91. dicitur: *senectus mea in misericordia uberi*, idest, in novissimo, ut Glos. ord. dicit.

Minor probatur, quia in Psalm. 101. dicitur: *quoniam venit tempus miserendi ejus.*

2. Illud quod est maxime perfectum debet esse omnino ultimum in tempore. Sed unio humanæ naturæ ad Verbum divinum, est maxima ipsius humanæ naturæ perfectio. Ergo incarnatio Verbi debuit differri usque ad finem mundi.

Maior prob., quia perfectum in eodem est posterius tempore maxime imperfecto. Unde id, in quo consistit maxime humanæ naturæ perfectio, debet esse omnino ultimum, et reservari usque ad mundi finem.

Minor prob., quia in Christo complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, ut Apostolus dicit ad Coloss. 1.

3. Unus Christi adventus sufficere poterat ad salutem humanæ naturæ, qui adventus erit in fine mundi. Ergo non oportuit quod antea veniret per incarnationem, sed debuit differre usque ad mundi finem.

Conseq. prob., quia non est conveniens fieri per duo quod per unum fieri potest.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud per quod Deus maxime mundo innotuit, non debuit differri usque ad finem mundi. Sed per incarnationis mysterium Deus maxime mundo innotuit. Ergo incarnationis mysterium non debuit differri usque ad finem mundi.

Maior prob., quia Abacuc 3. dicitur *in medio annorum notum facies.*

*Determinatio.*

Conclusio. Non fuit conveniens quod incarnatio differretur usque ad finem mundi.

Prob. tripliciter. Primo: illud quod est causa efficiens ultimæ perfectionis humanæ naturæ, non debuit differri usque ad finem mundi. Sed Verbum incarnatum est causa efficiens ultimæ perfectionis humanæ naturæ. Ergo incarnatio divini Verbi non debuit differri usque ad finem mundi.

Maior manifestatur. Sicut enim dictum est artic. præced. ad 3. perfectum uno modo tempore præcedit imperfectum: alio modo imperfectum, tempore præcedit perfectum. In eo enim qui de imperfecto fit perfectum, imperfectum tempore præcedit perfectum: in homine enim qui procedit de imperfecto ad perfectum, imperfectum pueritiæ præcedit perfectum utilitatis. In eo vero, qui est causa efficiens perfectionis, perfectum tempore præcedit imperfectum. Pater enim, antequam possit generare filium, debet esse perfectus, ut ibidem dictum est. Natura autem humana ad duplicem gratuitam perfectionem perducenda erat. Primo est unio hypostatica; altera est visio beatifica. Ad primam perfectionem, quam natura humana consecuta est quando Verbum caro factum est, perducta fuit á Deo, tamquam ab efficienti causa, et ideo non debuit hæc Verbi incarnatio fieri in principio mundi, sed debebat præcedere tempore ipsa divina perfectio, ut art. præcedenti ad 3. dictum est. Ad secundam vero perfectionem perducitur humana natura per ipsum Verbum incarnatum, tamquam per efficientem causam, secundum illud Jo. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Et ideo Verbi incarnatio debuit præcedere tempore nostram beatificationem: quod non fuisset, si incarnatio fuisset dilata usque ad finem mundi; tunc enim homo est beatificandus. Prius ergo debuit Verbum incarnari, et gratiam hominibus communicare, et tandem per gratiam consummatam eos in fine seculi complete beatificare. Sicut igitur divina perfectio debuit tempore præcedere Verbi incarnationem; ita Verbi incarnatio debuit tempore præcedere hominis beatificationem. Ac per hoc, sicut incarnatio fuit facta

in principio mundi, sic non debuit usque ad mundi finem differri.

Secundo probat. conclusio ex effectu humanæ salutis, hoc modo. Si Verbi incarnatio fuisset dilata usque ad finem mundi, totaliter Dei notitia, et reverentia, et morum honestas abolita fuisset in terris: quod fuisset magnum inconveniens.

Consequentia prob. Ex his quæ Aug. dicit lib. 2. de quæst. nov. et vet. test. qui inquit. «In potestate dantis est, quando, vel quantum velit misereri. Venit ergo quando, et subveniri debere scivit, et gratum futurum beneficium. Cum enim languore quodam humani generis obsolescere cœpisset cognitio Dei inter homines, et mores immutarentur, eligere dignatus est Abraham, in quo forma esset renovatæ notitiæ Dei, et morum: et cum adhuc reverentia segnior esset, postea per Moysen legem literis dedit: et quia eam gentes spreverunt, non se subjicientes ei, neque ii, qui acceperunt eam, servaverunt. motus misericordia Dominus, misit filium suum, qui data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illos justificatos offerret.» Si autem hoc remedium dilatum fuisset usque ad finem mundi, profecto totaliter Dei notitia, reverentia, et morum honestas de terris abolita fuisset: propter quod non oportebat incarnationem usque ad mundi finem differre.

Tertio probatur conclusio. Quia per hoc, quod Verbi incarnatio non fuit dilata usque ad finem mundi: magis ostenditur et manifestatur divina virtus. Per hoc enim apparet, quod divina virtus pluribus modis homines salvavit, scilicet per fidem futuri, per quem modum salvati sunt homines ante Christi adventum. Per fidem præsentis, sicut salvati sunt Apostoli, et alii, qui tempore Christi vixerunt, et per fidem præteriti, sicut illi, qui post operatam salutem á Christo salvantur. Si autem dilata fuisset incarnatio usque ad mundi finem, nullus salvatus fuisset in fide præteriti. Ex quibus omnibus patet, quod convenienter incarnatio Verbi facta est ante mundi finem

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur dupliciter. Primo, quod Glosssa illa exponit illam sententiam Psal. de misericordia perducente ad gloriam, secundum quam expositionem vera est quidem maior, scilicet, quod talis misericordia erit in fine seculi, sed tunc falsa est minor: nam incarnatio non est talis misericordia, sed ejus causa.

Dicitur secundo, referendo sententiam Psalm. ad misericordiam exhibitam humano generi per incarnationem Christi, quod hujusmodi misericordia potest dici misericordia juventutis, et senectutis. Nam secundum August. lib. 1. Retract. cap. 26. tempus incarnationis potest comparari juventuti humani generis, propter vigorem, fervoremque fidei, quæ per dilectionem operatur. Senectuti autem, quæ est sexta ætas, propter numerum temporum, quia Christus venit in sexta ætate. Et quamvis in corpore non possit simul esse juventus, et senectus, potest tamen simul esse in anima, juventus quidem propter alacritatem, senectus vero propter gravitatem; et ideo in lib. 83. quæst. q. 44. dicit August. quod «non oportuit divinitus venire magistrum, cujus imitatione humanum genus in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis.» Et alibi dicit Christum in sexta ætate humani generis, tamquam in senectute venisse: appellans tempus incarnationis Christi juventutem, et senectutem, ratione dicta.

Ad 2. dicitur, quod aliquid potest dici perfectum dupliciter. Uno modo, quia est terminus motus ejus, quod procedit de imperfecto ad perfectum. Alio modo, quia est principium perfectionis in aliquo. Sicut forma navis est perfectio navis, quatenus navis per artem fit: et est

principium alterius perfectionis, quatenus scilicet per navim transimus mare. Illud igitur, quod dicitur perfectum ratione primi, debet esse ultimum secundum tempus; illud vero, quod dicitur perfectum etiam ratione secundi, debet esse prius tempore, eo cujus perfectionem causat. In incarnatione autem utrumque consideratur; est enim incarnatio terminus, ad quem perducta est humana natura per Dei potentiam et pietatem. Et est principium, per quod ad perfectionem gloriæ pervenimus. Quatenus igitur incarnatio est terminus prioris perfectionis, non debuit fieri in principio humani generis. Quatenus vero est principium beatificationis nostræ, debuit præcedere secundum tempus beatitudinem ipsam, ut dictum est in corpore, in prima ratione. Ad formam igitur dicitur ad maiorem, quod illud, quod est maxime perfectum, ut terminans motum procedentis de imperfecto ad perfectum, debet esse ultimum; sed si cum hoc sit etiam principium alterius perfectionis, debet tempore præcedere perfectionem, cujus est causa. Et ad minorem dicitur, quod incarnatio est non solum terminus, sed etiam causa perfectionis, et ideo debet præcedere perfectionem, quam causat.

Ad 3. Negatur antecedens. Non enim fuit conveniens, quod uno adventu Deus salvaret et beatificaret. Ut enim Chris. dicit ho. 27. super illud Joan. 3. «Non « misit Deus Filium suum in mundum, «ut judicet mundum.» «Duo sunt Christi « adventus. Primus quidem, ut remittat « peccata; secundus ut judicet mundum. « Si enim hoc non fecisset, universi si- « mul perditi essent: omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. » Unde patet, quod non debuit adventum misericordiæ differre usque ad finem mundi.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 1.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem conteras blasphemiam dicentium : Deum incarnari esse Deo indignum. Hi, licet non nominentur, tamen sub persona cujusdam recitantur in Concilio *Chalcedonensi* Actio. 1. ex *Amphiloquio* Episcopo Iconii. Et sic. « Nisi ille nasceretur carnaliter, numquam tu natus fuisses spiritualiter. Nisi ille dignatus fuisset formam servi suscipere, numquam tu gloriam adoptionis lucrareris. Propter hoc venit in terram cœlestis, ut tu terrenus elevareris in cœlum. Propter hoc Christus semetipsum exinanivit, ut nos omnes de plenitudine ejus acciperemus. Illius mors nostra facta est immortalitas. Domini passio servo facta est exaltatio. Tu vero beneficium accipis in occasionem blasphemiæ. » Horum blasphemiam fuisse, ut apparet ex contextu, affirmant quidam, quod Deum incarnari dicebant non convenire tam altæ Majestati. Ad horum numerum quodammodo pertinere crediderim hæresim *Proclianitarum* dicentium, Christum non venisse in carne. Item *Apellitarum*, qui ideo dictum hoc ex 1. Joan. 4. « Omnis spiritus, qui non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est, » eraserunt, ut suum falsum dogma defenderent. Licet autem B. Jo. dicat: « Omnis spiritus, qui solvit Jesum: *tamen sensus est*: Omnis spiritus, qui non confitetur Jesum in carne venisse, » ut patet apertissime ex contextu mox prævio dicente: « Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. » Item hæresim *Saturnini* cujusdam dicentis, Christum umbraliter tantum in mundo apparuisse. Cui et illa *Manicheorum* videtur cognata; qua dicunt, quod Christus non fuit verus homo, sed phantasma quoddam. Horum enim omnium conjuratio adversus Dominum videtur fuisse in hoc, quod Deum

veraciter incarnari reputabant aut impossibile, aut inconveniens, aut saltem non convenientis fuisse. Et pro tanto hic adducitur, pro quanto incarnationem Dei non esse convenientem, innuebant. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has omnes eatenus damnari merito á Conc. *Chalcedonensi* actio. 1. ex monumentis sanctorum Patrum inibi post *Nicænæ* Synodi fidem immediate de mandato insertis, et sic: « Si quem discerpit incarnatio unigeniti, et partus virginis, et passionum communio, et crux, et passio, atque mors, discens cognoscat, provisoria hæc universalis salutis, sed non indigna divinæ clementiæ. Si enim turpe est Deo habitare in virgine, turpius est omnino creare: si autem creans, non sustinuit contumeliam, neque habitare in creatura dignum verecundia judicavit. » Ubi expone ly *discerpit*, idest; offendit: vel aliquid simile. Quæ verba de directo ibi adducta sunt contra illum blasphemum, de quo in principio appendicis. Non ergo est indignum secundum Concilium, neque turpe, neque verecundum Deo ipsum incarnari. Item ab eodem ibidem apertius. « Sicut artifices optimi non in pretiosis solum materiis artem ostendentes mirandi sunt: sed qui ex vili luto, et cera solubili sæpe suæ disciplinæ operando demonstrant virtutem, multo magis sunt laudabiles: ita omnium optimus artifex vivus, et efficax Dei Verbum, decorans convenientia ordinis universa, non quasi accepta corporis pretiosa materia ad nos pervenit, sed in luto Majestatem suæ artis ostendit, reformans hominem, qui de limo plasmatus est, modum quidem nativitatis immutans, ex virgine procedens, per omnia vero nostram, secundum nos, absque peccato, similitudinem non judicans fugiendam. » Multo igitur magis secundum Concilium mirandus, et laudabilis est Deus: quanto magis carnem nostram tam infimam, non angelicam naturam per incarnationem assumpsit; et quia carnem ipsam, imo nostram per omnia (dempto peccato) similitudinem non judicavit esse fugiendam: ideo patentissima veritas est, quod ipsum Deum incarnari, imo nobis per omnia absque peccato assimilari per talia dicta Concilium fuisse conveniens declaravit. Item á Concilio Tolet. 11. in pronunciatione publica fidei catholicæ ante primum capitulum. Hoc enim Concilium postquam ibi dixerat sic. «Filius Dei natura est filius, non adoptione, quem Deus pater nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est: quia nec ulla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam prævenit: *post ista verba*, *multis interjectis*, *inquit*. De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis verum hominem sine peccato de sancta, et immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse, etc. Nec tamen Spiritus Sanctus Pater esse credendus est Filii pro eo, quod Maria eodem Spiritu Sancto obumbrante concepit; ne duos patres filii videamur asserere, quod utique nefas est dici. In quo mirabili conceptu, ædificante sibi sapientia domum, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Ex Concilio ergo dicente, quod tunc *sapientia ædificavit sibi domum*, patet apertissime quod Deum incarnari non solum fuit conveniens, sed convenientissimum opus, non tantum quacumque sapientia, sed infinita sapientia plenum. Id, quod de singulis quoque mysteriis humanitatis Christi (puta nativitate in præsepio, etc. passione in cruce, etc. resurrectione ab inferis tertia die, etc.) intelligendum est secundum Concilium eadem ratione; quoniam « ædificante sibi sapientia domum, et Verbum caro factum est, *quod fuit per conceptionem:* et Verbum habitavit in nobis, *quod fuit per conversationem.* » Item á Leone primo Papa in epistola ad Flavianum inserta quinto Concilio *Constantinopolitano* collat. 6. sic. « Ædificante sibi sapientia domum, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Ex hac Leonis sententia dic, ut nunc supra. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas, et quidem á fortiori, hæresim *Petri Abaylardi*, ut refert Alphonsus Castr. *adversus hæresim Christus*, ingratissime dicentis, Christum Dei Filium, non ut hominem liberaret, fuisse incarnatum. Dixi ly á fortiori, quia si per rationem ostendis, quod illum propter nostram salutem necesse fuit incarnari, multo magis utique illum propter liberandum hominem non fuisse incarnatum falso dogmatizari demonstras. Item hæresim *Theodori Bizantini* (Prat. *Bassus*) dicentis, Christum non esse salvatorem. Hæc enim in senu

reddit ingratitudinem *Abaylardi*. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito fuisse damnatas á Christo ipso Luc. 19. " Venit Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat. » Venit scilicet per incarnationem. Item ab eo Luc. 15. " Quis ex vobis homo habens centum oves, *etc.* Aut quæ mulier habens drachmas decem, *etc.* » Ubi Christus dicit se hominem illum, qui venit in hunc mundum, omni bono ex se desertum, ad quærendum ovem perditam, et se mulierem illam per affectus teneritudinem, quæ domum hujus mundi accensa lucerna per incarnationem everrit; bona, quæ jam ex hominum memoria avolaverant, in hominum executionem introducendo: et mala quibus jam olim homines assueverant, in ipsorum nauseam adducendo. Item ab eo Matth. 9. *Veni*, scilicet per incarnationem, *vocare peccatores* ad pœnitentiam. Item Joan. 10. " Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. *Item ab eodem*: *et á fortiori* (*expone*, *ut supra*) exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3. Sic oportet ipsum exaltari *per crucifixionem*, *ut omnis*, etc. » ergo non tantum ad hunc finem incarnatus est, sed etiam ad hunc finem necessario incarnatus est. Hanc tamen necessitatem, ut et Luc. 24. *Oportuit Christum pati*, etc. et plures hujusmodi intellige secundum tenorem articuli præsentis: et etiam præsupposita divina prædestinatione, sic non absolute. Item ab Angelo, Matth. 1. " Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum á peccatis eorum. » Hoc est. Nomen ejus á te vocandum significat salvatorem, et salvatorem maximum omnium aliorum, quanto plus incomparabiliter est salvare á peccatis, quasi ex consuetudine innatis (hoc importat ly *eorum*) quam á quacumque alia miseria, etiam ab infernis mille, semoto peccato, liberare. A toto igitur Evangelio damnantur supradictæ hæreses; dum semper Verbum incarnatum vocat Jesum. Idem est itaque dicere, quod verbum Dei non est Salvator, aut quod ad salvandum hominem non est incarnatum, quod est dicere, quod Jesus non est Jesus. Vide, quam insensati, nedum ignorantes, nedum ingratissimi illi. Item damnari hoc merito per eamdem rationem ostendes á symbolo *Nicænæ* fidei *Constantinop. Ephes.* 1. Synodi, *Chalcedonensis*, et omnium Conciliorum; quoniam omnia sacra Concilia Nicænam fidem cum veneratione unanimi amplectuntur. Sic enim habet primi Nicæni Concilii fides de Filio Dei loquens: " Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus, et homo factus, et passus est, et resurrexit tertia die, et ascendit in cœlos, et inde venturus est judicare vivos, et mortuos. » Ecce ex hoc tam magno Concilio, quod non tantum amore nostri, et propter nostram salutem passus est, resurrexit ascendit, judicabit, sed etiam carnem assumpsit. Ex his omnibus, aliisque plurimis, quæ verbatim adduci possent, nisi passim scriptura, conciliaque legentibus pro subjecta materia occurrerent, patet evidentissime, quam damnabilis, atque damnata sit hæresis *Bassi* (Alphonsus, ubi supra) blasphemo ore evomentis, neque in Christi majestate, neque in corporali ejus præsentia sperandam esse salutem. Ideo enim propter nostram salutem incarnatus est, etc. ut in ipso speremus, nos ab ipso tamquam homine meritorie primo, et ab ipso tamquam Deo principaliter nostram salutem accepturos. *Tertio* vides: quomodo ex iis, si bene pensentur, et applicentur, doctrina hæc angelica etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse ab Apostolo 1. Corinth. 2. " Quæ sunt hominis, quis cognovit, nisi spiritus hominis, qui est in homine? Ita, et quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei. Nobis autem revelabit Deus per Spiritum suum. » Quasi dixerit: Sicut, quæ dependent ex mera voluntate alicujus hominis, nullus homo cognoscit, nisi spiritus in illo homine existens: ita, quæ dependent ex mera voluntate Dei, nullus, nisi spiritus Dei, cognoscit. Et sicut illa hominis intima alius homo per illius revelationem cognoscere potest; ita nos ipsa Dei secreta per divinam revelationem cognoscere possumus. Item merito dictum á Sapient. 9. «Quis hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? *Item infra.* Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, et quæ in conspectu

sunt, invenimus cum labore. Quæ in cœlis sunt autem quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de Altissimis?» Ex hoc scripturæ loco vides factum esse tale argumentum. Difficulter invenimus ea, quæ nobis inventu facilia esse deberent, utpote quæ sint in terra, et in conspectu nostro; ergo multo magis difficulter, imo quasi impossibiliter de divinis certum quid, adhibito etiam labore magno, invenire poterimus; nisi Deus de altissimis suam nobis mittat sapientiam ad revelandum spiritum suum, seu voluntatem suam circa hujusmodi. Minus ergo tutum videtur velle per investigationem humanam solam, non dico certum quid asserere, sed divinare de his præmissis rebus; vel affirmative, vel negative. *Solam* dixi; quia, si revelationi divinæ, aut infallibili assistentiæ Spiritus Sancti talis humana investigatio inniteretur, secus esset. Hinc vere dicimus; quod de divinis, etiam quod nulla adesset in sacra scriptura de tali re occurrente revelatio, Ecclesia sancta certum quid potest determinare absque ambiguitate á fidelibus tenendum: quoniam de assistentia infallibili et in his continua Spiritus Sancti circa sanctam Ecclesiam ab Evangelio, *ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo*, etc. et á sanctis patribus edocti nullo modo dubitamus. Neque enim his solis, quæ in scriptura continentur, fides est adhibenda: cum multa alia arbitrio sanctæ Ecclesiæ declaranda filiis suis á Christo Domino de industria relicta sint. Unde *in prima part. q.* 29. *artic.* 3. phantasticum illum errorem Erasmi rejecimus dicentem: "Nihil ultra, quam sacris literis proditum, esse definiendum; cætera omnia esse problemata in illud tempus rejicienda, cum sublato speculo videbimus Deum de facie.» *Secundo* habes: quomodo per rationem intelligas sensum verum sacrorum Conciliorum, quando Deum dicunt fuisse incarnatum propter nostram salutem. Vide Concilia ipsa art. 2. ad 3. in Elucid. Item: *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, á scripturis sanctis, et á Conciliis merito insinuatum fuisse, quod Christus venit principalius ad remedium originalis, quam actualis peccati. Insinuarunt autem scripturæ, hoc ipsum tunc, quando Roman. 5. dixerunt: "Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, etc. Si unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. *Item;* sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.» Discurre per totum capitulum: et Christum ad abolitionem peccati Adæ, quod intravit in mundum per vitiatam originem, venisse videbis ex Apostolo. Ut quid de peccato originali magis mentionem et facit, et duplicat, et reduplicat, quadruplicat, quam de actuali: quando Christi beneficium ex apposito commemorat: nisi, ut per hoc aperte significet, quod Christus principalius venit in mundum pro remedio originalis peccati, quam actualis? Quod autem actualia quoque deleverit, ne ad originale tollendum videatur solum sufficere Christi adventus, monstrat ibi dicens; "Sed non sicut delictum, ita et donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis in justificationem.» Hoc est; Adam uno peccato condemnavit totum genus humanum: Christi gratia non solum ad illud Adæ peccatum unum tollendum valuit, id, quod sufficiebat ad ostendendam parilitatem delicti, et doni, seu destructionis, et reparationis, sed etiam ad tollendum multa alia peccata, quorum multitudo est infinita, quæ actualiter peccando illi uni homines superaddiderunt. Item insinuarunt 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Item Papa Leo *primus* in sancta Synodo, quæ Romæ convenit, in epistola in corpore Conciliorum 22. ad Clerum, et plebem Constantinopolitanæ urbis, idem insinuat sic: "Talis erat omnium á primis ducta genitoribus causa mortalium, ut originali peccato transeunte per posteros nullus pœnam damnationis evaderet, nisi Verbum caro fieret, et habitaret in nobis: in ea scilicet natura, quæ nostri et sanguinis esset, et generis. Propter quod dicit Apostolus: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic, et per unius justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ. *Et iterum*: Quia per hominem

mors, et per hominem resurrectio mortuorum: Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.» Item Leo idem in Epistola ad Palæstinos Monachos, et est in corpore Conciliorum Epistola 81. "Quia captivitatis nostræ resolvi originalia vincula non poterant, et ab hostis imperio relaxari, nisi existeret homo nostri generis, nostræque naturæ, quem veteris debiti præjudicia non tenerent, et qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret: sicut ab initio erat divinitus præordinatum, et prophetarum oraculis prænunciatum; ita est in plenitudine præfiniti temporis factum, ut multis modis significata promissio in diu expectatum veniret effectum: nec posset esse ambiguum, quod continuis significationibus semper fuerat nunciatum.» *Secundo* habes: quomodo per rationem hujusmodi omnia dicta, pro quanto principalius ad originalis remedium dicunt incarnatum esse Deum, quam ad actualis, et intelligas, et declares, et probes. *Tertio* vides: quomodo ex iis si bene pensentur, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum ab Apostolo, quod Deum á principio humani generis incarnari, non fuit conveniens. Hoc autem insinuavit Galat. 4. sic. «At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex miliere. Nota ly *At:* quasi dixerit per hoc. Ante istam temporis plenitudinem, quæ in similitudine in eodem cap. præposita dicebatur, *præfinitum tempus á patre*, non erat condecens, quod Deus mitteret filium suum concipiendum ex muliere: sed tantum in præsenti tempore ab ipso præfixum, non á stellis (absit enim, ut stellæ creatori suo tempus aliquod præfigant) fuit conveniens. Ergo per ly *At* Apost. ostendere vult consequenter etiam, quod nec post illud tempus differre debuit incarnationem. Convictus enim fuerat homo in lege naturæ, quod non sciebat sine divino auxilio viam salutis, et utique convictus ex magna sua circa salutem ignorantia usque ad idolorum vilissimorum culturam, de qua ignorantia *Roman* 1. Convictus etiam fuerat in lege scripta, quod non poterat sine Dei auxilio speciali, et hoc ex multitudine transgressionum legis datæ. Ablata igitur duplici hac radice superbiæ, quæ semper pro toto illo temporis decursu impedivit hominem á suscipiendo liberatorem suum carne indutum, tempus immediate sequens vocatur tempus miserendi, *Psal.* 101. tali scilicet miseratione: et plenitudo temporis, transacta scilicet vacuitate superbæ vanitatis. Id ipsum quoque dictum in principio insinuavit Papa *Leo I.* in Epistola Decretali ad episcopos universos per Siciliam constitutos, sic. «Semper quidem in æterno consilio Dei mansit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio, sed ordo rerum per Jesum Christum Dominum nostrum temporaliter gerendarum in incarnatione Verbi sumpsit exordium. Unde aliud tempus est, quo annuntiante Angelo R. Vir. Maria fœcundandam se per Spiritum Sanctum credidit, et concepit. *Et infra.* Notum sit dilectioni vestræ, dies universos Christi innumeris consecratos fuisse virtutibus, et in cunctis ejus actionibus sacramentorum miracula coruscasse. *Et infra* Omnia tempora continuatis erunt deputanda festis, quia omnia sunt plena miraculis.» Hæc ille. Ubi incarnationis tempus non solum dicit esse ordinatum, sed etiam præordinatum, et hoc ab æterno Dei consilio: et quod ab incarnatione Domini sumpsit exordium ordo rerum per Christum gerendarum: et quod omnia sunt plena virtutibus, sacramentis, miraculis. Absit autem ut id, á quo ordo rerum incipit, sit inordinatum: ut plenum virtutibus, atque miraculis sit aliqua inordinatione notatum, maxime cum quæcumque á Deo sunt, inter quæ numerantur præcipue virtutes, et miracula, ordinata sint. Hanc igitur ordinatissimam temporis incarnationem per verba sua præmissa significare voluit Leo. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædictas authoritates, pro quanto Deum á principio mundi dicunt non fuisse conveniens incarnari, et intelligas, et probes, et defendas; sicut easdem, pro quanto Deum non debuisse dicunt differre incarnationem usque in finem mundi, et intelliges, et probabis, et defendes ex articulo sequenti. *Tertio* habes: quomodo per rationem interimas horrendissimam hæresim *Hermani Riss.* (Præteol. *Hermannus Rissuich.*) impie blasphemantis, quod gesta omnia Christi humano generi, et rectæ rationi fuerunt contra-

ria. Ab hinc ergo comprehendendo etiam art. *secundum* supra usque ad finem tertiae partis discurrendo per art. de aliqua actione Christi tractantes, demonstrare singillatim per rationem poteris, et obstruere os tam irrationabiliter de Christo loquentis. *Quarto* habes: quomodo per rationem demonstres, hanc justissime damnatam á Leone Papa in supradicta Decretali. « Dies, inquit, universos Christi innumeris consecratos fuisse virtutibus: et in cunctis ejus actionibus sacramentorum miracula coruscase.» Per rationem, inquam, nunc hujus articuli, et succesive aliorum sequentium, demonstrabis id pro quanto de gestis Domini talibus, vel talibus tunc tractare occurret. Item justissime damnatam ab Isa. 11. « Flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. » Quasi dicat: Cum super Christum florem hunc requiescat spiritus sapientiae, intellectus, consilii, scientiae: omnia Christi gesta non tantum non contraria, sed summe erant consona rectae rationi. Et cum super eum requiescat spiritus pietatis, timoris Domini: omnia Christi gesta erant pietatem, et timorem Dei redolentia, et consequenter humano generi non solum non contraria, sed maxime proficua erant. Item ab Apost. 1. Cor. 1. « Nos praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam » Nota ly *sapientiam*. Abstractum enim nihil penitus de extraneo admittere potest. Ecce ex Apost. Christus non tantum sapiens, cujus est agere singula consona, et rectae rationi, et proximorum saluti: sed etiam ipsa sapientia, et sapientia Dei veraciter appellatur. Ubi et ab eodem Apost. apertissime damnatur alia ipsius Rissuich gentibus conformis infidelitas ( Prat. ubi supra) qua ore insanissimo evomere temere praesumpsit, quod Christus fuit stultus, simplex, phantasticus, et seductor hominum simplicium, atque damnavit universum mundum. ¡O præsumendam linguam, et in partes, et in frustra lacerandam; quis tantam injuriam blasphemiis plusquam infernalibus undique refertam contra Deum ipsum, qui Christus est, sufferre queat! ¡O vocem plenam omni dolo, et omni fallacia diaboli: inimicam omni justitiae: indesinenter annitentem subvertere vias Domini rectas hominis, qui merito ad perpetuos carceres, etiam post palinodiam recantatam, á sapientissimo Magistratu tempore Alexandri VI. Papae 1499. misericorditer damnatus est: et post in eamdem suam dementiam relapsus curiae seculari justissime traditus, vivus exustus est. Damnatam quoque ostendas merito ab illis omnibus supradictis Consiliis, *Nicæno*, etc. *art.* 2 tum pro salute nostra mysteria omnia humanitatis peregisse testantibus: tum Deum etiam perfectum post incarnationem ipsum Christum remansisse profitentibus. Adde id Leonis Papae ad Flavianum Episcopum sic. « Æqualis est periculi, Dominum Jesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse. » Et infra. « Catholica Ecclesia hac fide vivit, ac proficit, ut in Christo Jesu nec sine vera divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate divinitas. Haec ille: cujus tomum ad eumdem Flavianum Synodus 6. Generalis *Constantinop. actione* 17. recipit, quem et ipsa Synodus titulum recte fidei appellat « Numquid non et postquam Verbum caro factum est, de illo dicitur: Plenum gratiae et veritatis? » Quatenus ergo etiam homo nulla ignorantia laborabat: sed tanta sapientia, atque veritate pollebat, quanta decebat eum, qui personaliter Deus erat. *Quarto* vides., etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito ab Abachuch Propheta cap 3. dictum «Domine, opus tuum in medio annorum notum facies.» Per hoc enim aperte monstratur, quod incarnatio, quae antonomastice dicitur opus Dei, non debuit differri usque ad finem mundi. Alioquin illud singulare opus Dei notum factum fuisset in fine annorum, non in medio, ut patet. Nota pro intelligentia hujus et consonantia cum dictis in responsione ad *primum* quod medium non accipitur hic pro medio geometrico, vel arithmetico: sed pro medio exclusivo principii, et finis, etiam quod magis uni illorum extremorum esset propinquum. Hoc modo sumere so-

lent homines medium dicentes, quod quidquid est inter Romam, et Bononiam, est in medio earum. In hoc ergo sensu Propheta loquens, per authoritatem praemissam significat, quod incarnationis divinae opus non fiet in principio mundi, nec in fine; sed in tempore intermedio, non exprimendo interim punctualiter tempus illud, utrum magis ad principium annorum mundi, vel ad finem declinet. Quod autem ad literam loquatur ibi Abachuch de Christi primo adventu, patet videnti secundum cap., et consideranti, hoc tertium vocari canticum, ac inteligenti ly *Deus ab austro veniet*, etc. cum sequentibus esse dicta prophetice de diebus Messiae. In secundo enim cap. videbis ly « Visus adhuc procul; apparebit in finem, et non mentietur; si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso, justus autem in fide vivet. » Haec autem tamquam de Christo prophetata canuntur ab Ecclesia etiam in solemnib. officiis; quorum emendationi authenticae insundarunt, et S. Conc. Trid. et SS. Papa Pius V. ut patet in Bulla ejusdem Pontificis Breviariis, atque Missalibus praefixa. Quantae vero authoritatis sint non tantum dogmata, et dicta, sed etiam probatae consuetudines Ecclesiae, nemo ignorat, qui recte sapit. In tertio demum cap. gratias agens Propheta de revelatione sibi in secundo facta, in spiritu exultat: et ideo illud vocatur Canticum: magis explicat, quasi per gradus, de Christo habitam revelationem secundum duos adventus, per modum deprecativum quandoque procedens, et ideo praetitulatur *Oratio Prophetæ Abachuch*. Ceterum pro expositione horum, si vis, consule sanctos Doctores. Nam sufficit haec tetigisse, et quasi digito demonstrasse, prout utilitatem ex praesenti artic. concernebant. Vide *art.* 5. appendicem. *Secundo* vides: quomodo ex his, similibusque vicissim angelica hac doctrina consolidetur.

---

## QUÆSTIO SECUNDA,

### DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de modo unionis Verbi incarnati; et primo quantum ad ipsam unionem; secundo quantum ad personam assumentem; tertio quantum ad naturam assumptam.

*Circa primum quæruntur duodecim.*

Primo, utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura.

Secundo, utrum sit facta in persona.

Tertio, utrum sit facta in supposito, vel hypostasi.

Quarto, utrum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

Quinto, utrum sit facta aliqua unio animæ et corporis in Christo.

Sexto, utrum natura humana fuerit unita Verbo accidentaliter.

Septimo, utrum ipsa unio sit aliquid creatum.

Octavo, utrum sit idem quod assumptio.

Nono, utrum unio duarum naturarum sit maxima unionum.

Decimo, utrum unio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam.

Undecimo, utrum eam aliqua merita præcesserint.

Duodecimo, utrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis.

### ARTICULUS I.

*Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura.*

*Pro affirmativa.*==Videtur, quod unio Verbi incarnati sit facta in natura.

1. Dicit Cyrillus, et inducitur in gestis Conc. Calced. act. 1. p. 2. post. epist. ipsius ad Jo. Episcopum Antioch. *Non oportet intelligere duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.*

Ergo unio Verbi incarnati facta est in natura.

Consequentia prob., quia non esset verum in Verbo esse tantum unam naturam, si ex duabus naturis non esset facta una natura: si enim ex natura divina et humana in Christo non esset facta una natura, essent duæ naturæ in Christo, scilicet divina et humana.

2. Unio eorum quæ uniuntur, sicut anima rationalis et caro, fit in natura. Sed Deus et homo in incarnatione uniuntur, sicut anima rationalis et caro. Ergo unio Verbi incarnati, sive Dei et hominis in incarnatione, facta est in natura.

Maior prob., quia anima rationalis, et caro conveniunt in constitutione unius humanæ naturæ: ex eis enim constat una humana natura. Igitur, quæ uniuntur, sicut anima rationalis et caro, uniuntur in natura.

Minor prob., quia Athan. dicit in Symbolo. *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.*

3. Natura divina et humana in Christo ex invicem denominantur. Ergo ex duabus naturis videtur facta una natura.

Antecedens prob., quia dicit Cyrillus cit. *divinam naturam esse incarnatam* Et Greg. Nazianz. dicit in Epist. 1. ad Clidon. *humanam naturam esse deificatam*; ut patet per Dam. lib. 3. orthod. fid. c. 6.

Consequentia prob., quia duarum naturarum una non denominatur ex altera, nisi aliquo modo invicem transmutentur.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In determinatione Conc. Calced. in symbolo fidei ibi recitato dicitur: « confi- « temur in novissimis diebus filium Dei « unigenitum in duabus naturis incon- « fuse, immutabiliter, indivise, insepa- « rabiliter agnoscendum, numquam su- « blata differetia naturarum propter « unionem. » Ergo unio non est facta in natura.

*Determinatio.*

*Quid sit, et quot modis dicatur natura.*

Ad hujus quæstionis evidentiam considerandum est, quid sit, et quot modis dicatur natura. Sciendum est ergo quod nomen naturæ á nascendo est dictum. Unde primo est impositum nomen naturæ ad significandum generationem viventium, quæ nativitas, vel pullulatio dicitur: ut dicatur natura, quasi nascitura. Deinde translatum est nomen naturæ ad significandum principium hujus generationis. Et quia principium generationis in rebus viventibus est intrinsecum, ulterius derivatum est nomen naturæ ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus, secundum quod Phil. 2. Phis. tex. 3. dicit, quod *Natura est principium motus, et quietis in eo, in quo est, per se, et non secundum accidens.* Hoc autem principium est vel forma, vel materia. Et quia finis generationis naturalis est in eo, quod generatur speciei essentia, quam significat diffinitio; inde est, quod hujusmodi essentia speciei vocatur etiam natura: et hoc modo Boëtius diffinit naturam in lib. de duabus naturis dicens: *Natura est unamquamque rem informans specifica differentia*, quæ scilicet complet diffinitionem speciei: natura igitur dicitur á nascendo. Et accipitur quatuor modis. Primo, pro generatione viventium. Secundo, pro principio generationis viventium. Tertio, pro principio intrinseco motus: quod principium est forma, vel materia. Quarto, pro essentia complente rationem speciei. Nunc autem loquimur de natura, ut significat essentiam, vel quod quid est, sive quidditatem speciei: et quærimus, an unio sit facta in natura, idest, an ex natura divina, et humana in incarnatione sit facta una natura, sive una essentia.

*Distinctio.* Aliquid potest constitui ex duobus, vel ex pluribus tripliciter. Primo ex duobus integris, perfectis remanentibus. Et hic unionis modus non

potest fieri nisi in his, quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura, sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis per solam compositionem fit acervus. Ex lapidibus autem, et lignis secundum aliquem ordinem dispositis, et etiam ad aliquam figuram redactis, fit domus. Secundo fit aliquid unum ex perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permixtis, nec permutatis, sed imperfectis; sicut ex anima et corpore fit homo: et ex diversis membris unum corpus constituitur.

*Diversorum positiones.*

Igitur juxta tres dictos unionis modos, tres fuerunt de unione, quæ in incarnatione facta est, sententiæ.

*Prima positio.*

Aliqui posuerunt hanc unionem, qua Deus humanam naturam sibi univit, esse factam per modum confusionis, quæ scilicet est sine ordine, sicut lapides uniuntur in acervo. Vel per modum commensurationis, quæ scilicet est cum ordine, eo modo, quo lapides et ligna uniuntur in domo.

*Reprobatio.*

Sed hoc non potest esse, triplici ratione. Primo, quia sequeretur, quod unio incarnationis non esset per se, sed per accidens, quod artic. 6. hujus quæst. improbabitur.

Conseq. prob., quia compositio, vel ordo, vel figura, non est forma substantialis, sed accidentalis.

Secundo sequeretur, quod in hac unione non fuisset factum unum simpliciter, sed solum secundum quid, quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia ea, quæ sic sunt unita, remanent plura in actu, et sunt unum tantum secundum quid.

Tertio. Quia tunc unio non fieret in natura, quod tamen hujus positionis auctores volunt.

Conseq. prob., quia forma talium non est natura, sed magis ars, sicut patet in forma domus.

*Secunda positio.*

Alii dixerunt incarnationis unionem esse factam per modum complexionis, eo modo quo ex elementis fit mixtum.

*Reprobatio.*

Sed hoc non potest esse, propter tria. Primo, quia natura divina est omnino immutabilis, ut dictum est 1. par. quæst. 9. art. 1. Unde nec ipsa potest converti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum sit ingenerabilis.

Secundo, quia si unio incarnationis esset per mixtionem, sequeretur quod Christus non esset ejusdem naturæ cum patre, nec cum matre.

Conseq. prob., quia id, quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie: differt enim caro á qualibet elementorum specie. Et ideo si natura divina, et humana essent unitæ per mixtionem, Christus non esset Deus, nec homo, sed aliquid á Deo, et ab homine distinctum, secundum speciem.

Tertio, ex his, quæ plurimum distant, non potest fieri commixtio; solvitur enim species unius eorum: puta si quis guttam aquæ amphoræ vini apponat. Sed natura divina in infinitum excedit naturam humanam. Ergo non possunt uniri per mixtionem, sed remanebit sola natura divina.

*Tertia positio.*

Tertia positio asserit, quod unio duarum naturarum, scilicet divinæ, et humanæ sit tamquam ex duabus imperfectis, eo modo, quo ex anima, et corpore fit unus homo: et ex diversis membris unum corpus.

*Reprobatio.*

Sed hoc in incarnationis mysterio dici non potest triplici ratione.

Primo, quia utraque natura, divina scilicet, et humana est secundum suam rationem perfecta.

Secundo, quia divina natura, et humana non possunt constituere aliquid

per modum partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus: quia natura divina est incorporea. Neque per modum formæ, et materiæ: quia natura divina non potest esse forma alicujus, præcipue corporis. Sequeretur enim, quod species resultans esset communicabilis pluribus, et ita possent esse plures Christi.

Tertio, quia sequeretur, quod Christus non esset humanæ, nec divinæ naturæ. Differentia enim addita variat speciem, sicut unitas addita variat numerum, ut dicitur 8. Met. tex. 19.

*Vera sententia.*

Conclusio. Unio Verbi incarnati non est facta in natura.

Prob. Si natura divina, et humana sunt factæ una natura in incarnatione Verbi, aut sunt factæ unum juxta primum modum, quo aliqua uniuntur, vel juxta secundum, vel juxta tertium. Hoc est: vel ut uniuntur lapides in acervo, vel ligna, et lapides in domo; aut sicut miscibilia; aut sicut imperfecta. Sed nullo horum modorum natura divina, et humana possunt fieri unum. Ergo unio incarnationis non est facta in natura, sic ut ex natura divina et humana sit facta una natura.

Maior prob., quia tres tantum sunt modi, quibus aliqua possunt fieri unum: ut ex dictis patet.

Minor prob. quoad singulas partes per rationes inductas ad reprobandum tres dictas positiones.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod auctoritas illa Cyrilli exponitur in quinta Synodo Generali apud Constantinopolim celebrata Can. 8. sic. « Si quis unam naturam « Verbi Dei incarnatam dicens, non « sic accipiat, sicut patres docuerunt, « quod unus Christus factus est, ex « divina natura et humana, unione se« cundum subsistentiam facta, sed ex « talibus vocibus naturam unam, sive « subsistentiam divinitatis et carnis Chris« ti introducere conetur, talis Anathema « sit. » Non ergo sensus est, quod in incarnatione ex duabus naturis sit una natura constituta, sed quod natura Verbi Dei carnem univit sibi in persona. Noluit igitur Cyrillus excludere distinctionem duarum naturarum in Christo, sed distinctionem personarum. Non enim sunt in Christo duæ naturæ in duabus personis, sed in una tantum, in qua utraque natura subsistit.

Ad 2. Dicitur, quod ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, scilicet unitas naturæ, et unitas personæ. Unitas quidem naturæ constituitur, secundum quod anima unitur corpori formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus, scilicet ex anima, et corpore fiat una natura, tamquam ex actu et potentia, sive ex materia et forma. Unitas vero personæ constituitur ex eis, in quantum est unus aliquis subsistens in carne, et anima. Tunc ad maiorem argumenti dicitur, quod unitas eorum, quæ uniuntur sicut anima, et caro, ita ut ly (sicut) dicat similitudinem quantum ad omnia, verum est, quod talis unio fit in natura. Sin autem non est vera. Tunc ad minorem dicitur, quod illa similitudo Athanasii non est intelligenda, quoad utramque unitatem quæ fit ex anima et carne, sed solum quantum ad unitatem ejus, quod in anima, et carne subsistit. Non potest enim illa similitudo quantum ad unitatem naturæ quæ ex anima rationali et carne constituitur, intelligi. Quia natura divina non potest esse forma corporis, ut dictum est prima parte, quæst. 1. art. 8. Unde non potest constitui una natura ex natura divina, et humana, sicut constituitur ex anima rationali, et carne. Attenditur autem similitudo quantum ad secundum; sicut enim unus aliquis subsistit in carne, et anima, ita unus Christus subsistit in divina et humana natura.

Ad 3. Neg. antec. Ad prob. dicitur, quod natura divina dicitur incarnata,

non quia sit in naturam carnis conversa, sed quia est carni unita personaliter, et caro dicitur deificata, non quia caro sit conversa in naturam divinam, sed quia est Verbo unita, salvis proprietatibus naturalibus utriusque naturæ. Hoc autem non est naturam divinam denominari ex natura humana, aut humanam ex divina; tunc enim diceretur: natura humana est natura divina, et divina est humana; quod est falsum; sed est naturam divinam denominari ex unione ad carnem, et carnem ex hoc, quod fuit Verbo unita.

## ARTICULUS II.

### *Utrum unio Verbi incarnati sit facta in persona.*

*Pro negativa* = Videtur, quod unio Verbi incarnati non sit facta in persona.

1. Unio Verbi incarnati non est facta in natura, ut art. præced. probatum est. Ergo unio Verbi incarnati non est facta in persona.

Conseq. probatur. Quia persona Dei non est aliud á natura Dei, ut dictum est 1. par. quæst. 3. art. 3.

2. Natura humana in nobis habet propriam personalitatem. Ergo multo magis in Christo natura humana habet propriam personalitatem, ac per hoc erunt duæ personæ in Christo, et sic unio non erit in persona.

Conseq. probatur: illud, quod pertinet ad dignitatem humanæ naturæ, invenitur in natura humana in Christo multo magis, quam in nobis. Sed personalitas ad dignitatem pertinet, ut dictum est 1. par. quæst. 29. artic. 3. Ergo natura humana in Christo habet propriam personalitatem.

Maior prob., quia natura humana non est minoris dignitatis in Christo, quam in nobis.

Aliter. Natura humana in Christo habet propriam personalitatem. Ergo unio non est facta in persona.

Consequentia patet. Quia si natura humana in Christo habet propriam personalitatem, erunt in Christo duæ personæ, ac per hoc non erit facta unio in persona.

Antecedens probatur, quia illud quod dicit dignitatem in humana natura, non est negandum á natura humana in Christo. Sed personalitas dicit dignitatem in humana natura, ut prob. est 1. p. quæst. 29. art. 3. Ergo personalitas propria non est neganda ab humanitate in Christo existente.

3. Et est alia probatio antecedentis secundæ formæ præcedentis argumenti. Verbum Dei assumpsit naturam humanam individuam. Ergo humanitas in Christo habet propriam personalitatem.

Antecedens probatur, quia *natura universalis non subsistit secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur*, ut Dam. dicit in 3. lib. cap. 11. ac per hoc non potest assumi.

Consequentia probatur, quia *persona est rationalis naturæ individua substantia*, ut Boët. dicit in lib. de duabus naturis.

PRO AFFIRMATIVA.

### *Argumentum sed contra.*

In Calcedon. Conc. legitur. «Non in «duas personas partitum, aut divisum; «sed unum, et eumdem filium unigeni- «tum Deum Verbum Dominum nostrum «Jesum Christum confitemur.» Ergo unio incarnationis Verbi facta est in persona.

### *Determinatio.*

Conclusio. Unio incarnationis est facta in persona, non in natura.

Prob. Unio per quam unitur alicui subsistenti in natura rationali, vel intellectuali aliquid non pertinens ad naturam subsistentis, fit in persona, et non in natura. Sed in incarnationis mysterio est unita Verbo divino subsistenti in divina natura, natura humana quæ non pertinet ad rationem naturæ divinæ. Ergo unio incarnationis facta est, non in natura, sed in persona.

Maior prob. ex ratione distinctionis,

vel unitatis inter naturam, et suppositum, quod in natura rationali idem est, quod persona. Sciendum igitur, quod natura et suppositum possunt considerari dupliciter. Uno modo secundum eorum significationem: alio modo secundum eorum realitatem. Si considerentur primo modo natura et suppositum semper et in omnibus distinguuntur. Natura enim significat essentiam speciei, quam significat diffinitio, ut dictum est artic. præcedenti. Suppositum autem significat id, quod in natura subsistit. Natura enim hominis significat ipsam essentiam hominis; suppositum vero significat id, quod in humana natura subsistit; si vero natura et suppositum considerentur secundum eorum realitatem, in aliquibus sunt idem, in aliquibus vero distinguuntur. Ad cujus evidentiam est considerandum, quod ea quæ subsistunt (in quibus solum invenitur proprie suppositum, et natura) sunt in duplici differentia: quædam sunt in quibus invenitur aliquid non pertinens ad rationem speciei, scilicet accidentia, et principia individuantia, sicut maxime apparet in his quæ sunt ex materia, et forma composita, et in talibus natura, et suppositum differunt secundum rem, non quasi omnino separata, sed quia in supposito includitur natura speciei, et superadduntur quædam alia quæ sunt præter rationem speciei. Sortes enim distinguitur ab humanitate, non quasi á re separata, sed quia Sortes includit principia individuantia, et sua accidentia, quæ non pertinent ad rationem humanitatis. Et propter hoc, suppositum significatur, ut totum habens naturam, sicut partem formalem, et perfectivam sui. Et hinc est etiam, quod in compositis ex materia et forma, natura non prædicatur de supposito; non enim dicimus, quod hic homo sit sua humanitas. Est etiam quoddam subsistens, in quo omnino nihil aliud est præter rationem speciei, vel naturæ suæ, et tale subsistens est Deus; in quo non est aliud, secundum rem, suppositum et natura: quia scilicet divinum suppositum nihil includit in sui ratione, quod non pertineat ad ipsam divinam naturam. Distinguitur tamen in Deo suppositum á natura secundum rationem intelligendi, quia natura dicitur secundum quod est essentia quædam; eadem vero dicitur suppositum secundum quod est subsistens. Et hæc quæ dicta sunt de supposito, intelligenda sunt etiam de persona in creatura rationali, vel intellectuali, quia nihil aliud est persona, quam *rationalis naturæ individua substantia*, secundum Boët. in libro de duabus nat. Ex quibus evidenter patet, quod omne quod unitur alicui subsistenti non pertinens ad naturam, sed ad suppositum ejus, quod subsistit, necessarium est, quod talis unio sit in supposito, sive in persona, sive illud, quod unitur pertineat ad rationem suppositi, sive non. Omne enim, quod unitur Sorti, sive pertineat ad rationem Sortis, ut sunt principia individuantia, sive non, ut sunt albedo, et alia accidentia, horum unio fit in persona; nulli enim naturæ unitur aliquid non pertinens ad ipsam naturam nisi in supposito. Et ex his remanet probata maior inductæ rationis. Illud enim, quod unitur subsistenti non pertinens ad naturam, in qua suppositum subsistit, non potest uniri in natura, quia naturæ non unitur aliquid non pertinens ad ipsam; naturæ enim humanæ non potest uniri aliquid non pertinens ad rationem ejus, nisi in persona: non enim humanitati ut sic consideratæ, secundum quod intelligitur absque supposito, potest aliquid uniri non pertinens ad naturam ipsam, unde non potest esse subjectum accidentium, nec habet principia individuantia. Si ergo humanitati debet uniri aliquid aliud ab ea extraneum, talis unio debet fieri in persona.

Minor ostenditur: et quod humana natura fuerit unita personæ divinæ, patet. Quia si hoc negetur, humana natura

nullo modo fuisset Deo unita, et sic rueret fides incarnationis, et inde tota christiana fides. Et patet sequela, quia cum unio hæc non possit fieri in natura, ut dictum est artic. præcedenti, si negetur fuisse humanam naturam unitam personæ divinæ, nullo modo natura humana esset Deo unita. Et quia natura humana non pertinet ad naturam divinam, sequitur non solum quod natura humana sit unita; non enim in persona divina facta est una, natura divina et humana, quod esset unio facta in natura; sed persona divina facta est persona etiam humanæ naturæ.

Aliter formatur hæc litera, et melius.

*Ratio motæ difficultatis.*

Ratio, et necessitas movendi hanc difficultatem est distinctio suppositi, sive personæ à natura. Si enim idem omnino et omnibus modis essent suppositum, et natura, determinata quæstione, an unio sit facta in natura, non erat opus quærere, an facta fuerit in persona; sed quia natura et suppositum non sunt, vel non significant idem, necessarium fuit post determinationem præcedentis quæsiti, investigare, an unio sit facta in persona. Differunt autem natura et suppositum semper in significando, quandoque autem differunt etiam realiter, ut dictum est in prob. maioris præcedentis formæ: et ideo aliud est quærere, an unio fiat in natura, an in supposito. In natura enim non fit unio nisi eorum, quæ pertinent ad rationem speciei. Unde in natura humana uniuntur materia et forma in communi, quia pertinent ad rationem speciei humanæ. Extrinseca autem ab ipsa natura non possunt uniri ipsi naturæ; nisi in supposito naturæ: principia enim individuantia, et accidentia, non uniuntur naturæ humanæ, nisi in supposito, puta in Sorte: in quo inveniuntur natura, principia individuantia, et accidentia. Ex quibus evidenter apparet ratio motæ difficultatis, et etiam quæ possunt uniri in natura, et quæ possunt uniri in persona.

*Ad quæsitum.*

Conclusio. Unio incarnationis facta est in persona, non in natura.

Prob. dupliciter. Primo. Unio qua divinum Verbum univit sibi id, quod non pertinet ad naturam divinam, non est facta in natura, sed in persona. Sed in unione, qua Verbum univit sibi naturam humanam, unitum fuit Verbo aliquid non pertinens ad naturam divinam. Ergo unio incarnationis non est facta in natura, sed in persona.

Maior patet ex modo dictis, scilicet, quia quando unitur alicui supposito aliquid extraneum á natura, non potest hujusmodi unio esse in natura, sed in persona.

Minor patet, quia humana natura non pertinet ad rationem divinæ naturæ.

Secundo. Si unio incarnationis non fuisset facta in persona, sequeretur quod nullo modo humana natura fuisset unita Verbo, quod est falsum.

Conseq. prob. Quia cum hæc unio non sit facta in natura, ut probatum est art. præcedenti, si non fuisset facta in persona, nullo modo esset natura humana Verbo unita.

Falsitas consequentis prob. Quia sic totaliter tolleretur fides incarnationis, et tota fides christiana rueret.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod licet in Deo non sit aliud secundum rem natura et persona, differt tamen secundum modum significandi, ut in principio corporis dictum est. Persona enim secundum suam propriam rationem significat per modum subsistentis, natura vero per modum formæ; et quia natura humana non sic unitur Verbo, ut aliquid addatur ei ad rationem suæ naturæ pertinens, nec ut ejus natura in aliud transmutetur, sed solum ad hoc, ut Verbum in ea subsistat: propterea unio humanæ naturæ ad Ver-

bum Dei facta est in persona, non in natura.

Ad 2. Negatur consequentia primæ formæ, vel antecedens secundæ formæ. Ad minoris probationem, quæ eadem est, dicitur, quod personalitas in tantum pertinet ad dignitatem, et ad perfectionem alicujus naturæ, in quantum ad perfectionem naturæ pertinet, quod per se existat: quod in nomine personæ intelligitur. Si autem aliqua natura habeat existentiam in superiori et nobiliori natura, habebit maiorem perfectionem, etiam si careat propria personalitate, quam si propriam personalitatem haberet. Sicut esse completivum speciei, pertinet ad perfectionem formæ, tamen si forma inferior superiori conjungatur, etsi non compleat speciem, tamen nobilius esse habet ex conjunctione ad superiorem formam, quam si inferiorem speciem terminaret; sicut esse sensitivum in homine nobilius esse habet, quamvis non compleat, nec terminet speciem, sed hoc fiat per rationalem formam, quam in seipsa, etiamsi compleat speciem bruti. Humanitas igitur, quæ est in Christo, caret quidem propria personalitate, sed quia existit existentia Verbi, tanto perfectiorem existentiam habet, quam in nobis, quanto existentia Verbi est perfectior qualibet creata existentia.

Ad 3. Conceditur antecedens. Verbum enim Dei *non assumpsit humanam naturam in universali, sed in atomo*, idest in individuo, sicut dicit Damasc. lib. 3. ortod. fid. capit. 11. Alioquin oporteret quod cuilibet homini conveniret esse Dei Verbum, sicut convenit Christo. Negatur autem consequentia. Ad prob. dicitur, quod omnis persona est quidem individua substantia: non tamen omne individuum substantiæ, etiam rationalis, potest dici persona, sed persona dicitur solum illa individua substantia, quæ per se existit, et non in alio perfectiori. Unde manus Sortis, quamvis sit quoddam individuum, non tamen est persona, quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in toto. Et hoc etiam apparet ex ipsa diffinitione personæ. Dicitur enim persona substantia individua; manus autem non potest dici simpliciter substantia, sed substantiæ pars: licet ergo hæc humana natura, quæ est in Christo, sit quoddam individuum in genere substantiæ: quia tamen non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Verbi Dei, consequens est quod non habeat personalitatem propriam, et ideo unio humanæ naturæ cum Verbo, facta est in persona.

## ARTICULUS III.

*Utrum unio Verbi incarnati facta sit in supposito, sive in hypostasi.*

*Pro negativa.* ==Videtur, quod unio Verbi incarnati non sit facta in supposito, sive in hypostasi.

1- Unio eorum quæ sunt aliud, et aliud, non est facta in supposito. Sed substantia divina et humana in Christo sunt aliud, et aliud; ergo unio divinæ et humanæ naturæ non est facta in supposito.

Maior probatur. Quia aliud, et aliud differunt supposito.

Minor prob. Quia Aug. dicit in ench. cap. 35. " Divina substantia, et huma-" na, utraque est unus Dei filius; sed " aliud propter Verbum, et aliud prop-" ter hominem. » Et Leo Papa dicit in epist. ad Flavianum, et est epist. 10. cap. 4. *Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis.*

2. In Christo est quædam alia substantia particularis, præter hypostasim Verbi, scilicet corpus, et anima, et compositum ex eis. Ergo in Christo est alia hypotasis, præter hypostasim Verbi.

Consequentia probat. Quia hypostasis nihil aliud est quam substantia particularis, ut Boët. dicit in lib. de duabus naturis.

3. Christus secundum quod homo con-

tinetur sub specie humana. Ergo in Christo præter hypostasim Verbi, est etiam hypostasis humana, et per hoc unio non est facta in hypostasi.

Antecedens prob. Quia dicit Dionys. 1. capit. de div. nom. *Intra naturæ nostræ terminos venit, qui omnem totius naturæ ordinem supereminenter excedit.*

Consequentia probatur. Quia hypostasis Verbi non continetur in aliquo genere, neque sub specie, ut patet ex his quæ dicta sunt 1. p. quæst. 3. artic. 5. Unde Christus non continetur sub specie humana, nisi sicut quædam hypostasis humanæ speciei.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. cap. 3. 4. 5. *In Domino Jesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim.*

*Determinatio.*

*Quorumdam error.*

Quidam ignorantes habitudinem hypostasis ad personam, licet concederent in Christo unam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei, et aliam hominis, ac si unio sit facta in persona, non in hypostasi.

*Reprobatio.*

Sed hoc apparet erroneum tripliciter.

Primo. Unio incarnationis est facta in persona, ut artic. præced. probatum est. Ergo unio incarnationis est facta in hypostasi.

Probat. consequentia. Quia persona super hypostasim non addit, nisi determinatam naturam, scilicet rationalem, secundum quod Boët. dicit in libro de duab. nat. quod *persona est rationalis naturæ individua substantia;* et ideo idem est attribuere propriam hypostasim humanæ naturæ in Christo, et propriam personam. Unde si unio est facta in persona, necessario est facta in hypostasi, et é converso.

Et confirmatur hæc ratio. Quia intelligentes hoc Sancti Patres, utrumque in Conc. 5. gener. apud Constantinopolim celebrato damnaverunt, in can. 5. dicentes: "Si quis introducere conetur in "mysterio Christi, duas subsistentias, "seu duas personas, anathema sit: nec "enim adjectionem personæ, vel sub-"sistentiæ," (subsistentia enim idem est quod res subsistens quod est proprium hypostasis, ut Boët. dicit in 3. lib. de duab. nat.) "suscepit Sancta Trinitas, "ex incarnato uno de Sancta Trinitate "Deo Verbo."

Secundo. Si unio incarnationis esset facta in persona, et non in hypostasi, sequeretur quod non esset facta unio, nisi secundum dignitatem quamdam: quod est falsum.

Consequentia probat. Quia si detur quod persona aliquid addat super hypostasim, in quo possit unio fieri, hoc nihil aliud est quam proprietas ad dignitatem pertinens, secundum quod á quibusdam dicitur quod persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinente.

Falsitas conseq. prob., quia approbante prima synodo Ephesina, cap. 3. hoc damnatum est á Cyrillo sub his verbis: "Si quis in uno Christo dividit "subsistentias post adunationem, sola "copulans eas conjunctione, quæ se-"cundum dignitatem quamdam, vel "auctoritatem est, vel secundum poten-"tiam, et non magis concursu secundum "adunationem naturalem: Anathema "sit."

Tertio. Si sit alia hypostasis in Christo, præter hypostasim Verbi, sequitur quod de aliquo alio quam de Verbo verificentur ea quæ sunt hominis, puta esse natum de Virgine, passum, crucifixum, et sepultum, quod est falsum.

Conseq. prob, quia tantum hypostasis est cui attribuuntur operationes et proprietates naturæ, et ea etiam ad naturæ rationem in concreto pertinent; dicimus enim quod hic homo ratiocinatur,

est risibilis, et est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum, quia scilicet supponitur his, quæ ad hominem pertinent, eorum prædicationem recipiens. Si igitur sit alia hypostasis in Christo præter hypostasim Verbi, sequitur quod de aliquo alio, quam de Verbo verificentur ea, quæ sunt hominis, puta esse natum de virgine, passum, crucifixum, et sepultum.

Falsitas consequentis prob. Quia hoc damnatur, approbante Ephesina synodo, act. 1. can. 4. sub his verbis: « Si quis « personis duabus, vel subsistentiis ea « quæ sunt in evangelicis et apostolicis « scripturis, partitur voces, aut de « Christo á sanctis dictas, aut ab ipso de « se, et quasdam quidem velut homini, « præter illud ex Deo Verbum, specialiter intellecto applicat; quasdam vero « velut Deo decibiles, soli ex Deo patre « Verbo, anathema sit. » Sic ergo patet esse hæresim olim ab Ecclesia damnatam, dicere quod in Christo sunt duæ hypostases, sive quod unio non sit facta in hypostasi, vel supposito.

Ex quibus habetur responsiva conclusio, cum suis rationibus.

Conclusio. Unio Verbi incarnati facta est in supposito, et hypostasi.

Prob. rationibus, quibus improbata est contraria sententia, quæ jam formatæ sunt.

Et confirmatur, quia in eodem concil. can. 2. legitur: « Si quis non confitetur « carni secundum subsistentiam unitum « ex Deo patre Verbum, unumque esse « Christum cum sua carne, eumdem « scilicet Deum et hominem, anathema « sit. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod est vera in creaturis, non autem est vera in mysterio incarnationis. Ab cujus evidentiam est sciendum quod sicut accidentalis differentia facit alterum, ita essentialis facit aliud. Illud igitur dici potest alterum, et alterum, quod potest diversis accidentibus subesse. Illud vero dicitur aliud, et aliud quod subest diversis naturis. Et quia in rebus creatis unum suppositum potest diversis accidentibus subesse, propterea alterum, et alterum, non faciunt differentiam suppositorum. Quia vero in rebus creatis idem suppositum non potest subesse diversis naturis, ex quibus proveniunt diversæ differentiæ essentiales, propterea in rebus creatis, aliud, et aliud faciunt, et requirunt differentiam suppositorum. In misterio vero incarnationis unus et idem Christus subsistit in duabus naturis; et ideo sicut cum in creaturis dicitur alterum, et alterum, non significat diversitatem suppositi, sed solum diversitatem formarum accidentalium, ita cum dicitur Christus aliud, et aliud, non importat diversitatem suppositi, vel hypostasis, sed tantum diversitatem naturarum. Unde Gregor. Nazaizenus dicit in epistol. 1. ad Cledon. « Aliud et aliud sunt ea ex quibus Chris« tus est, non autem alius et alius: dico « vero aliud, et aliud é contrario quam « in Trinitate habet; ibi enim alius, et « alius dicimus, ut non subsistentias con« fundamus, non autem aliud, et aliud » propter naturæ unitatem: in mysterio vero incarnationis non dicimus alius, et alius propter unitatem suppositi: dicimus vero aliud, et aliud propter differentiam naturarum in eodem supposito existentium, scilicet divinæ et humanæ.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur quod hypostasis significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed prout est in suo complemento; secundum vero quod venit in unionem alicujus magis completi, substantia particularis non dicitur hypostasis, sicut manus, vel pes est substantia particularis, et tamen quia venit in unionem humani suppositi, non dicitur hypostasis. Sic et humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis, quia ta-

men venit in unionem cujusdam completi, scilicet totius Christi, qui est Deus et homo, non potest dici hypostasis, vel suppositum, sed illud completum, ad quod concurrit, dicitur esse hypostasis, vel suppositum.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod sicut in rebus creatis, res aliqua singularis non ponitur in genere, vel in specie, ratione ejus quod pertinet ad ejus individuationem, sed ratione naturæ quæ secundum formam determinatur, cum individuatio magis sit secundum materiam in rebus compositis; sic est dicendum in mysterio incarnationis quod Christus est in specie humana, non ratione hypostasis divinæ quæ naturam humanam assumptam personat, sed ratione ipsius humanæ naturæ hypostasi Verbi unita.

## ARTICULUS IV.

*Utrum persona, vel hypostasis Christi, post incarnationem, sit composita.*

*Pro negativa.* =Videtur, quod persona, vel hypostasis Christi, post incarnationem non sit composita.

1. Persona Verbi non est composita. Sed persona Christi non est aliud, quam persona, vel hypostasis Verbi, ut ex dictis artic. 2. patet. Ergo persona, vel hypostasis Christi non est composita.

Maior prob. Natura divina non est composita, sed simplicissima, ut dictum est p. p. quæst. 3. art. 7. Sed persona Verbi est idem quod natura divina, ut patet ex dictis 1. p. qu. 3. art. 3. Ergo persona Verbi non est composita, sed est simplicissima.

2. Divina natura non potest habere rationem partis. Ergo impossibile est quod persona Christi sit composita ex duabus naturis.

Antecedens prob., qua omnis pars habet rationem imperfecti.

Conseq. prob., quia omnis compositio videtur esse ex partibus.

3. Si ex duabus naturis aliquid sit in Christo compositum, sequeretur quod in Christo esset facta unio in natura, quod est contra prædicta in artic. secundo.

Conseq. prob., quia quod componitur ex aliquibus, videtur esse homogeneum componentibus, sicut ex corporibus non componitur nisi corpus, et ideo si in Christo ex duabus naturis componitur aliquid, sequitur quod illud compositum sit una natura.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. ortod. fit cap. 3. 4. et 5. quod *in Domino Jesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Persona sive hypostasis Christi dupliciter considerari potest. Uno modo secundum illud quod est in se. Alio modo secundum rationem hypostasis, vel personæ, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura. Et sub aliis verbis persona Christi potest considerari dupliciter. Uno modo secundum suam realitatem, seu ut res est, seu quasi materialiter. Alio modo secundum hanc rationem formalem quæ est subsistere in aliqua natura: quod est considerare hypostasim, sive personam Christi, ut persona, sive ut hypostasis est.

1.ª Conclusio. Persona Christi secundum illud quod in se est, sive secundum suam realitatem, non est composita, sed omnino simplex.

Prob. Illud quod est idem cum natura divina non est compositum, sed omnino simplex, secundum quod in se est. Sed persona Christi secundum quod in se est, idem est cum divina natura, ut quæst. 3. primæ partis ostensum est. Ergo persona Christi secundum illud quod in se est, non est composita, sed omnino simplex.

Maior prob., quia natura divina est simplicissima, ut eadem quæst. 1. p. probatum est.

Minor prob., quia persona Christi est

Verbum, quod non distinguitur á natura divina, ut etiam in eadem qu. monstratum est.

2.ª Conclusio. Persona Christi secundum rationem personæ, quæ est subsistentia in aliqua natura, potest dici composita.

Probatur: Illud quod subsistit in duabus naturis, potest dici compositum. Sed persona Christi subsistit in duabus naturis, scilicet in natura divina et humana. Ergo persona Christi potest dici composita.

Maior prob., quia illud quod subsistit in duabus naturis, licet sit unum subsistens, est tamen ibi alia, et alia ratio subsistendi. Unde tale subsistens dicitur compositum, in quantum in duobus subsistit.

Persona igitur Christi, secundum id quod in se est, idest secundum quod est res divinæ naturæ, non est composita, sed simplicissima; sicut ipsa natura divina, cum qua identificatur, tamen secundum rationem personalitatis, quia in duabus naturis subsistit, ac per hoc habet aliam, et aliam rationem subsistendi (subsistit enim in divina natura ex æterna generatione, in humana vero ex temporali carnis assumptione) potest dici composita.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Argumentum hoc probat primam conclusionem, scilicet quod persona Christi secundum id quod in se est non sit composita; cum quo tamen stat quod possit, ut persona est, dici composita, ut in corpore dictum est. Et formaliter dicitur ad maiorem, quod persona Verbi non est composita secundum id quod in se est, et prout identificatur cum divina natura; potest tamen esse composita, quatenus ei convenit ratio subsistendi, ut dictum est.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur quod compositio est duplex. Quædam est quæ fit ex aliquibus tamquam ex partibus, sicut domus fit ex parietibus, et tecto, et homo ex anima et corpore, et sic de aliis. Quædam vero quæ fit ex duobus convenientibus in unum secundum rationem numeri, quemadmodum tres unitates componunt ternarium numerum, et sicut senatus ex pluribus senatoribus, non tamquam ex pluribus imperfectis, sed ut ex pluribus in unum convenientibus. Persona Christi non dicitur composita ex natura humana et divina quasi ex duabus partibus, sed potius ratione numeri, quatenus duæ naturæ in una coeunt persona.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. negatur assumptum. Non enim in omni compositione hoc verificatur quod illud quod componitur, sit homogeneum componentibus: sed solum hoc verificatur in partibus continui, continuum enim non componitur, nisi ex continuis. Animal vero componitur ex anima, et corpore, quorum neutrum est animal. Et cum in unione duarum naturarum in supposito Verbi nullum habeat locum continuitas, non oportet ut ambæ naturæ sint homogeneæ supposito Christi.

## ARTICULUS V.

*Utrum sit facta aliqua unio animæ et corporis in Christo.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit facta unio animæ et corporis.

1. Si in Christo esset facta unio animæ et corporis, sequeretur quod in eo esset aliqua hypostasis, vel persona præter hypostasim Verbi quod est contra prædicta in art. 2. et 3.

Conseq. prob. Ex unione animæ et corporis causatur in nobis persona, vel hypostasis hominis. Ergo si in Christo esset facta hujusmodi unio, fuisset causata ex hac unione in Christo aliqua hypostasis, non Verbi Dei, quia est æterna; ergo hominis: et sic in Christo præter hypostasim Verbi, esset hypostasis hominis.

2. In eo in quo fit unio animæ et corporis, est communem speciem accipere.

Sed *in Christo non est communem speciem accipere*. ut Dam. dicit 3. lib. ortod. cap. 3. Ergo in Christo non est facta unio animæ et corporis.

Maior prob., quia ex unione animæ et corporis constituitur natura humanæ speciei. Unde si in Christo fuisset facta unio animæ et corporis, esset in eo accipere humanam speciem, quæ est communis.

3. Corpus Christi poterat vivificari ab ipso Verbo Dei, quod est fons et principium vitæ. Ergo in Christo non fuit unio animæ, et corporis.

Conseq. prob, quia anima non conjungitur corpori, nisi ut vivificet ipsum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo cujus corpus dicitur animatum, facta est unio animæ et corporis. Sed Corpus Christi dicitur animatum. Ergo in Christo fuit unio animæ et corporis.

Maior prob., quia corpus non dicitur animatum nisi ex unione animæ ad ipsum.

Minor prob., quia Ecclesia cantat in quadam antiph. ad Laud. in die Circumcisionis. *Animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est.*

*Determinatio.*

Conclusio. Necesse est dicere, quod in Christo fuerit anima corpori unita, et contrarium est hæreticum.

Prob. In eo qui dicitur homo univoce cum aliis hominibus, est anima corpori unita. Sed Christus dicitur homo univoce cum aliis hominibus. Ergo in Christo facta fuit unio animæ cum corpore.

Maior prob., quia pertinet ad rationem speciei humanæ, quod anima corpori uniatur: non enim forma constituit speciem, nisi per hoc, quod fit actus materiæ, et hoc est ad quod terminatur generatio, per quam natura speciem intendit.

Minor probatur, quia Christus est in humana specie, secundum quod Apost. dicit ad Phil. 2. *In similitudinem hominum factus.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod hac ratione moti videntur illi qui negaverunt unionem animæ, et corporis in Christo, ne per hoc scilicet cogerentur personam novam, vel hypostasim in Christo inducere; quia videbant quod in puris hominibus, ex unione animæ ad corpus constituitur persona.

Sed hanc rationem non cogere patebit ex ipsius solutione. Dicitur igitur ad argumentum, negando consequentiam. Ad cujus probationem negatur consequentia; ex hoc enim, quod in nobis ex unione animæ et corporis fit hypostasis, non sequitur, quod hoc factum fuerit in Christo. Et ratio est quia in puris hominibus anima et corpus sic conjunguntur, ut per se existant; et ideo ex unione animæ, et corporis in puris hominibus semper resultat, et fit suppositum, sive persona. In Christo autem uniuntur ad invicem, non ut per se existant: sed ut adjuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis, scilicet ex anima et corpore composita, quæ est natura humana. Et propter hoc ex unione animæ, et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis, seu persona, sed advenit ipsum conjunctum ex anima et corpore personæ, seu hypostasi præexistenti, quod est suppositum divinum.

Quod si quis probaret hanc consequentiam negatam, scilicet quod ex hoc quod ex unione animæ et corporis in nobis fit suppositum, sequatur quod etiam fiat in Christo, dicendo quod alioquin sequeretur, quod esset minoris efficaciæ unio animæ et corporis in Christo, quam in nobis:

Respondetur negando hanc sequelam. Si enim unio animæ et corporis in Christo, non constituerent suppositum, nec ad nobilius conjungeretur, profecto esset minoris efficaciæ, quam in nobis, sed quia hujusmodi conjunctio fit ad nobilius suppositum, non adimitur ab ea dignitas, sed maxime augetur. Sicut ani-

ma sensitiva in brutis constituit speciem, in homine vero non constituit speciem, et tamen nobilior, et perfectior est anima sensitiva in homine quam in brutis, quia in homine conjungitur intellectuali animæ, non autem in brutis: ut etiam artic. 2. hujus quæst. ad 2. dictum est. Quamvis igitur ex unione animæ et corporis in Christo non constituatur aliquod suppositum non sequitur, quod sit minoris efficaciæ et virtutis quam in nobis, quia in Christo ad nobilius suppositum conjunguntur.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quæ est Dam. sententia, quod Verbum Damasceni potest intelligi dupliciter. Uno modo ut referatur ad humanam naturam, et tunc sensus erit, quod in Filio Dei non est accipere naturam humanam communem secundum speciem, sed solum est accipere in eo naturam humanam in individuo. Ad cujus evidentiam est considerandum, quod natura humana tripliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est abstracta ab omni individuo, prout in nuda contemplatione consideratur. Alio modo secundum quod est res quædam existens in omnibus individuis. Tertio modo, prout est in uno tantum individuo, puta in Sorte aut in Platone. Filius Dei non assumpsit humanam naturam, prout est in sola consideratione intellectus, quia sic non assumpsisset ipsam rem naturæ humanæ, nisi forte diceretur, quod humana natura est quædam idea separata, sicut Platonici posuerunt hominem sine materia, sed nec hanc naturam separatam, si esset, assumpsisset, quia tunc non assumpsissset carnem, contra id, quod dicitur Lucæ ult. *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*; similiter non potest dici, quod Filius Dei assumpserit humanam naturam, prout est in omnibus individuis humanæ speciei, quia sic assumpsisset omnes homines. Relinquitur ergo, ut idem Dam. postea in eod. lib. cap. 11. dicit, quod *assumpserit naturam humanam in atomo*, idest in individuo, non quidem in alio individuo, quod sit suppositum, vel hypostasis illius naturæ, sed in supposito Filii Dei. Univit igitur sibi Verbum naturam humanam, non prout est in nuda consideratione, nec prout est in omnibus individuis, nec prout est idea separata ab omnibus individuis secundum Platonicos (si enim his modis assumpsisset, esset in Verbo accipere communem speciem) sed in atomo, idest naturam hanc, quam traxit ad suam personalitatem. Alio modo potest verbum Damasceni referri ad id, quod resultat, sive fit ex unione divinæ et humanæ naturæ. Ex unione enim animæ et corporis in Christo resultat unum, quod est commune animæ, et corpori: resultat enim humanitas, cujus partes sunt anima, et corpus: quæ etsi atoma sit, tamen secundum se est apta nata esse in pluribus. Illud vero, quod fit ex unione divinæ et humanæ naturæ, non est aliquid tertium ex humana natura et divina resultans, commune utrique naturæ, sed fit solum, quod suppositum quod subsistebat in natura divina ab æterno, ex tempore in natura humana subsistat Christus Jesus verus Deus, et homo; unde ex hac unione non resultat aliquid tertium utrique naturæ commune. Et hic est sensus verborum Damasc. scilicet, quod illud quod fit ex unione divinæ et humanæ naturæ, non est aliquid commune secundum speciem, sed est Verbum Dei in humana subsistens natura. Si enim Christus esset quid commune secundum speciem, esset quid aptum natum prædicari de pluribus, et sic possent esse plures Christi: quod probat Damasc. ibidem esse falsum: subdit enim: « Neque enim generatus est, ne- « que unquam generabitur alius Christus « ex deitate et humanitate, in deitate et « humanitate Deus perfectus, idem, et « homo perfectus. »

Breviter igitur dicitur ad minorem, quod in Cristo Jesu non est accipere com-

munem speciem, idest naturam humanam communem, scilicet, vel ut in pura contemplatione, vel ut in omnibus individuis existens. Vel quia in Christo Jesu non est accipere aliquid naturæ divinæ et humanæ commune; sed solum est accipere aliquid commune animæ et corpori, scilicet humanitatem.

Ad 3. Dicitur, quod principium vitæ est duplex, scilicet effectivum et formale. Si igitur sit sermo de principio effectivo vitæ, verum est antecedens: hoc enim modo Verbum est principium omnis vitæ, sed tunc negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod anima non unitur corpori ad vivificandum effective, sed formaliter. Cum enim *vivere viventibus sit esse*, ut dicitur 2. de An. textu 37. sicut unumquodque formaliter est per formam suam, ita corpus vivit per animam. Si vero sermo sit de principio vitæ formali, negatur antecedens; corpus enim non vivit formaliter per Verbum, quia Verbum non vivit formaliter per Verbum, quia Verbum non potest esse corporis forma, sed per animam.

## ARTICULUS VI.

*Utrum natura humana fuerit unita Verbo accidentaliter.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod humana natura fuerit unita Verbo Dei accidentaliter.

1. Illud, quod unitur alicui sicut habitus, unitur ei accidentaliter. Sed natura humana unita est Verbo Dei, ut habitus unitur ei cujus est habitus. Ergo natura humana unita est Verbo Dei accidentaliter.

Maior probatur, quia habitus accidentaliter advenit ei cujus est habitus, sive accipiatur habitus, prout est unum de decem prædicamentis, sive prout est species qualitatis.

Minor prob., quia dicit Apostolus ad Phil. 2. de Filio Dei, quod *habitu inventus est ut homo.*

2. Omne, quod advenit alicui post ejus esse completum, advenit ei accidentaliter; sed natura humana advenit ex tempore Filio Dei habenti esse perfectum ab æterno; ergo advenit ei accidentaliter.

Maior prob., quia hoc dicimus accidens, quod potest adesse et abesse præter subjecti corruptionem.

3. Illud, quod unitur alicui non pertinens ad ejus substantiam, unitur ei accidentaliter. Sed natura humana unitur Verbo Dei, et non pertinet ad ejus substantiam. Ergo natura humana unitur Verbo Dei accidentaliter.

Maior prob., quia cum omne, quod est, sit substantia, vel accidens, quicquid unitur alicui non pertinens ad naturam, seu ad ipsius essentiam, est accidens ejus.

Minor prob., quia unio humanæ naturæ cum divina, non est facta in natura, ut dictum est art. 1. hujus quæst., et propterea natura humana non potest pertinere ad essentiam, sive ad naturam divini Verbi, quæ est natura divina.

4. Illud, quod unitur alicui, ut instrumentum, unitur ei accidentaliter. Sed natura humana in Christo fuit divinitatis instrumentum. Ergo videtur, quod humana natura fuerit unita Filio Dei accidentaliter.

Maior prob., quia instrumentum accidentaliter advenit.

Minor prob., quia dicit Dam. in 3. lib. ortod. fid. cap. 15. quod *caro Christi instrumentum divinitatis existit.*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud, quod prædicatur in quid, non inest ei, de quo prædicatur, accidentaliter. Sed natura humana prædicatur de Christo in quid. Ergo natura humana non est unita Verbo accidentaliter.

Maior prob. Quia illud quod accidentaliter prædicatur, non prædicat quid, sed quantum, vel quale vel alio modo se habens.

Minor prob. Quia Alexander Papa in sua Decretali dicit: « Cum Christus sit

« perfectus Deus, et perfectus homo, qua « temeritate audent quidam dicere quod « Christus secundum quod est homo, non « est quid? »

Aliter si humana natura uniretur Verbo Dei accidentaliter, sequeretur quod non prædicaretur de Christo in quid, sed in quale, vel quantum, vel aliquo alio modo. Sed hoc est falsum, ergo falsum est quod humana natura sit unita Verbo Dei accidentaliter.

Conseq. prob. Quia illud quod inest alicui accidentaliter, non prædicatur in quid, sed in quale, vel quantum etc.

Falsitas probat. Quia hoc est contra decretalem Alexandri Papæ volentis quod hæc prædicatio: Christus est homo, sit prædicatio in quid.

*Determinatio.*

*Diversæ hæreses circa mysterium unionis duarum naturarum.*

Ad hujus quæst. evidentiam sciendum est, quod circa mysterium unionis duarum naturarum in Christo duplex hæresis insurrexit. Quarum prima est confundentium naturas. Altera vero est separantium personas. Prima quidem hæresis est Eutychetis, et Dioscori, qui posuerunt quod ex duabus naturis, scilicet divina, et humana, est constituta una natura, ita quod confitentur Christum esse ex duabus naturis, ante unionem quidem distinctis, non autem ex duabus naturis post unionem, quia naturarum distinctio cessavit facta unione. Unde secundum ipsos dicendum esset ad quæsitum, quod natura humana non solum non est unita Verbo accidentaliter, sed tam intime inest ei, sicut divina, cum qua facta est per unionem una.

Alia fuit hæresis Nestorii, et Theodori Mopsuesteni qui separant non solum naturas, sed etiam personas. Posuerunt enim aliam esse personam Filii Dei, et Filii hominis, quas dicebant sibi invicem esse unitas quinque modis. Primo, secundum inhabitationem, in quantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo. Secundo, per unitatem affectus, in quantum voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei. Tertio, secundum operationem, prout dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum. Quarto, secundum dignitatem honoris, prout omnis honor qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur Filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei. Quinto, secundum æquivocationem, idest communicationem nominum, prout dicimus illum hominem esse Deum, et Filium Dei.

Et secundum eos respondendum esset quæsito affirmative. Quod scilicet natura humana est unita Verbo Dei accidentaliter, quia omnes modi, quibus dicunt humanam naturam esse Filio Dei unitam, important accidentalem unionem, ut de se patet.

*Posteriorum magistrorum positiones.*

Quidam posteriores magistri putantes se has hæreses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt; quidam enim eorum concesserunt unam Christi personam, sed posuerunt duas hypotases, sive duo supposita, dicentes hominem quemdam compositum ex corpore et anima, á principio suæ conceptionis esse assumptum á Dei Verbo. Et hæc est prima opinio quam Magister ponit in 6. dist. 6. Sent. q. 2. l. 3. Alii vero volentes servare unitatem personæ, posuerunt Christi animam non esse corpori unitam, sed hæc duo separata ab invicem esse unita Verbo accidentaliter, ut sic non cresceret numerus personarum. Et hæc est tertia opinio quam Magister ibidem ponit.

*Harum positionum reprobatio.*

Utraque harum positionum incidit in hæresim Nestorii. Prima quidem, quia idem est ponere duas hypostases, vel duo supposita in Christo, quod ponere duas personas, ut dictum est art. 3. hujus quæstionis: et si fiat vis in nomine personæ, prout scilicet accipitur pro eo quod ad dignitatem pertinet, est consi-

derandum quod etiam Nestorius utebatur unitate personæ, propter unitatem dignitatis et honoris: unde sexta synodus diffinit anathema eum qui dicit unam personam secundum dignitatem, et honorem, et adorationem, sicut Theodorus et Nestorius insanientes conscripserunt.

Alia vero positio incidit in errorem Nestorii quantum ad hoc quod posuit unionem accidentalem: non enim differt dicere quod Verbum Dei unitum est homini Christo secundum inhabitationem, ut in templo suo, ut dicebat Nestorius, et dicere quod unitum fuit Verbum Dei homini secundum indictionem, sicut vestimento; sicut dicit tertia positio: quæ etiam aliquid pejus dicit quam Nestorius, scilicet quod anima et corpus in Christo non sunt invicem unita.

*Vera sententia, et reprobatio dictarum hæresum.*

Conclusio. Fides catholica medium inter prædictas positiones tenens, non dicit unionem Dei et hominis factam esse secundum essentiam vel naturam, ut dicebant Dioscorus, et Eutyches, neque etiam secundum accidens, ut ajebat Nestorius; sed esse factam medio modo, secundum subsistentiam vel hypostasim.

Prob. Quia in quinta Synod. can. 4. dicitur. "Cum multis modis unitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinarii "et Euthychetis sequuntur, in peremptionem eorum qui convenerunt tollentes." idest interimentes, utramque naturam, "unionem secundum confussionem dicunt. Theodori autem, et Nestorii sequaces divisione gaudentes affectualem unitatem introducunt; Sancta vero Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unionem "Verbi Dei ad carnem, secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam."

Ex qua Concilii determinatione patet, quod secunda trium opinionum, quas Magister ponit, quæ asserit unam hypostasim Dei et hominis, non est dicenda opinio, sed sententia catholicæ fidei, et positio, quæ ponit duas hypostases, et tertia, quæ ponit unionem accidentalem, non sunt dicendæ opiniones, sed hæreses in Conciliis ab Ecclesia damnatæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod si ly (sicut) in maiori positum, dicat omnimodam similitudinem, est vera: illud enim, quod advenit alicui omnimode, sicut habitus, unitur ei accidentaliter, et in hoc sensu bene probatur ipsa maior, quia habitus accidentaliter advenit ei, cui advenit, sive accipiatur habitus ut est unum prædicamentum, sive accipiatur ut est species qualitatis. Sed tunc est falsa minor: humanitas enim non advenit Verbo omnimode: sicut habitus, et ad prob. dicitur, quod sicut Damasc. dicit in 3. lib. ortod. fid. cap. 26. "Non est necesse "omnifariam, et indefective assimilari "exempla, (quod enim est in omnibus "simile, idem utique erit, et non exemplum) et maxime in divinis: impossibile est enim simile exemplum invenire in omnibus, et in theologia," idest in Deitate personarum, "et in dispensatione," idest in mysterio incarnationis. Quando igitur inquit Apostolus. *Habitu inventus ut homo*, non assimilat omnimode humanam naturam in Christo habitui, idest vestimento, quantum ad accidentalem unionem, sed quantum ad hoc quod Verbum videtur per humanam naturam, sicut homo per vestimentum, et etiam quantum ad hoc, quod vestimentum mutatur, quia scilicet formatur secundum figuram ejus, qui induit ipsum, et induens non mutatur á sua forma propter vestimentum: et hoc modo humana natura assumpta á Verbo est meliorata; ipsum autem Verbum Dei non est mutatum, ut Aug. exponit in lib. 83. Qq. q. 73. Si vero ly sicut, in maiori positum non dicat omnimodam similitudinem, non est necesse ut sit

vera. Quod enim advenit alicui, sicut habitus quoad aliqua tantum, non est necesse ei accidentaliter advenire.

Ad 2. Dicitur quod aliquid potest advenire alicui post ejus esse completum dupliciter. Uno modo, ut illud quod advenit, non trahatur ad communionem esse ejus cui advenit: alio modo ut trahatur ad communionem esse ejus cui advenit. Exemplum primi: albedo advenit parieti vel homini post ejus esse completum, et non trahitur ad communionem esse ipsius hominis, aliud est enim esse albi, et aliud est esse parietis vel hominis. Exemplum secundi: in resurrectione corpus adveniet animæ et trahetur ad participationem esse ipsius animæ, sic ut idem sit esse utriusque, scilicet animæ et corporis. Illud quod advenit alicui post ejus esse completum primo modo, advenit accidentaliter: quod vero advenit secundo modo non advenit accidentalieer; corpus enim in resurrectione, non adveniet animæ accidentaliter. Ad maiorem igitur dicitur quod si intelligatur de eo quod advenit alicui post ejus esse completum, et quod non trahitur ad communionem esse ejus cui advenit, est vera, et optime in hoc sensu probatur in arguendo. Sed tunc falsa est minor: natura enim humana advenit quidem Verbo Dei post esse completum quod habuit ab æterno, secundum hypostasim sive personam; tamen fuit assumpta ad unum esse, non quidem prout est naturæ, sicut corpus assumitur ad esse animæ, sed ad unum esse, prout est hypostasis vel personæ: et ideo humana natura non unitur accidentaliter Verbo Dei. Si vero maior intelligatur de eo quod advenit alicui post ejus esse completum secundo modo, est falsa; nec in hoc sensu eam probat inducta ratio, ut ex dictis patet.

Et brevius dicitur quod maior est vera de eo quod advenit alicui post esse completum, et non trahitur ad communionem illius esse: non autem est vera de eo quod trahitur ad communionem esse completi ejus cui advenit. Et ad minorem dicitur quod humana natura fuit tracta ad communionem hypostatici esse divinæ personæ.

Ad 3. dicitur quod substantia dicitur dupliciter. Uno modo, pro essentia sive natura: alio modo, pro supposito sive hypostasi. Tunc ad maiorem dicitur quod si aliquid adveniat alicui, et non pertineat ad substantiam aliquo horum modorum acceptam, verum est quod hoc erit accidens ejus cui advenit. Si autem pertineat ad substantiam primo modo, vel saltem secundo modo acceptam, non advenit accidentaliter; sufficit enim ad hoc ut hujusmodi unio non sit accidentalis, quod pertineat ad hypostasim, sive ad suppositum, ut scilicet communicet in eodem esse. Ad minorem dicitur quod etsi natura humana assumpta á filio Dei non pertineat ad substantiam, secundum quod significat essentiam sive naturam divinam: quia tamen pertinet ad hypostasim, ad cujus esse participationem est elevata, propterea non est hæc unio accidentalis.

Ad 4. Dicitur quod aliquid potest assumi ab aliquo ut instrumentum dupliciter. Uno modo, ut non pertineat ad hypostasim assumentis: sicut secans assumit securim ad scandum, quæ non pertinet ad hypostasim secantis. Alio modo, quod pertineat ad hypostatim assumentis: nihil enim prohibet illud quod assumitur ad unitatem hypostasis habere rationem instrumenti, sicut corpus hominis vel membra ejus, sunt instrumenta animæ; et tamen pertinent ad humanam hypostasim. Maior est vera de eo quod assumitur ut instrumentum priori modo, non autem de eo quod assumitur secundo modo. Ad minorem dicitur quod quia Nestorius posuit quod natura humana est assumpta á Verbo solum per modum instrumenti, non autem ad unitatem hypostasis, non concedebat quod homo ille vere esset Filius

Dei, sed instrumentum ejus: cujus contrarium dicit Cyrillus in epistola ad Monachos Ægipti, inquiens, *Emmanuelem*, idest Christum, *non tamquam instrumenti officio assumptum dicit scriptura, sed tamquam Deum vere humanatum*, idest hominem factum. Et quia Damascenus posuit humanam naturam in Christo esse sicut instrumentum ad unitatem hypostasis pertinentem, propterea non est necesse dicere quod sit unita Filio Dei accidentaliter.

## ARTICULUS VII.

### *Utrum unio naturæ divinæ et humanæ sit aliquid creatum.*

*Pro negativa.* ==Videtur, quod unio naturæ divinæ et humanæ non sit aliquid creatum.

1. Illud quod est in Deo, non est creatum. Sed unio quæ facta est in mysterio incarnationis, est in Deo. Ergo unitas naturæ divinæ et humanæ, quæ in mysterio incarnationis facta est, non est aliquid creatum.

Maior probatur quia in Deo nullum creatum invenitur, sed quidquid in Deo reperitur, est ipsemet Deus.

Minor probatur, quia ipse Deus est humanæ naturæ unitus.

2. Finis sive terminus unionis naturæ divinæ et humanæ, non est aliquid creatum. Ergo nec ipsa unio est aliquid creatum.

Antecedens probatur. Quia finis unionis est divina hyspotasis sive persona, ad quam terminata est unio, quæ non est creata.

Conseq. prob., quia finis est potissimum in unoquoque: unde videtur quod hujusmodi unio debeat judicari secundum conditionem sui finis.

3. Homo dicitur esse creator propter unionem. Ergo multo magis ipsa unio non est aliquid creatum, sed creator.

Conseq. probat., quia *propter quod unumquodque tale, et illud magis*, ut dicitur 1. Post. tex. 5.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Omne quod incipit esse ex tempore, est creatum. Sed unio illa ab æterno non fuit, sed incepit esse ex tempore. Ergo unio illa est aliquid creatum.

*Determinatio.*

Conclusio. Unio naturæ divinæ et humanæ est quoddam creatum.

Prob. Illud quod est realiter in creatura, et in Deo tantum secundum rationem est quid creatum. Sed unio de qua loquimur, inest realiter creaturæ; in Deo autem est tantum secundum rationem. Ergo unio hæc est quid creatum.

Maior patet, quia omne quod realiter inest creaturæ creatum est.

Minor ostenditur. Relatio quæ consideratur inter Deum et creaturam (ut dictum est 1. part. qu. 13. art. 7.) realiter est in creatura, per cujus mutationem talis relatio innascitur: non autem est realiter in Deo, sed secundum rationem tantum; quia hæc relatio non innascitur secundum mutationem Dei. Sed unio de qua loquimur, est relatio quædam quæ consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in persona filii Dei. Ergo unio hæc est realiter in creatura; in Deo vero est tantum secundum rationem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod aliquid potest esse in Deo dupliciter: uno modo, secundum rem; et hoc est increatum: alio modo, secundum rationem, et in creatura realiter; et hoc est creatum. Maior est vera de eo quod est in Deo primo modo, non autem de eo quod est in Deo tantum secundo modo. Tunc ad minorem dicitur quod unio est in Deo solum secundum rationem, ut in corpore dictum est, dicitur enim Deus unitus creaturæ, ex hoc quod creatura est realiter unita Deo, absque tamen Dei mutatione.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad pro-

bationem dicitur, quod in relatione duo considerantur. Primum est ejus formalis ratio, et hæc dependet á termino: alterum est ipsum esse, et hoc pendet á subjecto; sicut etiam ratio motus, qua in specie constitutus est á termino ad quem. Ipsum autem esse motus dependet á subjecto in quo est: et quia hic sermo est de esse unionis, propterea à subjecto accipiendum est. Et quia subjectum hujus unionis est creatum, hinc fit, quod ipsa sit creata.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod unio est relatio. In relatione autem, ut in præcedenti responsione dictum est, duo considerantur, scilicet ejus ratio et ejus esse. Ejus ratio desumitur á termino, ejus vero esse desumitur á subjecto. Homo dicitur creator et Deus, propter unionem, non ratione sui esse; unio enim hæc habet esse in subjecto, quæ est natura humana, sed inquantum terminatur ad hypostasim divinam, á qua relatio unionis habet speciem. Unde relatio unionis est illa propter quam homo dicitur creator, non in quantum habet esse, sed in quantum sortitur speciem á tali termino, scilicet á divina hypostasi. Et quia esse creatum vel increatum, non respicit rationem rei, sed ejus esse: et quia hæc relatio secundum esse est creatum quid, ideo non dicitur creator: nam, ut consideratur in relatione, propria ratio, non potest dici creatura nec creator. Sed dicitur aliquid creator vel creatura secundum quod in eo consideratur esse: unde sicut non sequitur: homo secundum suam rationem est incorruptibilis, ergo est incorruptibilis secundum esse; ita non valet: relatio unionis secundum suam rationem, est per quam homo est creator; ergo ipsa secundum suum esse est creator: fit enim transitus á relatione secundum suam rationem, ad esse relationis. Quibus diligenter consideratis, optime remanet solutum argumentum, nec ullam patitur calumniam ejus solutio.

## ARTICULUS VIII.

### *Utrum unio Verbi incarnati sit idem quod assumptio.*

*Pro affirmativa* = Videtur, quod idem sit unio quod assumptio.

1. Relationes quarum est idem terminus, sunt idem. Sed unionis et assumptionis est idem terminus, scilicet divina hypostasis. Ergo unio et assumptio sunt idem.

Maior prob., quia relationes, sicut et motus, specificantur secundum terminum.

2. In Mysterio incarnationis idem videtur esse uniens et assumens, unitum et assumptum. Ergo idem erit unio et assumptio.

Conseq. prob., quia unio, et assumptio videntur sequi actionem et passionem unientis et uniti, assumentis et assumpti. Unde quando idem est assumens et uniens, assumptum et unitum, eadem erit actio et passio consequens.

3. Illud quod solam demonstrat copulationem, idem est quod unio. Sed assumptio solam demonstrat copulationem. Ergo assumptio idem est quod unio.

Maior ostenditur. Nam Dam. 3. lib. orthod. cap. 11. ponit differentiam inter unionem ex una parte, et humanationem, et incarnationem ex altera parte, per hoc quod unio solam duorum copulationem demonstrat: incarnatio autem et humanatio demonstrant non solum copulationem; sed cum hoc denotant ad quem facta sit copulatio, scilicet ad carnem, et ad naturam humanam: inquit enim ipse. «Aliud est unio, «aliud incarnatio: nam unio solam de«monstrat copulationem; ad quem au«tem facta est copulatio non adhuc. Hu«manatio autem et incarnatio determi«nant ad quem facta sit copulatio.» Illud igitur quod copulationem tantum demonstrat, non differt ab unione: quæ est maior.

Minor patet. Nam assumptio, unio-

nem, sive copulationem assumentis cum assumpto demonstrat, sed eum qui assumit et id quod assumitur (ut verbis Dam. utar) *non adhuc.*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Natura divina dicitur unita naturæ humanæ, non autem dicitur assumpta. Ergo unio non est idem quod assumptio.

*Determinatio.*

Conclusio. Unio Verbi incarnati non est idem quod assumptio.

Prob. Est enim inter unionem Verbi cum humana natura, et assumptionem humanæ naturæ triplex differentia.

Prima et principalis differentia inter assumptionem et unionem est, quod unio importat relationem, quæ consequitur conjunctionem, sive assumptionem. Assumptio autem significat actionem secundum quam dicitur aliquis assumens, et passionem, secundum quam dicitur aliquid assumptum. Ad cujus differentiæ evidentiam considerandum est quod (ut dictum est artic. præced. in corp.) unio incarnationis importat relationem quamdam divinæ naturæ et humanæ, secundum quod conveniunt ambæ in una persona. Et quia omnis relatio quæ incipit esse ex tempore, ex aliqua nova actione causatur; cum hæc relatio divinæ et humanæ naturæ sit ex tempore, sequitur, quod aliquam actionem et passionem consequatur. Utendum est igitur in mysterio incarnationis nominibus significantibus relationem, quæ est inter utramque naturam, et nominibus significantibus actionem et passionem quam consequitur relatio. Unio igitur significat relationem quæ est inter utramque naturam Verbo unitam: assumptio vero significat actionem Dei assumentis, et passionem humanæ naturæ assumptæ: et hæc est prima differentia.

Secunda differentia, quæ ex præcedenti nascitur, est quod assumptio dicitur sicut in fieri: unio autem dicitur sicut in facto esse; et propter hoc qui unit sibi aliquid, dicitur unitus: assumens autem non dicitur assumptum. Unde Dei Filius, quia univit sibi humanam naturam, dicitur uniens et unitus; est enim uniens sibi humanam naturam, et est humanæ naturæ unitus. Ex hoc autem, quod assumpsit naturam humanam, dicitur quidem assumens, non autem assumptus: dicimus enim: Verbum assumpsit naturam humanam; non autem dicimus, quod Verbum sit assumptum á natura humana. Ratio autem hujus diversitatis est, quia cum dicimus: Filius Dei univit sibi naturam humanam, vel est unitus naturæ humanæ, significatur natura humana, ut in termino assumptionis ad divinam hypostasim, ac per hoc jam subsistens subsistentia Verbi: et quia natura humana subsistens actu, necesse est subsistere in aliquo supposito, quod est aliquis homo; propterea cum dicimus: natura humana est unita Verbo, idem est ac si diceretur: Filius Dei est homo. Et ideo sicut dicimus: Filius Dei est ille homo, et ille homo est Filius Dei, sic dicimus: Filius Dei univit sibi naturam humanam, et natura humana est unita Filio Dei. Quando vero dicimus naturam humanam assuptam, non significamus ipsam in termino, sed quasi in fieri, et ideo significamus ipsam quasi non habentem esse subsistens actu, ac per hoc esse quasi abstractam. Et quia in Filio Dei non est natura secundum quod in abstracto consideratur, ut probatum est art. 5. hujus quæst. ad 2. propterea non potest dici, quod Filius Dei sit humana natura. Sed quia dum dicitur: Filius Dei assumit humanam naturam, consideratur quasi agens ad uniendum sibi naturam humanam, convenienter dicitur, quod naturam humanam assumit. Potest igitur dici, quod Filius Dei est assumens naturam humanam, quatenus operatur ad humanæ naturæ assumptionem, quatenus scilicet assumendo est quasi in via ad unionem: non autem potest dici, quod

natura humana assumat Filium Dei, quia ipsa non agit ad assumendum Filium Dei: unde non potest dici assumens, et quia dum assumitur, adhuc non est unita Filio Dei, non potest denominare Filium Dei. Ex hoc ergo, quod assumptio importat actionem, et non terminum, ut dicebat prima differentia, sequitur, quod significetur ut in fieri, et quod possit dici: Filius Dei est assumens, non autem assumptus.

Tertia differentia inter unionem et assumptionem, quæ etiam sequitur ex prima, est, quod assumptio determinat terminum à quo, et terminum ad quem: unio vero indifferenter se habet ad utrumque terminum. Sequitur autem hæc differentia ex prima: quia in prima differentia dictum est, quod unio significat relationem. Relatio autem (præcipue æquiparantiæ) non magis se habet ad unum extremum quam ad aliud: relatio enim similitudinis indifferenter se habet ad utrumque simile. Quia igitur unio relationem significat, sequitur quod non magis se habeat ad unum unitorum, quam ad alterum: unde sicut dicimus, quod natura humana est unita Filio Dei, ita dicere possumus, quod Filius Dei est unitus naturæ humanæ. Assumptio autem, ut in eadem differentia prima dicebatur, significat actionem et passionem. Actio autem et passio diversimode se habent ad diversos terminos: incipit enim agens á termino á quo, et procedit ad terminum ad quem. Et similiter passio utrumque terminum determinat: et ideo possumus dicere, quod Filius Dei assumpsit naturam humanam, quia humana natura fuit assumpta ad personalitatem divinam: non autem possumus dicere, quod natura divina fuerit assumpta á natura humana, quia natura divina non est assumpta ad subsistendum in humana natura.

Ex quibus remanet probata conclusio scilicet, quod unio Verbi incarnati non sit idem, quod assumptio.

## AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod ad hoc ut relationes sive motus sint idem, non sufficit quod habeant eumdem terminum; sed necesse est cum hoc, quod eodem modo se habeant ad terminum: motus enim sursum et deorsum habent eosdem terminos; sed tamen quia diversimode hos terminos respiciunt, non sunt idem. Et quia unio indifferenter se habet ad utrumque unitorum: assumptio vero determinate se habet ad unumquemque, ut in corpore in tertia ratione dictum est, propterea unio et assumptio distinguuntur.

Ad 2. Negatur antecedens: uniens enim et assumens in incarnationis mysterio non sunt omnino idem: nam omnis persona assumens est uniens, non autem omnis persona uniens est assumens: nam persona Patris univit naturam humanam Filio, non autem assumpsit, idest non ad se sumpsit: et ideo Pater dicitur uniens, non autem assumens: persona vero Filii, quia sibi univit naturam humanam, dicitur uniens et assumens: nec est idem unitum et assumptum; nam natura divina est unita naturæ humanæ, non autem est assumpta.

Ad 3. Negatur minor: assumptio enim et incarnatio, seu humanatio, non solum copulationem, sed etiam copulationis terminum determinat: assumptio namque determinat terminum cui facta est copulatio ex parte assumentis, in quantum assumptio dicitur quasi ad se sumptio; determinat igitur assumptio eum qui assumit: incarnatio autem et humanatio ex parte assumpti; denotant enim quid fuerit assumptum, scilicet carnem et humanam naturam. Differt igitur unio ab assumptione et humanatione, seu incarnatione: quia unio neutrum terminum connotat, sed solum copulationem. Assumptio determinat assumentem, et incarnatio, seu humanatio determinat id, quod assumitur.

## ARTICULUS IX.

*Utrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod unio duarum naturarum in Christo non sit maxima unionum.

1. Unio quæ deficit á ratione unitatis, non est maxima unionum. Sed unio duarum naturarum in Christo deficit á ratione unitatis. Ergo hæc unio non est maxima unionum.

Minor prob. Quod est unum per participationem, deficit á ratione ejus, quod est unum per essentiam. Sed unitum, sive unio, habet unitatem per participationem. Unitas autem etiam in rebus creatis, ut est unitas quæ est principium numeri, est una per essentiam. Ergo unio quælibet deficit á ratione unitatis.

2. Unio secundum quam uniuntur ea quæ maxime distant, non est maxima unionum. Sed secundum hanc unionem uniuntur ea quæ maxime distant. Ergo hæc unio non est maxima unionum. Maior prob. Quia quanto magis distant ea quæ uniuntur, tanto est minor unio. Minor prob. Quia secundum hanc unionem uniuntur natura humana, et divina, quæ in infinitum distant.

3. Unio secundum quam aliqua fiunt unum, non solum in persona, sed etiam in natura, est maior quam illa, secundum quam aliqua fiunt unum tantum in persona. Sed ex unione animæ et corporis in nobis, fit unum, non solum in persona, sed etiam in natura; ex unione vero divinæ et humanæ naturæ fit unum tantum in persona. Ergo unio divinæ, et humanæ naturæ in Christo, non est maxima unionum. Maior prob. Quia per unionem fit aliquid unum. Unde illa unio per quam aliqua magis fiunt unum, erit maior.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Unio quæ est maior, quam sit illa qua Deus Pater est unus cum Filio, est maxima unionum. Sed per unionem incarnationis homo est magis unus cum Filio Dei, quam sit Deus Pater cum eodem Filio. Ergo unio incarnationis est maxima unionum. Maior probatur, quia Pater est unum cum Filio in essentia, quæ est maxima unio: est enim Dei essentia maxime una. Minor prob., quia Aug. dicit 1. de Trin. cap. 10. *Quod homo potius est in Filio Dei, quam Filius Dei in Patre.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Unio incarnationis potest accipi dupliciter. Uno modo ex parte eorum quæ conjunguntur. Alio modo ex parte ejus, in quo illa conjunguntur.

Manifestatur hæc dist. Unio enim conjunctionem aliquorum duorum in uno importat, sicut album et dulce uniuntur in pomo. Unde unio hæc dulcedinis et albedinis potest considerari ex parte eorum quæ uniuntur, et ex parte ejus in quo uniuntur.

1.ª Conclusio. Unio incarnationis ex parte eorum quæ uniuntur, non est maxima unionum.

Hanc probat secundum argumentum pro negativa. Natura enim divina, et humana in infinitum distant.

2.ª Conclusio. Unio incarnationis ex parte ejus, in quo fit conjunctio, scilicet personæ divinæ, est maxima unionum.

Prob. Unio secundum quam aliqua uniuntur in aliquo, quod est maxime unum, est maxima unionum ex parte ejus in quo uniuntur. Sed unio incarnationis est, secundum quam uniuntur natura divina, et humana in persona divina, quæ est maxima una. Ergo unio incarnationis ex parte ejus in quo fit unio, habet præeminentiam inter alias uniones.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Unitas enim divinæ personæ in nullo deficit à ratione unitatis. Ad prob. Negatur minor de unitate divinæ personæ; hæc enim maior est, quam unitas quæ est principium numeri. Nam unitas divinæ personæ est unitas increata, per se subsistens, non

recepta in aliquo per participationem; est etiam in se completa, habens in se quicquid pertinet ad rationem unitatis, et ideo non competit sibi ratio partis, sicut unitati numerali, quæ est pars numeri, et quæ participatur in rebus numeratis. Et ideo quantum ad hoc (scilicet, in quo naturæ uniuntur) præeminet unitati numerali; ratione, inquam, unitatis divinæ personæ, non autem ratione naturæ humanæ, quæ non est ipsa unitas divinæ personæ, sed est divinæ personæ unita.

Ad 2. Jam dictum est, quod probat primam conclusionem, scilicet quod unio incarnationis ex parte naturarum unitarum non sit maxima.

Ad 3. Negatur maior in proposito. Unitas enim divinæ personæ est maior unitas, quam sit unitas personæ, et naturæ in nobis, et ideo unio incarnationis est maior, quam unio animæ et corporis in nobis.

*Ad argumentum pro affirmativa.*

Argumentum pro affirmativa, etsi verum concludat secundum expositum sensum; tamen procedit ex uno falso supposito, scilicet quod unio incarnationis sit maior, quam unio Patris, et Filii in divina essentia: hoc enim falsum est; nam et ipsa divina essentia est maxime una quæ non potest esse maior. Dicitur igitur ad sententiam Augustini, quod humana natura non est magis in Filio, quam Filius in Patre; sed multo minus simpliciter loquendo. Quantum tamen ad aliquid est natura humana magis in Filio, quam Filius in Patre, in quantum scilicet idem supponitur in hoc quod dico homo, prout sumitur pro Christo; potest enim dici quod hic homo sit filius Dei et filius Dei sit hic homo, et tamen non potest dici quod filius Dei sit Deus pater.

## ARTICULUS X.

*Utrum unio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod unio incarnationis non sit facta per gratiam.

ARTIC. X.

1. Unio quæ est facta per gratiam, est per accidens. Sed unio incarnationis non est facta per accidens, ut dictum est artic. 6. hujus quæst. Ergo unio incarnationis non est facta per gratiam.

Maior prob., quia gratia est accidens quoddam ut dictum est. 1. 2. quæst. 110. artic. 2. et 3.

2. Unio corporalis non est facta per gratiam. Sed unio naturarum in Christo fuit corporalis. Ergo unio naturarum in Christo non est facta per gratiam.

Maior prob., quia subjectum gratiæ non est corpus, sed anima, et propterea unio quæ est ad corpus, non potest fieri per gratiam.

Minor prob., quia *in Christo habitabat plenitudo divinitatis corporaliter*, ut dicitur ad Colos. 2.

3. Si unio incarnationis fuit per gratiam, videtur quod non aliter dicatur Christus esse Deus, quam alii sancti homines.

Conseq. prob., quia quilibet sanctus unitur Deo per gratiam.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in lib. 2. de Prædest. SS. cap. 15. « Ea gratia fit ab initio fi-« dei suæ homo quicumque christianus, « qua gratia homo ille ab initio suo fac-« tus est Christus. » Sed homo ille est Christus per unionem ad divinam naturam. Ergo illa unio fuit per gratiam.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Gratia dupliciter dicitur, ut dictum est. 1. 2. qu. 110. artic. 1. Uno modo dicitur gratia ipsa voluntas Dei aliquid gratis dantis, vel facientis. Alio modo dicitur gratia ipsum Dei donum: sicut quod Deus voluerit liberare populum israëliticum de Ægipto, et illum introducere in terram promissionis fuit per gratiam primo modo acceptam, scilicet per gratuitam Dei voluntatem; ipsa vero liberatio, et ipsa terra promissionis fuit gratia, secundo modo accepta, idest Dei donum. Similiter quod Deus

liberaverit genus humanum per incarnationem et passionem Christi, fuit Dei gratia, idest Dei gratuita voluntas; ipsa vero salus fuit gratuitum Dei donum: et sic de aliis.

Ad pleniorem intelligentiam, et claritatem hujus distinctionis quætenus proposito deservit, est considerandum, quod gratia pro gratuita Dei voluntate accepta, est actus divinæ voluntatis, quo hominem diligit, secundum quod hujusmodi divina dilectio consideratur ex parte effectus, idest actus divinæ voluntatis quo confert homini aliquod bonum. Hæc autem Dei dilectio est duplex, scilicet generalis, et specialis. Generalis est qua confert homini esse, et cætera ad ejus naturam pertinentia. Specialis vero est qua Deus vult homini speciale bonum, hoc est, bonum supernaturale; quod est fruitio ipsius Dei: et hæc est Dei dilectio sive gratia simpliciter. Tunc enim Deus simpliciter diligit hominem, quando trahit ipsum ad participationem divini boni. Et hæc habes explicata in 1. 2. quæstione 110. art. 1. in 4. dist. et in 5. concl. Per gratiam igitur, ut sumitur pro gratuita Dei voluntate, intelligitur actus divinæ voluntatis, quo Deus hominem specialiter diligit, idest secundum quod ipsum trahit ad participationem divini boni. Potest autem humana natura elevari in Deum dupliciter. Uno modo per operationem, et hoc fit quando elevatur ad cognitionem, et amorem Dei; secundum quem modum omnes sancti in Deum elevantur. Alio modo elevatur ad esse Dei personale, et hæc elevatio est propria humanitatis Christi, quæ sola fuit evecta ad hoc quod sit persona filii Dei. Et quia elevari in Deum, sive primo, sive secundo modo, est supra facultatem humanæ naturæ, hinc est ut semper hæc elevatio fiat per gratuitam Dei voluntatem.

Ex quibus patet primum membrum propositæ distinctionis, quid scilicet intelligatur per gratiam secundum quod accipitur per Dei gratuitam voluntatem: intelligitur enim actus divinæ voluntatis, quo Deus naturam humanam elevat in Deum ipsum. Nomine autem gratiæ secundum quod accipitur secundo modo, scilicet pro dono gratuito, duo possumus intelligere: vel ipsum habitualis gratiæ donum, vel omne aliud quod homini á Deo datur, per quod ad Deum elevatur. Et sic nomine gratiæ in proposito tria possumus intelligere. Primum est ipsa gratuita Dei voluntas. Secundum est quodcumque donum à Deo gratis, idest absque præcedentibus meritis, datum. Tertium est ipsum habituale gratiæ donum, de qua dictum est 1. 2. quæst. 110. art. 2. in secunda conclus.

1.ª Conclusio. Unio incarnationis est facta per gratiam, secundum quod gratia significat gratuitam Dei voluntatem.

Prob. Illud per quod humana natura elevatur in Deum, fit per gratuitam Dei voluntatem. Sed per unionem incarnationis elevata est natura humana ad esse personale filii Dei. Ergo unio incarnationis facta est per gratuitam Dei voluntatem.

Maior patet ex dictis; cum enim elevatio naturæ humanæ in Deum quocumque modo, sit supra facultatem humanæ, immo creatæ naturæ, necesse est ut omnis hujusmodi elevatio fiat per gratuitam Dei motionem.

2.ª Conclusio. Unio incarnationis non est facta per habituale gratiæ donum.

Prob. Elevatio naturæ ad esse personale filii Dei, non est facta per habituale gratiæ donum. Sed per unionem incarnationis elevata est natura humana ad esse personale Filii Dei. Ergo unio incarnationis non est facta per habituale gratiæ donum.

Maior probatur ex differentia quæ est inter elevationem naturæ humanæ in Deum per operationem, et elevationem ejusdem naturæ ad esse personale. Quando enim natura humana elevatur in Deum per operationem, ut fit in sanctis,

necessarium est donum gratiæ habitualis, non autem est necessarium hoc donum, quando elevatur ad esse personale: et ratio est quia ad perfectionem operationis requiritur quod potentia sit perfecta per habitum, sed quod natura habeat esse in supposito suo, non fit mediante aliquo habitu. Unde quando sancti elevantur in Deum, fit hæc elevatio, non solum per gratuitam Dei voluntatem, sed cum hoc concurrit etiam habituale gratiæ donum, quo perficitur anima, et animæ potentiæ, ad hoc ut operatio sit perfecta. Quia vero per unionem incarnationis non elevatur natura ad operationem, sed ad esse personæ divinæ, propterea hæc unio non fit per donum gratiæ habitualis.

3.ª Conclusio. Unio incarnationis potest dici gratia, in quantum gratia significat gratuitum Dei donum.

Manifestatur, quia unio incarnationis facta est nullis præcedentibus meritis, et pro tanto potest dici gratia, idest, Dei gratuitum donum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior est vera de gratia, prout significat habituale donum, non autem est vera de gratia, ut significat gratuitum donum; gratia enim habitualis est accidens quoddam, quia est quædam similitudo divinitatis participata ab homine. Per incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinæ naturæ, sed dicitur esse conjuncta ipsi divinæ naturæ in persona Filii. Maius autem est ipsa res, quam ejus participata similitudo. Est igitur unio incarnationis gratia quædam, ut in corpore dictum est, et tamen non est facta per accidens, quia non est facta per habitum gratiæ, qui est accidens.

Ad 2. Dicitur tripliciter. Primo negatur maior. Ad prob. dicitur quod gratia habitualis est tantum in anima. Sed gratia secundum quod significat Dei donum gratuitum, quale est uniri divinæ personæ, pertinet ad totam naturam humanam, quæ componitur ex anima et corpore. Et per hunc modum dicitur plenitudo divinitatis in Christo habitasse corporaliter, quia est unita divina natura non solum animæ, sed etiam corpori.

Secundo dici potest ad minorem, et ad ejus probationem quod dicitur in Christo habitasse divinitatis plenitudo corporaliter, idest non umbraliter, sicut habitavit in sacramentis veteris legis, de quibus ibidem subditur quod sunt umbra futurorum, corpus autem est Christus, secundum quod corpus contra umbram dividitur; sensus ergo est quod in Christo erat divinitas, non secundum umbram, ut erat in sacramentis veteris legis, quæ figurabant solum Christi divinitatem, sed in Christo fuit ipsa divinitas; ex quo nullo modo sequitur quod hæc unio sit facta per habitualem gratiam.

Tertio dicunt quidam ad idem argumentum, quod divinitas dicitur in Christo habitasse, corporaliter, idest tribus modis, sicut corpus habet tres dimensiones. Uno modo per essentiam, præsentiam, et potentiam, sicut in cæteris creaturis. Alio modo per gratiam gratum facientem, sicut in sanctis. Tertio modo per unionem personalem, quod est Christo proprium.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod unio incarnationis non est facta solum per gratiam habitualem, sicut alii sancti uniuntur Deo, sed secundum subsistentiam, sive personam, ut dictum est in corpore.

## ARTICULUS XI.

*Utrum unionem Verbi incarnati aliqua merita præcesserint.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod unio Verbi incarnati fuit aliqua merita subsequuta.

1. Glos. dicit super illud Psalm. 32. *Fiat misericordia tua Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te: Hic*

*insinuatur desiderium prophetæ de incarnatione, et meritum impletionis.* Ergo incarnatio cadit sub merito.

2. Antiqui patres merebantur vitam æternam, ad quam pervenire non poterant, nisi per incarnationem. Ergo antiqui patres meruerunt etiam incarnationem.

Anteced. prob., quia Greg. dicit 13. Moral. cap. 15. *Hi qui ante Christi adventum in hunc mundum venerunt, quantamlibet justitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinum cœlestis patriæ statim recipi nullo modo poterant.*

Consequentia prob., quia quicumque meretur aliquid, meretur etiam illud, sine quo illud quod meretur, haberi non potest. Unde qui merebatur beatitudinem ante Christi incarnationem, etiam ipsam incarnationem merebatur.

3. De Beata Virgine cantatur quod Dominum omnium meruit portare. Ergo incarnatio cadit sub merito.

Conseq. prob., quia quod Beatissima Virgo Dominum portaverit, factum est per incarnationem.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Nulla merita præcesserunt regenerationem nostram. Ergo nec illam Christi generationem aliqua merita præcesserunt.

Antecedens prob., quia ad Titum 3. dicitur: *non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Conseq. prob., quia August. idem facit quantum ad hoc judicium de generatione Christi, et regeneratione nostra. Inquit enim in lib. de Prædest. SS. cap. 15. *Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.* Quasi dicat: sicut regeneratio membrorum Christi fit absque nostris meritis, sic Christi generatio facta est absque omni merito.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Meritum est duplex, scilicet meritum de congruo, et meritum de condigno, de qua dist. dictum est 1. 2. quæst. ult. per totam, sed præcipue art. 6.

1.ª Conclusio. Unionem Verbi incarnati non præcesserunt aliqua merita Christi, neque merita condigna aliorum hominum. Ergo unionem Verbi incarnati non præcesserunt aliqua condigna merita.

Consequentia patet, quia si aliqua merita præcesserunt unionem incarnati Verbi, vel opera meritoria de condigno, fuissent ipsius Christi, vel aliquorum aliorum hominum.

Antecedens prob. quoad utramque partem, et primo quod hanc unionem non potuerint præcedere merita ipsius Christi, quia omnis operatio illius hominis Christi subsecuta est unionem. Ergo nulla ejus operatio potuit esse meritum unionis.

Antecedens probatur: nam nos non ponimus quod ille homo Christus antea fuerit purus homo, et postea per meritum bonæ vitæ obtinuerit esse filius Dei, sicut posuit Phonitus; sed ponimus quod á principio suæ conceptionis ille homo vere fuerit filius Dei, utpote non habens aliam hypostasim, quam filii Dei. Secundum illud Lucæ 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Et sic omnis ejus operatio secuta est unionem.

Quo ad secundam partem vero, scilicet quod unionem hanc non potuerint præcedere condigna merita aliorum hominum, probatur triplici ratione.

1. Operatio meritoria, quæ proprie ordinatur ad beatitudinem, non potest esse condigne meritoria hujus unionis. Sed opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem. Ergo opera meritoria aliorum hominum non potue-

runt de condigno mereri hanc unionem.

Maior hujus prob., quia unio incarnationis, cum sit in esse personale, transcendit unionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruentis.

Minor hujus prob., quia opera meritoria hominis sunt opera virtutis, cujus præmium est beatitudo, quæ consistit in plena Dei fruitione.

Secundo. Gratia non cadit sub merito quia est merendi principium. Ergo multo minus incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ, secundum illud Joan. 1. *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

Tertio. Incarnatio Christi est reformativa totius humanæ naturæ. Ergo incarnatio Christi non cadit sub merito alicujus hominis singularis.

Conseq. prob., quia bonum alicujus puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ.

2.ª Conclusio. Unionem incarnati Verbi præcesserunt aliqua merita de congruo.

Prob. Quia sancti patres desideraverunt, et petierunt incarnationem, et ideo congruum erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod probat secundam conclusionem, intelligenda est enim ibi Glos. de merito congrui, non de condigno.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem negatur assumptum: falsum est enim quod sub merito cadat omne illud, sine quo præmium esse non potest. Quædam enim sunt, quæ non solum requiruntur ad præmium, sed etiam præexiguntur ad meritum, sicut sunt divina bonitas, ejus gratia, et ipsa hominis natura. Et similiter incarnationis mysterium est principium merendi, quia *de plenitudine Christi omnes accepimus*, ut dicitur Joan. 1.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data, illum puritatis, et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei.

## ARTICULUS XII.

### *Utrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod gratia unionis non fuerit homini Christo naturalis.

1. Unio quæ non est facta in natura, sed in persona, non debet dici naturalis, sed personalis. Sed gratia unionis non est facta in natura, sed in persona, ut artic. 1. hujus quæst. dictum est. Ergo gratia unionis non debet dici naturalis, sed personalis.

Maior prob., quia unumquodque denominatur á termino.

2. Eorum quæ ex opposito dividuntur, unum non denominatur ab alio. Sed gratia dividitur contra naturam, sicut gratuita, quæ sunt á Deo, distinguuntur contra naturalia, quæ sunt á principio intrinseco. Ergo gratia unionis non potest dici naturalis.

Aliter. Illud, quod dividitur contra naturam, non potest dici naturale. Sed gratia dividitur contra naturam. Ergo gratia hæc unionis non potest dici Christo naturalis.

Maior prob., quia eorum quæ ex opposito dividuntur, non potest unum ex alio denominari.

Minor prob., quia sicut gratuita á naturalibus, sic et gratia à natura distinguitur.

3. Gratia unionis non est naturalis Christo secundum naturam divinam, quia sic hujusmodi unio conveniret etiam aliis personis; nec est naturalis ei secundum naturam humanam. Quia sic conveniret omnibus hominibus, qui sunt ejusdem naturæ cum ipso. Ergo nullo modo gratia unionis est Christo naturalis.

Conseq. prob., quia naturale dicitur, quod est secundum naturam.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in Enchir. cap. 40. «Humanæ naturæ susceptione fit quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum possit admittere peccatum.»

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliquid potest dici naturale homini dupliciter. Uno modo, quod est tantum ex principiis essentialibus rei. Sicut igni naturale est ferri sursum. Alio modo dicitur esse aliquid homini naturale, quod est ab ipsa nativitate, de quo modo dicitur ad Ephes. 2. *Eramus natura filii iræ.* Et Sapientiæ 13. dicitur: *nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum.*

Manifestatur autem distinctio hæc quia secundum Phil. 5. Met. tex. 5. natura uno modo dicitur ipsa nativitas, alio modo essentia rei.

1.ª Conclusio. Gratia Christi sive unionis, sive habitualis, non potest dici naturalis, quasi causata ex principiis humanæ naturæ in Christo.

Quæ concl. relinquitur ex se manifesta; gratia enim unionis, et etiam gratia habitualis sunt supra humanæ naturæ vires.

2.ª Conclusio. Gratia unionis, et etiam habitualis, potest dici naturalis homini Christo, quasi proveniens in naturam humanam Christi, causante divina natura ipsius.

Hæc etiam conclusio relinquitur, ut manifesta, quia vere utraque gratia provenit ex divina natura, quæ est Christo naturalis, in naturam humanam assumptam, quæ etiam est Christo homini naturalis.

3.ª Conclusio. Utraque gratia dicitur naturalis in Christo, in quantum eam á nativitate habuit.

Manifestatur, quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinæ personæ unita, et anima ejus munere gratiæ repleta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod licet unio non sit facta in natura, est tamen causatà ex virtute divinæ naturæ, quæ est vere natura Christi, ut in 2. conclus. dictum est. Et etiam dicitur naturalis, quia convenit Christo á principio suæ nativitatis, ut in 3. conclusione dictum est.

Ad 2. Dicitur ad maiorem utriusque formæ, quod illud quod dividitur contra naturam, non potest secundum idem dici naturale; potest tamen secundum diversa dici naturale et gratuitum: tunc dicitur ad minorem subsumendam, quod unio incarnationis non secundum idem dicitur gratia et naturalis, dicitur enim gratia in quantum non est ex merito; naturalis autem dicitur in quantum est ex divinæ naturæ virtute, in humanitate Christi ab ejus nativitate.

Ad 3. Negatur prima pars antecedentis; secundum enim naturam divinam est gratia unionis Christo naturalis, in quantum divina natura est principium activum hujus gratiæ, et hoc convenit toti Trinitati, scilicet esse hujus gratiæ activum principium. Ad secundam vero antecedentis partem dicitur quod gratia unionis, non est quidem naturalis Christo secundum humanam naturam, quasi ex principiis humanæ naturæ causata, propter quod non oportet quod conveniat omnibus hominibus; est tamen naturalis ei secundum humanam naturam, propter proprietatem nativitatis ipsius, prout sic conceptus est ex Spiritu Sancto, ut esset idem naturalis filius Dei et hominis.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

### EX PRÆCED. 2.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Apollinaris* dicentis, quod in ipso incarnationis opere aliquid Verbi in carnem fuit conversum. Item *Eutychetis* (Alphons. Castrens. *ad hæ. Christus*) dicentis, quod, licet Christus fuerit incarnatus, in ipso tamen incarnationis momento caro in divinitatem fuit conversa. Item ejusdem per consequentiam expressam ex priori, dicentis, quod Christus cum una persona unam tantum habuit naturam, scilicet divinam. Item *Arrianorum* et *Proclianitarum*, (Alphonso ibidem) dicentium: Christus solam humanam habuit naturam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has rite damnatas á Concil. 5. *Constantinop.* supra ante *secundum* adducto. Item á Conc. *Chalced.* act. 5. in definitione sua, sic. " Alii confusionem, et commixtionem introducentes, unamque esse naturam carnis et Deitatis, insensate fingentes, passibilem unigeniti naturam divinam confusione monstruantur. Propter hoc omnem ipsis claudi contra veritatem machinam volens, præsens nunc sancta magna, et œcumenica Synodus, etc. Ex cogitantibus cognationem, vel confusionem in duabus naturis Christi obsistit: et confabulantes duas quidem ante unionem naturas Domini; unam autem post unionem autumantes anathematizat. Sequentes igitur sanctos Patres, unum et eumdem confiteri filium dominum nostrum Jesum Christum, consonanter omnes docemus: perfectum ipsum in Deitate, et perfectum ipsum in humanitate, Deum vere, et vere hominem, etc. in duabus naturis inconfusibiliter, inconvertibiliter, indivisibiliter, inseparabiliter cognoscendum: nulla naturarum differentia sublata propter unionem. *Item ab eodem act.* 1. *Nam cum inter cetera multa ex actis Ephesinæ Synodi secundæ legeretur sic.* Consentimus, et confitemur ex duabus naturis fuisse dominum nostrum ante adunationem: post vero adunationem unam naturam confitemur: Orientales, et qui cum ipsis erant Episcopi dixerunt. Ista nemo dixit (Anathema ei, qui dixit ista, homicida dixit) Ægiptii dixerunt. Ista Pharaonis sunt. Anathema, qui ista dixerunt. Hæc Dioscori sunt," etc. Hæc ibi ex summa Conciliorum. Unde patet ab hac Generali Synodo, quæ est de quatuor principalibus, et 630 Patrum, damnari *Ephesinam secundam* Synodum, veluti revera profanam. Damnatur, et prædicta Synodus Ephesina secunda á *Leone I.* Papa in epist. Synodali ad Constantinopolitanos: quæ incipit *Leo Episcopus et Sancta Synodus*, etc. Et est 21. in ordine epistolarum in primo tomo Conciliorum. Item illas hæreses damnari á Leone I. Papa in epist. ad Flavianum, quæ est decima in ordine, sic: " Cum ad interlocutionem examinis vestri Eutyches responderit dicens: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem: post adunationem vero unam naturam confiteor: miror tam absurdam, tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione reprehensam, et sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet, esset auditum: cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei filius fuisse dicatur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. *Item ab eadem Synodo Chalcedo. action.* 2. *Post lectionem namque prædictæ Leonis epistolæ, Reverendi Episcopi clamaverunt.* Hæc Patrum fides. Hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credimus; Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt. Pie, et vere Leo docuit. Leo, et Cyrillus similiter docuerunt. Anathema, qui non sic credit. Hæc vera fides. Catholici ita sapimus. Hæc Patrum fides." Hucusque illud Concilium. Ubi et de Cyrilli doctrina, quam supra in ad *primum* vidisti, bonum testimonium perhibetur. Item á *quinta Synodo Constantinop.* confess. 6. immediate post recitatum symbolum 150. Patrum: quæ ibi sub eisdem ferme syllabis, quibus usa est Chalcedonensis supra in definitione sua, et falsa circa hoc dogmata anathematizat, et vera complectens determinat. Item á Concilio *Toletano* 11. " Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Nec tamen Verbum ipsum in carnem conversum, atque mutatum est, ut desisteret Deus esse, qui homo esse vo-

luisset: sed ita Verbum caro factum est, ut non tantum sit ibi verbum Dei, et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum, et homo propter hominem. In quo Dei filio duas credimus esse naturas: unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas á divinitate possit aliquando sejungi. » Hæc illud Concilium in confessione fidei ante omnia publicata. Ex cujus ultimis verbis intellige sensum supra Concilii Chalcedonensis, quando dixit, *Dominum Christum in duabus naturis esse indivisibiliter, inseparabiliter agnoscendum.* Nota in *Toletano*, quod per ly *hoc totum* intelligit personam, persona enim eadem et Deus est propter Deum, et homo est propter hominem, idest, naturam humanam. Item á Concilio *Ephesino primo,* ex epist. Synodica Cyrilli. " Nec carnem itaque dicimus in naturam deitatis esse conversam, nec in substantiam carnis ineffabilem Dei verbi essentiam commutatam. Inconvertibilis est enim, et incommutabilis, idemque ipse juxta scripturas jugiter permanens. *Item á Concilio* Toletano primo *confirmato authoritate* Leonis I. *Papæ, cap.* 21. *de regulis fidei Catholicæ.* » Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem Christi convertibilem fuisse, vel passibilem, Anathema sit. Item *á Concilio* Syrmiensi *pro parte, qua erat sacrum cap.* 11. » Si quis audiens, verbum caro factum est, Verbum in carnem mutatum putaverit, aut conversione facta suscepisse carnem, Anathema sit. » Advertendum pro semper, quod Concilium Syrmiense partim fuit sacrum, partim profanum. Nam, hæreticis omissis catholici tradiderunt in eo fidei propositiones orthodoxas contra Arium, ut legitur in summa conciliorum. Vide *pri. par. q.* 42. *Append.* unius illorum articulorum: ubi de hoc ipso Concilio plura narrantur ex eadem summa: et ubi protestatio fit sicut etiam nunc, quod numquam concilium illud pro parte, qua profanum est adductum volo alicubi, neque intelligi. Hilarius, et Athanasius ( si credimus Francisco Fevardentio *adv. hæres. lib.* 3.) laudant Syrmiensis Concilii ista decreta: scilicet «Si quis, quod scriptum est: Faciamus hominem non patrem ad filium, sed ipsum ad semetipsum asserit dixisse Deum: Anathema sit. Item, si quis illud, quod scriptum est: Pluit Dominus á Domino, non de patre, et filio perceperit: sed ipsum á semetipso pluere dixerit, Anathema sit. » Non est igitur etiam secundum istos sanctos Doctores Concilium Syrmiense ex omni parte profanum. Quapropter pro parte illa, qua sacrum est, potest ad roboranda fidei dogmata, oppositaque rejicienda adduci. Item hæreses illas damnari á Concilio *Nicæno* 2. action. 8. in definitione fidei, sic. « Ad hæc duas naturas Verbi incarnati propter nos ex immaculata Virgine Maria confitemur: perfectum Deum, et perfectum hominem cognoscentes, quem admodum Synodus in Chalcedone habita declaravit: Eutychemque, et Dioscorum blasphemantes in illius divinitatem exterminavit. *Item á Papa* Leone II. *in Bulla scripta ad Constantinum Augustum, sic.* Cognovimus, quod santa, et universalis, et magna sexta Synodus, quæ per Dei gratiam Imperiali decreto in regia urbe nuper congregata est, decrevit sub orthodoxæ fidei integritate, unum esse de sancta, et inseparabili Trinitate Dominum nostrum Jesum Christum ex duabus, et in duabus naturis inconfuse, inseparabiliter, indivise consistentem, ut vere Deum perfectum, et hominem perfectum eumdem ipsum, salvaque proprietate uniuscujusque in eo convenientium naturarum, eumdem ipsum divina operatum, ut Deum, et humana inseparabiliter operatum, ut hominem absque solo peccato. *Et infra.* Idcirco et nos, et per nostrum officium hæc veneranda sedes Apostolica concorditer, ac unanimiter his, quæ definita sunt ab ea consentit: et B. Petri authoritate confirmat: sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptus firmitatem. *Et infra :* Anathematizamus proinde, atque execramur omnes hæreses, omnesque earum authores, atque fautores, etc. idest Arium, Sabellium, Apollinarem, Eutichem, Dioscorum, Origenem, qui et Adamantius, etc. *Hucusque Leo II. Item á Concil.* Toletano 6. *can.* 1. Et cum tota cooperata sit Trinitas, formationem suscepti hominis : quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ na-

turæ, idest in eo, quod proprium est Filii, non quod commune est Trinitati. » *Tertio* habes: quomodo per rationem supradicta omnia, pro quanto unionem incarnationis decernunt non fuisse factam in natura, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem, quæ et valebit ad profligandos errores recensendos, et recensibiles in append. art. 3. propter causam in illius artic. corpore dicendam, interimas hæresim *Nestorii* dicentis; Christum duas habuisse personas, alteram divinæ naturæ, alteram humanitatis. Item ejusdem sub his verbis: Christus non unus, idest Deitate, et humanitate, fuit; sed separatim alter filius Dei, alter filius hominis. Item hær. *Severi Antiocheni* dicentis, in Christo fuisse unionem non personalem in duabus naturis vere subsistentem; sed tantum habitualem, idest, secundum habitum, proprietatem, conditionemque quamdam divinam: qua, cum solus esset homo, divina tamen assistente per quamdam participationem virtute, miracula operaretur. Item *Joan. Huss* (Prat. *Hussitæ*) dicentis: Duæ naturæ divinitas, et humanitas sunt unus Christus. Vel sic. Duas naturas in Christo, divinitatem scilicet, et humanitatem unum efficere Christum. Non enim divinitas, et humanitas unus est Christus, vel unum efficiunt Christum, nisi in quantum uniuntur in una persona divina: de qua tamen persona, ac si illarum naturarum unio non sit facta in persona, nullam facit mentionem ipse Huss. Item cujusdam *Aug. de Roma* Archiep. Nazareni, ut refert Card. Turrecremata *lib.* 1. *de Eccl. c.* 68. dicentis: In Christo humana natura vere est Christus, et eadem est persona Christi. Item: In Christo humana natura est persona Verbi. Ergo secundum hujus verba unio non videtur facta in persona, modo catholico per art. præsentem exposito. Non enim natura humana est Christus, neque persona Christi, neque persona Verbi: sed natura humana simul cum divina uniuntur in una persona, quæ est persona Verbi, et eadem numero persona est nunc post incarnationem persona Christi, seu Christus, artic. 3. ad 2. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has pro sua cujusque portione merito damnari á Christo Jo. 8. ubi interrogatus Dominus, quis esset, respondit: *Ego principium, qui et loquor vobis*. Patentissimum enim est, quod Judæi interrogabant de persona, cum ly *tu*, ly *quis* significent personam: et de persona quidem humana, cum divinam in Christo non crederent, imo negarent. Responsio igitur Domini, tamquam prudentissimi, cointelligitur esse de persona, et de humana quidem: alioquin ad interrogata minime concuadraret. Respondens ergo dicit: *Ego sum principium*: Persona igitur humana in Christo est principium, si principium, ergo Deus. Nam persona humana creata non est principium; sed est priucipiatum, et dupliciter quidem, ut in nobis apparet. Est enim quid principiatum á Deo, cum sit ab ipso creata: et est quid principiatum á principiis speciei, cum ex ipsis conjunctis ad invicem resultet. Dixisset ergo Christus de persona sua humana respondens. Ergo principiatum; si persona sua humana esset quid creatum. Dicendo igitur, quod illa est principium, patenter demonstrat, quod unio incarnationis, qua mediante ipse loquitur nobis, est facta in persona divina, et consequenter omnes hæreses contrarium dicentes, vel inferentes, condemnat. Item á Concilio *Constantiens. sess.* 13. postquam inter 30 errores Joann. Huss viderat hunc, scilicet duæ naturæ, divinitas, et humanitas unus est Christus, dicente sic. "Hæc sacrosanta Constantiensis Synodus declarat, et definit, artic. quos idem Joann. Huss in publica audientia coram patribus et prælatis hujus sacri Conc. confessus fuit, contineri in suis libris, et opusculis, non esse catholicos, nec tamquam tales esse dogmatizandos: sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensivos, pluresque eorum esse temerarios, et seditiosos, et nonnullos eorumdem esse notorie hæreticos, et jamdudum á sacris patribus, et generalibus Conc. reprobatos et damnatos, ipsosque prædicare, dogmatizare, aut quomodolibet approbare districte inhibendo. Sed cum infrascripti art. expresse contineantur in libris, seu tractatibus suis, videlicet, in libro, quem intitulat de Ecclesia, et aliis suis opusculis: ideo libros prædictos, et doctrinam, et sin-

gulos alios tractatus, et opuscula in latino, sive vulgari Bohemico per ipsum editos, aut in quocumque alio idiomate per alium, vel per alios translatos, hæc sacrosancta Synodus reprobat atque condemnat: comburendos publice, et solemniter in præsentia cleri et populi in civitate Constantiensi, et alibi decernit, et definit: adjiciens propter præmissa omnem ejus doctrinam merito esse, et fore suspectam de fide, et ab omnibus Christi fidelibus evitandam. Et ut de medio Ecclesiæ illa perniciosa doctrina eliminetur, hæc sacrosancta Synodus prorsus jubet, per locorum ordinarios tractatus, et opuscula hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, et si opus fuerit, cum adjectione pœnæ, et fautoriæ hæresis, diligenter inquiri, et repertos publice concremari. Si quis autem hujus sententiæ, ac decreti violator, aut contemptor extiterit, statuit eadem sancta Synodus, per locorum ordinarios, et inquisitores hæreticæ pravitatis contra talem, vel tales, veluti suspectum, vel suspectos de hæresi procedendum. » Hucusque Conc. Item á Concil. *Constantinop.* 5. confess. 8. capit. 5. " si quis subsistentiam D. N. Jesu Christi sic intelligit, tamquam suscipientem multarum subsistentiarum significationem, et per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, vel personas; et duarum personarum, quas introducit, unam personam dicit secundum dignitatem, honorem, et adorationem (sicut Theodorus, et Nestorius insanientes conscripserunt) et calumniatur S. Synodum Chalced. tamquam secundum hunc impiissimum intellectum usam unius subsistentiæ vocabulo, et non confitetur: Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum esse, et propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam: et sic S. Conc. Chalced. subsistentiam unam D. N. Jesu Christi confessum fuisse: talis anathema sit. Neque enim adjectionem personæ, vel subsistentiæ S. Trinitas suscepit ex incarnato uno de eadem Trinitate Deo Verbo. » Nota, quod Concil. hoc pro diversis suis verbis et huic, et aliis quibusdam patrocinatur articulis: et ideo, etiamsi non repeteretur in illis, scito tu hinc canonicum pro illis petere suffragium. Quod autem de hoc Conc. dixi, intelligas quoque de multis dictis aliis, sive Pontificum Romanorum, sive Concil. sive scripturarum. quæ hactenus á principio Angelicæ hujus summæ allegata sunt, vel in futurum allegabuntur. Item ab eodem Constantinopolitano ibidem, cap. 7. " Si quis in duabus naturis dicens, non ut in Deitate, et humanitate D. N. Jesum Christum cognosci confitetur, ut per hoc significet differentiam naturarum, ex quibus inconfusa, et inefabilis unitio facta est, neque Verbo in naturam carnis transfigurato, neque carne ad Verbi naturam translata (manet enim utrumque quod est secundum naturam, etiam facta unitate secundum subsistentiam) sed propterea numero duarum naturarum utitur, tamquam separatim unaquæque natura propriam habeat subsistentiam: talis anathema sit. » Item á Concilio *Toletano* 1., Can. 21. de regulis fidei catholicæ, sic. " Credimus Filium Dei Deum natum á patre ante omne omnino principium sanctificasse uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem sine virili semine generatum suscepisse, duabus dumtaxat naturis, idest Deitatis, et carnis in unam convenientibus omnino personam, idest, Dominum nostrum Jesum Christum. » Per ly *hominem* intelligit humanitatem, ut nunc ex Tolet. 6. et 11. videbis. Item á Conc. *Tolet.* 6. in principio facta confessione fidei catholicæ sic. " Ex his tribus personis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, et nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, á secreto patris prodiisse, et humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine Maria assumpsisse, ut idem Filius Dei patris esset filius hominis. Deus perfectus, et homo perfectus; ut homo perfectus, et Deus esset unus Christus, in duabus naturis una persona, ne quaternitas Trinitati accederet, si in Christo esset geminata persona. » Item clarius adhuc á Concilio *Toletano* 11. in pronunciatione principio posita, et declaratione dogmatum fidei catholicæ. " Nec tamen, quia duas in filio diximus esse naturas, duas causabimus in eo esse personas: ne Trinitati (quod absit) accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam: et in æternum persona divinitatis temporalem accepit

substantiam carnis. » Item ab etc. ut art. 3. append. propter rationem dicendam tunc. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta omnia Concilia, scripturas, pro quanto unionem statuunt esse factam in persona, et intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Felicianam* dicentem: In Christo duas inesse hypostases. Item supradictas ar. 2. Cum enim persona et hypostasis in natura intellectuali sint idem, patet, quod contra illas hæreses de persona pugnat etiam præsens articulus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á relatis sup. art. 2. append. per tot. propter rationem dictam nunc. Item á *Leone* 1. Papa ad Julianum contra Eutychianæ impietatis errorem: et est ep. 11. in ordine tomi primi Conciliorum. " Cur autem inconveniens, aut impossibile videatur, ut verbum, et caro, atque anima unus Jesus Christus, et unus Dei, hominisque sit filius: si caro, et anima, quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt, etiam sine verbi incarnatione, personam: cum multo facilius sit, ut hanc unitatem sui, atque hominis præstet Deitatis potestas, quam, ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas? » Item á scripturis 1. Cor. 2. *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Hic enim ostenditur Dei Verbi incarnati, et hominis una hypostasis, idemque suppositum. Unitas quippe hypostasis facit, ut, quod homo patitur, Deus impassibilis pertulisse credatur, et ut homo cruci appensus Dominus gloriæ crucifixus veraciter prædicetur. Item á Christo Joann. 3. " Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. » Quomodo enim filium hominis ante ascensionis diem in cœlo asserit permanere, dum adhuc loqueretur in terris, nisi una, et eadem numero hypostasis Verbi, et hominis post incarnationem esset? Item Roman. 9. " Patres nostri, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula. » Vide, quam expresse humana divinis, et humanis divina propter hypostasis unitatem absque confusione naturarum miscentur. Deus gloriæ crucifigitur: homo de cœlo descendere, et in cœlo permanere memoratur: Christus est ex patribus, et ante patres existit. Item á synodo *quinta Constantinop.* cap. 10. " Si quis non confitetur, crucifixum carne Dominum nostrum Jesum Christum esse Deum verum, et Dominum gloriæ, et unum sanctæ Trinitatis, talis anathema sit. » *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissas auctoritates cum similibus, pro quanto unionem statuunt in hypostasi factam esse, intelligas, et probes, et defendas. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse á quinta synodo *Constantinopolitana* cap. 4. " Si quis dicit secundum gratiam, vel operationem, *etc.* et non (sicut sancti patres docuerunt) unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali secundum compositionem, idest, secundum subsistentiam, factam: et propterea non confitetur unam ejus subsistentiam, qui est Dominus noster Jesus Christus unus de Sancta Trinitate: talis anathema sit. Cum enim multis modis unitas intelligatur, alii quidem, qui impietatem Apollinaris, et Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum, quæ convenerunt colentes, unionem secundum confusionem prædicant. Theodori autem, et Nestorii sequaces divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta vero Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem ejiciens, unitionem Dei verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Unitio enim per compositionem in Christi mysterio non solum inconfusa ea, quæ convenere, conservat: sed neque divisionem suscipit. » Ex quibus patet, quod negare unionem in Christo factam esse secundum compositionem subsistentiæ, quod est personam Christi esse compositam modo declarato, est sapere, vel *Apollinaris*, et *Eutychetis*, vel *Theodori, et Nestorii* impiam hæresim; quæ procul dubio canone præmisso, atque sequentibus damnatur. Item merito esse ab eodem Conc. dictum c. 7. " Si quis in duabus naturis, etc. unum Dominum nostrum Jesum Christum, ex quibus, et compositus est, etc. talis anathema sit. » Ergo verbaliter quoque ab Ecclesia determinatum, quod unus Dominus

noster Jesus Christus non tantum existit in duabus naturis, sed etiam quod ex illis duabus est compositus. Item merito dictum á Synodo *Lateranensi* sub *Martino I. Papa*, consultatione quinta immediate ante 20. suos canones. " Consonanter, et absque ulla novitate, sicut á venerabilium Patrum nostrorum sanis decretis, et definitionibus, quas posuerunt pro conservatione orthodoxæ fidei, accepimus, ita intransgressibiliter credimus, unum, eumdemque Filium Dominum nostrum, et Deum Jesum Christum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, sed salva indiminute proprietate utriusque naturæ, et in unam personam, atque subsistentiam concurrente: » etc. Concurrunt ergo duæ naturæ integræ in unam personam Christi, et per consequens persona illa dicitur secundum hoc Conc. ex his composita. Item merito ab eod. cap. 8. dici: " Si quis non confitetur proprie, et vere secundum compositionem, idest, secundum subsistentiam, naturarum unitionem, ex quibus unus, et solus existit Christus, inconfuse, et indivise in eo cognitam: sit condemnatus. » Hæc ibi in summa Conciliorum. En definit unitionem naturarum in Christo esse factam secundum compositionem, non naturarum ad invicem, cum remanserint inconfusæ, sed subsistentiæ, idest, personæ. Item merito dictum á sexta Synodo, et Epistola *Sophronii* ibi lecta actione 11. et approbata action. 13. " omnem vocem, et operationem, sive divina quædam sit, et cœlestis, sive humana, atque terrena, ex uno, eodemque Christo, et Filio edocemur procedere, ex unaque ejus composita, et singulari subsistentia incarnatum Dei Verbum extabat, quod et utramque inseparabiliter, et inconfuse operationem secundum naturas suas á seipso naturaliter proferebat. » Ubi vides Synodum expresse dicere, quod subsistentia, idest, persona Christi est et composita, et singularis, idest simplex. Quod utrumque dictum quomodo stet, ex articulo isto patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem hæc, et similia Conciliorum dicta, pro quanto personam, seu subsistentiam Christi decernunt esse compositam, in sensu recto intelligas, probes, et defendas. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum á Conciliis, á scripturis, á symbolo fidei, quod unio animæ, et corporis fuit in Christo. Á Conciliis quidem, *Toletano XI*, in pronunciatione fidei catholicæ. " Idem Christus in his duabus naturis tribus extat substantiis: Verbi quod ad solius Dei essentiam referendum est: corporis, et animæ, quod ad verum hominem pertinet. Habet ergo in se geminam substantiam divinitatis suæ, et humanitatis nostræ. » Si tres substantias habet, ut prius dixit quomodo tantum geminam: nisi, quia anima corpori juncta unam plenam facit substantiam, sc. humanitatem? Si enim anima, et corpus in Christo essent, sed disjunctim, ita quod anima non informaret actualiter corpus; tunc Christus posset quidem dici habere tres substantias, sed non geminam substantiam: tum, quia corpus disjunctim, et anima sunt duæ substantiæ, non una: tum quia corpus disjunctim ab anima non facit humanitatem, qua facta reputantur pro una perfecta substantia. Neque enim anima seorsum neque corpus seorsum est humanitas, sed pars: illa quidem formalis, hoc autem materialis. Item á Conc. *Chalsedonensi*, *Ephesino primo* et omnibus supradict. a. 1 et 2. immo etiam ab omnibus aliis, quæ Christum esse hominem, vel habere [illegible]am humanam, seu humanitatem dicunt. Nam anima, et corpus nisi uniant[illegible], ut forma materiam actu informans, neque homo, neque natura humana, neque humanitas dici veraciter unquam poterunt. Propterea et conclusio dixit, contrarium, negans unionem præmissam animæ et corporis in Christo, esse hæreticum: quia scil. per hoc negat Christum esse verum hominem, habere veram humanam naturam, seu humanitatem. Quod quidem dogma hæreticum supra per omnium fere articulorum appendices est canonice damnatum. Item expresse á Concilio 5. Constantinopolitano confessione 8. capite 4. " Si quis non confitetur (sicut Sancti patres docuerunt) unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, et intellectuali esse factam: anathema sit. » Hoc Concilium consonat Ecclesiæ canenti in festo Circumcisionis Domini. " O admirabile commer-

cium, creator generis humani, animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est. » Ecce, quod creator omnium rerum assumpsit corpus humani generis animatum, non inanimatum. Item expresse á synodo 6. action. 17. " Sanctissima, atque immaculata anima ejus, et caro Deificata est: non est perempta: sed in proprio sui statu. et ratione permansit. » Ergo ly *caro Deificata* glossat bene *art.* 1. *ad* 3. Á scripturis autem fuit insinuatum *Phil.* 2. ut adducitur in corp. Item ab omnibus quæ vocant Christum hominem, vel similem nobis: ut Heb. 2. v. 16. " Semen Abrahæ apprehendit. Unde et per omnia (absque peccato) debuit fratribus assimilari. » Á Symbolo demum fidei Patrum omnium orthodoxorum, ibi *Incarnatus, et homo factus est.* Quasi aperte dixerit: Deus filius carnem nostram assumpsit non qualitercumque se habentem: sed unitam animæ humanæ; unde posset post assumptionem vere dici homo. Item á Papa *Leone I.* in epistola 10. in ordine ad Flavianum, decreto 2. sic. " Verbum caro factum est et habitavit in nobis: hoc est in ea carne, quam assumpsit ex homine, et quam spiritus vitæ rationalis animavit. » *Secundo* habes: quomodo per rationem omnia præmissa dicta, pro quanto unionem animæ, et corporis formalem esse in Christo factam statuunt, et intelligas, et probes, et defendas: *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito á sancta synodo *Lateran.* sub Papa *Martino primo* consultatione quinta esse dictum. " Orthodoxi patres, et verba eorum super omnem radium solis nitescunt, tradiderunt nobis in primis, quod et accepisse noscuntur; unum, eumdemque confiteri Dominum Deum nostrum Jesum Christum ex duabus, et in duabus existentem naturis substantialiter unitis inconfuse et indivise. » Item meritum dictum á Conc. 5. *Constant.* consultationeque 4. adductum á Concil. Lateran. sub *Martino I.* confessione 8. cap. 13. " Si quis recipit Theodórum, et Nestorium impiissimos, vel recipit impietatem eorum: atque propterea impios vocat ecclesiæ doctores, qui substantialiter unitionem Dei verbi ad carnem confitentur; anathema sit. *Item merito dictum á Conc. I. Ephes. c.* 13. Dicimus, quod verbum substantialiter, ineffabiliter, et incomprehensibiliter factum est homo: non evacuata nec sublata diversitate naturarum per conjunctionem. » Item merito dictum ab eodem, ex c. 2. anathematismorum *Cyrilli* ab ipsa Ecclesia approbatorum. Si quis non confitetur, carni secundum subsistentiam unitum esse, quod ex Deo est Verbum, atque unum esse Christum cum carne sua: eumdem videlicet Deum simul, et hominem: anathema sit. *Item ab eodem ex c.* 3. *ut sup.* Si quis in uno Christo subsistentias post factam naturarum unionem dividit: conjunctione tantum illas, quæ sit secundum dignitatem, vel auctoritatem, et non magis coitionem secundum naturalem unionem connectens: anathema sit.» En á Concil. verbaliter etiam dictum, quod naturæ sunt unitæ substantialiter: quod secundum subsistentiam (hæc procul dubio substantia est, ut dicitur *in præsenti ar. ad* 3.) quod secundum unionem naturalem, hæc procul dubio non est accidentalis, ut patet. Item merito á Concil. *Calced.* dictum, ut sup. Nam ibi relecta Cyrilli praedicta, ab eodem acceptantur. *Secundo* habes: quomodo per rationem et confundas *Nestorii* haeresim, et ostendas, hanc fuisse juste damnatam á Concil. praemissis. Dicebat enim Nestorius (ut recitatur in synodi *Chalced. act.* 1. " Si quis Deum Verbum carnaliter secundum substantiam carnem factum esse dicat: anathema sit. » Hoc dicens Nestorius respondebat contra Cyrillum c. 11. quo fit, ut facile quisque videat, quod Nestorius per hoc dictum intendebat destruere, quod unio illa sit substantialis, et per consequens dogmatizare, quod est accidentalis. Quapropter juste damnatur ab omnibus supradictis, ideoque maxime cavendum est, ne communicemus Nestoriano errori, nec etiam in vocabulis: sed ut in his, et hujusmodi aliis fidem concernentibus dicta Sanctorum Patrum orthodoxorum recte, et indefectibiliter, tam in sensu, quam in verbis, fortiter teneamus, novatores penitus evitando. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo por rationem ostendas, scripturas omnes, pontifices omnes, consilia omnia, merito innuisse, quod unio hæc est aliquid creatum.

Hoc autem unanimiter innuerunt, quando talem unionem non ante sæcula, sed in tempore factam fuisse concorditer determinaverunt. Nihil enim increatum est in tempore: sicut nihil creatum est ad æterno: quoniam solus Deus, qui omnia alia creavit, est æternus. Vide de hoc 1. par. q. 10. art. 2. et 2. et q. 61. a. 2. append. Solum ergo illi unionem hanc, ut relatio est, dicere possent esse quid increatum, qui hanc ab æterno, non in tempore factam fuisse ponerent, quam stultitiam nullus umquam (quod viderim, vel audierim) tenuit. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo por rationem ostendas, merito á concil. *Toletano* 6. insinuatum fuisse, quod unio, et assumtio differunt. Id autem insinuatum est his verbis. " Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis; quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen filius suscepit humanitatem in singularitate personæ. » Hæc illud in cap. 1. de plenitudine fidei Catholicæ. Ubi ly *inseparabilia sunt opera Trinitatis* intellígitur de operibus ad extra: ut patet per contextum. Quid vero per ly *suscepit* intelligat, monstrat supra sic. " Ex his tribus Divinitatis personis solum Filium fatemur humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine Maria assumpsisse. *Et quid per ly* suscepti hominis *intelligat declarat contra* Nestorium *ibi, sic.*» Á Patre, et Spiritus Sancto Filius inseparabiliter discretus persona: ab homine autem assumpto natura, idem cum eodem homine unus extat persona, cum Patre autem, et Spiritu Sancto natura. » Ecce, quod Concilium per ly *suscepti hominis* intelligit humanitatem assumptam, quatenus ad Verbi personam per unionem terminata vocatur homo. Dicit quoque ipsum Concilium, quod tota Trinitas cooperata est formationem humanitatis, intelligens per hoc, quod tota Trinitas univit illam, licet non tota illam assumpserit, sive quod tota fuit uniens, licet non tota fuerit assumens, ut in ad *secundum*, in tex. Item á Concil. *Toletano* 11. in publica confesione fidei catholicæ. " Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est: quia inseparabilia sunt opera Trinitatis : solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, idest, (*ut ibi mox ante dicitur*) solus Filius naturam nostram in unitatem personæ suæ assumpsit.» Quod si unionem, et assumptionem pro eodem accepisset Concilium, dixisset: aut non solum Filium, sed totam Trinitatem assumpsisse humanitatem, aut non totam Trinitatem, sed solum Filium incarnationem operatum fuisse, seu carnis unionem causasse, seu carnem univisse. *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissorum Conciliorum, similiumque dicta, pro quanto unionem ab assumptione statuunt secern, et probes, et intelligas, et declares. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 9. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á Papa *Agathone*, quod unio incarnationis est maxima, et non est maxima unionum. Insinuatum autem est hoc ab eo in epistola sua ad Augustos, quæ ponitur in 6. Synodo actio. 4. et sic. " Unum quippe, eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum ex duabus, et in duabus substantiis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter subsistere, cognoscimus, nusquam sublata differentia naturarum propter unitatem: sed potius salva proprietate utriusque naturæ in unam personam, unam subsistentiam concurrentem, non in dualitatem personarum dispertitum, vel divisum, neque unam compositam naturam confusam, sed unum, eumdemque Filium unigenitum Deum Verbum dominum nostrum Jesum Christum, neque alium in alio: neque alium, et alium, sed eumdem ipsum in duabus naturis, idest Deitate et humanitate post substantialem adunationem cognoscimus: Quia neque Verbum in carnis naturam conversum est, neque caro in Verbi naturam transformata est. Permansit enim utrumque, quod naturaliter erat. Differentiam quippe adunatarum in eo naturarum sola contemplatione discernimus, ex quibus inconfuse, inseparabiliter, et incommutabiliter est compositus. Unus enim ex in, utrisque, et per utraque: quia simul sunt et altitudo Deitatis, et humilitas carnis, servante utraque natura etiam post adunationem sine defectu proprietatem suam, et operante utraque forma cum alterius communione, quod proprium habet, Verbo operante, quod

Verbi est, et carne exequente, quod carnis est: quorum unum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. » Cum enim dicat Papa, quod unio naturarum in persona divina facta est, et quod duæ naturæ inconfusæ remanserunt, patet ex prædictis, quod dicit per hoc, unionem hujusmodi, et maximam inter uniones existere, et non maximam inter illas nihilominus esse. Insinuatum est etiam idipsum á Conciliis, et ab omnibus citatis supra ar. 1. 2. 3. et 6. Nam ibi illis ostenditur, quod unio facta est non in natura, sed in persona divina: quod est ostendi, ut patet ex conclusionibus his, unionem incarnationis et fuisse, et non fuisse maximam unionum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, articulum præsentem opugnare omnes hæreses contra illos articulos ibi singillatim in appendicibus allatas, et vice versa, quod illæ hæreses contraponuntur præsenti articulo. Hæresim ergo sapit negare unionem incarnationis esse maximam unionem eo modo, quo declaratur hic; quoniam hoc radicaliter esset negare, unionem hujusmodi factam esse in persona divina: ac propterea ibi damnatum canonice intelligitur, quicquid oppositum decisionis hujus sic diceret. *Tertio* habes: quomodo per rationem et Papæ, et Conciliorum, etc. dicta præmissa, pro quanto unionem hujusmodi maximam fuisse statuunt; et non fuisse, declares, probes, et tuearis. *Quarto* vides: quomodo etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito insinuatum fuisse á scripturis, incarnationem esse factam per gratiam, idest, nullis præcedentibus meritis. Insinuatum autem fuit hoc ab Isai. 65. in persona Domini dicente sic. « Inventus sum á non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. » Quam auctoritatem et Apostolus Rom. 10. adducit: et consequenter idipsum indicat. Item á Concilio *Arausicano* sub Papa *Leone* 1. sic: " Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit conferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur á nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti. Inventus sum á non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. » Hæc ibi capit. 3. Apertius dixisset, quod ad invocationem humanam quasi priorem, non confertur gratia Dei, sed gratia ipsa prius provocat nos ad invocandum Deum. His stantibus, ab iis indicatur propositum, et quidem á fortiori. Pro comperto namque apud omnes vel mediocriter Teol. intelligentes veritas hæc habetur, quod multo major est gratia unionis personalis, quam quælibet gratia habitualis, cum per gratiam unionis personalis uniatur homo Deo in persona, per habitualem vero tantum secundum operationem. Et consequenter, quanto major est substantia divina, quam accidens supernaturale creatum, sive, quod in idem redit, quanto major est unio substantialis cum Deo, quam unio accidentalis, idest, per accidens tale facta: tanto major est gratia unionis personalis, quam habitualis. Cum igitur prædictæ tum scripturæ, tum concilii auctoritates affirment gratiam primam habitualem nullis præcedentibus nostris meritis dari, patet, quod á fortiori per hoc indicant, gratiam unionis personalis homini datam sine ullis præcedentibus meritis, idest, gratis á Deo humanæ naturæ illi absque aliquo merito donatum, quod uniretur sibi in persona sua divina. Hoc consequens, scilicet gratiam unionis personalis homini datam sine meritis præcedentibus, probabitur etiam articulo 11. Item insinuatum merito esse idem ab Apostolo Rom. 11. *Si gratia, jam non est ex operibus: alioquin gratia non est gratia.* Hoc dixit de gratia habituali, ut colligitur ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. Et consequenter de gratia unionis multo magis hoc intellexit. Gratia ergo unionis non esset gratia, quod est maxime blasphemum, cum sit omnium gratiarum maxima, si daretur ex operibus. Item ab eodem Concilio *Arausicano* cap. 14 merito indicatum universaliter sic: " Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi, qui Dei misericordia prævenitur: sicut dicit Psalmista: Cito anticipet nos misericordia tua Domine. *Et illud*: Deus meus, misericordia ejus præveniet me. *Et capit.* 25. Hoc etiam salubriter profitemur, et credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis et fidem, et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta

fideliter requiramus: et post baptismum cum ipsius Dei adjutorio, ea, quæ, sibi sunt placita, implere possimus. » Ex quibus constat, quod, si aliquibus nostris meritis præcedentibus facta esset incarnatio; nos miseri de tanta miseria absque præventione misericordiæ divinæ liberati essemus, et continue liberaremur, insuper et nos in omni bono inciperemus, et post per Dei misericordiam adjuvaremur. Clarum enim est, quod omnis boni nostri dimanatio ex incarnatione Dei originaliter procedit, ut ex Conc. Trident. sess. 6. cap. 1. 2. 3. septimo colligitur. Unde, si meritis aliquibus nostris præcedentibus, facta fuisset Dei incarnatio, quis non videat, nos esse primam originem et liberationis nostræ ab omni miseria, et operationis omnis bonæ, tamquam prævenientes misericordiam divinam? Hæc autem sunt *Pelagiana* hæresis á concilio illo Arausicano ibi damnata. Item indicatum specialiter, et maxime á fortiori ab Isaia 7. sic: " Numquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Ecce propheta dixit expresse, quod conceptus Emmanuelis in utero Virginis factus est propter hoc, idest, propter peccata hominum molestantia Deum, idest, displicentia Deo. Sic enim intelligendum esse ly *propter hoc*, ostendit contextus immediate præmissus, scilicet, *molesti estis et Deo meo.* Tantum ergo abest, ut præcedentibus nostris aliquibus meritis facta sit incarnatio, quod secundum prophetam promissa, et facta est, multis nostris demeritis præcedentibus. Unde ex propheta ibi colligitur et quod Deus, si secundum nostra merita voluisset regulare incarnationem: idest, si voluisset incarnari, si nos hoc merebamur, vel non incarnari, si demerebamur: tunc ipse numquam incarnatus fuisset: et quod ex mera bonitatis suæ infinita abundantia, quæ tanta nostra demerita excellentissime superavit, incarnatus est. *Secundo* habes: quamodo per rationem prædictas omnium illorum sententias, pro quanto unionem incarnationis asserunt esse per gratiam, et intelligas in bono sensu, et declares, et probes, atque defendas. *Tertio* vides: quomodo ex his omnibus vicissim angelica hæc doctrina in primis duabus conclusionibus habita consolidetur.

Ex art. 11. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, concilio, et Augustino insinuatum: quod unionem incarnationis nullus meruit: á S. Augustino quidem: ut, cum discursu ponitur *in arg. cont.* A Concilio autem *Constantinopolitano* 1. Can. 1. " Custodiendam esse fidem 318 Patrum, qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt ad anathematizandum omnem hæresim, specialiter Eunomianorum, Arrianorum, Macedonianorum, Photinianorum, et Apollinianorum. » Ex hoc enim, quod hæresis Photini á Concilio damnatur, necessario condemnatum cointelligimus dogma illud, scilicet, quod homo Christus per merita sublimatus fuerit ad illam cum Deo hypostaticam unionem. Nam dogma hoc fuit ejus: et damnato auctore, suæ quoque adinventiones cointelliguntur damnari, juxta doctrinam universalem, sub quorumdam persona datam á B. Aug. de fid. cathol. dicente, " Cum Cœlestius, atque Pelagius in Ephesina Synodo sint damnati; quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur auctores? » Hæc ille. Immo et in concilio ipso *Ephesino* specialiter hæresis Photiniana damnatur cap. 13. « Is, qui ante sæcula omnia est natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter est procreatus in tempore. Nec enim primum natus est homo communis de sancta Virgine, et tunc demum inhabitavit in eo Verbum: sed in ipso utero virginali secum carnem conjunxit. » A scripturis vero insinuatur, et quidem á fortiori, per illud, quod dicitur Isaiæ 7. " Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » His enim verbis promittitur illa superbenedicta unio; in cujus evidens signum allegata ista prophetia exponitur Matthæi 1. *Emmanuel*, quod est, *nobiscum Deus.* Ut autem videas, quod unionem hanc demeruerunt, et consequenter a fortiori homines non meruerunt, nota ly *Propter hoc.* Pro quo dicendum, quod in contextu præmittitur ibi increpatorie. " Audite erga domus David. Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus: quia molesti

estis et Deo meo? Propter hoc dabit, » etc. Patet igitur ad litteram: quod ly *propter hoc* refertur ad molestias á domo David factas hominibus, et Deo, idest ad peccata facta contra proximum, et contra Deum. Ac si aperte dicatur: propter peccata vestra, quibus et proximo, et Deo molesti estis vos, de quibus minus videbatur, cum sitis de domo David: propter has, inquam, molestias vestras Dominus ipse dabit vobis signum, idest, faciet Filium suum in Virgine conceptum esse Emmanuel, idest unione hypostatica Deum esse, et hominem. Voluit ergo Dominus secundum planam literam demonstrare, quod ex sua ineffabili bonitate unio hæc facta est ad superandas hominum malitias: quæ quantum ex seipsis erat, non merebantur præmissam unionem fieri, sed valde merebantur, ipsam non fieri. Cæterum de simili pugna, qua Deus vincit in bono malum nostrum, diffusius vide veritates aureas super totam legem veterem, Exod. 16. concl. 1. 5. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum, quod gratia unionis est homini Christo naturalis. A scripturis quidem per id, quod dicitur Luc. 1. «Ideoque, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.» Nam ly *ideo* declarat ex illatione á textu immediate præcedenti, quod Christus sic conceptus est in utero virginali ex virtute supervenientis Spiritus Sancti, ut esset idem naturalis filius Dei et hominis. Totum enim hoc sanctum, idest, antonomastice res sancta, *quod nascetur ex te*, idest (ut expositio fiat secundum prædicta ab Angelo) quod ex sanguine tuo purissimo concipietur, et ex utero tuo postea parietur, *vocabitur Filius Dei.* Certe. quid clarius ad ostendendum unionem hanc esse naturalem Christo (ut præmissum est) afferri, aut dici potuit? á B. August. autem insinuatur idipsum, nt adducitur *in arg. contr.* Ex quo dic, quod impeccabilitas, qua scilicet Christus nullo modo, neque etiam in potentia peccare potuit, ex unione illa processit; et propterea fuit ei conveniens ex proprietate nativitatis. Unde Christus naturaliter erat impeccabilis tum in actu, tum in potentia: et hoc designatur per ly *qua nullum possit admittere peccatum.* Talis ergo impeccabilitas, sicut et talis unio, fuit soli Christo propria. Unde ad hoc denotandum Christus pro omnibus aliis hominibus, tamquam peccata omnium tollens, mortuus est. Pro se autem minime. Hanc ipsam igitur impeccabilitatem agnovit Christo soli semper fuisse propriam, et pro dogmate fidei catholicæ sanxit Conc. *Ephes.* 1. dum ait Can. 10. Qui dicit Pontif. nostrum Christum pro se etiam obtulisse semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis, non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit, anathema sit. *ibi Cyrill. in* 6. *Syn. Can.* 2. *approbatus, pro declaratione inquit.* Pontificem confessionis nostræ pro seipso semetipsum Deo, et Patri obtulisse, omnino á recta est, et inculpata fide alienum. Peccatum enim non fecit. Qui vero superior est omni delicto, et prorsus expers peccati, oblatione pro se nulla opus habuit.» Hæc ille. Nam cum Christus semetipsum obtulerit non tantum pro his, qui de facto aut jam peccaverant, aut peccaturi erant, sed etiam pro his, qui peccare poterant, licet de facto per ipsius gratiam numquam peccaturi essent, et non obtulerit pro seipso: patet, quod et Concl. prædictum per illum anathematismum significavit, quod solus Christus suapte natura peccare non potuit, et Cyrillus ei subscribens hoc esse de fide tenendum, connotavit. Ex præmissis itaque aperta est via ad recte inteligendas de Christo scripturas: Isa. 53. " Iniquitatem non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus, et 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est, et 1. Petr. 2. Qui peccatum non fecit, et Joan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? et alias similes. *Secundo* vides: quomodo, etc.

## QUÆSTIO TERTIA,

### DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONÆ ASSUMENTIS, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unione ex parte personæ assumentis; et circa hoc quæruntur octo.

Primo, utrum assumere conveniat personæ divinæ.

Secundo, utrum conveniat naturæ divinæ.

Tertio, utrum natura possit assumere, abstracta personalitate.

Quarto, utrum una persona possit assumere sine alia.

Quinto, utrum quælibet persona possit assumere.

Sexto, utrum plures personæ possint assumere unam numero naturam.

Septimo, utrum una persona possit assumere duas numero naturas.

Octavo, utrum magis fuerit conveniens de persona Filii Dei quod assumpserit humanam naturam, quam de alia persona diva.

### ARTICULUS I.

*Utrum personæ divinæ conveniat assumere naturam creatam.*

*Pro negativa.* ==Videtur, quod personæ divinæ non conveniat assumere naturam creatam.

1. Ei cui convenit assumere aliquid, potest fieri additio. Sed personæ divinæ nulla potest fieri additio. Ergo personæ divinæ non convenit creatam naturam assumere. Maior prob., quia assumere est quasi ad se sumere; assumptum enim additur assumenti. Minor prob. Ei quod est maxime perfectum, nulla potest fieri additio. Sed persona divina significat aliquid maxime perfectum. Ergo personæ divinæ nulla potest fieri additio.

2. Ei, quod est incommunicabile, non convenit aliquid assumere. Sed de ratione personæ est, quod sit incommunicabilis, ut dictum est 1. p. quæst. 29. ar. 1. Ergo divinæ personæ non convenit naturam creatam assumere.

Maior prob., quia illud ad quod aliquid assumitur, communicatur quodammodo ei, quod in ipsum assumitur. Sicut dignitas communicatur ei qui in dignitatem assumitur.

3. Ei quod constituitur per naturam, non convenit assumere naturam. Sed persona constituitur per naturam. Ergo personæ non convenit assumere naturam. Maior prob., quia inconveniens est, quod constitutum assumat constituens. Et hoc, quia effectus non agit in suam causam.

*PRO AFFIRMATIVA.*

*Argumentum sed contra.*

Deo unigenito convenit assumere creatam naturam. Sed Deus unigenitus est persona divina. Ergo personæ divinæ convenit assumere humanam naturam.

Maior prob., quia Aug. dicit lib. de fid. ad Pet. c. 2. *Formam idest naturam, servi in suam accepit Deus* (ille scilicet unigenitus) *personam.*

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Propriissime convenit personæ divinæ creatam naturam assumere.

Prob. Ei quod est principium, et terminus assumptionis, propriissime convenit assumere. Sed persona est principium, et terminus assumptionis. Ergo personæ propriissime competit assumere.

Maior prob., quia in verbo assumptionis duo importantur, videlicet principium actus, et terminus. Dicitur enim assumere quasi ad se sumere. Ei igitur, cui competit esse principium, et terminus assumptionis, sive actus assumendi, proprie competit assumere. Minor prob. Est enim persona principium hujus assumptionis; quia personæ proprie competit agere, hujusmodi autem assumptio carnis per actionem divinam facta est. Similiter etiam persona est hujus assumptionis terminus. Quia sicut quæst. præced. art. 1. et 2. dictum est, unio facta est in persona, non in natura.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior, potest enim alicui convenire assumptio, et tamen quod ei nulla fiat additio, et hoc maxime invenitur in assumptione humanitatis ad divinam personam. Cum enim persona divina, sit infinita, non potest ei fieri additio, sed additio fit naturæ assumptæ. Unde Cyrillus dicit in Epistola Synodali Ephes. Concil. *Non secundum appositionem conjunctionis intelligimus modum*; sicut etiam in unione hominis ad Deum, quæ est per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo, sed illud quod divinum est, apponitur homini. Unde non Deus sed homo est, qui perficitur.

Ad 2. Dicitur, quod aliquid esse incommunicabile potest intelligi dupliciter: uno modo sic ut non prædicetur de pluribus, et hoc modo quælibet persona non solum divina, sed etiam humana est incommunicabilis, cum nulla persona de pluribus individuis possit prædicari: alio modo, sic quod non subsistat in pluribus naturis, quæ subsistentia potest aliquo modo communicatio dici, sicut persona humana potest dici communicabilis pluribus naturis accidentium, quatenus plùra accidentia, puta qualitas, quantitas in ea subjectantur, et hoc modo persona potest esse communicabilis. Sed esse communicabile hoc secundo modo contingit dupliciter: uno modo ut substet pluribus naturis accidentium, et sic esse communicabile convenit personæ creatæ: alio modo ut subsistat in duabus naturis non accidentaliter, sed secundum subsistentiam in tali persona unitis, et hoc est proprium divinæ personæ, propter ejus infinitatem. Tripliciter igitur potest aliquid dici incommunicabile. Primo quia non prædicatur de pluribus. Secundo quia non substat pluribus accidentibus. Tertio, quia non subsistit in pluribus naturis secundum subsistentiam in eo unitis. Tunc ad formam dicitur, quod si sermo sit de incommunicabilitate primo modo, falsa est maior: potest enim aliquid esse primo modo incommunicabile, et tamen quod ei conveniat assumere, ut de persona divina patet, et etiam de creata. Si vero sermo sit de incommunicabilitate aliis duobus modis, vera quidem est maior, sed est falsa minor. Verum est, quod si esset aliquid incommunicabile, ita ut non possent plures naturæ in ipsum concurrere, non posset aliquid assumere; sed tamen persona divina non est sic incommunicabilis: possunt enim in ea duæ naturæ concurrere, et in ea uniri, secundum subsistentiam, ut dictum est.

Ad 3. Dicitur, quod aliquam naturam constituere personam contingit dupliciter. Uno modo simpliciter, et sic natura humana constituit humanam personam. Alio modo secundum denominationem; et hoc modo humana natura potest dici constituere personam divinam, ut dicitur. Ad formam igitur dicitur ad maiorem, quod illud quod constituit personam simpliciter, non assumitur á persona; potest tamen assumi á persona id, quod constituit ipsam secundum quamdam denominationem tantum. Tunc ad minorem dicitur, quod natura humana non constituit personam divinam simpliciter, sed constituit eam, secundum quod denominatur á tali natura. Non enim ex natura humana habet Filius Dei, quod sit simpliciter, cum fuerit ab æterno, sed solum habet, quod sit homo; sed secundum naturam divinam constituitur persona divina simpliciter: unde persona divina non dicitur assumere divinam naturam, sed humanam.

## ARTICULUS II.

*Utrum divinæ naturæ conveniat assumere.*

*Pro negativa* = Videtur, quod divinæ naturæ non conveniat assumere.

1. Illud cui convenit assumere, competit aliquid ad se sumere. Sed divinæ naturæ non convenit ad se sumere. Ergo divinæ naturæ non competit assumere.

Maior prob., quia sicut dictum est art.

præc. assumere dicitur quasi aliquid ad se sumere. Ei igitur cui convenit assumere convenit etiam ad se aliquid sumere.

Minor prob., quia natura divina non assumpsit ad se humanam naturam, sed ad personam, in qua fuit facta unio, ut dictum est quæst. 2. art. 1. et 2.

2. Si naturæ convenit assumere, sequitur quod assumere conveniat tribus personis, et ita Pater humanam naturam, sicut Filius, assumpsit, quod est erroneum. Conseq. prob., quia natura divina communis est tribus personis.

3. Agere non convenit naturæ, sed personæ. Sed assumere est agere; ergo assumere non convenit naturæ, sed personæ. Maior prob., quia natura significatur, ut principium, quo agens agit, et non ut id quod agit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in lib. de fide ad Pet. c. 2. *Illa natura, quæ semper genita manet ex patre*, idest quæ est per generationem æternam accepta á Patre, *naturam nostram á Matre sine peccato suscepit.*

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Naturæ divinæ convenit secundario assumere.

Prob. Ei cui competit esse principium assumptionis, et non esse terminum assumptionis, secundum seipsum, sed ratione alterius, convenit assumere secundario. Sed divinæ naturæ convenit esse principium assumptionis secundum seipsam, quia ejus virtute assumptio facta est; esse vero assumptionis terminum non convenit divinæ naturæ secundum seipsam, sed ratione personæ, in qua consideratur. Ergo primo et propriissime persona dicitur assumere; secundario vero potest dici, quod etiam natura divina assumpsit naturam humanam ad sui personam.

Maior prob., quia in verbo assumptionis duo significantur, scilicet principium actionis, et terminus ejus, ut art. præced. dictum est.

2.ª Conclusio. Natura divina secundario potest dici incarnata, non quasi sit in carnem conversa, sed quia naturam carnis assumpsit.

Manifestatur, quia Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. cap. 6. *Dicimus naturam Dei incarnatam esse secundum Beatos Athanasium, et Cyrillum.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor: dum enim dicitur, assumere, sive ad se sumere, ly se, est reciprocum, et refert idem suppositum, scilicet suppositum assumens. Et quia natura divina non differt á supposito Verbi, ideo dum natura divina sumit naturam humanam ad personam Verbi, dicitur eam ad se sumere. Et per oppositum, quamvis Pater sumat naturam humanam, non tamen dicitur ipsam assumere, sive ad se sumere, quia Pater non est idem suppositum cum supposito Verbi. Unde non potest proprie dici, quod Pater in divinis assumat naturam humanam.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod divinæ naturæ conveniunt aliqua dupliciter: quædam conveniunt ei secundum se, ut sunt bonitas, sapientia, potentia, et hujusmodi; quædam vero conveniunt ei ratione personæ, ut sunt generare, generari, et similia. Quæ conveniunt essentiæ divinæ secundum se, conveniunt omnibus personis, ut patet de sapientia, bonitate, etc. Ea vero quæ conveniunt ei ratione personæ, non conveniunt aliis personis, sed solum personæ, ratione cujus illa essentiæ conveniunt. Et quia assumere convenit naturæ ratione personæ, ut in corp. dictum est, ideo ex hoc, quod assumere convenit naturæ, non sequitur quod assumere conveniat omnibus personis, sed illi soli personæ ratione cujus convenit naturæ assumere.

Ad 3. Dicitur, quod maior et ejus probatio vera est de natura creata, non autem de natura divina. In natura enim creata distinguitur illud quo agit, et quod

agit. Natura enim est quo, et suppositum est quod agit. In Deo autem, sicut idem est, quod est, et quo est, ita etiam in eo idem est, quod agit et quo agit. Quia unumquodque agit in quantum est ens. Unde natura divina est illud quo Deus agit, et est ipse Deus agens. Absolute igitur maior est falsa in Deo.

## ARTICULUS III.

*Utrum abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod abstracta personalitate per intellectum, natura non possit assumere.

1. Illud cui convenit assumere ratione personæ, abstracta personalitate non potest assumere. Sed naturæ divinæ convenit assumere ratione personæ, ut artic. præced. dictum est. Ergo naturæ divinæ, abtracta personalitate per intellectum, non convenit assumere. Maior probatur, quia quod convenit alicui ratione alicujus, remoto eo, non potest ei convenire, sicut corpus, quod est visibile ratione coloris, sine colore videri non potest.

2. Illud quod importat terminum unionis, abstracta personalitate, non potest divinæ naturæ convenire. Sed assumptio importat terminum unionis, ut art. 1. hujus qu. dictum est. Ergo assumptio, abstracta personalitate, non potest naturæ convenire. Maior prob., quia terminus unionis est persona. Et ideo personalitate abstracta, non poterit unio terminari.

3. In divinis, abstracta personalitate, nihil remanet, ut dictum est 1. parte q. 40. art. 3. Ergo abstracta personalitate, non potest divina natura assumere. Conseq. probatur, quia assumens oportet, quod sit aliquid. Unde abstracta personalitate, nihil erit quod assumere possit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Abstractis per intellectum proprietatibus personalibus scilicet paternitate, filiatione, et processione, quæ in divinis idem sunt quod personæ, ut dictum est 1. p. quæst. 30. art. 3. adhuc remanet Dei omnipotentia. Ergo remota personalitate, videtur quod natura divina possit assumere. Conseq. prob., quia incarnatio per divinam potentiam est facta, secundum illud Angeli Lucæ. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Aliter: remanente Dei omnipotentia, potest fieri incarnatio. Sed abstracta personalitate, remanet omnipotentia. Ergo abstracta personalitate, potest fieri assumptio. Maior probatur, quia per omnipotentiam Dei facta est incarnatio etc. Minor: quia abstractis proprietatibus, remanent essentialia, inter quæ est potentia.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Intellectus noster dupliciter se habet ad divina. Uno modo ut cognoscat Deum, sicuti est. Alio modo ut cognoscat Deum, non sicuti est, sed secundum modum suum, scilicet multipliciter, et divisim, id quod in Deo est unum.

1.ª Conclusio. Abstracta personalitate divina, per intellectum cognoscentem Deum sicuti est, natura non potest assumere.

Manifestatur, quia per intellectum cognoscentem Deum sicut est, impossibile est quod circumscribatur aliquid á Deo, et quod aliud remaneat. Et hoc quia totum, quod est in Deo, est unum salva distinctione personarum, quarum tamen una sublata, alia tollitur, quia distinguuntur solis relationibus quas oportet esse simul. Si igitur per intellectum intelligentem Deum secuti est, removeatur divina persona, removetur natura, quia divina natura est unum cum persona, et remota una persona, removetur alia, quia remoto uno relativorum, tollitur et aliud, et sic nihil remanere poterit, quod possit assumere.

2.ª Conclusio. Abstracta divina per-

sonalitate per intellectum intelligentem Deum, non ut in se est, sed secundum modum ipsius, scilicet divisim, possumus adhuc intelligere naturam assumentem.

Manifestatur, quia per hunc modum intelligendi potest intellectus noster intelligere veritatem, bonitatem, et sapientiam divinam, et alia hujusmodi, quæ dicuntur essentialia attributa, et ipsam naturam, cui attribuuntur, non intellecta paternitate, vel filiatione, quæ dicuntur personalitates. Igitur etiam non consideratis personalitatibus divinis, remanet natura, quæ potest assumere, ut dictum est art. præced. et amplius dicetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod á natura divina potest abstrahi personalitas dupliciter. Uno modo sic, ut omnino intelligatur natura divina absque omni personalitate, eo modo quo consideratur humana natura in abstracto, absque hoc quod sit in aliquo supposito. Alio modo potest abstrahi á natura divina ratio personalitatis personarum, in quibus de facto subsistit, scilicet personæ Patris, Filii et Spiritus Sancti. Si á natura divina abstrahatur personalitas primo modo, profecto natura non poterit assumere, quia non remanet ipsa natura divina, nisi in intellectu, in pura consideratione, ut dictum est. Si vero fiat abstractio personarum, quæ de facto sunt in divina natura, tunc ipsa natura potest assumere. Et ratio est quia in divinis idem est quo est et quod est. Unde quicquid eorum quæ Deo attribuuntur in abstracto, si secundum se considerentur, aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens, et per consequens erit persona, quia omne subsistens in natura rationali est persona. Sicut igitur nunc, positis proprietatibus personalibus, in Deo dicimus tres personas, ita exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra natura divina, subsistens et ut persona; et per hunc modum potest intelligi, quod natura divina assumat naturam humanam, ratione suæ subsistentiæ, vel personalitatis. Ad formam igitur argumenti dicitur quod maior est vera, si personalitas abstrahatur secundum priorem modum, idest quod nullam habeat rationem personalitatis, non autem est vera de abstractione personalitatis juxta secundum modum, ut declaratum est.

Ad 2. Eodem modo dicitur ad maiorem, quod si natura divina consideretur secundum intellectum, sic quod nullo modo sit personata vel persona, non potest assumere, quia tunc non potest remanere, nisi in pura consideratione. Si vero á natura divina abstrahantur tantum personalitates trium personarum, remanebit in intellectu una personalitas Dei, ut judei intelligunt, ad quam poterit terminari assumptio. Sicut nunc dicimus eam terminari ad personam Verbi.

Ad 3. Dicitur quod in divinis potest abstrahi personalitas dupliciter. Uno modo per modum resolutionis. Et hic abstractionis modus est, quo quis per intellectum separat aliqua duo, quæ primo erant conjuncta: puta si quis abstraheret formam circuli ab ære, vel rationalitatem ab animali, esset hæc abstractio resolutiva, quia resolveret circulum compositum ex ære et rotunditate in æs, et rotunditatem; et hominem, qui est compositus ex natura animalitatis, et ex rationalitate, in has duas ejus partes. Alio modo, fit abstractio per hoc, quod intelligitur unum eorum, quæ conveniunt alicui, non intellecto alio, puta si quis consideraret hominem esse rationalem, non considerata risibilitate, et sic de aliis. Tunc ad formam argumenti dicitur quod si sermo sit de abstractione resolutiva, verum est anteced., abstracta enim personalitate, sive personali relatione, nihil remanet in divinis. Et ratio est quia relatio, et id quod relationi supponitur in divinis, non sunt aliud, et aliud, sed sunt unum et idem. Suppositum enim Patris, et relatio paternitatis, non distinguun-

tur in Deo, et de hac abstractione dictum est in loco cit. primæ partis, quod abstractis relationibus personalibus, non remanent hypostases. Si autem sermo sit de secundo modo abstractionis, negatur ipsum antecedens, potest enim per hunc abstractionis modum abstrahi personalitas, et remanere in consideratione intellectus nostri aliqua alia, quæ Deo conveniunt. Et hoc est quod in corpore dictum est, quod si in Deo fiat abstractio priori illo modo, nihil remanet; si autem secundo modo, potest aliquid remanere, ut in priori, et secunda conclusione dictum est.

## ARTICULUS IV.

*Utrum una persona possit sine alia naturam creatam assumere.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod una persona non possit assumere naturam creatam, alia non assumente.

1. Personarum, quarum est una tantum operatio, non potest una assumere, alia non assumente. Sed trium divinarum personarum una est operatio, sicut et essentia una est. Ergo una trium personarum non potest naturam assumere, aliis duabus non assumentibus. Maior prob. quia assumptio est quædam operatio. Unde sicut una non potest operari, alia non operante, ita non potest assumere, alia non assumente. Minor prob. quia August. dicit in Enchir. c. 38. *Indivisa sunt opera Trinitatis.*

2. Natura divinæ personæ est incarnata; ergo quælibet divina persona est incarnata, et humanam naturam assumpsit. Antec. prob., quia sicut dicimus personam Filii Dei incarnatam, ita et naturam. *Tota enim divina natura in una sacrarum hypostasum incarnata est*, ut dicit Dam. in 3. lib. ortod. fid. c. 6. Consequentia prob. quia natura communis est tribus personis. Unde si natura tota est incarnata, et omnes personæ carnem assumpserunt.

3. Assumptio hominis per gratiam pertinet ad omnes personas. Ergo assumptio humanæ naturæ per incarnationem ad omnes divinas personas pertinet. Conseq. prob., quia, sicut humana natura in Christo assumpta est á Deo, ita etiam homines per gratiam assumuntur ab ipso, secundum illud Rom. 14. *Deus illum assumpsit.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dion. c. 2. de div. nom. incarnationis mysterium dicit pertinere ad discretam theologiam, secundum quam scilicet aliquid distincte dicitur de divinis personis.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Assumptio duo importat, ut dictum est art. 1. hujus q. scilicet actum assumentis, et terminum assumptionis.

1.ª Conclusio. Una persona divina non potest humanam naturam assumere alia non assumente, secundum quod assumptio importat assumptionis actum.

Prob. Actus assumentis procedit ex divina virtute, quæ communis est tribus personis. Ergo una persona non potest assumere, alia non assumente, secundum quod assumptio importat actum assumendi.

In forma. Illud quod procedit ex divina virtute, commune est tribus personis divinis, nec illud facit una sine alia. Sed assumptionis actus est ex divina virtute. Ergo assumere non potest una persona divina sine altera. Maior prob., quia divina virtus omnibus divinis personis est communis.

2.ª Conclusio. Una persona potest assumere naturam humanam, alia non assumente, secundum quod assumptio importat terminum.

Manifestatur, quia terminus assumptionis est persona, et ideo potest convenire uni, etiam si alteri non conveniat.

Et confirmatur, et declaratur utraque conclusio simul. Quia in mysterio incar-

nationis tres personæ fecerunt ut humana natura uniretur uni personæ Filii, quod est dicere: fuit communis quantum ad actum assumendi, omnibus personis divinis, et terminata fuit ad unam tantum personam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod probat primam conclus. Et ad formam dicitur ad maiorem, quod personarum, quarum est una operatio non potest una assumere, secundum quod assumptio dicit actum assumendi, aliis non assumentibus, cum quo tamen stat quod una possit terminare assumptionis actum, alia non terminante, ut secunda habet conclusio.

Ad 2. Dicitur ad anteced. quod divinam naturam dici incarnatam potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut est communis personis, et sic non est incarnata. Alio modo, ut est in persona Filii, et sic dicitur incarnata; non enim incarnari convenit naturæ divinæ secundum se, sed solum ratione personæ, ad quam terminata est unio, ut art. 1. dictum est. Negatur igitur consequentia. Ex hoc enim quod natura divina dicitur incarnata, secundum quod est in persona Filii, non sequitur quod omnes personæ sint incarnatæ. Ad prob. dicitur quod etsi natura sit communis tribus personis, tamen non terminat unionem, nisi ratione personæ. Unde dicitur incarnata, quatenus est in persona terminante incarnationem. Et dicitur tota divina natura incarnata, non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione divinæ naturæ, personæ incarnatæ.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi assumptio adoptionis, quæ fit per gratiam, fiat á Deo, sicut á Deo facta est assumptio humanitatis ad hipostaticam unionem, tamen non est de utraque assumptione eadem ratio. Assumptio enim quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quamdam participationem divinæ naturæ, secundum quamdam assimilationem ad bonitatem illius, secundum illud 2. Pet. 1. *Ut divinæ efficiamini consortes naturæ.* Et ideo hujusmodi assumptio communis est tribus personis ex parte principii, et ex parte termini. Ex parte principii, inquam, quia actus assumptionis hominis per gratiam adoptionis, fit divina virtute, quæ tribus personis est communis. Ex parte vero termini quia terminatur ad participationem bonitatis divinæ, quæ et ipsa omnibus personis divinis est communis. Assumptio autem, quæ est per gratiam unionis, est communis quidem ex parte principii, quia fit divina virtute, non autem ex parte termini, qui est ipsa persona, ut art. 2. dictum est.

## ARTICULUS V.

*Utrum quælibet persona divina potuerit humanam naturam assumere.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod nulla alia persona divina potuerit humanam naturam assumere, præter personam Filii.

1. Persona, quæ potest naturam humanam assumere, efficitur filius hominis. Sed Pater, vel Spiritus Sanctus non potest effici filius hominis. Ergo Pater, vel Spiritus Sanctus non potuit humanam naturam assumere. Maior prob. quia per assumptionem humanæ naturæ factum est, quod Deus sit Filius hominis. Minor prob., quia si Pater, vel Spiritus Sanctus efficeretur filius hominis, vergeret in confusionem divinarum personarum, per hoc, quod ponerentur in Trinitate plures filii.

2. Illud, per quod homines consecuti sunt adoptionem filiorum, non competit nisi personæ Filii. Sed per incarnationem per quam assumpta est humana natura, homines consecuti sunt adoptionem filiorum, secundum illud Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum.* Ergo incarnatio non competit nisi personæ Filii. Maior prob., quia filiatio adoptiva est participata similitudo filiationis

naturalis, quæ non convenit Patri, nec Spiritui Sancto. Unde dicitur Rom. 8. *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.*

3. Personæ, quæ possunt humanam naturam assumere, competit mitti et generari. Sed personæ Patris non competit mitti et generari, ut dictum est prima parte quæst. 43. artic. 4. et quæst. 32. artic. 3. Ergo saltem persona Patris non potuit incarnari. Maior prob. quia Filius dicitur missus, et genitus nativitate temporali, secundum quod est incarnatus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Quicquid potest Filius, potest Pater et Spiritus Sanctus. Sed Filius potuit incarnari. Ergo Pater et Spiritus Sanctus possunt incarnari.

Maior prob., quia alioquin non esset eadem potentia trium personarum.

*Determinatio.*

Conclusio. Pater vel Spiritus Sanctus potuit carnem assumere, sicut et Filius.

Prob. Illud, quod convenit uni personæ divinæ ratione personalitatis, et divinæ virtutis, potest etiam aliis divinis personis competere. Sed assumere naturam humanam convenit Filio ratione personalitatis, et divinæ virtutis. Ergo assumere naturam humanam potest convenire etiam aliis divinis personis.

Maior prob., quia eadem est communis ratio personalitatis in tribus personis, licet proprietates personales sint differentes. Virtus etiam divina communiter, et indifferenter se habet ad omnes personas, ac per hoc potest actio divinæ virtutis ad quamlibet personam terminari, eo modo quo potentiæ rationales, quæ sunt ad opposita, in utrumque oppositorum agere possunt.

Minor prob., quia ut dictum est art. 1. assumptio duo importat, scilicet ipsum actum assumentis, et terminum assumptionis: principium actus est virtus divina, terminus autem est persona. Esse igitur principium assumptionis, convenit personæ divinæ ratione virtutis, et esse terminum assumptionis, convenit ratione personalitatis. Unde quælibet divina persona potest esse principium assumptionis, ratione communis virtutis, et terminus assumptionis ratione personalitatis, quæ omnibus personis est communis. Et quælibet persona potest unire naturam humanam sibi, et alteri personæ, ita ut sicut Pater, et Spiritus Sanctus eam Filio univerunt, ita Filius, et Pater possunt eam unire Spiritui Sancto, et Spiritus Sanctus et Filius Patri.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Potuit enim Pater, vel Spiritus Sanctus effici Filius hominis, sicut Filius per assumptionem effectus est hominis Filius. Ad probationem dicitur, quod filiatio temporalis, qua Christus dicitur Filius hominis non constituit personam ipsius, sicut filiatio æterna. Sed est quiddam consequens nativitatem temporalem. Unde si per hunc modum nomen filiationis ad Patrem, vel ad Spiritum Sanctum transferretur, nulla sequeretur confusio divinarum personarum.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod filiatio adoptiva est quidem participata quædam similitudo filiationis naturalis. Sed fit in nobis appropriate á Patre, quæ est principium naturalis filiationis, et per donum Spiritus Sanctus quæ est Patris, et Filii amor. Secundum illud ad Gal. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater.* Et ideo sicut Filio incarnato, adoptivam filiationem accepimus ad similitudinem filiationis naturalis ejus, ita á Patre, si incarnaretur, adoptivam filiationem reciperemus, tamquam á principio naturalis filiationis, et á Spiritu Sancto, tamquam á nexu communi Patris et Filii.

Ad 3. Negatur maior; non enim est necesse ad hoc, quod persona assumat

carnem humanam, quod ei conveniat generari et mitti, sicut Filius generatur et mittitur; sed sufficit quod possit nasci temporali nativitate. Unde si incarnatus esset Pater, esset adhuc innascibilis nativitate æterna, et natus fuisset secundum temporalem nativitatem, non tamen diceretur mitti. Quia mitti convenit Filio, eo quod est ab alio, et si non esset ab alio, nec ipse diceretur missus. Et si esset incarnatus Spiritus Sanctus diceretur natus temporaliter, quia nasceretur homo, et disceretur missus, quia est á Patre, et Filio.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum plures personæ divinæ possent assumere unam numero naturam.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod duæ personæ divinæ non possint assumere unam numero naturam.

1. Si plures personæ divinæ assumerent unam numero naturam, aut essent unus homo, aut plures. Sed non potest dici, quod essent unus homo, nec quod essent plures. Ergo non possunt plures divinæ personæ assumere unam numero naturam.

Minor prob. Non plures, quia sicut natura divina in pluribus personis non patitur esse plures Deos; ita una natura humana in pluribus personis non patitur esse plures homines. Nec essent unus homo, quia unus homo est iste homo, qui demonstrat unam personam. Et sic tolleretur distinctio trium personarum divinarum, quod est inconveniens.

2. Non est una persona Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ergo non possunt tres personæ assumere unam naturam humanam. Conseq. prob., quia assumptio terminatur ad unitatem personæ, ut dictum est art. 2. hujus quæst.

3. Si tres personæ assumerent unam naturam humanam, sequeretur quod quicquid dicitur de qualibet trium personarum, diceretur de illo homine, et é converso quæ dicerentur de illo homine, possent dici de qualibet trium personarum. Hoc autem est inconveniens. Ergo plures divinæ personæ non possunt assumere unam numero naturam. Conseq. prob., quia Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. c. 3. et 4. et Aug. lib. 1. de Trin. c. 11. et 12. quod ex incarnatione Filii Dei consequitur, quod quicquid dicitur de Filio Dei, dicitur de Filio hominis, et é converso. Ergo si plures personæ, unam numero naturam assumpsissent sequeretur, quod quicquid diceretur de illo homine, diceretur de omnibus personis, et é converso. Falsitas consequentis ostenditur. Quia, illo casu posito, illud, quod est proprium Patris, scilicet generare Filium ab æterno, diceretur de illo homine. Et quia quicquid diceretur de illo homine, diceretur etiam de qualibet persona, posset dici, quod Filius Dei, et Spiritus Sanctus generarent Filium ab æterno, quod est falsum et absurdum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Tres personæ divinæ possunt subsistere, sicut de facto subsistunt in una natura divina. Ergo possunt subsistere etiam in una natura humana, ita scilicet quod sit una natura assumpta á tribus personis.

Conseq. prob., quia persona, quæ de facto est incarnata, subsistit in natura divina et humana. Ergo in eadem natura humana possunt et aliæ duæ personæ subsistere.

*Determinatio.*

Conclusio. Non est impossibile divinis personis, quod duæ vel tres assumant unam naturam humanam; esset tamen impossibile, quod assumerent unam hypostasim, vel unam personam humanam.

Prob. Assumptio naturæ, in qua non fit nova persona, vel nova hypostasis, sed solum fit, ut in natura assumpta subsistat divina persona, est possibilis omnibus divinis personis. Sed in assumptione humanæ naturæ á Deo, non fit nova persona, aut nova hypostasis, sed tantum

fit, ut in natura assumpta subsistat divina persona. Ergo assumptio humanæ naturæ potest fieri á pluribus divinis personis.

Maior prob., quia divinarum personarum conditio est, quod una earum non excludit aliam á communione ejusdem naturæ, sed solum á communione ejusdem personæ. Et cum in mysterio incarnationis tota ratio facti sit ex potentia facientis, ut August. dicit in epist. 3. ad Volus. magis est circa hoc judicandum secundum conditionem personæ assumentis, quam secundum conditionem humanæ naturæ assumptæ. Et ideo assumptio, in qua non fit nova hypostasis, vel persona, sed solum assumitur una natura ad subsistentiam divinæ personæ, sequitur quod omnes divinæ personæ possint hanc unam naturam assumere.

Minor patet ex dictis q. 2. art. 5. ad 1. quo in loco dictum est, quod ex unione animæ et corporis in Christo, non fit nova persona, nec nova hypostasis; sed fit una natura assumpta in personam, vel hypostasim divinam: quod quidem non fit per potentiam naturæ humanæ, sed per potentiam divinæ personæ.

Ex quibus etiam patet altera conclusionis pars, scilicet quod plures personæ divinæ non possunt assumere unam personam humanam, quia scilicet conditio divinarum personarum est, ut se excludant á communione ejusdem personæ.

Et confirmatur eadem secunda conclusionis pars; quia Ansel. lib. 2. *Cur Deus homo*. c. 9. dicit, quod «plures personæ non possunt assumere unum eumdemquæ hominem,» scilicet unitatem personæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor quoad ad priorem partem, scilicet quod non essent unus homo: hac enim positione facta, scilicet quod tres personæ assumerent unam humanam naturam, verum esset dicere, quod tres personæ essent unus homo, propter unam naturam humanam; sicut nunc verum est dicere, quod tres personæ sunt unus Deus propter unam naturam divinam. Ad probat. dictæ partis dicitur, quod ly unus, non importaret unitatem personæ, sed unitatem in natura humana; et sensus esset, quod tres personæ sunt unum in natura humana, vel unitæ in natura humana. Ex quo non posset argui, quod quia tres personæ sunt unus homo, quod essent unus simpliciter; quia nihil prohibet, quod homines qui sunt plures simpliciter, sint unus quantum ad aliquid, puta unus populus. Et sicut Aug. lib. 6. de Trinitate, cap. 3. dicit: « diversus est natura Spiritus Dei, et spiritus hominis; sed inhærendo fit unus spiritus,» secundum illud 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Ex hoc igitur, quod in casu dato, tres personæ possent dici unus homo, nullo modo infertur distinctioni personarum præjudicium; sicut per hoc, quod plures homines dicuntur unus populus, et spiritus hominis unus spiritus cum Deo, non tollitur plurium hominum, et divini ab humano spiritu distinctio.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod, illa positione facta, humana natura esset assumpta in unitate, non unius personæ, sed singularium personarum, ita scilicet quod sicut divina natura habet naturalem unitatem cum singulis personis, ita natura humana haberet unitatem cum singulis personis per assumptionem, et tunc terminaretur assumptio ad unitatem singularum personarum.

Ad 3. Negatur conseq. Ad cujus prob. dicitur, quod in mysterio incarnationis fit communicatio proprietatum pertinentium ad naturam, quia quæcumque conveniunt naturæ, possunt prædicari de persona subsistente in natura illa; prædicta igitur positione facta, de persona Patris poterunt prædicari, et ea quæ sunt humanæ naturæ, et ea quæ sunt divinæ, et similiter de persona Fi-

lii et Spiritus Sancti. Non autem id quod convenit personæ Patris, ratione propriæ personæ, posset attribui personæ Filii, aut Spiritus Sancti, propter distinctionem personarum, quæ remaneret. Posset ergo dici, quod sicut Pater est ingenitus, ita homo esset ingenitus, secundum quod ly homo supponeret pro persona Patris. Et sicut Filius est genitus, ille homo esset genitus, secundum quod supponit pro persona Filii; et sicut Spiritus procedit, ita homo ille diceretur procedere, secundum quod supponeret pro Spiritu Sancto. Si quis autem ulterius procederet, sic arguendo: homo est ingenitus; Filius Dei est homo; Ergo Filius Dei est ingenitus, esset fallacia figuræ dictionis, quia scilicet, ly homo, in maiori supponit pro persona Patris, in minori vero pro persona Filii. Vel esset fallacia accidentis, quia scilicet esse ingenitum, non per se, sed per aliud, idest per suppositum Patris, convenit homini. Quicquid enim convenit homini per se, dicitur de persona divina unita humanitati, non autem si conveniat ratione alterius. Et hoc videmus in natura divina; quamvis enim verum sit, quod Deus est ingenitus, et quod Filius est Deus, tamen non sequitur, quod Filius sit ingenitus, quia scilicet ly Deus in maiori supponit pro persona Patris, in minori vero pro persona Filii, et etiam, quia naturæ divinæ non convenit esse genitam, vel ingenitam, nisi ratione personarum.

## ARTICULUS VII.

*Utrum una persona divina possit assumere duas naturas humanas.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod una persona divina non possit assumere duas naturas humanas.

1. Si ponatur una persona divina assumens duas humanas naturas, sequeretur quod esset unum suppositum duarum naturarum ejusdem speciei, quod videtur implicare contradictionem. Conseq. prob., quia natura assumpta in mysterio incarnationis non habet aliud suppositum præter suppositum personæ divinæ, ut dictum est artic. præced. et ar. 2. hujus quæst. et quæst. 2. artic. 2. et 3. Implicatio prob., quia natura hujus speciei non multiplicatur, nisi secundum distinctionem suppositorum.

2. Hac suppositione facta, non posset dici, quod divina persona incarnata esset unus homo, neque quod esset plures homines. Ergo prædicta positio est omnino impossibilis. Antecedens prob. Et quod non posset dici unus homo, quia non haberet unam tantum naturam humanam: quod non esset plures, quia plures homines sunt supposito distincti, et ibi esset tantum unum suppositum.

3. Impossibile est, quod duæ humanæ naturæ possint totaliter sibi invicem uniri. Ergo impossibile est, quod una persona divina duas humanas naturas assumat. Anteced. prob., quia tunc oporteret quod anima unius esset unita corpori alterius, et quod etiam duo corpora essent simul; quod confusionem induceret naturarum. Conseq. prob., quia in incarnationis mysterio tota natura divina est unita toti naturæ assumptæ, idest cuilibet ejus parti; *est* enim *Christus perfectus Deus, et perfectus homo, totus Deus, et totus homo*, ut Dam. dicit lib. 3. orthod. fid. c. 7. Unde videtur, quod tota una natura humana, alteri totæ deberet uniri; quia scilicet utraque natura in eadem persona divina subsisteret.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Pater, post incarnationem Filii, potest assumere carnem humanam aliam numero ab ea quam Filius assumpsit. Ergo videtur etiam, quod Filius post incarnationem possit aliam naturam assumere, præter eam quam assumpsit, et sic una persona poterit duas humanas naturas assumere.

Anteced. prob., quia per incarnationem in nullo est diminuta potentia Patris, vel Filii.

Conseq. probat., quia quicquid potest Pater, Filius potest.

*Determinatio.*

Conclusio. Persona divina, præter naturam humanam, quam assumpsit potest aliam numero naturam humanam assumere, et hoc sive consideremus personam divinam secundum virtutem quæ est principium unionis, sive secundum suam personalitatem, quæ est terminus unionis. Sub aliis verbis: persona divina potest esse principium et terminus assumptionis duarum numero distinctarum naturarum.

Quæ conclusio habet duas partes. Prima est, quod persona divina potest esse pricipium assumptionis plurium numero naturarum. Altera est, quod persona divina potest terminare assumptionem plurium numero naturarum.

Et quoad utramque partem probatur. Et primo quoad primam sic. Illud quod habet potentiam infinitam, potest esse principium assumptionis, non solum unius, sed plurium humanarum naturarum. Sed potentia divinæ personæ est infinita, nec potest ad aliquid creatum limitari. Ergo persona divina potest esse principium assumptionis duarum numero distinctarum humanarum naturarum; et non ita assumpsit unam, quin potuerit assumere aliam.

Maior prob., quia illud quod potest in unum, et non in amplius, habet potentiam limitatam ad unum, et non infinitam. Unde si potentia divinæ personæ non posset esse principium assumptionis, nisi unius naturæ, sequeretur quod non esset infinita.

Quoad secundam vero partem sic probatur conclusio. Si persona divina non posset terminare, nisi assumptionem unius humanæ naturæ, sequeretur quod personalitas divinæ naturæ esset ita comprehensa per unam naturam humanam, quod ad ejus personalitatem alia assumi non posset: quod est impossibile.

Consequentia est evidens: si enim ad personalitatem divinam non posset terminari, nisi assumptio unius humanæ naturæ, evidenter sequitur quod una humana natura divinam personalitatem comprehenderet: et hoc apparet in ipsa humana personalitate, quæ quia unam tantum numero naturam terminare potest, ab una natura est comprehensa.

Impossibilitas autem patet, quia increatum á creato comprehendi non potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Conceditur consequentia. Sed negatur quod hoc implicet contradictionem. Ad cujus probationem dicitur quod in natura creata, secundum se considerata, vere hoc implicat contradictionem, non autem in mysterio incarnationis: et utrumque manifestatur: natura enim creata perficitur in sua ratione per formam, quæ multiplicatur secundum divisionem materiæ. Et quia in natura creata secundum se considerata, semper ex materia et forma constituitur novum suppositum, consequens est quod natura multiplicetur secundum multiplicationem suppositorum. Sicut igitur forma multiplicatur secundum divisionem materiæ, sic natura multiplicatur ad multiplicationem suppositorum. In mysterio autem incarnationis unio formæ et materiæ, idest animæ et corporis, non constituit novum suppositum, ut articulo præcedenti dictum est. Et ideo si una persona assumeret duas naturas, essent duæ naturæ propter duas formas existentes in duabus materiis, et non esset ibi multiplicatio suppositorum; cum in hoc mysterio ex unione animæ et corporis non constituatur novum suppsitum, sed ipsa natura ex anima et corpore constituta trahitur ad subsistentiam divinæ personæ, ut supra dictum est.

Ad 2. Videtur posse negari antecedens, quoad secundam partem: hac enim positione facta videtur posse dici quod essent duo homines, propter duas natu-

ras, absque hoc quod essent ibi duo supposita: sicut é converso tres personæ, si assumerent unam naturam, dicerentur unus homo propter unitatem humanæ naturæ, quam assumerent, ut dictum est articulo præcedenti ad 1.

*Reprobatio.*

Sed hoc non videtur esse verum: nomina enim imposita sunt ad significandum: et ideo eis utendum est, secundum quod sunt ad significandum imposita. Nominum autem significatio desumpta est ex consideratione eorum quæ apud nos sunt, et ideo oportet circa modum significandi et consignificandi considerare ea, quæ apud nos sunt. Apud nos autem numquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum: homo enim qui est duobus vestimentis indutus non dicitur duo vestiti, sed unus vestitus duobus vestimentis: et qui habet duas qualitates, non dicitur duo aliquales, sed singulariter aliqualis secundum duas qualitates. Facta igitur suppositione, quod una divina persona assumat duas humanas naturas, non poterit persona assumens dici duo homines, quia ibi non sunt duo supposita, secundum quæ, nomina pluraliter dicuntur.

*Vera responsio.*

Dicitur ergo aliter ad argumentum, negando primam partem antecedentis: hac enim positione facta, scilicet quod persona divina assumat duas humanas naturas, diceretur unus homo habens duas naturas humanas: natura enim assumpta quantum ad aliquid se habet per modum indumenti, licet non sit similitudo quantum ad omnia, ut dictum est questione 2. articulo 6. ad 1. Et ideo, sicut homo vestitus duobus vestimentis non dicitur duo vestiti, sed unus vestitus duobus vestimentis; sic persona divina diceretur unus homo, habens duas humanitates. Ad probationem hujus primæ partis antecedentis, qua dicebatur quod perosna divina assumens duas naturas humanas, non posset dici unus homo, quia non habet unam naturam, jam dictum est quod ad hoc quod nomen pluraliter dicatur, non sufficit naturæ pluralitas, sed requiritur illius naturæ suppositorum multiplicatio.

Ad id vero quod præcedens reprobata responsio dicit, scilicet quod si duæ personæ assumerent unam naturam, dicerentur unus homo propter unam naturam humanam, dicitur, quod si duæ personæ unam naturam assumerent, non essent simpliciter unus homo unitate suppositi, sed solum quatenus conveniunt in aliquo uno. Sicut plures homines dicuntur unus populus, cùm tamen non sint unus homo unitate suppositi, ut articulo 6. hujus quæstionis ad 1. dictum est.

Ad 3 Negatur consequentia. Ad prob. negatur etiam consequentia: ex hoc enim quod natura divina in mysterio incarnationis unitur naturæ humanæ, et cuilibet ejus parti, non sequitur quod si assumptæ fuissent duæ naturæ numero distinctæ, deberent adinvicem totaliter uniri, ita ut una pars unius esset parti vel toti alteri unita. Et ratio est, quia etsi natura humana et divina sint in eadem divina persona, non tamen eodem ordine se habent ad divinam personam: per prius enim ad divinam personam comparatur natura divina, utpote quæ est unam cum ipsa ab æterno. Natura autem humana comparatur ad divinam personam per posterius, utpote assumpta ex tempore á divina persona: non quidem ad hoc quod natura sit ipsa persona, sed ut persona Dei in humana natura subsistat; Filius enim Dei est sua deitas, sed non est sua humanitas: et ideo ad hoc ut natura humana assumatur á divina persona, requiritur quod natura divina unione personali uniatur toti naturæ humanæ assumptæ, idest secundum omnes partes ejus. Sed duarum naturarum assumptarum esset uniformis habitudo ad personam divinam, nec una assumeret aliam. Et ideo non oporteret quod una earum

totaliter alteri uniretur, idest omnes partes unius, omnibus partibus alterius essent unitæ. Et breviter dicitur quod differentia consistit in hoc quod quia natura divina est idem cum divina persona, sicut persona unitur omnibus partibus naturæ humanæ, ita et natura divina. Sed quia humana natura non est idem quod persona cui unitur, nec una natura humana aliam assumeret in casu posito, non esset aliqua necessitas, quod una totaliter alteri uniretur, sed sufficeret quod utraque divinæ personæ unirentur, remanente distinctione inter ipsas naturas assumptas.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum fuerit magis conveniens, quod persona Filii assumeret humanam naturam, quam alia persona divina.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod non fuerit magis conveniens Filium Dei incarnari, quam Patrem, vel Spiritum Sanctum.

1. Ex hoc quod persona Flii Dei est incarnata, multi impediti fuerunt á vera Dei cognitione, referentes ea quæ dicuntur de Filio secundum humanam naturam, ad ipsam Filii personam, sicut Arrius, qui possuit inæqualitatem personarum, propter hoc quod dicitur Joan. 14. *Pater maior me est.* Qui error non provenisset si persona Patris incarnata fuisset; nullus enim æstimasset Patrem Filio minorem. Ergo magis videtur fuisse conveniens quod persona Patris incarnaretur, quam persona Filii.

Conseq. prob. quia per mysterium incarnationis homines ad Dei cognitionem sunt perducti, secundum illud Joan. 18. *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Minus igitur videtur fuisse inconveniens quod incarnatus fuisset Pater, quam quod fuerit incarnatus Flius, ex cujus incarnatione homines in errorem lapsi sunt.

Aliter: persona ex cujus incarnatione homines impediti fuerunt á vera Dei cognitione, inconvenienter est incarnata. Sed ex incarnatione Filii Dei homines impediti sunt á vera Dei cognitione. Ergo persona Filii Dei inconvenienter est incarnata.

Maior prob., quia incarnatio facta est propter hoc, ut homines in veram Dei cognitionem pervenirent, ut dicitur Joan. 18.

Minor prob., quia Arrius ex incarnatione Filii Dei sumpsit occassionem errandi, quam non accepisset ex incarnatione Patris, ut dictum est in alia forma.

2. Illud cujus effectus est quædam recreatio humanæ naturæ, magis convenit personæ Patris, quam personæ Filii. Sed incarnationis effectus est recreatio quædam humanæ naturæ, secundum illud ad Gal. ult. *In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed nova creatura.* Ergo magis decuisset Patrem incarnari, quam Filium.

Maior prob., quia potentia creandi appropriatur Patri.

3. Illud quod ordinatur ad remissionem peccatorum, magis convenit Spiritui sancto, quam Filio. Sed incarnatio ordinatur ad remissionem peccatorum. Ergo incarnari magis convenit personæ Spiritus Sancti, quam personæ Filii.

Maior prob., quia remissio peccatorum attribuitur Spiritui Sancto, secundum illud Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remisseritis peccata remittuntur eis.*

Minor probat., quia Matth. 1. dicitur: *vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum á peccatis eorum.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud per quod manifestata est sapientia, et virtus Dei, convenienter convenit Filio. Sed in mysterio incarnationis manifestata est sapientia, et virtus Dei. Ergo conveniens fuit Filium incarnari.

Maior prob., quia virtus, et sapien-

tia appropiantur Filio secundum illud 1. Cor. 1. *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

Minor prob., quia Dam. dicit l. 3. ortod. fid. c. 1. «In mysterio incarnationis manifestata est sapientia, et virtus Dei; sapientia quidem, quia invenit difficillimi pretii solutionem quam decentissimam. Virtus autem quia victum fecit rursus victorem.»

*Determinatio.*

Conclusio. Convenientissimum fuit personam Flii Dei incarnari.

Prob. triplici ratione, quarum prima desumitur ex modo unionis; secunda ex fine unionis; tertia accipitur ex peccato primi parentis. Ratio prima est. Ea quæ sunt similia convenienter uniuntur. Sed inter personam Filii Dei, et naturam creatam, et specialiter naturam humanam, est similitudo. Ergo convenientissimum fuit personam Filii Dei incarnari.

Minor prob. Primo quoad priorem partem, scilicet quod personæ Filii ad creatam naturam in communi sit similitudo. Nam persona Filii est Verbum Dei. Verbum autem artificis, idest conceptus ejus est similitudo exemplaris eorum quæ ab artifice fiunt; unde Verbum Dei, quod est æternus conceptus ejus, est similitudo exemplaris totius creaturæ. Et ideo sicut per participationem hujus similitudinis, creaturæ sunt in propriis speciebus constitutæ, sed mobiliter, ita per unionem Verbi ad creaturam non participatam, sed personalem, conveniens fuit reparari creaturam, in ordine ad æternam et immobilem perfectionem. Nam et artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit, restaurat.

In forma sic probatur hæc prima pars minoris: Verbum Dei, quo produxit omnem creaturam, habet similitudinem cum creatura. Sed persona Filii Dei est conceptus, sive Verbum, quo Deus omnem creaturam produxit. Ergo persona Filii Dei habet cum creatura similitudinem.

Maior hujus probat. Quia conceptus artificis est similitudo exemplaris eorum quæ ab artifice fiunt. Et cum Deus sit quasi artifex, qui omnem creaturam, per suam sapientiam produxit, sequitur quod omnes creaturæ Dei Verbo assimilentur.

Et confirmatur hæc ratio; quia artifex, si artificiatum fuerit collapsum, per eamdem formam per quam ipsum fecerat, restaurat.

Altera principalis minoris pars ostenditur, quæ erat quod persona Filii Dei habet specialiter similitudinem cum humana natura. Verbum enim est conceptus divinæ sapientiæ, á qua omnis sapientia hominum derivatur, et ideo per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria ejus perfectio, prout est rationalis, quia participat Verbum Dei. Sicut discipulus instruitur per hoc, quod recipit verbum magistri. Unde Eccles. 1. dicitur: *fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Et ideo ad consummatam hominis perfectionem conveniens fuit ut Verbum Dei humanæ naturæ personaliter uniretur.

In forma prob. hæc secunda pars minoris. Conceptus æternæ sapientiæ á quo omnis sapientia hominum derivatur, habet specialiter similitudinem ad hominem. Sed Verbum Dei est conceptus æternæ sapientiæ, á qua omnis hominum sapientia derivatur. Ergo persona Verbi convenienter naturæ humanæ fuit unita.

Maior probatur, quia propria hominis perfectio, in quantum est rationalis, est sapientia, unde per participationem Verbi Dei perficitur, et maxime per personalem unionem.

Secunda ratio hujus congruentiæ desumpta ex fine unionis est hæc. Unio cujus finis est impletio prædestinationis convenienter pertinet ad personam Verbi. Sed finis unionis divinæ personæ cum humana natura est impletio prædestina-

tionis. Ergo unio incarnationis convenienter facta est in persona Filii.

Maior prob., quia prædestinatio est eorum qui præordinati sunt ad hæreditatem cælestem, quæ non debetur nisi filiis ejus, secundum illud Rom. 8. *Si Filii et hæredes;* et ideo congruum fuit ut per eum, qui est Filius naturalis, homines participarent similitudinem hujus filiationis, secundum adoptionem, sicut Apostolus ibidem dicit: *quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*

Tertia ratio hujus congruentiæ desumpta ex peccato primi parentis est talis. Primus homo peccaverat appetendo scientiam, ut patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni et mali. Ergo conveniens fuit ut per Verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat á Deo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. antec., vel minor secundæ formæ. Ex hoc enim quod Filius Dei est incarnatus, nullus fuit impeditus á Dei cognitione: immo per incarnationem Verbi homo perfectionem sapientiæ est adeptus, et ductus in Dei cognitionem. Ad prob. dicitur, quod nihil est quo humana malitia non possit male uti, quando etiam ipsa Dei bonitate abutitur, secundum illud Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus contemnis?* Unde etiam si persona Patris fuisset incarnata, potuisset ex hoc homo alicujus erroris occasionem sumere, quasi Filius sufficere non potuisset ad humanam naturam reparandam.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod prima creatio facta est à potentia Dei Patris per Verbum. Unde, et recreatio per Verbum fieri debuit á potentia Dei Patris, ut recreatio creationi responderet, secundum illud 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod Spiritui Sancto proprium est, quod sit donum Patris, et Filii: remissio vero peccatorum fit per Spiritum Sanctum tamquam per Dei donum. Et ideo convenientius fuit ad justificationem hominum, quod incarnaretur Filius, cujus Spiritus Sanctus est donum.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 3.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Concilio, et Aug. insinuatum, quod personæ divinæ convenit assumere naturam creatam. A D. Aug. quidem ut cum applicatione est *in arg. cont.* A Concilio autem *Toletano* 6. Can. 1. "Ex tribus personis divinis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis humanitatem sine peccato de sancta Virgine assumpsisse: ut idem Filius Dei Patris esset Filius hominis, Deus perfectus, et homo perfectus, in duabus naturis una persona, ne quaternitas Trinitati accederet, si in Christo gemina persona esset." Per humanitatem enim intelligit naturam humanam: secundum quod explicatius in collecta de festivit. S. Annæ ab Ecclesia dicitur ad Filium. "Ex cujus salutari puerperio pro salute mundi humanam naturam assumere dignatus es." A scripturis vero per illud de Filio dictum Hebr. 2. *Semen Abrahæ apprehendit.* Hoc est. Naturam humanam ex linea Abrahæ descendentem assumpsit. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, Concilio, et Aug. insinuatum, quod naturæ divinæ conve-

nit assumere: a B. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* á Concilio autem *Tolet.* 6. per hoc, quod dicit Can. 1. " Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, idest, in eo, quod est proprium Filii, non quod est commune Trinitati, quoniam constat naturam Trinitatis esse, non tamen personam. » Ex quibus, et totus præsentis articuli, et praecedentis sensus aperitur. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Prov. 3. *Dominus sapientia fundavit terram.* Et Sapient. 7. *omnium artifex est sapientia.* Et cap. 8. *Sapientia operatur omnia.* Ex eo enim, quod scriptura attribuit ipsum agere non tantum Deo, sed etiam sapientiae divinae, monstrat, quod in Deo idem realiter est id, quod est, et id, quo est, idest, suppositum, et natura: quoniam, sicut ad sapientem Deum se habet sua sapientia, ita ad esse Deum, se habet deitas. Consequenter igitur ex illis dictis, tamquam á simili demonstrat, quod hoc operari, scilicet assumere, non tantum convenit personae, sed etiam naturae divinae. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum: quod, abstracta personalitate per intellectum, natura adhuc potest assumere. Ut *Luc.* 1. secundum quod cum applicatione, et discursu ponitur *in arg. cont.* Pro quo nota dictum in 1. qu. 40. art. 3. quod, abstractione per modum universalis á particulari in divinis facta personarum, remanet adhuc essentia communis. Si essentia, ergo omnipotentia cum aliis etiam essentialibus attributis. Pro ly *per quam facta est incarnatio* nota: quod loquitur antonomastice, ac si dicat. Nihil majus est quam Deum fieri hominem: et ideo per omnipotentiam excellentissime sumptam facta est incarnatio. Quod autem nihil majus sit, quam Deum fieri hominem, testatur, et consequenter huic textui favet Divus Chrysostomus, homil. super Matth cap. 3. his verbis: " Illud est quippe admirationis omnimode plenum: quod ille, qui erat Deus, homo fieri voluit. » Jam vero alia juxta rationis ordinem consequuntur. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Concilio, et Dionysio insinuatum: quod una persona potest assumere naturam creatam, alia non assumente. A S. Dionysio quidem, ut est *in arg. cont.* A concilio autem generali primo, idest Concilio *Nicæno*, in symbolo fidei, quod semper cum magna reverentia á subsequentibus omnibus conciliis, et á tota successive Ecclesia catholica acceptatum est, sic dicente. " Credimus in unum Deum: Patrem omnipotentem omnium visibilium, invisibiliumque factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei. Natum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum, non factum, *omousion*, hoc est, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt, et quæ in cœlo, et quæ in terra. Qui descendit, et incarnatus, et homo factus est. Et in Spiritum Sanctum " Ubi vides personam Filii tot proprietatibus singillatim enumeratis ab aliis duabus personis, scilicet, Patre, et Spiritu Sancto fuisse ita á Concilio ipso distincte designatam: ut nullus dubitandi locus de intentione Concilii penitus relinquatur, quod, scilicet, quando Filium dicit incarnatum, atque hominem factum, hoc sic de Filio intelligat ut non de Patre, nec de Spiritu Sancto. Item á Concilio *Toletano* 6. *can.* 1. secundum quod adductum fuit *artic.* 1. *et* 2. *app.* A scripturis vero, per hoc, quod dicitur Luc. 11. « Missus est Gabriel á Deo. etc. Spiritus Sanctus superveniet in te. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Ecce tota Trinitas operatur carnis assumptionem, « Deus Pater mittens, » Galat. 4. « Spiritus Sanctus superveniens. Filius semetipsum exinaniens, » Philipp. 2. Et tamen solus Filius ex Virgine nascitur. Ac si per illa verba Evangelista scholastice dixerit. Non una persona divina sine aliis causavit incarnationem: sed una sola, scilicet, Filii sine aliis incarnata est. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis,

et symbolo Athanasii insinuatum, quod Pater, et Spiritus Sanctus potuerunt carnem assumere, sicut et Filius. A scripturis quidem conjunctim sumptis; ut Luc. 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum*: et Exod. 15. *Dominus, quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.* Per illud enim Lucæ ostenditur ex intento contextus, quod incarnatio facta est per Dei omnipotentiam: per hoc autem Exodi coostenditur, quod omnes personæ divinæ, cum sint ille unus Deus, de quo ibi fit sermo, sunt ejusdem omnipotentiæ. Unamquamque ergo illarum posse incarnari scripturæ illæ scholasticis ex hoc relinquunt pro indubitabili concludendum: A symbolo autem Athanasii insinuatur per ly *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus:* stante enim illo fundamento ex Beato Luca posito, sequitur mox aperte intentum articuli. Cæterum, quanti valeat in rebus fidei symbolum illud, evidenter apparet tum ex nomine *symbolon*, tum ex Concilio *Florentino.* De nomine siquidem ait D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 10. ad 3. Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum symboli, sed magis per modum cujusdam doctrinæ, ut ex ipso modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi regula fidei habeatur. De Concilio autem *Florentino* habetur sic in *Eugenii IV.* decreto super unione Armenorum. "Sacro hoc approbante Concilio Florentino compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis præbemus oratoribus: cujus tenor talis est. Quicumque vult salvus esse:» etc. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Papa insinuatum: quod non est impossibile, quod omnes personæ divinæ assumant unam naturam creatam. A scripturis quidem, per hoc, quod dicitur Matth. 28. «In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti » Quia non dicit in nominibus, sed in nomine, monstrat, quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt unius virtutis, seu essentiæ, seu naturæ. Juxta et illud 1. Joann. 5. «Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, hi tres unum sunt » Item per hoc, quod dicitur Joann. 3. Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nam ex hoc, quod eadem de Filio Dei unigenito replicat, quæ de Filio hominis in cruce exaltando præmiserat, dicens ly "ut omnis qui credit in ipsum, *quod* non pereat, sed habeat vitam æternam,» demonstrat utique: quod idem conditor, ac redemptor noster Filius Dei ante sæcula existens, Filius hominis factus est in fine sæculorum. Dum igitur per Matthæum scripturæ ostendunt, quod tres personæ subsistunt in una natura divina, et per Joannem, quod una persona divina, scilicet Filius, post incarnationem subsistit in duabus naturis, scilicet divina, et humana, tunc eodem tenore coostendere intelliguntur, (ut perspicacibus theologis patet), quod plures personæ divinæ, sicut nunc in una natura divina subsistunt per naturalem unionem, possunt per voluntariam assumptionem subsistere in una humana natura, non deposita æterna subsistentia in natura priori. A Papa autem sacro approbante Concilio *Floren.* insinuatur sic. "Sacrosancta Romana Eccles. Dei, et Salvatoris nostri voce fundata firmiter credit, profitetur, et prædicat, unum verum Deum omnipotentem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum in essentia, trinum in personis. Patrem non esse Filium, aut Spiritum Sanctum; Filium non esse Patrem, aut Spiritum Sanctum: Spiritum Sanctum non esse Patrem, aut Filium. Hæ tres personæ sunt unus Deus, non tres dii: quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una æternitas: omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. *Et infra.* Firmiter credit, profitetur, et praedicat, unam ex Trinitate personam verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, veram hominis, integramque naturam ex immaculato utero Mariae Virginis assumpsisse, et sibi in unitatem personae copulasse tanta unitate, ut quicquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum, et quicquid est hominis, non sit á deitate divisum. Atque unus, et idem indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus et

homo, Dei Filius, et hominis Filius: aequalis Patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem, immortalis, et æternus ex natura divinitatis, passibilis, et temporalis ex conditione assumptæ humanitatis. » Hæc Papa *Eugen. IV.* in constitutione, seu decreto super unione Jacobinorum. Per hoc enim, quod Summus Pontifex, et Concilium ostendunt, quod tres personæ subsistunt in una natura divina, et quod una persona divina sc. Filius post incarnationem subsistit in duabus naturis, sc. divina, et humana: tunc eodem tenore, etc. ut supra de scripturis concludebatur; vide *art. cont. Secundo* vides; quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis, et Papa insinuatum, quod una persona potest assumere duas humanas naturas. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Sap. 18. " Cum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus á regalibus sedibus venit. » Hoc enim secundum Ecclesiæ in Dom. oct. Nativ. expositionem intelligitur de Verbo Dei incarnato. Filius ergo Dei, qui tunc venit, erat omnipotens. At secundum ejusdem Ecclesiæ in fest. Circumc. attestationem: *Id, quod fuit, permansit, quando, quod non erat, assumpsit.* Per hoc igitur, quod in nullo per incarnationem Filii diminuta est potentia ejus, scriptura concludendum aperte scholasticis relinquit; quod Filius, sicut unam de facto assumpsit, ita alteram de possibili naturam humanam potest assumere. Filii autem, Patris, et Spiritus Sancti eadem est omnipotentia secundum Concilium Flor. in decr. *Eug. IV.* supra positum dicens: " Nullus alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. » Ergo, sicut Filius duas naturas assumere potest, ita de Patre et Spiritu Sancto scripturam eamdem tradidisse tenendum est. A *S. Leone* Papa etiam in Serm. de Nativ. Dom. insinuatur id ipsum per hoc, quod dicit: " Verbum Dei Deus factus est homo. Et tanto fœdere utramque naturam conseruit, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. » Ex hoc enim S. Leonis dicto, cum natura ipsa superior de se sit omnipotens, ab assumptioneque non sit diminuta, evincitur, quod nunc potest ea, quae prius. Ergo alteram potest assumere naturam humanam. Cum etiam natura Filii divina sit eadem numero, quae Patris, et Spiritus Sancti, secundum Concil. Flor. supr. art. 6. append. sequitur, quod secundum eumdem Leonem, Pater duas, et Spiritus Sanctus duas sibi possunt unire humanas naturas. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod convenientissimum fuit Filium Dei incarnari. Ut per hoc, quod dicitur 1. Cor. 1. *Christum,* etc. ut cum discursu ex Damasceno applicatur *in arg. cont.* Item per dictum Hier. 18. " Dissipatum est vas, quod ipse figulus faciebat è luto manibus suis. Conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me dicens. Numquid, sicut figulus iste, non potero vobis facere: ait Dominus? Ecce, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea. » Ac si aperte in proposito dicatur: Vas primo factum dissipatum est: quia homo in creatione ex luto formatus semetipsum peccando male perdidit: vas illud figulus postea fecit alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret, idest eadem arte, qua fecerat primo, quia hoc in recreatione ad statum novum ex culpa revocandus erat eodem verbo á Deo, quo prius conditus fuerat. Item insinuatur et quidem á fortiori, per illud, Sap. 11. *Omnia in pondere, numero, et mensura disposuisti, Domine.* Tuum erit applicare, quoniam facile est. Pro quo vide, 1. 2. qu. 68. art. 4. append. et 2. 2. qu. 140. art. 1. append. *Secundo* vides: etc.

## QUÆSTIO QUARTA,

### DE MODO UNIONIS EX PARTE NATURÆ HUMANÆ ASSUMPTÆ, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unione ex parte assumpti. Circa quod primo considerandum occurrit de his quæ sunt á Verbo Dei assumpta. Secundo de coassumptis, quæ sunt perfectiones, et defectus. Assumpsit autem Dei Filius humanam naturam, et partes ejus.

Unde circa primum triplex consideratio occurrit. Prima est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quantum ad partes ipsius. Tertia quantum ad ordinem assumptionis.

*Circa primum quæruntur sex.*

Primo, utrum humana natura fuerit magis assumptibilis á Filio Dei quam aliqua alia natura.

Secundo, utrum assumpserit personam.

Tertio, utrum assumpserit hominem.

Quarto, utrum fuisset conveniens quod assumpsisset naturam humanam á singularibus separatam.

Quinto, utrum fuisset conveniens quod assumpsisset naturam humanam in omnibus ejus singularibus.

Sexto, utrum fuerit conveniens quod assumeret humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adæ progenito.

### ARTICULUS I.

*Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis á Filio Dei, quam aliqua alia natura.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod humana natura non fuerit magis assumptibilis á Filio Dei, quam aliqua alia natura.

1. Potentia Dei facientis incarnationem, quæ est opus maxime mirabile, non limitatur ad unam naturam. Ergo natura humana non est magis assumptibilis à Deo, quam aliqua alia creatura.

Anteced. prob., quia potentia Dei est infinita. Conseq. prob., quia *in rebus mirabiliter factis, tota ratio facti est potentia facientis:* ut Aug. dicit in Epist. ad Volusianum.

2. Creatura, in qua invenitur Dei similitudo, est assumptibilis á Filio Dei sicut natura humana. Sed in creatura irrationali invenitur similitudo ad Deum. Ergo creatura irrationalis est assumptibilis, non minus, quam humana natura.

Maior prob., quia similitudo est ratio faciens congruitatem incarnationis divinæ personæ, ut q. præced. art. 8. dictum est.

Minor prob., quia sicut in creatura rationali invenitur similitudo imaginis, ita in creatura irrationali invenitur similitudo vestigii.

3. Natura, in qua invenitur expressior Dei similitudo, quam in natura humana, et peccatum sicut in homine, fuit assumptibilis, sicut natura humana. Sed in natura angelica invenitur expressior Dei similitudo quam in natura humana, ut Greg. dicit Hom. 34. in Evang. Invenitur etiam in angelo peccatum sicut in homine, secundum illud Job 4. *In angelis suis reperit pravitatem.* Ergo natura angelica fuit ita assumptibilis, sicut natura hominis.

4. Illud, quod est magis à Deo simile, quam sit humana natura, est magis á Deo assumptibile quam humana natura. Sed totum universum est magis Deo simile quam humana natura. Ergo totum universum est magis assumptibile, quam natura humana.

Maior patet, quia similitudo est ratio faciens congruitatem incarnationis divinæ personæ.

Minor prob. Illud, quod est magis perfectum, est magis Deo simile: cum enim Deo competat summa perfectio, quanto aliquid est magis perfectum, tanto est Deo magis simile. Sed totum universum est magis perfectum, quam humana natura, sicut totum est perfectius partibus ejus. Ergo totum universum est magis simile Deo, quam natura humana.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Prov. 8. dicitur ex ore Sapientiæ genitæ, *delitiæ meæ esse cum filiis hominum*. Et ita videtur esse quædam congruentia unionis Filii Dei ad humanam naturam.

*Determinatio.*

Conclusio. Sola natura humana est assumptibilis.

Prob. Natura, quæ sola habet dignitatem et necessitatem, est sola assumptibilis. Sed sola natura humana habet dignitatem et necessitatem. Ergo sola natura humana est assumptibilis.

Maior prob. Nam assumptibile dicitur aliquid, quasi aptum assumi á divina persona. Quæ quidem aptitudo non potest intelligi secundum potentiam passivam naturalem, quia hujusmodi potentia non se extendit ad id quod transcendit ordinem naturalem, quem ordinem transcendit unio personalis creaturæ ad Deum; unde relinquitur, quod assumptibile aliquid dicatur secundum congruentiam ad unionem prædictam. Illud igitur dicitur assumptibile, quod habet congruentiam ad hanc assumptionem. Hæc autem congruentia attenditur secundum duo, scilicet secundum dignitatem et necessitatem; unde sola illa natura est assumptibilis, in qua invenitur dignitas, et necessitas facientes congruitatem ad assumptionem. Et sic remanet manifesta maior.

Minor cum habeat exclusivam dictionem, scilicet (ly sola) duplicem habet exponentem, videlicet affirmativam, et negativam. Affirmativa est, quod natura humana habet dignitatem et necessitatem. Negativa est, quod nulla alia natura habeat simul necessitatem et dignitatem. Et quoad utrumque probatur: et affirmativa sic ostenditur; habet enim humana natura dignitatem, in quantum est rationalis, et intellectualis, et nata est attingere aliqualiter ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet, et amando ipsum: necessitatem vero, quia indigebat reparatione, cum subjaceret originali peccato. Negativa vero ostenditur; nam naturæ irrationali deest congruitas dignitatis, naturæ vero angelicæ deest congruitas prædictæ necessitatis. Unde remanet sola rationalis natura habens congruitatem dignitatis et necessitatis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Et ratio negationis est, quia creaturæ denominantur aliquales ex eo, quod competit eis secundum proprias causas; non autem ex eo, quod convenit eis secundum causas primas, et universales. Sicut dicimus aliquem morbum esse incurabilem, non quia non possit curari á Deo, qui omnes infirmitates curare potest; sed quia per propria principia subjecti curari non potest. Sic ergo dicitur aliqua creatura non esse assumptibilis, non ad subtrahendum aliquid potentiæ divinæ, sed ad ostendendum conditionem creaturæ, quæ ad hoc aptitudinem non habet. Stat igitur, quod aliqua natura possit assumi á potentia divina, et tamen quod dicatur secundum se inassumptibilis, quatenus non habet congruitates supradictas. Ad probationem autem negatæ consequentiæ dicitur, quod in hac unione tota ratio facti est potentia facientis, quia natura creata non habet aptitudinem ad hanc unionem; potest tamen habere congruitatem, ut in corpore dictum est; quæ congruitas non tollit, quin unio facta sit per divinam potentiam.

Ad 2. Dicitur, quod aliquid potest habere similitudinem ad Deum dupliciter. Uno modo in repræsentando tantum. Alio modo in operando. Primo modo vestigium pedis in pulvere impressum habet similitudinem ad pedem, cujus est vestigium. Secundo modo Filius habet similitudinem ad Patrem. Ad maiorem igitur dicitur, quod non quælibet similitudo ad Deum, habet congruentiam

unionis ad personalitatem divinam, sed solum similitudo, quæ est secundum operationem. Tunc ad minorem, et ad ejus prob. dicitur, quod creatura irrationalis, habet similitudinem vestigii, quæ attenditur solum secundum repræsentationem aliquam ex impressione divina in creatura existente; in creatura vero rationali est similitudo per modum imaginis, quæ attenditur, secundum quod est capax Dei, attingendo ipsum propria operatione cognitionis et amoris, á qua similitudine deficit creatura irrationalis, quæ Deum per suam solam operationem nequaquam attingere potest. Quia igitur creatura irrationalis deficit ab hac similitudine, quæ est ad Deum per operationem, consequens est, quod deficiat á congruitate ad id quod est maius. Unio autem ad Deum secundum esse personale, multo maior, et perfectior est, quam quæ est secundum operationem. Unde creatura quæ deficit á similitudine quæ est per operationem, multo magis deficit á congruitate ad unionem ad Deum secundum esse personale. Sicut corpus, quod non est aptum perfici ab anima sensitiva, multo minus erit perfectibile per animam rationalem. Et brevius dicitur ad argumentum negando minorem: non enim habet creatura irrationalis talem similitudinem, quæ faciat congruitatem unionis ad Deum secundum esse personale. Ad probationem dicitur, quod similitudo vestigii non facit hanc congruitatem, quia deficit á similitudine imaginis, quæ est minor, quam sit unio secundum esse personale ad Deum.

Ad 3. Quidam dicunt angelum non esse assumptibilem, quia á principio suæ creationis est in sua personalitate perfectus, cum non subjaceat generationi et corruptioni. Unde non posset in unitate divinæ personæ assumi, nisi ejus personalitas destrueretur, quod neque convenit incorruptibilitati naturæ ejus, neque bonitati assumentis, ad quam non pertinet, quod aliquid perfectionis in creatura assumpta corrumpat. Et secundum hanc sententiam posset ad argumentum dici, quod maior est vera de natura assumptibili, hoc est, si sint duæ naturæ quæ ambæ sint assumptibiles, quarum una sit Deo similior, quam altera, illa erit magis assumptibilis, quæ est Deo similior. Si vero una harum non sit assumptibilis, non poterit assumi, etiam si in ea sit maior Dei similitudo. Et ad minorem dicitur, quod angelus est quidem Deo similior, non est tamen assumptibilis.

*Reprobatio.*

Sed hoc non videtur totaliter excludere congruitatem assumptionis angelicæ naturæ: potest enim Deus producendo novam angelicam naturam, copulare eam sibi in unitate personæ, et sic nihil præexistens ibi corrumperetur; sicut etiam factum est in assumptione humanæ naturæ.

*Vera responsio.*

Dicitur ergo ad argumentum negando maiorem. Non enim ad hoc, quod natura sit magis assumptibilis, sufficit, quod sit Deo similior; sed cum hoc requiritur etiam necessitas, ut in corpore ostensum est. Tunc ad minorem dicitur, quod in angelo est quidem expressior Dei similitudo, tamen deficit congruitas ex parte necessitatis, quia etsi natura angelica in aliquibus peccato subjaceat; est tamen ejus peccatum irremediabile, ut dictum est 1. par. quæst. 64. artic. 2.

Ad 4. Negatur minor. Totum enim universum non est magis Deo simile, quam natura humana, similitudine quæ faciat congruitatem assumptionis. Ad prob. dicitur ad minorem, quod perfectio universi non est perfectio unius personæ, vel suppositi, quæ maior perfectio facit similitudinem habentem congruitatem unionis ad Deum, secundum esse personale; sed est perfectio ejus, quod est unum positione, vel ordine, cujus totius plurimæ partes non sunt assump-

tibiles, scilicet omnes quæ ratione, et necessitate carent, ut in corpore dictum est. Unde relinquitur, quod nec natura angelica, nec irrationalia, nec totum universum sint assumptibilia, sed sola humana natura, quæ sola et dignitatem requisitam, et necessitatem habet, ut dictum est.

## ARTICULUS II.

### *Utrum Filius Dei assumpserit personam.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod Filius Dei assumpserit personam.

1. Qui assumpsit individuum rationalis naturæ, assumpsit personam. Sed Filius Dei assumpsit individuum rationalis naturæ. Ergo Filius Dei assumpsit personam.

Maior prob., quia individuum rationalis naturæ est persona, ut patet per Boët. in lib. de duab. nat.

Minor prob., quia Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. cap. 11. quod *Filius Dei assumpsit humanam naturam in atomo.*

2. *Filius Dei assumpsit ea quæ in nostra natura plantavit*, ut Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. c. 6. Ergo Filius Dei assumpsit personam.

Conseq. prob., quia Deus plantavit in humana natura personalitatem.

3. Innocentius III dicit in quadam Decret. quod *persona Dei consumpsit personam hominis.* Ergo videtur, quod persona hominis fuerit prius assumpta.

Conseq. prob., quia nihil consumitur, nisi quod est.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in lib. de fide ad Pet. cap. 2. quod *Deus naturam hominis assumpsit, non personam.*

*Determinatio.*

Conclusio. Filius Dei nullo modo assumpsit humanam personam.

Prob. Illud, quod assumitur, oportet præintelligi assumptioni, sed persona humana poni præintelligitur in humana natura, assumptioni. Ergo persona humana non est assumpta à Filio Dei.

Maior manifestatur. Dicitur enim aliquid assumi, ex eo, quod ad aliquid sumitur; unde necesse est, quod assumitur præintelligi assumptioni, sicut illud, quod localiter movetur, præintelligitur motui.

Minor prob. Primo illud, quod se habet ut terminus assumptionis, non præintelligitur assumptioni. Sed persona se habet ut terminus. Ergo persona non præintelligitur assumptioni. Secundo: si humana persona præintelligeretur, vel oporteret, quod corrumperetur, et sic frustra esset assumpta, vel quod remaneret post unionem, quod est erroneum, ut ostensum est supra quæst. 2. art. 6.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. quæ est Dam. sententia dicitur, quod naturam humanam assumpsit Filius in atomo, idest in individuo, sed hoc individuum in quo humana natura assumpta est, non est aliud á supposito increato, quod est persona Filii Dei: ex quo non sequitur, quod persona humana fit assumpta; sed solum quod natura humana est assumpta ad subsistentiam divini suppositi.

Ad 2. Negat. consequentia. Ad prob. dicitur quod Dam. per ea quæ Deus in natura plantavit, intelligit ea quæ integrant ipsam naturam, et naturæ proprietates. Unde ibidem exponens seipsum, subdit post prædicta verba, scilicet corpus, animam intellectivam, et eorum proprietates; personalitas autem non est pars naturæ, sed terminus, qui in natura assumpta á Verbo, est aliquid excellentius, quam sit humana persona, scilicet persona Verbi. Unde carentia propriæ personalitatis in natura assumpta, non solum non dicit defectum, cum non deficiat personalitas ex aliquo defectu naturæ, sed potius dicit magnam excellentiam, cum ex hoc elevata sit ad divinam personalitatem.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod

consumptio ibi non importat destructionem alicujus, quod prius fuerat, sed impeditionem ejus quod aliter esse posset. Si enim humana natura non esset assumpta á divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet. Et pro tanto dicitur persona consumpsisse personam (licet improprie) quia persona divina sua unione non consumpsit, sed impedivit, ne humana natura propriam personalitatem haberet.

## ARTICULUS III.

*Utrum persona divina assumpserit hominem.*

*Pro affirmativa* = Videtur, quod persona divina assumpserit hominem.

1. Dicitur in Psalm. 64. *Beatus quem elegisti, et assumpsisti.* Quod Glos. ordin. exponit de Christo. Et August. dicit in lib de agone christiano cap. 11. quod *Filius Dei hominem assumpsit, et in illo humana perpessus est.*

2. Qui assumpsit naturam humanam, assumpsit hominem. Sed Filius Dei assumpsit naturam humanam. Ergo Filius Dei assumpsit hominem.

Maior prob., quia hoc nomen *homo* significat naturam humanam.

3. Filius Dei est homo, et non est homo quem non assumpsit. Ergo Filius Dei est homo quem assumpsit.

Antecedens quoad secundam partem probat., quia si Filius Dei esset homo quem non assumpsit, pari ratione esset Petrus, vel quilibet alius homo, quem non assumpsit.

### PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In contrarium est auctoritas Felicis Papæ, et Martyris, quæ introducitur in Ephes. Synod. act. 1. « Credimus in « Dominum nostrum Jesum Christum, de « Virgine Maria natum, quia ipse est Dei « sempiternus Filius, et Verbum, et non « homo à Deo assumptus, ut alter sit « præter illum. Neque enim hominem as- « sumpsit Dei Filius, ut alter sit præter « ipsum. »

*Determinatio.*

Conclusio. Supponendo (sicut rei veritas habet) quod in Christo sit tantum unum suppositum, non est proprie dictum, quod Filius Dei assumpsit hominem.

Prob. Illud quod assumitur, non est terminus assumptionis, sed assumptioni præintelligitur. Sed homo significat terminum assumptionis. Significat enim humanam naturam, prout nata est in supposito esse, et prout est terminata ad suppositum: quia ut Dam. dicit lib 3. ort. fid. c. 4. sicut hoc nomen Deus significat eum qui habet divinam naturam, ita hoc nomen homo significat eum qui habet naturam humanam. Ergo supposito (sicut verum est) quod in Christo sit tantum unum suppositum, non est proprie dictum, quod Filius Dei assumpserit hominem.

Et confirmatur conclusio ab opposito, quia secundum illos qui ponunt in Christo duas hypostases, vel duo supposita, de quarum positione dictum est qu. 2. art. 6. convenienter et proprie dici posset quod Filius Dei hominem assumpsisset. Unde et prima opinio quæ ponitur in 6. dist. tertii lib. Sent. concedit hominem esse assumptum; sed illa positio est erranea, ut eadem qu. 2. art. 6. monstratum est.

### AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad auctoritates Glos. et Aug. quod hujusmodi locutiones non sunt extendendæ tamquam proprie, sed pie sunt exponendæ, ubicumque á sacris doctoribus ponuntur, ut dicamus hominem assumptum, quia hominis natura est assumpta, et quia assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei sit homo.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod hoc nomen homo significat quidem humanam naturam, sed in concreto, et suppositam. Et ideo sicut non possumus dicere, quod suppositum sit assumptum, ita non possumus dicere quod homo sit assumptus;

quia scilicet homo significat naturam humanam in aliquo supposito existentem.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod Filius Dei non est homo quem assumpsit, quia hominem non assumpsit, nec est homo quem non assumpsit, ratione adducta in arguendo, sed est homo cujus naturam assumpsit. Et dicitur Filius Dei homo, non quia assumpserit hominem, sed quia assumpsit naturam humanam.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis.

1. Assumptio humanæ naturæ facta á Filio Dei, est ad communem omnium hominum salutem. Ergo Filius Dei debuit humanam naturam assumere, prout est ab omnibus individuis abstracta.

Anteced. prob., quia 1. Tim. 4. de Christo dicitur quod est salvator omnium hominum, maxime fidelium.

Conseq. prob., quia natura prout est in individuis, recedit á sua communitate.

2. Qui debuit assumere id, quod est per se homo, debuit assumere humanam naturam ab omnibus individuis abstractam. Sed Filius Dei debuit assumere id quod est per se homo. Ergo Filius Dei debuit assumere naturam humanam ab omnibus individuis abstractam.

Maior prob., quia secundum platonicos per se homo est natura humana abstracta ab omnibus individuis.

Minor prob. Id quod est nobilissimum, est Deo attribuendum. Sed id quod est per se homo, est nobilissimum in homine; in unoquoque enim genere, illud quod est per se, potissimum est. Ergo Filius Dei debuit assumere id quod est per se homo.

3. Natura humana non est assumpta á Filio Dei, prout significatur in concreto per hoc nomen, homo: ut dictum est art. præced. Sed humana natura, prout est in singularibus, significatur in concreto per hoc nomen homo, ut etiam ex dictis patet. Ergo natura humana non est assumpta á Filio Dei, prout est in individuis, sed prout est ab omnibus individuis separata.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Filius Dei non assumpsit humanam naturam, quæ in nuda contemplatione cogitatur. Ergo Filius Dei non assumpsit naturam humanam secundum quod est á singularibus separata.

Antecedens est Dam. in 3. lib. ortod. fid. cap. 11. dicentis: «Deus Verbum «incarnatum non eam, quæ nuda con«templatione consideratur, naturam as«sumpsit» Et rationem assignans subdit: "Non enim incarnatio hoc, sed de«ceptio, et fictio incarnationis esset.»

Consequentia probatur. Quia natura humana, prout est ab individuis separata, vel abstracta, in nuda contemplatione cogitatur: non enim secundum seipsam subsistit, ut idem Dam. loco proxime citato dicit.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Natura hominis, vel cujuscumque alterius rei sensibilis, præter esse quod in singularibus habet, dupliciter potest considerari: uno modo quasi per seipsam esse habeat, præter materiam, sicut platonici posuerunt: alio modo sicut in intellectu existens, vel humano, vel divino. Unde quatuor modis potest natura humana considerari. Uno modo prout habet esse in singularibus. Secundo modo, prout intelligitur quasi habens esse separatum á singularibus, ut platonici posuerunt. Tertio modo secundum esse quod habet in intellectu divino. Quarto secundum quod est in intellectu humano.

1.ª Conclusio. Filius Dei non potuit assumere humanam naturam, ut consideratur quasi per seipsam habens esse, præter materiam.

Prob. Illud quod non est, non potest assumi. Sed natura humana separata ab omnibus individuis, quasi habens esse præter materiam, non est. Ergo natura humana separata ab omni materia non potuit assumi á Filio Dei.

Minor prob., quia secundum Phil. 7. met. textu 26. ad naturam speciei rerum sensibilium pertinet materia sensibilis, quæ ponitur in ejus diffinitione, sicut carnes et ossa ponuntur in diffinitione hominis. Unde non potest esse, quod natura humana sit præter materiam sensibilem.

In forma probatur minor. Illa natura in cujus diffinitione ponitur materia sensibilis, non potest existere á sensibili materia, separata. Sed in diffinitione humanæ naturæ ponitur materia sensibilis. Ergo natura humana non potest existere separata á materia sensibili.

2.ª Conclusio. Si natura humana esset subsistens separata ab omni materia, non fuisset conveniens quod á Verbo Deo assumeretur.

Prob. tripliciter. Primo. Assumptio humanæ naturæ á Filio Dei terminatur ad personam. Ergo natura humana separata, si sic existeret, non convenienter fuisset assumpta.

Conseq. prob. Quia est contra rationem formæ communis quod sit in persona; in persona enim natura individuatur.

Secundo. Natura assumpta á Filio Dei debuit esse talis, ut ei attribui possint operationes, quibus posset mereri. Sed naturæ humanæ separatæ non possunt attribui operationes meritoriæ. Ergo natura humana, si separata existeret, non fuisset á Filio Dei convenienter assumpta.

Maior prob. Quia assumptio humanæ naturæ á Filio Dei ad hoc facta est, ut Filius Dei in natura assumpta nobis mereretur.

Minor prob. Quia naturæ communi non possunt attribui nisi operationes communes, et universales, secundum quas homo non meretur, nec demeretur.

Tertio. Natura assumenda á Filio Dei debebat esse sensibilis. Sed natura separata non fuisset sensibilis, sed solum intelligibilis. Ergo natura humana, si separata existeret, non convenienter fuisset assumpta á Filio Dei.

Maior prob., quia Filius Dei assumpsit humanam naturam, ut hominibus in ea visibilis appareret, secundum illud Baruch 3. *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

Minor patet, quia natura sic existens separata á materia non posset esse subjectum sensibilium accidentium.

3.ª Conclusio. Natura humana, secundum quod est in intellectu divino, non potuit á Filio Dei assumi.

Prob. Quia humana natura, secundum quod est in intellectu divino, nihil aliud est quam natura divina, quæ ab æterno est in Flio Dei; unde natura, sic considerata, est ab æterno in Filio Dei, nec oportebat eam temporaliter assumere.

4.ª Conclusio. Non convenit dicere quod Filius Dei assumpserit humanam naturam, prout est in intellectu humano.

Manifestatur, quia hoc nihil aliud esset, quam quod intelligeretur assumere naturam humanam. Et sic, si non assumeret eam, ut est in rerum natura, esset intellectus falsus; nec esset aliud ista naturæ humanæ assumptio, quam fictio quædam incarnationis, ut Dam. dicit lib. 3. ortod. fid. quod 11.

Ex quibus omnibus sequitur conclusio responsiva directa ad quæsitum.

Conclusio. Filius Dei non debuit assumere naturam humanam abstractam ab omnibus individuis.

Prob. quia natura sic abstracta non est in rerum natura, ut ostensum est in prob. primæ conclusionis, et si sic existeret, non convenienter assumeretur, ut ostensum est triplici ratione in probatione secundæ conclusionis. Nec prout est in intellectu divino, ut ostensum est in probatione tertiæ conclusionis. Nec

ut est in humano intellectu. Ergo Filius Dei non asssumpsit, nec assumere debuit naturam humanam ab omnibus individuis separatam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod Filius Dei incarnatus, est communis omnium salvator, non communitate generis, vel speciei, quæ communitas attribuitur naturæ ab individuis separatæ, et quæ restringitur in individuis, sed communitate causæ, prout Filius Dei incarnatus, est universalis causa salutis humanæ, et hæc communitas nullo modo coarctatur per assumptionem humanitatis in individuo.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. negatur etiam minor. Nam per se homo non invenitur in rerum natura, ita quod sit præter singularia, ut platonici posuerunt. Unde non potest assumi, nec esset nobilissimum quid. Quamvis quidam dicant quod Plato non intellexit hominem separatum esse, nisi in intellectu divino, secundum quem modum non oportuit quod assumeretur á Verbo, cum sic ab æterno sibi affuerit.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod naturam humanam fuisse assumptam á Filio Dei in concreto potest intelligi dupliciter. Uno modo quod fuerit assumpta cum proprio supposito, quod præintelligatur assumptioni, quasi natura prius habuerit propriam personalitatem, et postea fuerit assumpta ad personalitatem Verbi: et sic natura humana non est assumpta in concreto, ut significatur per hoc nomen homo, ut dictum, et probatum est in art. præced. Alio modo ut sit assumpta in concreto, idest ad hoc, ut sit in aliquo supposito, et sic est assumpta in concreto, scilicet ad hoc ut sit in individuo, idest in supposito Filii Dei.

## ARTICULUS V.

### *Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam in omnibus individuis.*

*Pro affirmativa* = Videtur, quod Filius Dei humanam naturam assumere debuerit in omnibus individuis.

1. Illud quod convenit alicui naturæ primo, et per se, convenit omnibus individuis sub ea contentis. Sed assumi convenit naturæ humanæ primo, et per se. Ergo assumi convenit naturæ humanæ, secundum quod est in omnibus suis individuis.

Minor prob., quia illud quod primo, et per se assumptum est á Verbo, est natura humana.

2. Incarnatio divina processit ex divina charitate, ut dicitur Jo. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ergo conveniens fuit quod Filius Dei assumeret naturam humanam in omnibus suis suppositis.

Conseq. probat., quia charitas facit quod aliquis se communicet amicis, quantum est possibile. Fuit autem Filio Dei possibile quod plures naturas hominum assumeret, ut dictum est quæst. præc. art. 7. et eadem ratione omnes. Ergo ex hoc quod Filii Dei incarnatio ex divina charitate est facta, sequitur quod debuerit assumere naturam in omnibus suis suppositis.

3. Brevior via fuisset, si omnes homines assumpti fuissent ad naturalem filiationem, quam quod per unum Filium naturalem multi in adoptionem filiorum adducantur, ut dicitur ad Gal. 4. Ergo humana natura debuit á Filio Dei assumi in omnibus suppositis.

Conseq. prob. Quia sapiens operator perficit opus suum breviori via, qua potest.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in tertió lib. ortod. fid. cap. 11. quod « Filius Dei non assumpsit humanam naturam, quæ in specie « consideratur: neque enim omnes hypostases ejus assumpsit. »

*Determinatio.*

Conclusio. Non fuit conveniens quod

humana natura in omnibus suis suppositis á Verbo assumeretur.

Prob. tripliciter. Primo, si natura humana fuisset assumpta in omnibus suis suppositis, sequeretur quod in natura humana non remaneret multitudo suppositorum, quæ tamen suppositorum multitudo est humanæ naturæ connaturalis.

Consequentia probatur. Cum enim in natura assumpta non sit considerare aliud suppositum, propter personam assumentem, ut dictum est art. 3. hujus quæst. si non esset humana natura nisi assumpta, sequeretur quod non esset nisi unum suppositum humanæ naturæ, quod esset divina persona assumens.

Secundo. Si natura humana fuisset assumpta in omnibus suis suppositis, derogaretur dignitati Filii Dei incarnati, quod esset inconveniens.

Consequentia probatur. Dignitas enim Fili Dei incarnati est, ut sit primogenitus in multis fratribus secundum humanam naturam, sicut est primogenitus omnis creaturæ secundum divinam: essent enim tunc omnes homines æqualis dignitatis.

Tertio. Quia conveniens est quod sicut unum suppositum divinum est incarnatum, ita unam solam naturam humanam assumpserit, ut ex utraque parte unitas inveniatur.

### AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur, quod aliquid convenire alicui per se primo potest intelligi dupliciter: uno modo ut *per se* distinguitur contra *per aliud*, et sic convenit per se primo aliquid alicui, quando non convenit ei ratione alterius, et hoc modo esse visibile convenit per se primo colori, et non per se primo corpori, quia colori non convenit videri ratione alterius; corpori vero convenit videri ratione coloris: alio modo potest convenire aliquid alicui per se, ut (per se) distinguitur contra per accidens. Et hoc modo convenit per se homini esse risibile, et non per se esse album. Et sic perfici ei convenit per se primo esse quantum, et non per se, esse coloratum. Ad maiorem dicitur, quod est vera de eo quod convenit per se primo alicui naturæ, prout ly (per se primo) distinguitur contra per accidens; non autem est vera de eo, quod convenit alicui naturæ per se, ut ly (per se) distinguitur contra per aliud. Quod enim convenit per se primo alicui naturæ, idest non per accidens, convenit ei ratione principiorum intrinsecorum, et propterea hoc idem convenit omnibus suppositis sub illa natura existentibus. Quia enim esse risibile convenit humanæ naturæ per se, idest non per accidens, convenit etiam omnibus suppositis humanæ naturæ. Superficiei autem convenit per se primo esse subjectum albedinis, idest non per aliud; et tamen non sequitur quod quælibet superficies sit alba; quia scilicet suscipere albedinem, etsi conveniat superficiei non ratione alterius, non tamen convenit sibi ex principiis suis intrinsecis. Tunc ad minorem dicitur, quod assumi convenit humanæ naturæ secundum se, quia scilicet non convenit ei ratione personæ; sicut naturæ divinæ convenit assumere ratione personæ: non autem assumi convenit humanæ naturæ, secundum se, sicut pertinens ad principia essentialia ejus, vel sicut naturalis ejus proprietas: sic enim conveniret omnibus ejus suppositis assumi.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod dilectio Dei ad homines manifestatur, non solum in ipsa assumptione humanæ naturæ, sed præcipue per ea quæ passus est in humana natura pro aliis hominibus, secundum illud Rom. 5. « Commendat autem Deus suam cha- « ritatem in nobis, quia cum inimici es- « semus, Christus pro nobis mortuus est:» quod locum non haberet si in omnibus hominibus naturam assumpsisset. Tunc enim ostensa fuisset dilectio Dei ad homines solum in assumptione humanæ na-

turæ, non autem in passione pro aliis, cum in hoc casu, nullus esset alius ab ipso, pro quo pati posset.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad brevitatem enim viæ, quam sapiens operator observat, pertinet, quod non faciat per multa, quod sufficienter potest fieri per unum. Et ideo convenientissimum fuit, quod per unum hominem omnes alii salvarentur.

## ARTICULUS VI.

*Utrum conveniens fuerit, quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit conveniens, ut Filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adæ.

1. Qui debebat esse maxime segregatus á peccatoribus, non debuit assumere carnem ex stirpe Adæ. Sed Filius Dei debebat esse maxime segregatus á peccatoribus. Ergo Filius Dei non debuit assumere carnem ex stirpe Adæ.

Maior prob., quia magis esset á peccatoribus segregatus, si non assumpsisset naturam humanam ex stirpe Adæ peccatoris.

Minor prob., quia Apostolus dicit ad Heb. 7. *Talis decebat ut esset nobis Pontifex segregatus á peccatoribus.*

2. Si fuit conveniens, quod Christus assumeret naturam humanam ex stirpe Adæ, ergo debuit eam sumere ex ipsa persona Adæ; quod tamen non fecit.

Conseq. prob., quia in quolibet genere principium nobilius est eo, quod est á principio.

3. Si Filius Dei voluit assumere carnem humanam ex peccatoribus. Ergo convenientius fuisset eam assumere á gentilibus, quam ex stirpe Abrahæ, qui fuit justus.

Consequentia prob., quia gentiles fuerunt magis peccatores, quam Judæi, ut dicit Glos. super illud ad Gal. 2. *Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 3. generatio Domini reducitur usque ad Adam.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit, quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ.

Prob. Primo auctoritate August. lib. 13. de Trin. cap. 13. dicentis: « Poterat Deus hominem aliunde suscipere, « non de genere istius Adæ, qui suo peccato obligavit genus humanum; sed « melius judicavit, ut de ipso, quod victum erat genere, assumeret hominem « Deus, per quem generis humani vincerет inimicum. »

Secundo fuit hoc conveniens propter tria. Primo quia hoc videtur ad justitiam pertinere, ut ille satisfaciat qui peccavit. Et ideo de natura per peccatum corrupta, debuit assumi id per quod satisfactio erat implenda, pro tota natura. Secundo quia hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertio quia per hoc magis ostenditur Dei potentia, dum de natura corrupta et infirma assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum. Fuit igitur conveniens, quod Filius Dei assumeret humanam naturam ex stirpe Adæ, ad conservandum justitiæ ordinem, propter hominis maiorem dignitatem, et ad ostendendam magnam Dei potentiam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod Christus debuit esse segregatus á peccatoribus, quantum ad culpam, quam venerat destruere, non quantum ad naturam, quam venerat salvare, secundum quod debuit per omnia fratribus assimilari, ut idem Apost. dicit ad Heb. 2. Et in hoc etiam est mirabilior ejus innocentia, quod de massa peccato subjecta, natura assumpta tantam habuit puritatem. Quia igitur Dei Filius debebat

fratribus assimilari, convenienter assumpsit naturam ex stirpe Adæ, á quo omnes homines originem trahunt. Per hoc vero quod debuit esse segregatus á peccatoribus, quantum ad culpam, hanc naturam assumpsit sine culpa.

Ad 2. Negatur consequentia. Rationabiliter enim Dei Filius assumpsit naturam ex stirpe Adæ propagatam et non ex ipsa Adæ persona. Sicut enim dictum est in præced. solutione, oportuit eum qui peccata venerat tollere, esse á peccatoribus segregatum quantum ad culpam, cui Adam subjacuit, et quem Christus á suo delicto eduxit, ut dicitur Sapient. 10. Oportebat autem eum, qui mundare omnes venerat, non esse mundandum, sicut in quolibet genere motus primum movens est immobile secundum illum motum, sicut primum alterans est inalterabile. Et ideo non fuit conveniens ut assumeret naturam ex ipso Adam. Ad prob. autem consequentiæ patet, quid sit dicendum. Nam etsi Adam sit primum naturæ principium; tamen quia natura in ipso subjacuit peccato, non fuit convenies ut ille, qui sanare debebat totam naturam, carnem acciperet ab eo, qui fuit peccato subjectus.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod quia Christus debebat esse maxime segregatus á peccatoribus, quantum ad culpam, quasi summum innocentiæ obtinens, conveniens fuit ut á primo peccatore usque ad Christum perveniretur, mediantibus quibusdam justis, in quibus præfulgerent quædam insignia futuræ sanctitatis; et propter hoc etiam in populo, ex quo Christus erat nasciturus, instituit Deus quædam sanctitatis signa, quæ inceperunt in Abraham, qui primus promissionem accepit de Christo, et circumcisionem in signum fœderis consummandi, ut dicitur Gen. 17. Quia vero gentiles, nec justitiam servabant, nec sanctitatis signa in eis præfulgebant, propterea non fuit conveniens, quod Filius Dei de gentibus carnem assumeret.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 4.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse a scripturis, quod natura humana magis, idest valde, est inter omnes naturas assumptibilis á Filio Dei. Ut per hoc, quod dicitur Prov. 8. secundum quod cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Genes. 2. "Ádæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Immisitque Dominus, etc. Ædificavit eam in mulierem, etc. Relinquet homo, etc." Apostolus enim applicat dictum hoc Genesis ad incarnationem Christi, dicens Ephes. 5. "Quamobrem relinquet, etc. adhærebit uxori suæ, etc. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia." Ex eo igitur, quod in sacramento matrimonii Adæ non inveniebatur inter alia animantia adjutor similis ei, figurabatur, quod in magno sacramento conjunctionis duarum naturarum, scilicet divinitatis, et humanitatis in una persona novissimi Adæ, idest Christi, non erat invenienda natura aliqua ad propositum, idest assumptibilis ab ipso ad adjutorium regenerandi homines per mortem ipsius, nisi humana. Quod vero á figuris ad concludendum aliqua de figuratis liceat theologo procedere, exemplo suo sub persona Moysi, et Aaron nos docuit Concilium *Hispalense* 2. quod recitatur in veritatibus aureis super legem veterem, Levit. 8. concl. 2. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice interimas hæreses *Chanzinzariorum* dicentium: in Christo duas fuisse personas, unam passam,

alteram seorsum stetisse, et passionis spectatricem fuisse. Et hæresim *Elcesæorum* dicentium: Christum non unum, sed plures fuisse. Per hoc enim, quod hic efficaci ratione demonstratur, quod Christus non assumpsit personam, commonstratur evidenter: quod ipse duas personas non habuit. Quomodo enim duas habuisset, si unam non assumpsisset? *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari, et consequenter articuli conclusionem confirmari á Concilio *Toletano* 6. can. 1. " Deus perfectus, et homo perfectus; in duabus naturis una persona; ne quaternitas Trinitati accederet si in Christo geminata persona esset. » Item á dictis supra qu. 2. art. 2. 3. Item á Concilio *Chalcedonensi*, per suam definitionem in quinto postea, et sexto Conciliis generalibus renovatam. « His, qui in duos filios dispensationis divinæ mysterium discerpere nituntur, obsistit: *et infra.* Consonanter autem omnes docemus unum, eumdemque Filium Dominum nostrum Jesum Christum perfectum in deitate, eumdem perfectum in humanitate; Deum vere, et hominem vere, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, inseparabiliter agnoscendum, non in duas personas partitum, sive divisum. » Item ab eodem sexto Concilio. " Post incarnationem asserimus duas Christi esse naturas in una ejus radiante subsistentia, in qua tam miracula, quam passiones per omnem sui dispensationem conversatus non per phantasiam, sed veraciter demonstravit ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia agnoscendam. » Quæ et referuntur, atque renovantur in Conc. *Florent.* ut patet in constitut. *Eugenii IV.* super unione Armenorum. Item á Concilio *Uvormaciensi*, in professione fidei christianæ, dicente: *Dei Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, Papa, et Concilio ; quod Filius Dei non assumpsit hominem. A Papa quidem, cui intelligitur ipsa Synodus *Ephesina* concordare: ut est *in arg. cont.* A Concilio autem *Constantinopolitano* 5. Can. 5. " Si quis non confitetur, Dei verbum carni substantialiter uniri, et propterea unam ejus subsistentiam, vel unam personam, et ita sanctam Chalcedonensem Synodum unam Domini Nostri subsistentiam confiteri: talis anathema sit. Neque enim adjectionem personæ, vel subsistentiæ Sancta Trinitas suscepit ex incarnato uno de eadem Trinitate Deo Verbo. « Quæ ideo faciunt ad propositum, quia, si hominem assumpsisset, duas personas. seu subsistentias haberet. Et ita ex incarnato Deo Verbo adjectionem personæ Trinitas suscepisset: quod est hæresis manifesta. Vide ar. 2. append. quoniam dicta ibi cum his alterutrum se juvant. A scripturis vero per illud, quod interrogantibus judæis de persona Christi, ipse respondit Joan 8. *Principium, qui et loquor vobis.* Clarum est: quod judæi per ly *qui tu es* interrogabant de persona humanitatis Christi, cum non crederent divinitatem ejus. Cum ergo quærentibus illis de tali persona dicit Dominus *Principium:* idem est, ac si aperte dicat, persona meæ humanitatis est principium, idest, est Deus. Quod si persona ejus esset homo entitative, idest, esset ens humanum creatum, respondisset Christus, et quidem duplici jure, ego principiatum. Duplici, inquam, jure, quia persona creata est quid principiatum non solum á Deo creatore, sed etiam á principiis speciei, ex quibus fluit. Christus igitur juxta suum responsum erat homo, non quia assumpsisset hominem, idest, personam creatam: sed quia natura humana assumpta terminata fuit ad hoc, quod persona increata esset homo. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Ecclesia, et Damasceno insinuatum, quod Filius Dei non assumpsit naturam humanam abstractam ab omnibus individuis. A Damasceno quidem: ut in applicatione ponitur *in arg. cont.* Pro quo et nota: quod omnem scintillam hæreticis corridentem, quoad fieri potest, vitare debemus: et propterea tanto magis Damasceni hanc sententiam acceptare, eamque veram credere firmiter tenemur. Si enim contrarium hujus vel in speciem admitteremus, videremur saltem in verbis superficie tenus corridere, idest, favere *Manichæo:* qui totum mysterium incarnationis, ac nostræ re-

demptionis phantasticum fuisse phantasticus ipse dogmatizavit. Sic enim contra illum ait Papa *Eugenius* 4. in Concilio *Flor.* " Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur, et prædicat, Dei Filium in assumpta humanitate ex Virgine vere natum, vere passum, vere mortuum, et sepultum; vere ex mortuis ressurrexisse, in cœlum ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum in fine sæculorum ad vivos, mortuosque judicandos. Anathematizat autem, execratur, et damnat hæresim contraria sapientem: et Manichæum cum sectatoribus suis: qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt. » Hæc ille in constitution. super unione Jacobinorum. Á scripturis vero idipsum articuli intentum in principio appendic. positum insinuatur per hoc, quod dicitur 2. Cor. 1. " Dei Filius Jesus Christus non fuit in illo EST, et NON : sed EST in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo EST. » His namque verbis Apostolus vere fuisse in Christo adimpleta, connotat, quæ de mysterio humanitatis olim promiserat Deus in scripturis sanctis. Item per ly *Ego sum veritas,* Joann. 14. Veritas autem tam longe est á fictione quacumque, ut nec minimum quid falsitatis admittere queat: ita ut, etiamsi fingendi licentia detur, á nullo vel parum sapientie hujus oppositum nullo modo concipi possit. Verum siquidem á veritate deficit in hoc, quod falsitatem aliquam, saltem parvulam, saltem per imaginationem nostram potest compati: quandoquidem verum concretum est, veritas autem abstractum. Item per totum fere discursum 1. Corinth. 15. ubi de veritate mysteriorum Christi, et meritorum ejus pro nobis, puta resurrectionis nostrae, etc. Apostolus efficacissime ratiocinatur. Vide per te. Ab Ecclesia quoque insinuatur per hoc, quod in omnibus suis orationibus, sive collectis concludendo inquit, *Per Christum Dominum nostrum.* Hoc est: per merita Christi, quibus mihi meruit et hoc, et illud beneficium, etc. quod ego nunc orando á te deposco. Non meruisset autem, si assumptio fuisset in abstractione, ut dicit prima conclusio: ideoque per illud dictum suum Ecclesia, assumptionem non fuisse sic faciendam notificat. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Damasceno insinuatum, quod Filius Dei non debuit assumere naturam humanam in omnibus individuis. A Damasc. quidem ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod de Christo dicitur Psal. 117. " Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Nam, si in omnibus suppositis humanam naturam assumpsisset nullus ædificans eum reprobare potuisset, et hic, scilicet Christus, solus non conjunxisset caput anguli, id est, tam gentes, quam judæos in unam fidem catholicam. Vide ad 2. et 3. Ex illa ergo sententia scholasticis theologis propheta concludendum relinquit, quod Filius Dei, etc. ut supra. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod conveniens erat Deum carnem assumere ex stirpe Adæ, ut Luc. 3. secundum quod ponitur *in arg. cont.* Item Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Eva enim cum omnibus succedentibus mulieribus, quæ ibi cointelliguntur, ex stirpe Adae erat: et ipsa B Virgo, ex qua Verbum humanitatem accepit, contrivit caput serpentis, idest, superbum diabolum. Tunc ergo per illa verba praenunciavit Deus, quod ex stirpe Adae erat aliquando incarnandus. Item insinuatur, id fuisse conveniens ex hoc, quod tamquam conveniens adducitur in scripturis. Pro qua re universali, applicanda tamen ad hoc propositum speciale, vide de scripturarum convenientia: 1. 2. qu. 68. ar. 4. append. et 2. 2. qu. 122. art. 2. append. et qu. 140. ar. 1. append. *Secundo* vides: etc.

## QUÆSTIO QUINTA,

### DE MODO UNIONIS EX PARTE PARTIUM HUMANÆ NATURÆ, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de assumptione partium humanæ naturæ: et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus.

Secundo, utrum assumere debuerit corpus terrenum, scilicet carnem, et sanguinem.

Tertio, utrum assumpserit animam.

Quarto, utrum assumere debuerit intellectum.

### ARTICULUS I.

*Utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Filius Dei non assumpserit verum corpus.

1. Ille, qui factus est homo secundum similitudinem, non assumpsit verum corpus. Sed Filius Dei factus est homo secundum similitudinem. Ergo Filius Dei non assumpsit verum corpus.

Maior prob., quia quod est secundum veritatem, non dicitur esse secundum similitudinem.

Minor prob., quia ad Philipp. 2. dicitur, quod Filius Dei in similitudinem hominum factus est.

2. Ad Dei dignitatem pertinet, quod sit omnino á corpore separatus. Ergo Deus non assumpsit verum corpus.

Antecedens prob., quia assumptio humanæ naturæ, nullo modo derogavit dignitati divinitatis. Unde Leo Papa dicit in Serm. 1. de Nat. Dom. quod «nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio.»

Conseq. prob., quia si ad Dei dignitatem pertinet esse á corpore separatum, si corpus verum assumpsisset, derogatum fuisset huic divinæ dignitati per hoc, quod corpori fuisset unitus.

3. Apparitiones veteris testamenti, quæ fuerunt signa apparitionis Christi, non fuerunt secundum corporis veritatem, sed secundum imaginariam visionem. Sicut patet Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem*, etc. Ergo videtur, quod etiam apparitio Filii Dei in mundum non fuerit secundum corporis veritatem, sed solum secundum imaginationem.

Conseq. prob., quia signa debent respondere signatis.

#### PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in lib. 83. Qq. q. 14. «Si «phantasma fuit corpus Christi, fefellit «Christus, et si fefellit, veritas non est. «Est autem veritas Christus. Ergo non «fuit phantasma corpus ejus.» Et sic assumpsit verum corpus.

*Determinatio.*

Conclusio. Filius Dei assumpsit verum corpus.

Prob. primo. Quia dicitur in lib. de Eccles. dogm. cap. 2. «Natus est Dei «Filius, non putative quasi imaginatum «corpus habens, sed corpus verum.»

Secundo probatur triplici ratione. Prima sumitur ex ratione humanæ naturæ: et est. Qui assumpsit humanam naturam, debuit assumere verum corpus. Sed Filius Dei assumpsit humanam naturam, ut dictum est q. 1. art. 1. ergo Filius Dei assumpsit verum corpus.

Maior prob., quia ad humanam naturam pertinet verum corpus habere.

Secunda ratio sumitur ex his, quæ in mysterio incarnationis sunt acta. Si enim corpus Christi non fuit verum corpus, sed phantasticum, sequeretur quod nec veram mortem sustinuerit, nec aliquid eorum, quæ Evangelistæ de eo narrant, secundum veritatem gesserit, sed solum secundum apparentiam quamdam. Non enim phantasticum corpus potest secundum veritatem mori. Ex quo ulterius sequeretur, quod non fuerit vera salus hominis subsecuta. Et hoc quia oportet effectum suæ causæ proportionari: salus enim est effectus passionis, et mortis Christi, unde si non præcessit

vera, sed ficta mors, non potuisset vera salus subsequi.

Tertia ratio potest sumi ex ipsa dignitate personæ assumentis, quæ, cum sit veritas, non decuit ut in ejus opere aliqua fictio esset.

Et confirmatur conclusio: quia ipse Dominus, per semetipsum dignatus est hunc errorem excludere, et hanc veritatem confirmare, Lucæ ult. cum discipuli conturbati, et conterriti putabant se spiritum videre, et non verum corpus, et ideo se eis palpandum præbuit dicens: « Palpate, et videte, quia spiritus carnem « et ossa non habet, sicut me videtis ha- « bere. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliquid potest dici factum secundum similitudinem hominis dupliciter. Uno modo, ut similitudo non significet naturam hominis, nec aliquid ad naturam pertinens; sed quamdam imaginariam figuram repræsentantem hominem, ut Ezequiel. c. 1. dicitur similitudo hominis in eis. Alio modo, ut similitudo exprimat veritatem naturæ, sicut dicimus, quod generans generat sibi simile, idest ejusdem naturæ. Ad formam argumenti dicitur ad maiorem. quod est vera de eo, quod fit homo secundum similitudinem primo modo, non autem, quod est homo secundum similitudinem secundo modo. Tunc dicitur ad minorem, quod quando Apostolus dicit, quod Christus est factus secundum similitudinem hominum, loquitur de similitudine non phantastica, sed de ea quæ exprimit veritatem humanæ naturæ in Christo, per modum quo omnes, qui in humana natura vere existunt. Et ad hoc magis manifestandum subjungit Apostolus, quod *factus est obediens usque ad mortem*; quod fieri non potuisset, si habuisset solam phantasticam similitudinem, cum phantasticum corpus non possit vere pati.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod ad Dei dignitatem pertinet esse á corpore separatum, quantum ad hoc, quod non sit corporis forma: si enim Deus esset corporis forma, assumpsisset corpus in unitate naturæ, quod est impossibile, ut quæst. 2. art. 1. ostensum est; repugnat etiam hoc divinæ simplicitati. Unire autem sibi corpus in unitate personæ, salva naturarum distinctione, non derogat divinæ dignitati, et hoc modo Deus est corpori unitus. Ex qua unione nullum detrimentum divinæ dignatati illatum est. Unde August. dicit in lib. de fide ad Pet. c. 2. « Exinanivit seipsum formam « servi accipiens, ut fieret servus; sed for- « mæ Dei plenitudinem non amisit. »

Potest hoc argumentum aliter formari, et apertior ei potest aptari responsio, hoc modo: illud cujus assumptio derogat dignitati divinæ non debuit assumi á Filjo Dei. Sed assumptio veri corporis derogat divinæ dignitati. Ergo Filius Dei non debuit verum corpus assumere.

Maior prob., quia assumptio humanæ naturæ nullo modo derogavit dignitati divinitatis, ut Leo Papa dicit.

Minor prob., quia ad Dei dignitatem pertinet quod sit á corpore separatus.

Ad argumentum sub hac forma dicitur, negando minorem. Ad cujus probationem dicitur quod esse unitum corpori ut forma, derogat dignitati divinæ, non autem esse unitum corpori secundum esse personale, ut dictum est in alia responsione.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod figura debet respondere rei, quantum ad similitudinem, non quantum ad rei veritatem. Si enim secundum omnia esset similitudo, jam non esset signum, sed ipsa res, ut Dam. dicit tertio lib. orthod. fid. c. 26. Conveniens ergo fuit ut apparitiones veteris testamenti essent secundum apparentiam; quasi figuræ; apparitio autem Filii Dei in mundo esset secundum corporis veritatem, quasi res figurata per illas figuras. Unde

Apostolus 2. Col. 2. dicit: *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.*

## ARTICULUS II.

*Utrum Dei Filius debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non habuerit corpus carnale, sive terrestre, sed cœleste.

1. Primus homo scilicet Adam fuit de terra quantum ad corpus, ut patet Gen. 1. Ergo secundus homo, scilicet Christus, fuit de cœlo, quantum ad corpus.

Conseq. prob., quia Apostolus 1. Cor. 15. dicit: *primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.*

2. Ille in quo principaliter est regnum Dei, non habet carnem et sanguinem. Sed in Christo principaliter est regnum Dei. Ergo in Christo non est caro, et sanguis, sed magis corpus cœleste.

Maior probat., quia *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, ut dicitur 1. Cor. 15.

3. Omne quod est optimum, est Deo attribuendum. Sed corpus cœleste inter omnia corpora est nobilissimum. Ergo corpus cœleste debuit Christus assumere, et non terrenum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Qui habet carnem et ossa non assumpsit corpus cœleste, sed terrenum. Sed Christus habet carnem, et ossa. Ergo Christus assumpsit corpus terrenum, et non cœleste.

Maior probat., quia caro et ossa non sunt ex materia cœlestis corporis.

Minor prob., quia Lucæ ult. dicitur: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

*Determinatio.*

Conclusio. Corpus Christi non debuit esse cœleste, sed terrenum, habens carnem, et sanguinem.

Probatur iisdem rationibus, quibus probatum est quod Christi corpus non debuit esse phantasticum, in art. præcedenti.

Prima est. Quia si Christus assumpsisset cœleste corpus, non salvaretur in eo veritas humanæ naturæ: sicut enim veritas humanæ naturæ non salvaretur in Christo, si corpus ejus esset phantasticum, ut posuit Manichæus; ita etiam non salvaretur, si poneretur cœleste, sicut posuit Valentinus. Et hoc ostenditur. Ille in quo salvatur veritas humanæ naturæ, debet habere carnem et ossa. Sed corpus cœleste non habet carnem et ossa. Ergo in eo quod habet corpus cœleste, non salvatur veritas humanæ naturæ.

Maior prob., quia cum forma hominis sit quædam res naturalis requirit determinatam materiam, scilicet carnes et ossa, quæ oportet poni in diffinitione hominis, ut patet 7. metth. textu 39. Unde qui non habet carnes et ossa non habet ea, quæ pertinent ad hominis diffinitionem, ac per hoc in eo non salvatur veritas humanæ naturæ; et ideo, si Christus haberet corpus phantasticum, vel cœleste, non haberet veram humanam naturam, sed solum apparentem et fictam.

Secunda ratio est: quia hoc derogaret veritati eorum, quæ Christus in corpore gessit. Cum enim corpus cœleste sit impassibile, et incorruptibile, ut prob. lib. 1. de cœl. textu 20. si Filius Dei assumpsisset corpus cœleste, non vere esuriisset, nec sitisset, nec etiam passionem et mortem sustinuisset. Quia scilicet corpus cœleste, sicut etiam phantasticum, non potest pati famem, sitim, nec mortem potest sustinere.

Tertia ratio est. Quia hoc derogat divinæ veritati. Cum enim Filius Dei se hominibus ostenderit, quasi corpus carneum et terrenum habens, fuisset falsa demonstratio, si corpus cœleste habuisset. Et confirmatur conclusio: quia dicitur in lib. de Eccles. dogm. cap. 2. «Natus est Dei Filius, carnem ex Virginis «corpore trahens, et non de cœlo secum

« afferens. » Dicere igitur, quod Christus corpus cœleste assumpsit, derogat veritati humanæ naturæ in Christo, veritati eorum quæ passus est, et veritati divinæ, qua Deus se demonstravit in carne.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod Christus dicitur de cœlo cœlestis; non quia habuerit corpus cœleste; sed quia de cœlo descendit. Dicitur autem Christus de cœlo descendisse dupliciter. Uno modo ratione divinæ naturæ, non ita quod natura divina in cœlo esse desierit, sed quia in infimis novo modo esse cœpit, scilicet secundum naturam assumptam, secundum illud Jo. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlis.* Alio modo dicitur quod Christus descendit de cœlo ratione corporis, non quia ipsum corpus Christi secundum suam substantiam de cœlo descenderit; sed quia virtute cœlesti, idest Spiritu Sancto, est ejus corpus formatum. Unde Aug. dicit ad Orosium dial. 65. Qq. q. 4. exponens auctoritatem Apostoli Pauli inductam in argumento. *Cœlestem dico Christum, quia non ex humano conceptus est semine.* Et hoc etiam modo hanc sententiam exponit Hilarius in lib. 10. de Trin. Est igitur Christus homo cœlestis, quia descendit de cœlo quantum ad divinitatem, et etiam quantum ad corpus, non quod de cœlo corporis substantiam traxerit, sed quia virtute Sancti Spiritus, sine virili semine, fuit formatum.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod caro et sanguis non accipiuntur ibi pro substantia carnis et sanguinis, sed pro corruptione carnis et sanguinis, quæ quidem in Christo non fuit quantum ad culpam, fuit tamen in eo hæc corruptio ad tempus, quantum ad pœnam, ut opus nostræ redemptionis expleret.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod quamvis corpus cœleste sit perfectissimum, tamen assumptio terreni corporis maius opus fuit, quam si assumpsisset corpus cœleste. Nam hoc ipsum ad maximam Dei gloriam pertinet quod corpus infirmum et terrenum ad tantam provexerit sublimitatem. Unde in Ephes. Synod. legitur verbum Theophili dicentis: « qualiter artificum optimi, non in « pretiosis tantum materiebus, artem os- « tendentes, in admiratione sunt, sed vi- « lissimum lutum, et terram dissolutam « plerumque assumentes, suæ disciplinæ « demonstrantes virtutem, multo magis « laudantur: ita omnium optimus arti- « fex Dei Verbum, non aliquam pretio- « sam materiam corporis cœlestis appre- « hendens, ad nos advenit, sed in luto « magnitudinem suæ artis ostendit. »

## ARTICULUS III.

*Utrum Filius Dei assumpserit animam.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod Filius Dei non assumpserit animam.

1. Joannes Evangelista cap. 1. incarnationis mysterium tradens, dixit: *Verbum caro factum est*, idest, Verbum carnem assumpsit, nulla facta de anima mentione. Ergo videtur quod Verbum Dei non assumpserit animam.

2. Illud quod superflue fuisset in Christo, non est assumptum á Verbo. Sed anima fuisset superflua in Christo. Ergo anima non est assumpta á Verbo.

Maior probat., quia Deus, et natura nihil frustra faciunt, ut etiam Phil. dicit 1. de Cel. textu 32. Unde nihil superfluum est á Verbo assumptum.

Minor prob. Anima non fuit necessaria in Christo ad vivificandum corpus. Ergo fuisset superflue assumpta.

Antecedens probat., quia in corpore Christi est Verbum Dei, de quo dicitur in Psal. 35. *Domine apud te est fons vitæ.*

Conseq. prob., quia anima necessaria est corpori ad hoc quod per eam vivificetur. Si igitur in Christo est Verbum quod est vitæ fons vivicans, superflue assumpta fuisset anima ad vivificandum.

3. Ex unione animæ et corporis constituitur natura communis, quæ est species humana. Ergo Filius Dei non assumpsit animam.

Conseq. prob., quia in Domino Jesu Christo non est communem speciem accipere.

Aliter. In Domino Jesu Christo, non est communem speciem accipere. Ergo Verbum non assumpsit animam.

Conseq. prob., quia ex unione animæ et corporis constituitur natura communis quæ est humana species. Et sic in Christo esset communem speciem accipere.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Augustinus dicit in lib. de agone christiano cap. 21. « Non eos audiamus « qui solum humanum corpus dicunt esse « susceptum á Verbo Dei, et sic audiunt « quod dictum est: Verbum caro factum « est, ut negent illum hominem, vel ani« mam, vel aliquid hominis habuisse ni« nisi carnem solam. »

*Determinatio.*

*Arrii, et Apollinaris error.*

Arrius primo, et postea Appollinaris dixerunt quod Filius Dei solam carnem assumpsit absque anima, ponentes quod fuerit Verbum carni, loco animæ. Ut dicit Augustinus in lib. de Hæresibus cap. 49. et 55. Ex quo sequebatur quod in Christo non fuerint duæ naturæ, sed tantum una, scilicet divina. Nam natura humana ex anima et carne constituitur. Unde si in Christo non esset anima humana, non esset humana natura.

*Reprobatio.*

Sed hæc positio non potest stare propter tria. Primo, quia repugnat auctoritati scripturæ, in qua Dominus de sua anima facit mentionem. Matth. enim 26. dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, et Jo. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam.*

*Appollinaris responsio.*

Sed ad hoc respondebat Appollinaris quod in his verbis, anima metaphorice sumitur, per quem modum in veteri testamento Dei anima commemoratur, Isaiæ 1. dicitur: *calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea.*

*Reprobatio responsionis Apollinaris.*

Sed sicut dicit August. lib. 83. Qq. qu. 80. evangelistæ in evangelica narratione narrant quod miratus est Jesus, et iratus et contristatus, et quod esuriit. Quæ quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse, sicut ex hoc quod comedit, et dormivit, et fatigatus est, demonstratur eum habuisse verum corpus humanum. Alioquin si et hæc ad metaphoram referantur, cum similia legantur in veteri testamento de Deo, peribit fides evangelicæ narrationis. Aliud enim est quod prophetice nuntiatur in figuris; aliud quod secundum rerum proprietatem ab evangelistis historice scribitur.

Secundo derogat prædictus error utilitati incarnationis, quæ est liberatio hominis. Ut enim argumentatur August. in lib. contra Felicianum cap. 13. « Si accepta carne Filius Dei animam omisit, aut innoxiam sciens, medicinæ indigentem non credidit; aut á se alienam putans, redemptionis beneficio non donavit; aut ex toto insanabilem judicans curare nequivit; aut ut vilem, et quæ nullis usibus apta videretur, abjecit. Horum duo blasphemiam important in Deum. Quomodo enim diceretur omnipotens, si curare non potuit desperatam? Aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus autem aliis in uno animæ causa nescitur, in altero meritum non tenetur. An intelligere causam putandus est animæ, qui eam ad accipiendam legem, habitu insitæ rationis instructam, á peccato voluntariæ trangressionis nititur separare? Aut quomodo ejus generositatem novit qui ignobilitatis vitio dicit esse despectam? Si originem attendas, pretiosior est animæ substantia; si transgressionis

culpam, propter intelligentiam, peior est carne. Ego autem Christum, et perfectam sapientiam scio, et piissimum esse non dubito: quorum primo meliorem, et prudentiæ capacem non despexit; secundo eam quæ magis fuit vulnerata, suscepit: » quæ Augustini ratio consistit in hoc. Si Filius Dei animam non assumpsit simul cum humana carne, aut eam non suscepisset, quia eam putavit innoxiam, et per hoc non credidit eam indigentem esse medicinæ, aut quia putavit eam á se alienam, quasi non factam ab ipso, et propterea eam noluerit beneficio redemptionis donare; aut quia eam ex toto insanabilem judicavit, et eam curare non potuit; aut quia existimavit eam tam vilem, et abjectam, quod nullis usibus esset apta, et propterea eam abjecerit. Quorum autem quatuor, duo important blasphemiam in Deum, scilicet, secundum et tertium. Dicere enim quod Deus reputaverit animam alienam á se, quasi ipsam non produxerit, derogat huic veritati quod ipse sit omnium Deus: non enim esset omnium Deus, et omnium creator, si animam á se alienam reputaret. Dicere etiam quod Deus non potuerit animam sanare, derogat ejus omnipotentiæ. Et hoc est quod dicit August. quomodo dicetur omnipotens, si curare non potuit desperatam? Aut quomodo omnium Deus, si ipse non fecit animam nostram?

Alia vero duo scilicet primum et ultimum ingerunt Deo ignorantiam causæ ipsius animæ, et quod Deus animæ dignitatem non attendat. Si enim Deus renuisset suscipere animam, quia eam innoxiam existimavit; igitur Deus ignoravit animæ carnem in animæ peccatum. Quod est falsissimum, quia Deus sua sapientia sciens animæ culpam, nititur per legem separare ipsam á peccato voluntariæ transgressionis. Si vero Deus renuisset suscipere animam quia existimavit eam tam vilem, et abjectam ut nullis usibus esset apta, sequitur quod Deus non attendat animæ dignitatem. Non enim Deus propter hanc causam debuit eam abjicere. Quia si attendamus originem animæ quantum ad substantiam, est nobilior carne. Si attendamus ejus culpam, est peior carne. Unde sicut Deus carnem assumpsit humanam, ita debuit assumere animam. Si enim assumpsit carnem humanam propter nobilitatem substantiæ, magis debuit assumere animam. Si assumpsit carnem, quia per peccatum fuerat maculata, magis debuit assumere animam, in qua magis peccati macula invenitur. Et hoc est quod Aug. subjungit. Duobus autem aliis, in uno animæ causa nescitur, scilicet si dicatur quod Deus animam non æstimaverit medicinæ indigentem. In altero meritum non tenetur, scilicet si dicatur quod Deus non assumpsit animam, propter ejus utilitatem. Et utrumque horum ostendit esse absurdum, dum subdit. «Quomodo non intelligere causam putandus est animæ, qui eam ad accipiendam legem, habitu insitæ rationis instructam, à peccato voluntariæ transgressionis nititur separare? Aut quomodo ejus (scilicet anima) generositatem novit (scilicet Deus) si ignobilitatis vitio dicit esse despectam? Si originem attendas, pretiosior est animæ substantia, si transgressionis culpam, propter intelligentiam, peior est carne.»

Tertio hæc positio Atrii et Apollinaris est contra ipsam incarnationis veritatem. Caro enim, et cœteræ partes hominis per animam speciem sortiuntur. Unde recedente anima, non est os, et caro, nisi æquivoce: ut patet per Phil. 2. de anima tex. 9. et 7. met. tex. 34. Si igitur Dei Filius non assumpsisset animam, neque humanam carnem assumpsisset.

Ex quibus habetur conclusio responsiva cum sua probatione, quæ est:

Conclusio. Filius Dei assumpsit animam humanam. Probatur primo, quia dicere quod Filius Dei non assumpserit animam, est error Arrii, et Apollinaris.

Secundo. Quia hoc repugnat auctoritati Scripturæ. Tertio. Repugnat utilitati incarnationis. Quarto. Repugnat veritati incarnationis, ut ostensum est reprobando Arrii et Apollinaris errores.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod cum dicitur « Verbum caro factum est, » caro ponitur pro toto homine, et est ac si diceretur, « Verbum homo factum est. » Sicut Isa. cap. 40. dicit « Videbit omnis « caro pariter, quod os Domini locutum « est. » Ideo autem totus homo per carnem significatur, quia per carnem Filius Dei visibilis apparuit. Unde subditur Jo. 1. « Et vidimus gloriam ejus. » Vel ideo per carnem in inducta auctoritate totus homo significatur, quia ut Aug. dicit in lib. 83. Qq. q. 80. « in tota illa unitate « susceptionis, principale Verbum est; « extrema autem, atque ultima caro: vo- « lens itaque Evangelista commendare « pro nobis dilectionem humilitatis Dei, « Verbum, et carnem nominavit, omit- « tens animam, quæ est Verbo inferior, « et carne præstantior. » Rationabile etiam fuit, ut nominaret carnem, quæ propter hoc, quod magis distat à Verbo, minus assumptibilis videbatur. Non igitur Evangelista omisit animam, sed eam nomine humanæ carnis, tamquam humanæ carnis formam, significavit.

Ad 2. Negatur minor. Ad cujus prob. negatur antecedens. Ad ejus probationem dicitur, quod Verbum est fons vitæ, sicut prima causa vitæ effectiva: anima vero est principium vitæ corporis, tamquam forma ipsius. Et quia forma est effectus agentis, ideo ex præsentia Verbi magis concluditur, quod corpus esset animatum, sicut ex præsentia ignis potest concludi quod corpus, cui ignis adhæret, sit calidum; sive, quod habeat formam caloris, quæ est effectus ignis in corpore per ignem calefacto.

Ad 3. Negatur consequentia primæ formæ. Ad prob. dicitur, quod Dam. non vult dicere, quod in Christo non sit accipienda communis species animæ, et corporis: non solum enim non est inconveniens, sed est necessarium, quod in Christo fuerit natura, quæ constituitur per animam corpori advenientem. Negat autem Dam. in Domino Jesu Christo communem speciem, quasi aliquod tertium resultans ex unione divinitatis, et humanitatis, commune utrique, ut etiam superius dictum est.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum Filius Dei debuerit assumere intellectum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Filius Dei non assumpserit mentem humanam, sive intellectum.

1. In eo, in quo est præsentia Verbi divini, non oportet esse mentem humanam. Sed in Christo est præsentia divini Verbi. Ergo in Christo non oportuit esse mentem humanam.

Maior prob. Ubi est præsentia rei, non requiritur ejus imago. Sed in eo, in quo est Verbum, est præsentia rei, cujus mens humana est imago. Est enim homo ad Dei imaginem, secundum mentem, ut August. dicit lib. 14. de Trin. c. 3. Ergo in eo, in quo est Verbum Dei, non oportet esse humanam mentem.

2. Ubi est maius illuminans, non oportet esse minus illuminans. Sed in Christo est Verbum Dei, quod est « lux « illuminans omnem hominem venientem « in hunc mundum, » ut dicitur Jo. 1. et quod comparatur ad humanam mentem, sicut lux maior ad minorem; nam et ipsa mens est quædam lux, quasi lucerna illuminata á prima luce, secundum illud Prov. 20. « Lucerna Domini « spiraculum hominis. » Ergo in Christo non oportuit esse humanam mentem.

Maior prob., quia maior lux offuscat minorem.

3. Illud, quod est assumptum á Filio Dei, est caro, vel in carne. Sed intellectus, sive mens humana non est caro, ut de se patet: neque est actus carnis, cum intellectus nullius corporis sit ac-

tus, ut dicitur 3. de Anima. tex. 6. Ergo Filius Dei non assumpsit intellectum, sive mentem humanam.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in lib. de fide ad Pet. cap. 24. « Firmissime tene, et nullatenus du-« bites Christum Filium Dei habere ve-« ram nostri generis carnem, et animam « rationalem, qui de carne sua dicit: pal-« pate, et videte, quia spiritus carnem et « ossa non habet, sicut me videtis habere, « Lucæ ult. Animam quoque se habere «ostendit dicens. Ego pono animam meam, « et iterum sumo eam, Jo 10. Intel-« lectum quoque animæ ostendit se ha-« bere dicens: Discite á me quia mitis « sum, et humilis corde, Matth. 11. « Et de ipso per Prophetam Deus dicit: « Ecce intelliget puer meus, Isaiæ « capit. 52. »

*Determinatio.*

*Apollinaristarum positio.*

Apollinaristæ de anima Christi á catholica Ecclesia dissenserunt, ut dicit Aug. in lib. de Heres. hæresi 49. et 55. dicentes sicut Arriani, Deum Christum carnem solam sine anima suscepisse. In qua quæst. testimoniis evangelicis victi, mentem defuisse animæ Christi, sed pro hac, ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt.

*Reprobatio.*

Sed hæc positio iisdem rationibus convincitur, quibus reprobata est positio de assumptione animæ, in articulo præcedenti.

Primo enim hæc positio adversatur narrationi evangelicæ, quæ commemorat Christum fuisse miratum, ut dicitur Matth. 8. Admiratio absque ratione esse non potest, quia admiratio importat collationem effectus ad causam, dum aliquis scilicet videt effectum, cujus causam ignorat, et quærit, ut dicitur in principio Metaph.

In forma. Qui miratur, habet intellectum. Sed Christus miratus est, ut evangelica narrat historia. Ergo Christus habuit intellectum.

Maior prob., quia admiratio sine intellectu esse non potest, ut dictum est.

Secundo, repugnat utilitati incarnationis, quæ est justificatio hominis á peccato. Anima enim humana non est capax peccati, nec gratiæ justificantis, nisi per mentem. Unde præcipue oportuit humanam mentem assumi.

In forma. Illud sine quo anima non est capax gratiæ, nec peccati, oportuit á Filio Dei assumi. Sed sine mente, anima non est capax gratiæ, nec peccati. Ergo mentem oportuit á Filio Dei assumi.

Maior prob., quia incarnatio facta est ad justificandum hominem á peccato. Unde debuit assumi id, sine quo anima non est peccati capax, et gratiæ.

Et confirmatur hæc ratio auctoritate Dam. lib. 3. ortod. fid. cap. 8. dicentis, quod " Dei verbum assumpsit cor-" pus, et animam intellectualem, et ra-" tionalem. " Et postea subdit. " Totus " toti unitus est, ut toti mihi salutem " largiretur. Quod enim inassumptum " est, incurabile est. "

Tertio. Hoc repugnat veritati incarnationis. Cum enim corpus proportionetur animæ, sicut materia propriæ formæ, non est vere caro humana quæ non perficitur per humanam animam, quæ est anima rationalis. Et ideo, si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem, quia per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali. Unde dicit August. lib. 83. Qq. q. 80. quod secundum hunc errorem sequeretur quod " Filius Dei belluam quamdam cum fi-" gura humani corporis suscepisset. " Quod repugnat, non solum veritati incarnationis; sed etiam veritati divinæ quæ nullam patitur fictionis falsitatem.

In forma. Qui assumpsit veram humanam carnem, assumpsit etiam mentem. Non enim vera caro humana sine mente esse potest, cum anima rationalis sit pro-

pria forma humanæ carnis, et sine qua caro non esset humana, sed bestialis, ut modo dictum est ex August. Sed Filius Dei assumpsit humanam carnem. Ergo assumpsit etiam mentem.

Et iterum si non assumpsisset mentem derogatum fuisset divinæ veritati, quæ nullam falsitatis fictionem patitur, et tamen fuisset fictio, si apparuisset Christus in humana carne; quæ tamen non esset vera humana caro sine mente.

Ex quibus sequitur responsiva conclusio ad quæsitum.

Conclusio. Dei Filius assumpsit intellectum, sive mentem.

Probatur primo, quia oppositum est error Apollinaris. Secundo, quia oppositum repugnat narrationi evangelicæ. Tertio, quia repugnat oppositum utilitati incarnationis. Quarto, veritati incarnationis. Quinto, veritati divinæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod ubi est ipsa res per sui præsentiam non requiritur ejus imago, ad hoc ut imago suppleat locum rei. Sicut ubi est imperator, milites non venerantur ejus imaginem. Requiritur tamen cum præsentia rei, imago ipsius, ut ipsa imago perficiatur ex præsentia rei, cujus est imago. Sicut imago ceræ perficitur per impressionem sigilli, et imago hominis resultat in speculo ex ipsius hominis præsentia. Unde ad perficiendum mentem humanam quæ est ad Dei imaginem, necessarium fuit, quod eam Deus sibi univerit.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod lux maior evacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis, non tamen evacuat, sed perficit lucem corporis illuminati: ad præsentiam enim solis, stellarum lux evacuatur, sed lumen aeris perficitur. Intellectus autem, sive mens hominis est quasi lux illuminata á luce Verbi, et ideo per præsentiam Verbi non evacuatur mens hominis; sed magis perficitur.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod omne quod est assumptum á Filio Dei, est caro, vel est in carne, vel est in eo, quod est actus carnis, scilicet in anima. Tunc ad minorem dicitur, quod etsi intellectus, sive mens non sit caro, neque actus carnis; est tamen ut in subjecto in anima, quæ secundum suam essentiam est actus carnis. Quæ cum sit tantæ nobilitatis, ut possit habere potentiam intelligendi, respondet ei corpus, taliter dispositum, ut possit esse talis animæ proportionata materia.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 5.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem tum directam (hæc ponitur in corpore) tum indirectam (hæc est solutio argumentorum: quoniam signum veritatis est, quando ex ipsa solvuntur objecta in contrarium: ut habetur á Philosopho in Physicis) interimas hæresim *Manichœi*, et *Colorbosii*, dicentium, quod Christus non habuit verum corpus; et iliam *Cerdonis* dicentis, quod Christus non habuit carnem. Per hoc enim quod Manichæus et Colorbos. expresse dixerunt, quod ipse non fuit verus homo, patenter cointellexerunt, quod non habuit verum corpus: quoniam ad esse verum hominem requiritur necessario verum corpus, et consequenter ubi non est veritas essentiæ hominis, ibi non est veritas corporis. Similiter per hoc, quod Cerdon carnem expresse negavit in Christo, intelligitur necessario, quod verum corpus eum non assumpsisse dixerit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas

merito damnari á *Luc. ult.* secundum quod est *in arg. cont.* Pro quo nota circa differentiam inter concretum, et abstractum, dicta q. 4. art. 4. append. super ly *Ego sum veritas*, Jo. 14. Item á Papa Eug. 4. in Conc. Flor. ut patet in ead. append. Item ar. 1. Cor. 15. Apost. enim ibi diffuse monstrat legentibus: quantum execretur, abhorreat, et condemnet admittere vel indirecte volentes falsitatem quantumcumque etiam minimam in Christo, et in his, quæ sunt catholicæ fidei. In tantum enim vult omnia dicta per fidem de Christo esse vera, pro verisque firmiter tenenda; ut seipsum, et coapostolus audeat appellare falsos testes, et falsum testimonium contra Deum ferentes, si prædicassent Deum suscitasse Christum ex mortuis, posito, quod Deus vere non suscitasset ipsum. Tanta est ergo secundum illum veritas fidei, ut nec etiam excellentissima de Deo dicta, puta, quod suscitaverit Christum ex mortuis, admitteret umquam, si Deus ipsum re vera non suscitasset. Multo minus ergo infirmum hoc, scilicet, Christum habere verum corpus, admitteret, et multo magis hoc ipsum prædicare abhorreret; si Christus in rei veritate corpus verum non haberet. Non tantum ergo Apostolus Manichæum cum complicibus, sed etiam quoscumque alios fictionem vel minimam quibuscumque rebus fidei inserere volentes cum omnibus eorum erroribus, et hæresibus, per illud suum capitulum condemnat, reprobat, et detestatur. Item a. 2. Cor. 1. ut recitatur sup. q. 4. a. 4. append. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem Deut. 9. conc. 7. et Gen. 17. conc. 6. Item á symbolo Athanasii, quod (juxta Conc. Flor.) est compendiosa regula fidei. " Est fides recta, ut credamus, et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Deus, et homo est, etc. Homo est ex substantia matris in sæculo natus, etc. Perfectus homo ex anima rationali, et humana carne subsistens. » Item á Concilio *Tolet.* 1. cap. 21 " Credimus: non imaginarium corpus, aut phantasmatis alicujus in Domino nostro Jesu Christo fuisse, sed solidum, atque verum. » Item á Rom. 9. "Quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem. » Et quomodo Christus secundum carnem esset ex patribus illis, scilicet Abraham, Isaac, Jacob, etc. ut ex Matth. 1. dicitur, si carnem vere humanam, corpusque humanum, ut illi habuerunt, veraciter non haberet? *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Valentini* dicentis: quod Christus á patre missus corpus cœleste secum traxit, atque per Virginem, tamquam per rimam quamdam, sine ulla carne de ea assumpta, transivit: et hæresim *Apollinaris* dicentis: quod Christus carnem non adventitiam suscepit, sed, antequam descendisset, in cœlo ante sæcularem et consubstantialem habuit. Et hæresim *Mennotitarum* dicentium: quod Christus non ex Virginis carne, sed ex Dei patris substantia cælitus attulit corpus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Papa *Eugenio* IV. in Concil. Flor. ut supra q. 4. a. 4. append. Item ab eodem ibidem. " Sacrosancta Ecclesia anathematizat Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine matre cepisse, sed corpus cœleste sumpsisse, atque ita transisse per uterum Virginis, sicut per aquæductum defluens aqua transcurrit. » Item á Concilio *Ephesino* 1. per hoc, quod dicit Can. 1. " Si quis non confitetur; Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam Virginem (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum) anathema sit. » Item á Concilio *Constantinopolitano* 5. cap. 6. " Si quis abusive, et non vere, Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam: anathema sit. » Non enim esset vere Mater Dei, si Verbum ex ea corpus non assumpsisset, aut aliunde habuisset: ut patet. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Arrii, et Apollinaris* dicentium: Filium Dei non assumpsisse animam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concil. Ephes. 1. Can. 13. " Non dicimus, quod Dei natura conversa, vel immutata sit: sed quod carnem anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter: et ineffabiliter factus sit homo. » Item á Concilio *Rom.* sub Damaso Papa. " Anathematizamus eos, qui pro hominis anima

rationali, et intelligibili dicunt, Dei Verbum in humana carne versatum: cum ipse Filius sit Verbum Dei, et pro anima rationali, et intelligibili in suo corpore non fuerit, sed nostram, idest, rationalem, et intelligibilem sine peccato animam susceperit. » Hæc illud. De quo vide in libris Conciliorum inter decreta Damasi Papæ. Item á Concilio *Calcedo.* dicente. " Consentientes sanctis Patribus unum, eumdemque Filium confiteri Dominum nostrum Jesum Christum consona voce edocemus, pariter perfectum eumdem in deitate Deum, et hominem verum eumdem ex anima rationali, et corpore, etc. » Vide sup. q. 4. ar. 4. append. Item á Papa Eugen. IV. in Conc. Flor. " Sacrosancta Ecclesia anathematizat Arrium, qui asserens corpus ex Virgine assumptum anima caruisse, voluit, loco animæ fuisse deitatem. » Hæc ille in constit. super unione Jacobinor. Item ab Ecclesia in offic. Circumc. Domini. "Creator generis humani animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est. » *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Apollinaris* dicentis, quod Christus assumpsit animam, quæ mentem non habebat: sed Verbum divinum fuit pro mente in homine assumpto. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Conciliis sup. a. 3. append. et q. 4. ar. 4. append. Item á Clemente V. in Concilio *Viennensi,* per hoc, quod dicit. " Fidei catholicæ fundamento firmiter inhærentes aperte cum sancta matre Ecclesia confitemur, unigenitum Dei Filium corpus humanum passibile, et animam intellectivam, seu rationalem ipsum corpus vere, per se, et essentialiter informantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suæ personæ. » Hæc in Clementin. de sum. Trin. et fid. cathol. Item á Concilio *Tolet.* 1. in assertione fidei contra *Priscillianistas.* " Si quis dixerit, vel crediderit, carnem tantum sine anima á Filio Dei fuisse susceptam: anathema sit. » Ubi per ly *anima* intelligit animam intellectivam: nam dixerat, Filium Dei esse per assumptionem verum hominem. Item á Papa *Eugenio* IV. in Conc. Flor. " Sacrosancta Ecclesia anathematizat Apollinarem, qui in Christo solam posuit animam sensitivam, et deitatem Verbi vicem rationalis animæ tenuisse. » Hæc ille in constitut. super union Jacobinorum. Vide 1. q. 3. art. 2. et 8. cum Elucid. *Tertio* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO SEXTA,

### DE MODO ASSUMPTIONIS QUANTUM AD ORDINEM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ordine assumptionis prædictæ.

*Circa quod quæruntur sex.*

Primo, utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

Secundo, utrum assumpserit animam mediante spiritu, sive mente.

Tertio, utrum anima fuerit prius assumpta á Verbo, quam caro.

Quarto, utrum caro Christi fuerit prius á Verbo assumpta, quam animæ unita.

Quinto, utrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.

Sexto, utrum sit assumpta mediante gratia.

### ARTICULUS I.

*Utrum Filius Dei assumpserit carnem, mediante anima.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod Filius Dei non assumpserit carnem mediante anima.

1. Deus est in omnibus creaturis immediate per essentiam, potentiam, et præsentiam, ut probatum est 1. p. qu. 8. art. 3. Ergo multo magis Filius Dei immediate, et non mediante anima unitur carni.

Conseq. prob. quia perfectior est modus, quo Filius Dei unitur humanæ na-

turæ, et partibus ejus, quam modus, quo est in omnibus creaturis.

Aliter. Ille qui perfectiori modo unitur humanæ naturæ, et partibus ejus, quam sit in omnibus creaturis, non assumpsit carnem, mediante anima, sed utrumque immediate. Sed Filius Dei perfectiori modo, et magis est unitus humanæ naturæ et partibus ejus, quam sit in aliis creaturis. Ergo Filius Dei non assumpsit carnem mediante anima, sed immediate utrumque assumpsit.

Maior prob., quia Deus est in omnibus rebus immediate per essentiam, et potentiam, et præsentiam. Ergo magis immediate debuit uniri humanæ naturæ.

2. Illud quod immediate pertinet ad personam, sive ad hypostasim hominis, sicut et anima, non est assumptum á Filio Dei, mediante anima. Sed corpus immediate pertinet ad personam, sive ad hypostasim hominis, sicut et anima, quinimo magis quam anima. Ergo Filius Dei non assumpsit carnem, mediante anima.

Maior prob., quia anima et caro unita sunt Dei Verbo in unitate hypostatica, seu personæ. Unde illud quod pertinet ad personam sicut anima, immediate est assumptum sicut anima.

Minor prob. Et quod corpus pertineat ad hypostasim hominis manifestum est. Constat enim humanum suppositum ex anima et corpore. Quod vero corpus magis pertinet hypostasim, ostenditur. Materia magis pertinere videtur ad hypostasim, quam forma: quia materia est principium individuationis, quæ individuatio significatur nomine hypostasis. Sed corpus est materia, anima vero est forma. Ergo magis videtur pertinere ad rationem suppositi, vel personæ corpus, quam anima.

3. Illud quod remanet unitum carni, etiam separata anima á carne, non unitur carni, mediante anima. Sed Verbum Dei remansit unitum carni, etiam separata anima á carne, ut patebit infra qu. 50. art. 2. ad 2. Ergo Filius Dei non est unitus carni mediante anima.

Maior prob., quia remoto medio, separantur ea quæ per medium conjunguntur, sicut remota superficie, cessaret color á corpore, qui inest corpori per superficiem.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in Epist. 3. ad Vol. «Ipsa magnitudo divinæ virtutis animam «sibi rationalem, et per eamdem corpus «humanum, totumque omnino hominem «in melius mutandum coaptavit.»

*Determinatio.*

Propter medium (quod importatur per illud verbum positum in titulo quæsiti) scilicet (mediante) importat ordinem quemdam, dicitur enim medium respectu principii, et finis. Unde sicut principium, et finis important ordinem quemdam, ita medium ordinem importat.

*Distinctio.* Ordo est duplex. Unus dicitur ordo temporis, secundum quem ordinem, ea quæ sunt in priori tempore dicuntur priora, et quæ sunt in parte posteriori, dicuntur posteriora; alius est ordo naturæ, et hoc modo ea quæ sunt perfectiora dicuntur priora, et quæ sunt minus perfecta, dicuntur posteriora.

*Subdistinctio.* Ordo naturæ inter aliqua potest attendi dupliciter. Uno modo secundum gradum dignitatis, sicut dicimus angelos esse medios inter Deum, et homines. Alio modo secundum rationem causalitatis; sicut dicitur quod secunda causa est media inter primam causam, et effectum ultimum. Qui secundus naturæ ordo, qui est secundum causalitatem, aliquo modo, consequitur primum. Sicut enim dicit Dion. 13. cap. de div. nom. *Deus per substantias magis sibi propinquas, agit in ea quæ sunt magis remota.*

1.ª Conclusio. Filius Dei non univit sibi carnem, mediante anima, secundum

quod medium significat ordinem temporis.

Prob. Nam secundum ordinem temporis non dicitur in mysterio incarnationis aliquid medium: quia totam humanam naturam sibi Verbum Dei univit, ut patebit infra quæst. 33. art. 3.

2.ª Conclusio. Si attendamus gradum dignitatis, anima media invenitur inter Deum, et carnem. Et secundum hoc potest dici quod Filius Dei univit sibi carnem, mediante anima.

Manifestatur, quia anima nostra, secundum suam dignitatem invenitur sub Deo et supra carnem, ac per hoc media secundum hunc ordinem inter Deum, et carnem invenitur.

3.ª Conclusio. Filius Dei assumpsit carnem mediante anima, secundum quod medium significat causalitatem.

Manifestatur. Quia secundum ordinem causalitatis, anima est aliqualiter causa carnis uniendæ Filio Dei. Non enim caro esset assumptibilis, nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem. Secundum quem ordinem habet quod sit caro humana. Natura enim humana præ cæteris est assumptibilis, ut dictum est supra quæst. 4. art. 1.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia primæ formæ, vel maior propositio secundæ. Ex hoc enim quod Deus est in omnibus creaturis immediate per essentiam, potentiam, et præsentiam non sequitur quod non sit unitus carni, mediante anima. Nec est verum quod qui est unitus perfectiori modo carni humanæ quam aliis creaturis, non sit unitus carni, mediante anima. Nam duplex ordo considerari potest inter creaturam, et Deum. Unus quidem, secundam quod creaturæ causantur à Deo, et dependent ab ipso sicut à principio sui esse, sic et propter infinitatem suæ virtutis Deus attingit quamlibet rem immediate, causando et conservando; et ad hoc pertinet quod Deus immediate est in omnibus per essentiam, præsentiam, et potentiam. Alius autem ordo est, secundum quem res reducuntur in Deum sicut in finem. Et quantum ad hoc invenitur medium inter creaturam, et Deum, quia inferiores creaturæ reducuntur in Deum per superiores creaturas, ut Dion. dicit in lib. Cœl. hierarch. c. 5. Et ad hunc ordinem pertinet ordo naturæ assumptæ á Verbo Dei, quod est terminus assumptionis. Et ideo Verbum per animam unitur carni, et quia secundus ordo perfectior est quam primus, cum secundus supponat primum, et aliquid addat, quia scilicet includit quod Deus sit in rebus immediate per essentiam, præsentiam, et potentiam, et ulterius quod in Deum tamquam in finem ab ipso Deo reducantur; ideo perfectior, et maior est unio Verbi cum carne, quam cum quacumque alia creatura; cum hæc unio sit non solum per illos tres generales modos, sed etiam secundum alium specialissimum et maximum, qui est quod ei sit unitus in persona. Ex quibus patet quid dicendum sit ad probationem consequentiæ; conceditur enim quod modus quo Verbum est unitum carni, sit perfectior, quam modus, quo unitur aliis creaturis, ex quo nihil sequitur contra determinatam veritatem. Et ad prob. maioris dicitur, quod Deus magis est unitus carni, etiamsi sit ei unitus mediante anima, quia hic modus unionis supponit illos tres generales, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur quod nomine personæ, sive hypostasis humanæ duo possumus intelligere. Primo personam constitutam per humanam naturam, secundum quem modum invenitur persona in omnibus hominibus præter Christum. Secundo possumus per personam humanam intelligere hypostasim, in qua natura humana subsistit, sed ipsam non constituit. Et talis est persona Christi, et sic persona Christi potest dici persona hominis, quatenus in natura humana subsistit. Si igitur in maiori sit sermo de persona humana, sive hominis primo modo, est

falsa: non enim ea quæ magis immediate pertinent ad personam constitutam ex humana natura, sive ad personam creatam, fuerun timmediatius assumpta á Verbo. Et ad probationem dicitur quod unio facta est in hypostasi: non in hypostasi humana; nam hæc non est assumpta, ut superius dictum est, sed in persona divina, idest persona divina univit sibi naturam humanam. Unde Verbum non univit sibi illud quod magis pertinet ad personam humanam, sed id sibi immediatius univit, quod magis pertinet ad ipsam naturam, ut nunc dicetur. Si vero in maiori sermo sit de persona subsistente in natura humana, non tamen per naturam humanam constitutam, falsa est minor, et vera maior. Vera est maior quia Verbum immediatius assumpsit quod est sibi propinquius, et quia propinquior est Deo anima humana quam caro, utpote quæ est maioris dignitatis, quam sit caro; ideo Verbum prius, secundum ordinem naturæ et causalitatis, animam assumpsit, et per animam carnem, quæ assumptibilis non est nisi per ordinem ad humanam animam. Falsa vero est minor. Nam caro magis distat á persona Verbi, quam anima, ut nunc dictum est. Ad probationem dicitur quod est vera de persona constituta per humanam naturam: ad hanc enim magis pertinet caro ratione dicta, quia scilicet habet rationem materiæ, quæ est principium individuationis. Persona autem divina nec constituitur, nec individuatur per materiam, sed est prior, et altior quam humana natura, et ideo quanto aliquid intimius pertinet ad naturam, tanto immediatius est á Verbo assumptum. Et quia anima magis ad naturam petinet, et maiorem habet perfectionem, ideo anima immediatius est assumpta, et per ipsam caro.

Ad 3. Negat. maior. Ad prob. negatur assumptum. Nihil enim prohibet aliquid esse causam alicujus, quantum ad aptitudinem, et congruitatem, quo tamen remoto, illud non tollatur. Quia etsi fieri alicujus dependeat ex aliquo, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet. Sicut si inter aliquos amicitia causatur, aliquo mediante, eo recedente, adhuc remanet amicitia, et si aliqua in matrimonium ducitur propter pulchritudinem (quæ facit congruitatem in muliere ad conjugalem copulam) tamen pulchritudine cessante, adhuc durat conjugalis copula, et similiter separata anima, remanet unio Verbi ad carnem, ut amplius dicetur loco citato in argumento.

## ARTICULUS II.

*Utrum Dei Filius assumpserit animam, mediante spiritu, sive mente.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod Filius Dei non assumpserit animam, mediante spiritu, sive mente.

1. Illud quod secundum essentiam est idem quod spiritus sive mens, non potest assumi, mediante spiritu, vel mente. Sed anima secundum essentiam est idem quod spiritus, vel mens. Ergo anima non potest assumi, mediante spiritu, sive mente.

Maior prob. Quia idem non cadit medium inter seipsum, et aliquid aliud. Unde spiritus qui est idem quod anima, non potest esse medium inter animam et Verbum.

Minor habita est 1. p. qu. 77. ar. 1. ad 1.

2. Illud, quo mediante facta est assumptio, videtur esse magis assumptibile. Sed spiritus, sive mens non est magis assumptibilis, quam anima. Ergo videtur quod Filius Dei non assumpserit animam, mediante spiritu.

Minor patet ex hoc quod spiritus angelici non sunt assumptibiles, ut dictum est supra quæst. 4. art. 1.

3. Illud quod est prius mente non assumitur mediante mente. Sed anima est prior intellectu, sive mente. Ergo anima non est assumpta á Filio Dei mediante spiritu, sive mente

Maior prob. Quia posterius assumitur mediante priori.

Minor probatur. Quia anima nominat ipsam essentiam, quæ est prior naturaliter, quam mens, quæ est potentia.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in lib. de agon. christiano cap. 18. *Invisibilis, et incommutabilis veritas per spiritum animam, et per animam corpus accepit.*

*Determinatio.*

Conclusio. Filius Dei assumpsst animam, mediante spiritu, sive mente.

Prob. Illud quod facit congruitatem assumptibilitatis in anima et est dignius inter omnes animæ partes, est quo mediante assumpta est anima á Filio Dei. Sed spiritus, sive mens facit congruitatem assumptibilitatis in anima, et est dignior inter omnes alias animæ partes, sive potentias. Ergo spiritus, sive mens est, quo mediante, á Filio Dei assumpta est anima.

Maior prob. Quia ut dictum est art. præced. in corpore Filius Dei dicitur assumpsisse carnem, mediante anima, tum propter ordinem dignitatis, quia scilicet anima est dignior carne, tum propter congruitatem assumptionis, quia scilicet caro non erat congrue assumptibilis á Filio Dei, nisi propter animam rationalem. Illud igitur quod est dignius cæteris, quæ sunt in anima, et quod facit animam esse congrue assumptibilem, est quo mediante Filius Dei animam assumpsit.

Minor probatur quoad utramque partem. Anima enim non est secundum congruitatem assumptibilis, nisi per hoc quod est capax Dei, ad imaginem ejus existens. Quod est secundum mentem, quæ spiritus dicitur, secundum illud ad Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Est etiam intellectus inter cæteras animæ partes superior, dignior, et Deo similior.

Et confirmatur conclusio, et ratio: quia Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. cap. 6. « Unitum est carni per medium in« tellectum Verbum Dei: intellectus enim « est quid animæ purissimum; sed et « Deus est intellectus. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod spiritus, sive mens accipitur dupliciter. Uno modo ut significat ipsam essentiam animæ rationalis. Alio modo ut significat portionem superiorem humanæ animæ, quæ contra distinguitur parti inferiori, quæ est sensus. Vel sub aliis verbis: mens accipitur dupliciter. Primo pro potentia intellectiva. Secundo pro essentia animæ, quæ aliquando nominatur mens. Si accipiatur mens, secundum quod significat essentiam animæ, non fuit assumpta anima mediante mente, quia sunt unum et idem. Si accipiatur, secundum quod est potentia, sic non est idem quod anima, et mediante ipsa fuit anima assumpta. Et breviter respondendo, negatur minor. Ad probationem jam dictum est; nam 1. par. q. 79. art. 1. ad 1. distinguitur de mente, ut nunc distinctum est.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur quod spiritui angelico non deest congruitas ad assumptionem, nec dignitas, sed deest necessitas: est enim casus eorum irreparabilis, quod non potest dici de spiritu humano, ut patet ex bis quæ jam 1. p. quæst. 64. art. 2. dicta sunt.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur quod anima in proposito non significat essentiam animæ, quæ est omnibus potentiis communis, sed accipitur pro potentiis inferioribus quæ in tantum nomine animæ significantur, quia sunt omni animæ communes, et anima sic sumpta, est posterior intellectu ordine perfectionis, nec est congrue assumptibilis, nisi quatenus est cum intellectu, vel mente.

## ARTICULUS III.

*Utrum anima prius fuerit assumpta á Dei Filio, quam caro.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod anima Christi fuerit prius assumpta á Verbo, quam caro.

1. Ille qui assumpsit carnem mediante anima, assumpsit prius animam, quam carnem. Sed Filius Dei assumpsit carnem mediante animá, ut art. 1. dictum est. Ergo Filius Dei assumpsit prius animam, quam corpus.

Maior prob., quia prius pervenitur ad medium, quam ad extremum.

2. Anima Christi fuit creata in principio cum aliis creaturis, et tunc etiam fuit assumpta. Ergo anima fuit prius assumpta, quam fuerit assumpta caro.

Antecedens habet duas partes. Prima est quod anima Christi fuerit creata in principio. Et hæc sic prob. Angeli fuerunt creati in principio, ut ostensum est. 1. p. q. 46. art. 3. Ergo et anima Christi fuit ab initio creata.

Consequentia hæc probatur: quia anima Christi est dignior angelis secundum illud Psal. 96. *Adorate Deum omnes angeli ejus:* altera ejusdem antecedentis pars est quod anima Christi statim in sui creatione fuerit assumpta. Et hæc ostenditur. Quia anima Christi non fuit ante creata, quam assumpta. Unde Dam. dicit in 3. lib. ort. fid. cap. 2. quod *numquam neque anima, neque corpus Christi propriam habuerunt hypostasim præter Verbi hypostasim.*

Consequentia principalis probatur: quia caro Christi non fuit ab initio creata, sed multo post in utero sanctissimæ Virginis Mariæ concepta.

3. Anima Christi ab initio mundi habuit plenitudinem gratiæ et veritatis. Ergo anima Christi ab initio mundi fuit assumpta á Verbo.

Conseq. prob., quia plenitudo gratiæ et veritatis fuit in anima Christi ex unione ad Verbum, secundum illud Jo. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti á Patre plenum gratiæ, et veritatis.*

Antecedens ostenditur. De plenitudine gratiæ, quæ est in anima Christi, omnes accepimus; dicitur enim Jo. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis;* et postea subditur quod *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, idest omnes fideles quocumque tempore, ut Chrys. exponit ho. 13. in Joan. Ergo anima Christi habuit gratiæ plenitudinem ab initio mundi.

Consequentia hæc probatur. Quia causa non est posterior causato: unde anima Christi, ex cujus plenitudine omnes sancti accipiunt, etiam qui fuerunt ab initio mundi, debuit esse ante omnes sanctos.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 4. lib. cap. 6. « Non ut « quidam mentiuntur, ante eam quæ est « ex Virgine, incarnationem, intellec- « tus est unitus Deo Verbo, et ex tunc « vocatus est Christus. »

*Determinatio.*

*Origenis positio.*

Origenes in Periar. lib. 1. cap. 7. posuit omnes animas á principio fuisse creatas, inter quas etiam animam Christi creatam fuisse dixit.

*Reprobatio.*

Sed hæc positio est inconveniens. Nam si ponatur anima Christi in principio creata, aut tunc fuit Verbo unita, et postmodum in utero Virginis incarnata, aut non fuit statim unita Verbo. Si dicatur quod non fuit statim unita Verbo; sequitur quod anima illa aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo. Et sic cum postea fuisset assumpta á Verbo, vel non esset facta unio, secundum subsistentiam, vel fuisset corrupta subsistentia animæ præexistens. Quorum utrumque est absurdum, ut ex dictis patet. Si vero dicatur quod anima illa fuit á principio unita Verbo, et postmodum in utero Virginis incarnata, sequeretur quod anima Christi non esset ejusdem naturæ cum nostris animabus, quod est

contra id quod dicit Leo Papa in epistola 11. ad Julianum, ubi inquit: *non alterius naturæ erat caro ejus, quam nostra; nec alio illi* (scilicet Christo) *quam cæteris hominibus anima est principio inspirata.* Consequentia autem ostenditur, quia animæ nostræ simul creantur, dum corporibus infunduntur.

Ex quibus sequitur responsiva conclusio ad quæsitum.

Conclusio. Anima non fuit á Filio Dei prius assumpta quam caro.

Prob. Quia si anima Christi fuisset assumpta, antequam assumpta esset caro, sequeretur quod non esset ejusdem naturæ cum reliquis humanis animabus, quæ simul creantur et corporibus infunduntur: quod est contra id, quod Leo Papa dicit in inducta sententia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod aliquid potest esse medium dupliciter. Uno modo ordine temporis, et de hoc verum est, quod ad ipsum prius pervenitur secundum tempus, quam ad extremum: alio modo ordine naturæ, et de hoc non est verum, quod ad ipsum prius tempore perveniatur, quam ad extremum. Et quia anima Christi dicitur esse medium in unione carnis ad Verbum secundum ordinem naturæ, non secundum ordinem temporis, ut dictum est articulo 1. hujus quæstionis; ideo non oportet, quod fuerit anima assumpta prius quam caro.

Ad 2. Neg. antecedens quoad utramque partem. Ad probationem prioris partis dicitur, quod sicut Leo Papa dicit in eadem epistola, anima Christi excellit nostras animas, non diversitate generis, sed sublimitate virtutis: est enim ejusdem generis cum nostris animabus, sed excellit etiam angelos, secundum plenitudinem gratiæ et veritatis. Et quia modus creationis respondet animæ secundum proprietatem sui generis, ex quo habet quod simul creetur, dum corpori infunditur, cum anima ratione sui generis habeat, quod sit corporis forma, quod non competit angelis, qui sunt substantiæ omnino á corporibus absolutæ; ideo ipsi potuerunt creari ab initio, animæ vero non creantur, nisi dum corporibus uniuntur. Et sic anima Christi non fuit ab initio creata, ut prima pars antecedentis dicebat, et per consequens nec assumpta, ut secunda pars asserebat.

Ad 3. Neg. antecedens; non enim anima Christi habuit plenitudinem gratiæ, antequam esset creata, corpori infusa, et á Verbo assumpta: quæ omnia simul factæ fuerunt. Ad probationem negatur consequentia: stat enim, quod omnes acceperint de plenitudine gratiæ Christi; et tamen quod anima Christi non fuerit plena gratiæ in principio mundi: nam de plenitudine Christi omnes accipiunt secundum fidem quam habent in ipsum: dicitur enim ad Rom. 3. quod «justitia Dei est per fidem Jesu Christi «in omnes et super omnes, qui credunt «in ipsum.» Sicut autem nos in ipsum credimus, ut in jam natum, ita antiqui crediderunt in ipsum, ut in nasciturum: «habentes enim eumdem spiritum fidei «credimus,» ut dicitur 2. ad Cor. 4. Habet autem fides, quæ est in Christum, virtutem justificandi ex proposito gratiæ Dei, secundum illud ad Rom. 4. «Ei «qui non operatur, credenti autem in «eum qui justificat impium, fides repu«tatur ad justitiam secundum proposi«tum gratiæ Dei,» Et quia hoc divinum propositum, quo Deus vult homines per fidem Christi justificari, est æternum: ideo nihil prohibet per fidem Jesu Christi aliquos justificari, etiam antequam ejus anima esset plena gratiæ et veritatis.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum caro Christi fuerit prius á Verbo assumpta, quam anima unita.*

*Pro affirmativa*=Videtur, quod caro Christi fuerit prius á Verbo assumpta, quam anima unita.

1. Caro Christi fuit assumpta á Verbo in ipsa conceptione. Ergo caro Christi fuit assumpta á Verbo, antequam anima ei esset unita.

Antec. prob., quia Augustinus dicit in libro de fide ad Pet. cap. 18. « Firmissime tene, et nullatenus dubites, « non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam « susciperetur á Verbo. »

Conseq. prob., quia caro Christi prius videtur fuisse concepta quam animæ rationali unita; quia materia vel dispositio prior est via generationis, quam forma completiva. Si igitur fuit assumpta caro Christi in ipsa conceptione, ut Augustinus dicit, sequitur, quod fuerit assumpta antequam ipsa caro esset animæ unita.

2. Caro Christi fuit concepta antequam fuerit animæ unita. Ergo caro Christi fuit assumpta á Verbo antequam animæ rationali uniretur.

Consequentia patet, quia caro Christi statim concepta, fuit á Verbo assumpta, ut Augustinus dicit in auctoritate inducta in præcedenti argumento.

Antec. prob. Caro nostra prius concipitur antequam adveniat anima. Ergo caro Christi prius fuit concepta, quam adveniret anima.

Consequentia hæc probatur, quia caro Christi non habuit aliter principium essendi quam in nobis habeat: et hoc probatur. Anima humana non habuit aliud principium sui esse in Christo, quam in aliis hominibus, ut patet ex auctoritate Leonis Papæ, inducta in corpore præcedentis articuli. Ergo videtur, quod nec corpus Christi aliter habuerit principium essendi, quam in nobis.

Conseq. hæc prob., quia sicut anima est pars naturæ humanæ, ita et corpus.

3. *Prima causa plus influit in causatum, et prius unitur ei quam causa secunda*, ut dicitur in libro de caus. prop. 1. Sed Verbum comparatur ad animam, ut causa prima ad secundam. Ergo Verbum prius unitur carni quam anima.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Damascenus dicit in 3. libro orthod. fidei cap. 2. *Simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis et intellectualis.* Ergo unio Verbi ad carnem non præcessit unionem ad animam.

*Determinatio.*

Conclusio. Caro non fuit prius á Verbo assumpta, quam anima fuerit ei unita.

Prob. Caro non habet ordinem ad animam rationalem, antequam anima ei adveniat. Ergo caro non est assumpta á Verbo, antequam fuerit ei anima unita.

Antec. prob., quia simul dum aliqua materia fit propria alicujus formæ, recipit illam formam: unde in eodem instanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma substantialis.

Conseq. prob., quia caro est assumptibilis á Verbo, secundum ordinem quem habet ad animam rationalem, sicut ad propriam formam: unde antequam caro sit unita cum anima rationali, non est humana, ac per hoc non est congrue assumptibilis.

Et confirmatur, quia sicut anima non est prius assumpta quam caro, eo quod sit contra naturam animæ habere esse, antequam corpori uniatur; ita caro non debuit prius assumi quam anima, quia non prius est caro humana, quam habeat animam rationalem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem negatur assumptum: anima enim Christi simul fuit concepta, animæ rationali unita, et assumpta á Verbo. In generatione hominum prius quidem concipitur caro, quam adveniat anima rationalis: sed hujusmodi caro non est caro humana ante adventum animæ rationalis, sed dispositio ad ipsam; in conceptione vero Christi Spiritus Sanctus, qui est agens infinitæ virtutis, simul et materiam disposuit, et ad perfectum perduxit: unde caro Christi statim concepta, fuit humana, quia statim advenit sibi

rationalis anima, et assumpta fuit à Verbo, ut Augustinus dicit.

Ad 2. Negatur antecedens. Anima enim Christi, statim concepta, fuit animæ unita, ut in præcedenti responsione dictum est. Ad probationem negatur consequentia: non enim est eadem ratio de carne Christi, et nostra, ut etiam in dicta responsione dictum est. Ad cujus probationem negatur assumptum: habuit enim caro Christi aliter principium essendi, quam caro nostra. Ad probationem negatur consequentia: anima enim Christi non habuit aliter essendi principium quam anima nostra: sed caro habuit aliter principium essendi, quam nostra. Et ad probationem dicitur, quod etsi tam anima, quam caro sint partes naturæ humanæ, una tamen habet rationem formæ, scilicet anima, et altera habet rationem materiæ, quæ est caro. Et quia forma dat speciem actu, materia autem, quantum est de se, est tantum in potentia ad speciem, ideo contra rationem formæ esset, quod præexisteret naturæ speciei, quæ perficitur per unionem ejus ad materiam; non autem est contra naturam materiæ, quod præexistat naturæ speciei. Unde differentia, quæ est inter originem carnis nostræ, et carnis Christi, non variat naturam speciei, quia quod materia præexistat formæ, non est contra rationem materiæ. Et quod simul sit cum forma, non variat speciem, sicut non variat speciem hoc, quod caro nostra est ex semine viri, non autem caro Christi. Et ideo sive caro sit simul concepta et animata, sive sit prius concepta, et postea animata, dummodo sit eadem anima, non variatur species. Si vero esset anima habens aliter principium essendi, quam nostra, variaretur species, et ideo si anima Christi haberet aliter principium essendi, quam nostra, Christus non fuisset vere homo.

Ad 3. Dicitur, quod caro potest considerari dupliciter. Uno modo ut est ens quoddam creatum: alio modo ut est à Verbo assumptibilis. Si consideretur ut est ens, prius secundum intellectum est ei Verbum unitum, secundum illum communem modum, quo est in cæteris creaturis, scilicet secundum essentiam, potentiam, et præsentiam, quam anima; prius enim caro intelligitur esse quoddam ens, quam intelligatur animata. Si vero consideretur ut est assumptibilis, prius intelligitur animata, quam assumpta, et hoc quia habet caro, quod sit assumptibilis per animam rationalem. Tunc ad formam dicitur ad maiorem, quod causa prima, ut est causa prima effectiva, prius attingit effectum, quam causa secunda; si autem concurrat ad effectum, ut terminus, non potest terminare, nisi præsupposito eo, quod facit rem terminabilem. Verbum igitur ut est prima omnium causa effectiva, prius attingit carnem, quam animam: tamen prius terminat unionem animæ, quam carnis; quia carni non unitur, nisi mediante anima, et hoc præsertim, quia persona non invenitur, nisi in rationali natura, quæ per animam constituitur, tamquam per propriam formam.

Vel sub aliis verbis dicitur, quod Verbum potest considerari dupliciter. Uno modo ut est causa universalis, et prima productiva, et conservativa carnis. Alio modo ut est terminans naturam humanam, quam assumpsit in unitate personæ. Si consideretur primo modo, prius conjungitur carni, secundum illos generales modos, quibus prima causa est in omnibus rebus creatis, quam carni sit anima conjuncta; prius quidem secundum intellectum, non secundum rem, quia caro non est humana, nisi quando est unita formæ rationali. Si vero consideretur, ut terminat humanam naturam, et eam ad se unit, non comparatur ad animam, ut causa secunda ad primam, sed ut medium ad unum extremum, ad quod medium, prius secundum naturam necesse est devenire, quam ad aliud extremum. Et secundum hoc ad formam dicitur,

quod maior est vera de causa prima, ut causa prima est. Et ad minorem dicitur, quod Verbum quatenus assumens, non consideratur proprie, ut causa est, sed ut est terminus humanæ naturæ assumptæ, ut dictum est.

## ARTICULUS V.

*Utrum tota humana natura sit assumpta, mediantibus partibus.*

*Pro affirmativa* = Videtur, quod Filius Dei assumpserit totam naturam humanam mediantibus partibus.

1. Filius Dei assumpsit humanam naturam per spiritum, per animam et per corpus. Ergo humana natura fuit assumpta, mediantibus partibus.

Antecedens prob. Quia Aug. dicit in lib. de agon. christiano cap. 18. quod "Invisibilis, et incommutabilis veritas, "per spiritum animam, et per animam "corpus, et sic totum hominem assumpsit."

Consequentia probat. Quia spiritus, anima, et corpus sunt partes totius hominis.

2. Partes humanæ naturæ sunt similiores Deo, quam ipsa tota natura. Ergo Filius Dei assumpsit humanam naturam, mediantibus partibus.

Anteced. prob. Quia partes sunt simpliciores, quam sit totum, quod ex partibus componitur. Unde partes sunt similiores Deo, qui est simplicissimus, quam sit totum ex partibus compositum.

Conseq. probat. Quia ideo Filius Dei carnem assumpsit, mediante anima, quia anima est Deo similior, quam corpus.

3. Illud quod est terminus assumptionis, assumitur mediantibus his quæ præintelliguntur assumptioni. Sed unio partium, ex qua resultat totum, est terminus assumptionis; partes vero præintelliguntur assumptioni. Ergo totum quod est ipsa humana natura, est assumptum, mediantibus partibus.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. capit. 16. "In "Domino nostro Jesu Christo, non par-"tes partium intuemur, sed quæ pro-"xime componuntur, idest deitatem, et "humanitatem." Ergo Filius Dei non assumpsit totum, mediantibus partibus, sed potius é contra, partes assumpsit mediante toto.

Conseq. prob. Quia humanitas quam primo intuemur in Christo, sicut et deitatem, est quoddam totum ex partibus compositum, unde mediante humanitate assumpsit humanitatis partes.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliquid potest dici fieri, vel assumi mediante alio dupliciter: uno modo ut ly (mediante) denotet ordinem temporis, ut cum aliquis assumit aliquid et postea assumit aliud, vel si faciat aliquid, et per illud aliud; puta si quis faciat hamum, et postea per hamum capiat pisces: alio modo, ut denotet ordinem naturæ.

1.ª *Subdistinctio.* Ordo autem naturæ est duplex: primus est ex parte agentis: alius est ex parte materiæ. Illud est prius ordine naturæ ex parte materiæ, quod prius existit in transmutatione materiæ, puta in generatione hominis, prius ordine naturæ ex parte materiæ est semen, quod prius existit in generatione humana.

2.ª *Subdistinctio.* Ordine autem naturæ ex parte agentis aliquid potest dici primum dupliciter: uno modo simpliciter; alio modo secundum quid. Illud est primum ordine naturæ ex parte agentis simpliciter, quod est primo intentum ab agente. Illud vero est primum, secundum quid á quo primo incipit operatio agentis. Illud dicitur primum simpliciter, et hoc secundum quid, quia intentio agentis præcedit, secundum naturam, ejus operationem.

1.ª Propositio. In mysterio incarnationis, dum quæritur utrum aliquid assumatur mediante alio, non designatur ordo temporis.

Manifestatur. Quia in mysterio incar-

nationis simul facta est assumptio totius et omnium partium. Ostensum est enim art. 1. et 2. hujus quæst. quod simul tempore anima, et corpus sunt adinvicem unita ad constituendam humanam naturam in Verbo.

2.ª Propotitio. In mysterio incarnationis, dum quæritur, an unum mediante alio sit assumptum, designatur ordo naturæ, non quidem ex parte materiæ, sed ex parte agentis.

Manifestatur. Quia Aug. dicit in epist. ad Volus. quæ est tertia: *In talibus rebus*, scilicet quæ mirabiliter fiunt, inter quæ præcipuum est incarnationis mysterium, *tota ratio facti est potentia facientis.*

Conclusio. Filius Dei assumpsit prius, prioritate simpliciter se tenente ex parte agentis, totam humanam naturam, et ea mediante, assumpsit partes.

Prob. Secundum intentionem agentis prius est completum, quam incompletum, et per consequens totum, quam partes. Ergo prius simpliciter fuit secundum intionem agentis assumptum totum in natura humana, et per totum partes.

Et confirmatur conclusio, quia sicut Verbum assumpsit corpus, propter ordinem quem habet ad animam rationalem, ita assumpsit corpus et animam, propter ordinem quem habent ad humanam naturam.

2.ª Conclusio. Assumptio partium humanæ naturæ fuit prior, quam assumptio totius, via operationis, quæ est prioritas se tenens ex parte agentis secundum quid.

Hanc probat primum argumentum pro affirmativa, ut patebit in ejus responsione.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Ad antecedens, dicitur quod ex verbis illis nihil aliud datur intelligi, nisi quod Verbum assumendo partes humanæ naturæ, assumpsit totam humanam naturam, et sic assumptio partium est prior secundum quid, idest in via operationis, intellectu, non tempore; assumptio autem naturæ est prior via intentionis, quod est esse prius simpliciter, ut dictum est in corpore.

Ad 2. Negatur antecedens. Similior enim est Deo ipsa natura humana, quam eius partes.

Ad prob. dicitur quod Deus est taliter simplex, quod etiam est perfectissimus, et quia totum est perfectius, ideo est Deo magis simile ratione perfectionis, quam sint partes ratione simplicitatis.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod terminus assumptionis humanæ naturæ ad personam divinam, non est unio partium naturæ humanæ inter se, sed est unio naturæ divinæ et humanæ in persona divina: unde ex hoc non sequitur quod humana natura sit assumpta, mediantibus partibus, nisi secundum quod medium dicit ordinem in operatione, ut dictum est.

## ARTICULUS VI.

*Utrum humana natura sit assumpta, mediante gratia.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod Filius Dei assumpserit humanam naturam mediante gratia.

1. Natura quæ fuit maxime Deo unita fuit assumpta mediante gratia. Sed humana natura fuit maxime Deo unita. Ergo natura humana fuit assumpta mediante gratia.

Maior prob., quia per gratiam Deo unimur.

2. Illud quod redditur assumptibile congrue per gratiam, fuit assumptum mediante gratia. Sed natura humana redditur cogrue assumptibilis per gratiam. Ergo natura humana fuit assumpta mediante gratia.

Maior patet ex dictis: ideo enim caro per animam fuit assumpta, quia caro redditur congrue assumptibilis per animam; sic et de gratia dicendum est.

Minor prob. Anima redditur assumptibilis per gratiam. Sed humana natura

est assumptibilis per animam, ut dictum est. Ergo humana natura est assumptibilis per gratiam.

Maior hujus prob., quia sicut corpus vivit per animam, per quam perficitur, ita anima vivit per gratiam.

3. Illud quod Filius Dei assumpsit mediante Spiritu Sancto, assumpsit mediante gratia. Sed Filius Dei assumpsit humanam naturam, mediante Spiritu Sancto. Ergo Filius Dei assumpsit naturam humanam, mediante gratia.

Maior prob., gratia attribuitur Spiritui Sancto, secundum illud 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.*

Minor prob. Verbum nostrum unitur voci mediante spiritu. Ergo Verbum Dei unitur carni mediante Spiritu Sancto.

Conseq. hæc prob., quia August. dicit lib. 15. de Trinit. cap. 11. *Verbum incarnatum est, sicut verbum nostrum in voce.*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Unio, quæ est facta mediante gratia, est facta secundum accidens. Sed unio Verbi ad humanam naturam, non est facta secundum accidens, sed secundum subsistentiam, ut patet ex dictis, qu. 2. art. 6. Ergo unio Verbi ad humanam naturam non est facta mediante gratia.

Maior prob., quia gratia est quoddam accidens, ut in 1. 2. quæst. 110. art. 2. dictum est.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Nomine gratiæ in proposito tria significari possunt. Primo ipsa gratia unionis: secundo gratia habitualis: tertio voluntas Dei aliquid gratis faciens, vel donans.

Conclusio. Natura humana non est assumpta á Filio Dei mediante gratia unionis, nec mediante gratia habituali, nec mediante voluntate Dei gratis naturam humanam assumentis.

Prob. quoad singulas partes. Et primo, quod non sit assumpta mediante gratia unionis. Terminus assumptionis non potest esse illud, mediante quo natura humana fuit assumpta. Sed gratia unionis est terminus assumptionis. Ergo gratia unionis non potest esse media in assumptione humanæ naturæ, ad personam Verbi.

Secunda pars prob. Effectus consequens unionem non potest esse, mediante quo facta est assumptio. Sed gratia habitualis pertinens ad spiritualem sanctitatem illius hominis, est effectus quidam consequens unionem. Ergo gratia habitualis non est, qua mediante facta sit assumptio.

Minor prob., quia Joan. 1. dicitur: *vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti á Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Per quod datur intelligi, quod ex hoc ipso quod ille homo est unigenitus á Patre (quod habet per unionem) habet plenitudinem gratiæ et veritatis. Est ergo gratia habitualis Christi effectus consequens unionem, non autem medium, quo facta sit assumptio.

Tertia pars ostenditur. Nam per voluntatem Dei facta est unio, non sicut per medium, sed sicut per causam efficientem, et sic patet quod natura humana non est assumpta á Filio Dei, mediante gratia unionis habitualis, aut mediante divina voluntate.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod aliud est loqui de unione, qua nos Deo unimur, et aliud de unione, qua natura humana assumpta, fuit Verbo unita. Unio enim nostra ad Deum est per operationem, in quantum scilicet eum cognoscimus et amamus, et ideo talis unio est per gratiam habitualem, in quantum operatio perfecta procedit ab habitu. Sed unio naturæ humanæ ad Verbum Dei est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediate ab ipsa natura. Ad id igitur quod assumitur ad probandum maiorem dicitur, quod nos quidem

unimur Deo per gratiam, sed natura humana fuit Verbo unita immediate.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. neg. maior. Ad prob. dicitur quod non eodem modo perficitur anima per gratiam, quo corpus perficitur per animam. Anima enim est perfectio substantialis corporis, et ideo anima facit corpus esse assumptibile. Gratia vero est perfectio accidentalis animæ, et cum unio incarnationis non sit per accidens, non potest gratia esse medium, quo anima assumatur, sicut anima est, qua corpus fuit assumptum.

Ad 3. Negatur minor Ad antecedens prob. dicitur quod Verbum nostrum unitur voci, mediante spiritu, non quidem sicut medio formali, sed sicut per medium movens. Nam ex verbo concepto interius procedit spiritus, ex quo formatur vox. Et similiter ex Verbo æterno procedit Spiritus Sanctus, qui formavit corpus Christi, ut dicetur qu. 32. art. 1. Ex quo non sequitur quod gratia Spiritus Sancti sit formale medium in unione prædicta.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 6.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito insinuatum esse á scripturis, et Augustino, quod Filius Dei assumpsit carnem, mediante anima. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Philip. 2. " Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus, ut homo. » Nam per ly *formam* intelligitur anima, juxta id, quod docet Philos.; unumquodque videri illud, quod est potissimum in eo: quoniam nobilissimum in natura humana, quam ly *formam* servi denotat, si pro forma totius accipiatur, est ista forma partis, idest anima rationalis: in cujus signum ipsa dat speciem, de qua ibi connectit Apost. ly *in similitudinem* (scilicet specificam) *hominum factus*. Sequendo igitur hanc expositionem de forma partis, tunc per ly *habitu* intelligetur corpus, in quantum scilicet, per ipsum, tamquam per quoddam tegumentum, videtur anima. Unde et in hoc sensu corpus vocatur pallium, ac stola: secundum Conc. *Hispalense* 2 Can. 13. Ex prophetis illud: " Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Quid hic pallium, quid stola, nisi caro Christi passionis sanguine decorata? » Ex ordine ergo, quo Apostolus talem exinanitionem commemorans animam prius posuit, quam corpus, theologis scholasticis subindicavit, quod anima mediante, Filius Dei coassumpto corpore inventus est homo. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis et Aug. insinuatum, quod Filius Dei assumpsit animam mediante spiritu. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero (præsupposita incarnatione) per hoc, quod dicitur Jo. 4. " Spiritus est Deus et tales quærit, qui adorent eum in spiritu. » Cum ergo spiritus magis diligat spiritum, et per prius conjungatur spiritui, secundum illud proportionaliter dictum Eccl. 13. " omnis homo diligit proximum sibi, et simili sibi sociabitur;" sequitur manifeste secundum illam Evangelii sententiam, quod animæ medio spiritu conjunctus sit Deus. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam dicentium: animam Christi prius fuisse unitam Verbo, quam carni. Hanc hæresim videtur *Nicephorus Calistus* lib. 17. c. 28. attribuere *Origeni;* quoniam post multos anathematismos ex *quinta* synodo *Constantinopolitana* prolatos contra quamplures hæ-

reses, inter quas et prædictam connumerat, subinfert ex eodem synodo. " Anathema sit Origeni, qui et Adamantius dictus est; et hæc promulgavit una cum detestandis ejus, et execrandis erroribus: et omni homini, qui hæc sentit, aut asserit, aut aliqua ex parte quocumque prorsus tempore ea defendere audet. » *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á quinta synodo præmissa. " Si quis dicit, aut sentit, animam Domini præexistere, unitamque esse Deo Verbo, ante incarnationem, et nativitatem ex Virgine, anathema sit. » Hæc illa: ut refert Nicephorus lib. et cap. citatis. Item á *sexta* synodo *Constantinopolitana* actio. 11. " Incarnatur Verbum Deus, non præfatæ carni copulatus, præformatove, atque in sese subsistenti aliquando corpori conlinitus, vel animæ præexistenti conjunctus: sed cum Verbi ipsius naturali conventu subsistentiam habitura concurrerunt: et nec quantum in ictu oculi hanc, quam illam priorem habentia. » Hæc ibi ex Epistola Sophronii Patriarchæ Hierosolymorum. Item á Papa Leone I. " Arbitror, talia loquentem hoc habere persuassum; quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in cœlis sit commorata, quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. Sed hoc catholicæ mentes, auresque non tolerant: quia nihil secum Dominus de cœlo veniens nostræ conditionis exhibuit: nec animam enim, quæ anterior extitisset: nec carnem, quæ non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.» Hæc ille in Epistola, in ordine 11. ad Julianum episcopum Coensem. Item á Damasceno: ut *in arg. cont. Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim dicentium, carnem prius esse assumptam á Verbo, quam animam. Hanc hæresim videtur Nicephorus, etc. ut sup. art. 3. append. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito á synodo *quinta Constantinopolitana* damnari sic: " Si quis dicit, aut sentit: prius formatum esse corpus Domini nostri Jesu Christi in utero Virginis sanctæ, et deinceps unitum esse ei Deum Verbum, atque animam, ut quæ prius extiterit: anathema sit. » Hæc illa; ut refert Nicephorus loco citato sup. art. 3. append. Item á Papa *Leone*, et synodo 6. secundum quod referuntur ibid. Item ab eadem synodo 6. ex eadem Epistola. " Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis. *Et infra.* Secundum subsistentiam Verbi ad carnem, quæ ex nobis est, intellectualem, et animatam convenientiam prædicamus. » Item á Concilio 1. *Ephesino:* " Dicimus, quod carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum secundum subsistentiam. » Hæc Concilium ex Epistola D. Cyrilli missa Nestorio: commendata etiam valde á Conc. *Chalcedonensi.* Item á Papa *Eugenio IV.* in Conc. *Florent.* " Sanctissima, atque immaculata ejus caro deificata est, non est perempta; sed in proprio sui statu, atque ratione permansit. » Hæc ille in constitut. super unione Armenorum. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Papa et Damasceno insinuatum, quod Verbum assumpsit partes mediante toto. A Damasceno quidem, ut *in arg. cont.* A Papa autem *Eugenio IV.* in Conc. *Florent.* " Sacrosancta Ecclesia Romana voce Domini fundata firmiter credit, profitetur, et prædicat: unam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium, veram hominis, integramque naturam assumpsisse. » Hæc ille in constit. super unione Jacobinorum. Ubi nota ly *integram naturam.* Per hoc enim monstrat: quod assumere totum fuit de principali intento: et quod non est facta assumptio partium, nisi secundum quod habebant ordinem ad naturam humanam integram. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Lucæ 1. *Ideo, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Nam ly *quod nascetur* dicit totum; ut patet; et ly *ideo* dixerat assumptionem: ut ex contextu, quem refert, manifestum est. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Nestorii* dicentis: quod Filius Dei assumpsit naturam humanam per gratiam. Ex qua deduce-

bat: quod in Christo essent duæ personæ. Item, quod Christus non est Deus, sed in quo Deus speciali prærogativa habitat. Item, quod Christus non Deus, sed deiferus appellandus est. Per rationem etiam articuli interimitur hæresis *Severi Antiochæni* dicentis: quod in Christo fuit unio non personalis in duabus naturis vere subsistens, sed tantum habitualis, idest secundum habitum, proprietatem, conditionemque quamdam divinam: qua, cum solus esset homo, divina tamen assistente per quamdam participationem virtute, miracula operaretur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Papa *Eugenio IV.* in Conc. Florent. " Sacrosancta Ecclesia, anathematizat Theodorum Mopsuestenum, atque Nestorium asserentes, humanitatem Dei Filio unitam esse per gratiam, et ob id duas in Christo esse personas; sicut duas fatentur esse naturas: cum intelligere non valerent, unionem humanitatis ad Verbum hypostaticam extitisse: et propterea negarent, Verbi subsistentiam accepisse. Nam secundum hanc blasphemiam non Verbum caro factum est, sed Verbum per gratiam habitavit in carne: hoc est, non Dei Filius homo factus est, sed magis Dei Filius habitavit in homine. » Hæc ille in constitut. super unione Jacobinorum. Item á Conc. *Ephesino* 1. can. 5. " Si quis audeat dicere, hominem Christum *theophoron*, idest deiferum: ac non potius Deum esse veraciter, dixerit, tamquam unicum Filium per naturam; secundum quod Verbum caro factum est: et communicavit similiter, ut nos, carni, et sanguini: anathema sit. » Item á 5. synodo Constantinop. action. 1. " Anathematizamus impium Severum Acephalum, et abcissum, et semper alienum factum á Domino Deo Jesu Christo, et á sancta ipsius catholica et apostolica Ecclesia, et impium ejus dogma. » Item á dictis sup. art. num. 8. *Tertio* vides: etc.

---

## QUÆSTIO SEPTIMA,

### DE GRATIA CHRISTI, PROUT EST QUIDAM SINGULARIS HOMO, IN TREDECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de coassumptis á Filio Dei in humana natura: et primo de his quæ pertinent ad perfectionem: secundo de his quæ pertinent ad defectum.

Circa primum consideranda sunt tria. Primo de gratia Christi. Secundo de scientia ejus. Tertio de potentia ipsius.

De gratia autem Christi considerandum est dupliciter. Primo quidem de gratia ejus, secundum quod est quidam singularis homo. Secundo de gratia ejus secundum quod est caput Ecclesiæ: nam de gratia unionis jam dictum est quæstione 2.

*Circa primum quæruntur tredecim.*

Primo, utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.

Secundo, utrum in Christo fuerint virtutes.

Tertio, utrum in eo fuerit fides.

Quarto, utrum fuerit in eo spes.

Quinto, utrum in Christo fuerint dona.

Sexto, utrum in Christo fuerit timoris donum.

Septimo, utrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.

Octavo, utrum in Christo fuerit prophetia.

Nono, utrum in eo fuerit plenitudo gratiæ.

Decimo, utrum talis plenitudo sit propria Christi.

Undecimo, utrum Christi gratia sit infinita.

Duodecimo, utrum potuerit augeri.

Tertiodecimo, qualiter hæc gratia se habeat ad unionem.

### ARTICULUS I.

*Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod in anima assumpta á Verbo non fuerit gratia habitualis.

1. In eo qui non est Deus participative, sed secundum veritatem, non est aliqua gratia habitualis. Sed Christus est Deus non participative, sed secundum veritatem. Ergo in Christo non est aliqua gratia habitualis.

Maior prob., quia gratia est quædam participatio divinitatis in creatura rationali, secundum illud. 2. Pet. 1. « Per « quem maxima, et pretiosa promissa no- « bis donavit, ut divinæ simus consortes « naturæ. » Unde in eo, qui est Deus non per participationem, sed secundum veritatem, non est aliqua habitualis gratia.

2. Christo ex hoc solo, quod est naturalis Filius Dei, debebatur hæreditas vitæ æternæ, ex hoc etiam quod erat Verbum, per quod facta sunt omnia, aderat ei facultas omnia bene operandi. Ergo Christus secundum humanam naturam non indigebat alia gratia præter unionem ad Verbum.

Conseq. prob., quia gratia ad hoc est necessaria homini, ut per eam bene operetur, secundum illud 1. Cor. 15. *Abundantius omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Et etiam ad hoc, quod homo consequatur vitam æternam, secundum illud Rom. 6 *Gratia Dei vita æterna.* Si igitur hæc duo conveniebant humanitati Christi ex unione ad Verbum, nulla erat ei habitualis gratia necessaria.

3. Illud, quod operatur per modum instrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes Sed humana natura in Christo fuit *sicut instrumentum divinitatis*, ut dicit Dam. in 3. lib. ortod. fid. cap. 15. Ergo non debuit in Christo esse aliqua gratia habitualis.

Maior prob., quia habitus fundatur in principali agente.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo, in quo requiescit spiritus Domini, est aliqua gratia habitualis. Sed in Christo requievit spiritus Domini, secundum illud Isa. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini.* Ergo in Christo fuit gratia habitualis.

Maior prob.. quia spiritus Domini dicitur esse in homine per gratiam, ut dictum est 1. par. quæst. 43. artic. 6.

*Determinatio.*

Conclusio. Necesse est ponere in Christo gratiam habitualem.

Prob. tripliciter. Primo: in eo, cujus anima est maxime unita principio influenti habitualem gratiam, necesse est ponere habitualem gratiam. Sed anima Christi est maxime unita Verbo Dei, á quo est influxus gratiæ, secundum illud Psalm. 83. *Gratiam, et gloriam dabit Dominus.* Ergo maxime fuit conveniens quod anima illa reciperet influxum divinæ gratiæ.

Maior prob., quia quanto aliquod receptivum est proqinquius causæ influenti tanto magis participat de influentia ipsius.

2. In anima, quæ est tantæ nobilitatis, quod operationes ipsius oportet propinquissime attingere Deum per cognitionem et amorem, necesse est ponere gratiam habitualem. Sed anima Christi est tantæ nobilitatis, quod oportet ejus operationes propinquissime attingere Deum per cognitionem et amorem. Ergo in anima Christi necesse est ponere gratiam habitualem.

Maior prob., quia ad has operationes necesse est naturam rationalem elevari per gratiam.

Tertio. In eo qui est mediator Dei, et hominum, necesse est ponere gratiam habitualem. Sed Christus in quantum homo *est mediator Dei et hominum*, ut dicitur 1. Tim. 2. Ergo in Christo oportet esse habitualem gratiam in alios redundantem, secundum illud Jo. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

Propter tria igitur necessarium est ponere gratiam habitualem in Christo, scilicet propter unionem animæ Christi

ad Verbum, propter maximam animæ Christi nobilitatem, et propter habitudinem Christi ad genus humanum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Christus est verus Deus secundum personam, et naturam divinam. Sed quia cum unitate personæ remanet distinctio naturarum, ut patet ex dictis q. 2. art. 1. et 2. anima Christi non est secundum suam essentiam divina, unde oportet quod fiat divina per participationem, quod fit secundum gratiam.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Christo in quantum est naturalis Filius Dei, debetur hæreditas æterna, quæ est ipsa beatitudo increata, per increatum actum cognitionis, et amoris Dei, per eumdem scilicet, quo Pater cognoscit, et amat seipsum, cujus actus anima capax non est propter differentiam naturæ. Unde oportebat quod anima attingeret ad Deum per actum creatum fruitionis, qui quidem actus esse non potest, nisi per gratiam. Habuit etiam Christus in quantum est Verbum Dei, facultatem omnia bene operandi operatione divina, sed quia præter operationem divinam, oportet ponere in eo operationem humanam, ut patebit in q. 19. art. 1. oportuit in eo esse habitualem gratiam, per quam hujusmodi operatio in eo esset perfecta. Et breviter dicitur ad minorem quod Christo convenit æterna hæreditas, et facultas bene operandi sine gratia habituali in quantum est Deus, in quantum vero est homo, hæc sibi competere non possunt sine gratia habituali.

Ad 3. Dicitur quod instrumentum est duplex: quoddam est instrumentum animatum, quod nullo modo agit, sed solum agitur; aliud est instrumentum animatum quod ita agitur, quod etiam agit. Maior est vera de priori genere instrumenti, non autem est vera de secundo. Ad minorem dicitur quod humanitas Christi est instrumentum divinitatis, non quidem sicut instrumentum inanimatum, sed sicut instrumentum animatum, anima scilicet rationali, et ideo ad convenientiam actionis oportuit eam habere gratiam habitualem.

## ARTICULUS II.

*Utrum in Christo fuerint virtutes.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerint virtutes.

1. In eo qui habuit abundantiam gratiæ non fuerunt virtutes. Sed Christus habuit abundantiam gratiæ. Ergo in Christo non fuerunt virtutes.

Maior probat., quia gratia sufficit ad recte agendum omnia, secundum illud. 2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea.*

Minor patet ex illo Joan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ.

2. Aliter. In eo cui attribuitur quidam heroicus, sive divinus habitus contra virtutem distinctum, non fuerunt virtutes. Sed Christo attribuitur quidam heroicus, sive divinus habitus contra virtutem distinctum. Ergo in Christo non fuerunt virtutes.

Maior prob., quia ea quæ sunt contra se invicem distincta, non attribuuntur eidem.

Minor prob., quia secundum Phil. 7. Ethic. in prin. habitus heroicus, qui contra virtutes distinguitur, attribuitur divinis hominibus: et multo magis debet attribui Christo, qui est Deus ipse.

3. Ille in quo sunt virtutes, sunt simul omnes virtutes. Sed in Christo non fuerunt omnes virtutes. Ergo in Christo non fuerunt virtutes.

Maior prob., quia 1. 2. qu. 65. art. 1. et 2. dictum est, quod omnes virtutes simul habentur.

Minor prob. Non enim fuit conveniens Christum habere omnes virtutes, sicutpatet de liberalitate, et magnificentia, quæ habent actum suum circa divitias, quas Christus contempsit secundum illud Matth. 8. *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Temperantia etiam,

et continentia sunt circa concupiscentias pravas, quæ in Christo non fuerunt.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo, qui fuit plenus omni bono, fuerunt omnes virtutes. Sed Christus fuit plenus omni bono. Ergo in Christo fuerunt omnes virtutes.

Maior prob., quia virtus est bona qualitas mentis. Unde qui est plenus omni bono, est plenus omni virtute.

Minor probat., quia Glos. Super illud Psalm. *in lege Domini voluntas ejus*, dicit: *hic ostenditur Christus plenus omni bono.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus habuit omnes virtutes.

Prob. Ille, in quo est perfectissima gratia, habuit omnes virtutes. Sed in Christo fuit perfectissima gratia. Ergo in Christo fuerunt omnes virtutes.

Maior prob. Ille in quo est perfectissimum principium virtutum, habet omnes virtutes. Sed ille, in quo est perfectissima gratia, est perfectissimum principium virtutum. Ergo ille, in quo est perfectissima gratia, habet omnes virtutes.

Maior hujus prob., quia quanto aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit in suos effectus; unde ubi est perfectissime principium omnium virtutum, sunt omnes virtutes.

Minor hujus prob., quia gratia est principium virtutum. Sicut enim dictum est 1. 2. q. 110. art. 3. et 4. sicut gratia respicit essentiam animæ, ita virtus respicit potentiam ejus. Unde oportet, quod sicut potentiæ animæ derivantur ab ejus essentia, ita virtutes sint quædam derivationes gratiæ; est ergo gratia principium, ex quo originantur virtutes.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod gratia sufficit homini, quantum ad omnia, per quæ homo ordinatur ad beatitudinem, diverso tamen modo. Quædam enim horum perficit gratia per seipsam immediate, sicut gratum facere, et alia hujusmodi; quædam autem perficit gratia, mediantibus virtutibus, quæ ex gratia procedunt, ut sunt operationes.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod habitus ille heroicus, qui in divinis hominibus ponitur, non differt à virtute communiter sumpta, sicut oppositò; sed solum secundum maiorem, et minorem perfectionem, in quantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum, quodam altiori modo, quam communiter omnibus competat. Habitus enim ille heroicus est virtus altiori modo habita. Unde ex hoc non ostenditur, quod Christus non habuerit virtutes, sed quod habuerit eas perfectissime ultra communem modum, sicut etiam Plotinus posuit quemdam sublimem modum virtutum, quas esse dixit animi purgati.

Ad 3. Negatur minor. Ad probat. dicitur, quod Christus habuit liberalitatem et magnificentiam, quantum ad habitus. Commendantur enim liberalitas et magnificentia circa divitias, in quantum aliquis non tantum appretiatur divitias, quod velit eas retinere, prætermittendo id, quod fieri oportet. Ille, autem minime divitias appretiatur, qui penitus eas contemnit, et abjicit propter perfectionis amorem. Et ideo in hoc ipso, quod Christus omnes divitias contempsit, ostendit in se summum liberalitatis et magnificentiæ gradum. Habuit etiam Christus actum liberalitatis, secundum quod sibi conveniens erat, faciendo erogari pauperibus ea quæ sibi dabantur. Unde cum Dominus dixit Judæ Joan. 13. *Quod facis, fac citius*, discipuli intellexerunt Dominum mandasse, quod egenis aliquid daret. Habuit igitur Dominus perfectissime habitum liberalitatis et magnificentiæ; et actum liberalitatis habuit, secundum quod sibi conveniens fuit; magnificentiæ vero actus sibi non conveniebat, quia pauperem vitam ducebat. Concupiscentias autem pravas Chris-

tus omnino non habuit, ut dicitur infra qu. 15. art. 1. et 2. Non tamen propter hoc excluditur quin habuerit temperantiam. Tanto enim perfectior temperantia est in homine, quanto magis pravis concupiscentiis caret. Unde secundum Phil. 7. Ethic. c. 9. temperatus in hoc differt á continente, quod temperatus non habet pravas concupiscentias, quas continens patitur. Unde accipiendo continentiam proprie, sicut Phil. accipit, scilicet, ut moderatur insurgentes concupiscentias, ex hoc ipso quod Christus habuit omnem virtutem, non habuit continentiam, quæ non est virtus, sed aliquid minus virtute, ut abunde dictum est 2. 2. q. 135. art. 1.

## ARTICULUS III.

*Utrum in Christo fuerit fides.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod in Christo fuerit fides.

1. In Christo fuerunt virtutes morales, puta temperantia et liberalitas, ut art. præced. dictum est. Ergo in Christo multo magis fuit fides.

Conseq. prob., quia fides est nobilior virtus, quam sint virtutes morales.

2. Christus docuit fidem. Ergo in Christo fuit fides.

Anteced. prob., quia de Christo dicitur ad Heb. 12. quod *est auctor et consummator fidei.*

Conseq. prob., quia Christus non docuit virtutes, quas non habuit, secundum illud Act. 1. *Cœpit facere et docere.*

3. Virtus quæ est in beatis, est etiam in Christo qui erat beatus. Sed fides est in beatis. Ergo fides est etiam in Christo.

Minor, quia super illud Rom. 1. *Justitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem*, dicit Glos. *de fide verborum, et spei*, quæ est viatorum, *in fidem rerum et speciei*, quæ est beatorum. Est ergo fides in beatis.

Aliter. Si fides non esset in Christo, hoc esset, quia fides importaret imperfectionem. Sed fides non importat imperfectionem. Ergo fides est in Christo.

Minor prob., quia fides est in beatis, ut Glos. dicit; á quibus tamen excluditur omnis imperfectio.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo, cui nihil est non apparens, non est fides. Sed Christo nihil fuit non apparens, secundum illud, quod dixit ei Petrus Jo. ult. *Domine tu omnia nosti.* Ergo in Christo non fuit fides.

Maior prob., quia *fides est argumentum non apparentium*, ut dicitur Heb. 11.

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo non potuit esse fides.

Prob. In eo, qui ab instanti suæ conceptionis vidit plene Deum per essentiam, non potuit esse fides. Sed Christus ab instanti suæ conceptionis plene vidit Deum per essentiam, ut dicetur infra quæst. 34. art. 4. Ergo in Christo fides esse non potuit.

Maior ostenditur. Objectum fidei est res divina non visa, ut dictum est 2. 2. q. 1. art. 4. Ergo excluso, quod res divina sit non visa, excluditur ratio fidei.

Conseq. hæc prob., quia habitus virtutis fidei, sicut et quilibet alius recipit speciem ex objecto. Unde remoto objecto fidei, removetur et fides.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod fides est virtus nobilior moralibus virtutibus, quia est circa nobiliorem materiam, quam sint virtutes morales. Tamen fides importat quemdam defectum in comparatione ad illam materiam. Virtutes vero morales nullam important imperfectionem per comparationem ad propriam materiam; temperantia enim nullam imperfectionem importat per comparationem ad concupiscentias, quas refrænat, nec fortitudo per comparationem ad timores; fides autem importat quamdam obscuritatem, circa ea quæ credenda proponuntur. Et prop-

terea in Christo ponuntur virtutes morales, quæ imperfectionem ullam circa propriam materiam non important, et non ponitur fides, quæ est de non visis. Sunt igitur in Christo omnes virtutes, quæ in comparatione ad proprias materias non important imperfectionem. Non autem quæ imperfectionem important, inter quas est fides.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod Christus nihil docuit pertinens ad meritum, quod non fecerit. Meritum autem fidei consistit in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis, quæ non videt, secundum illud Rom. 1. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus.* Et quia Christus plenissime obedientiam habuit, secundum illud ad Phil. 2. *Factus est obediens usque ad mortem*; propterea nihil Christus docuit ad meritum pertinens, quod ipse excellentius non impleret.

Ad 3. Neg. minor utriusque formæ; falsum est enim, quod fides sit in beatis, et quod propter imperfectionem quam importat, non excludatur á beatis. Et ad prob. quæ est Glossæ auctoritas dicitur, quod sicut Glossa ibidem dicit, fides proprie est, *qua creduntur quæ non videntur:* sed fides, quæ est rerum visarum, improprie, et secundum quamdam similitudinem fides dicitur, quantum scilicet ad certitudinem, vel firmitatem adhæsionis.

## ARTICULUS IV.

### Utrum in Christo fuerit spes.

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod in Christo fuerit spes.

1. In eo qui speravit in Deo, est spes. Sed Christus speravit in Deo. Ergo in Christo est spes.

Maior prob., quia spes est virtus qua homo sperat in Deum.

Minor prob., quia Psal. 30. ex persona Christi dicitur: *in te Domine speravi.*

2. In eo qui expectabat aliquid ad beatitudinem pertinens, erat spes. Sed Christus expectabat aliquid ad beatitudinem pertinens. Ergo in Christo fuit spes.

Maior prob., quia spes est expectatio futuræ beatitudinis, ut dictum est 2. 2. qu. 17. art. 5. ad 3. et art. 6. ad 2.

Minor prob., quia Christus expectabat gloriam corporis.

3. In eo ad cujus perfectionem pertinet aliquid futurum, potest esse spes. Sed ad perfectionem Christi pertinebat aliquid, quod erat futurum. Ergo in Christo erat spes.

Maior prob., quia unusquisque potest sperare illud, quod ad ejus perfectionem pertinet, si sit futurum.

Minor prob., quia ad Ephes. 4. dicitur: « Ad consummationem sanctorum « in opus ministerii, in ædificationem « corporis Christi. »

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In Christo non fuit fides, ut dictum est art. præced. Ergo in Christo non fuit spes.

Conseq. prob., quia tam fides, quam spes est de non visis; dicitur enim Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?*

*Determinatio.*

*Distinctio.* In Christo fuisse spem potest dupliciter intelligi: uno modo respectu principalis objecti spei; alio modo respectu secundario speratorum.

Manifestatur hæc distinctio. Nam sicut de ratione fidei est, quod aliquis assentiat his quæ non videt, ita de ratione spei est, quod aliquis expectet id, quod nondum habet. Et sicut fides, in quantum est virtus theologica, non est de quocumque non viso, sed solum de Deo; ita etiam spes, in quantum est virtus theologica habet pro objecto ipsum Deum, cujus fruitionem homo principaliter expectat per spei virtutem. Ex consequenti tamen ille, qui habet virtutem spei, potest etiam in aliis divinum auxilium expectare. Sicut etiam ille qui habet virtutem fidei, non solum credit Deo de re-

bus divinis, sed etiam de quibuscumque aliis divinitus sibi revelatis.

1.ª Conclusio. In Christo non fuit spes.

Prob. In eo qui habet plene fruitionem divinam non potest esse spes. Sed Christus á principio suæ conceptionis plene habuit fruitionem divinam, ut dicetur quæst. 34. art. 4. Ergo in Christo non fuit spes.

Maior patet ex dictis in principio corporis. Quia scilicet de ratione spei est, quod aliquis expectet id, quod nondum habet, sicut de ratione fidei est, ut credens assentiat his quæ nondum videt.

2.ª Conclusio. In Christo fuit actus spei respectu secundario speratorum.

Manifestatur ex differentia quæ est inter fidem et spem per respectum ad Christum. Nam Christus plenissime omnia cognovit. Et ideo nullo modo habuit fidem, nec respectu objecti principalis fidei, nec respectu eorum quæ secundario creduntur. Quia vero adhuc non plene habebat omnia, quæ ad ejus perfectionem pertinebant, puta immortalitatem et gloriam corporis; ideo non totaliter excludebatur ab eo spes, sed poterat respectu horum habere actum spei.

AD ARGUMENTA,

Rd 1. Dicitur, quod aliquis potest sperare in Deo dupliciter: uno modo sperando beatitudinem; alio modo sperando alia, quæ ad beatitudinem ordinantur. Tunc dicitur ad maiorem, quod qui sperat in Deo primo modo, habet virtutem spei; qui vero sperat in Deo tantum secundo modo, habet solum actum spei, respectu secundario speratorum. Ad minorem dicitur, quod Christus non speravit in Deo priori modo, erat enim jam beatus, sed secundo modo, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur, quod aliquid potest pertinere ad beatitudinem dupliciter: uno modo quasi in eo principaliter consistens, ut est visio divinæ essentiæ; alio modo tamquam quoddam ex beatitudine redundans, ut est gloria corporis; tunc ad maiorem dicitur quod qui sperat id quod pertinet ad beatitudinem primo modo, habet virtutem spei; qui vero sperat tantum id quod pertinet ad beatitudinem secundo modo, non habet virtutem spei, sed solum actum spei respectu eorum quæ secundario speranda sunt. Tunc ad minorem dicitur quod gloria corporis non pertinet ad beatitudinem, sicut id, in quo principaliter beatitudo consistit, sed per quamdam resultantiam á gloria animæ procedit, ut dictum est 1. 2. quæst. 4. artic. 6. et 67. artic. 4. Unde spes secundum quod est virtus theologica, non respicit beatitudinem corporis, sed beatitudinem animæ, quæ in divina fruitione consistit.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur quod ædificatio Ecclesiæ per conversionem fidelium, non pertinet ad perfectionem Christi, qua in se perfectus est, sed secundum quod alios ad participationem suæ perfectionis inducit. Et quia spes proprie dicitur respectu alicujus, quod expectatur ab ipso sperante habendum, non potest proprie dici quod virtus spei conveniat Christo.

## ARTICULUS V.

### *Utrum in Christo fuerint dona.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non ferunt dona.

1. In eo in quo fuerunt virtutes perfectæ, non fuerunt dóna. Sed in Christo fuerunt omnes virtutes perfectæ, ut dictum est art. 2. hujus quæst. Ergo in Christo non fuerunt dona.

Maior probat., quia, sicut communiter dicitur, dona dantur in adjutorium virtutum. Unde quando virtutes sunt perfectæ non indigent auxilio; ac per hoc in eo, in quo fuerunt virtutes perfectæ, non fuerunt dona.

2. Ei cui competit dare dona, non convenit accipere dona. Sed Christo convenit dare dona, secundum illud Psal. 67. *Dedit dona hominibus.* Ergo Chris-

to non convenit accipere dona Spiritus Sancti.

Maior prob., quia cum dare sit habentis, et recipere sit non habentis, non videtur esse ejusdem dare, et recipere.

3. In eo qui habet contemplationem patriæ, non possunt esse dona sapientiæ, scientiæ, intellectus, consilii. Sed Christus habuit contemplationem patriæ. Ergo Christus non habuit hujusmodi dona.

Maior prob., quia quatuor dicta dona pertinent ad contemplationem viæ. Unde Phil. 6. Ethic. cap. 3. numerat ista inter virtutes intellectuales.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Glos. super illud Isaiæ 4. *Apprehendent septem mulieres virum unum*, dicit: idest *septem dona Spiritus Sancti Christum.*

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo excellentissime fuerunt dona.

Prob. In eo cujus anima perfectissime movebatur á Spiritu Sancto, excellentissime erant dona. Sed anima Christi perfectissime movebatur á Spiritu Sancto. Ergo in Christo excellentissime fuerunt Spiritus Sancti dona.

Maior prob., quia ut dictum est. 1. 2. quæst. 68. art 1. dona proprie sunt perfectiones quædam potentiarum animæ, secundum quod sunt natæ moveri á Spiritu Sancto. Unde in eo, cujus anima excellentissime movebatur á Spiritu Sancto, excellentissime erant dona Spiritus Sancti.

Minor prob., quia Lucæ 4. dicitur: *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est á Jordane, et agebatur á spiritu in desertum.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod illud quod est perfectum, secundum ordinem suæ naturæ, indiget adjuvari ab eo quod est altioris naturæ, sicut homo, quantumcumque sit perfectus, indiget adjuvari á Deo. Et hoc modo virtutes, quæ perficiunt potentias animæ, secundum quod ducuntur ratione, quantumcumque sint perfectæ, indigent adjuvari per dona quæ perficiunt potentias animæ, secundum quod sunt motæ á Spiritu Sancto.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probat. quod eidem potest convenire dare et recipere, secundum diversam rationem. Ad minorem dicitur quod Christus non secundum idem est recipiens, et dans dona Spiritus Sancti. Sed dat secundum quod est Deus, et accipit secundum quod est homo. Unde Gregorius dicit in 2. Mor. capit. 41. quod *Spiritus Sanctus humanitatem Christi numquam deseruit, ex cujus divinitate procedit.*

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo negatur maior. Nam etiam in patria sunt per aliquem modum dona Spiritus Sancti ut dictum est 1. 2. quæst. 68. art. 6. Secundo dicitur ad minorem, quod in Christo non solum fuit cognitio patriæ, sed etiam cognitio viæ, ut dicetur infra, quæst. 15. art. 10.

## ARTICULUS VI.

*Utrum in Christo fuerit donum timoris.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit donum timoris.

1. In Christo non fuit virtus spei, ut art 4. dictum est. Ergo in Christo non fuit donum timoris.

Conseq. prob., quia cum objectum spei sit bonum, objectum vero timoris sit malum, ut in 1. 2. quæst. 40. a. 1. et q. 42. a. 1. habitum est, spes potior esse videtur quam timor. Unde si in Christo non est spes, multo minus videtur quod in eo sit timor.

2. Ille qui habet donum timoris, timet separari á Deo, vel timet puniri á Deo. Sed Christus non timuit separari á Deo per peccatum, neque etiam ab eo puniri propter culpam. Ergo in Christo non fuit donum timoris.

Maior prob., quia dono timoris timet aliquis, vel separationem á Deo, quod pertinet ad timorem cæ:tum, vel puniri

ab ipso, quod pertinet ad timorem servilem, ut Augustinus dicit tract. 9. super canon. Joan.

Maior prob., quia impossibile erat Christo peccare, ut dicetur quæst. 15. art. 1. et 2. Et quia timor non est de impossibili, sequitur quod Christus neutrum horum timuerit.

3. In illo in quo fuit perfecta charitas non fuit donum timoris. Sed in Christo fuit perfecta charitas. Ergo in Christo non fuit donum timoris.

Maior prob., quia 1. Jo. 4 dicitur: *Perfecta charitas foras mittit timorem.*

Minor prob., quia ad Ephes. 3. dicitur: *Supereminentem scientiæ charitatem Christi.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Isaiæ 11. dicitur: *Replebit eum spiritus timoris Domini.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Timor respicit duo objecta, ut dictum est 1. 2. quæst. 42. art. 1. in corp. Quorum unum est malum terribile, puta mortem. Aliud est illud cujus potestate malum potest inferri: sicut aliquis timet regem, in quantum habet occidendi potestatem: non enim timeretur ille qui potest nocere, nisi haberet quamdam eminentiam potestatis, cui de facili resisti non possit; ea enim quæ facile possumus repellere, non timemus. Ex quo patet quod nullus timetur, nisi propter suam eminentiam, cui, si malum inferat, non potest resisti.

1.ª Conclusio. In Christo non fuit timor Dei, secundum quod timor respicit malum separationis á Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa.

Hanc conclusionem probat secundum argumentum pro negativa.

2.ª Conclusio. In Christo fuit timor Dei, secundum quod timor respicit ipsam divinam eminentiam.

Manifestatur: erat enim donum timoris in Christo, in quantum anima Christi quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum, á Spiritu Sancto acta. Unde Heb. 5. dicitur, quod Christus *exauditus est pro sua reverentia.* Quem affectum reverentiæ ad Deum Christus, secundum quod homo, præ cæteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit scriptura plenitudinem timoris Domini, ut dicitur in auctoritate citata ex Isa. 11.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ex hoc enim quod in Christo non ponitur spes, non sequitur quod in eo non fuerit timor. Ad probationem dicitur, quod donum timoris est potius quam sit virtus spei. Ad cujus evidentiam est considerandum quod habitus virtutis, et donorum proprie, et per se respiciunt bonum, malum autem ex consequenti. Pertinet enim ad rationem virtutis (et multo magis ad rationem doni) quod opus bonum reddat, ut dicitur 2. Ethic. cap. 6. Et ideo, etsi timor respiciat duo objecta, ut dictum est in principio corporis, scilicet malum, et eminentiam ejus qui malum inferre potest; non tamen de ratione doni timoris est illud malum; sed de ratione doni timoris est eminentia ejus qui timetur, quæ est quoddam bonum. Unde objectum quod est ratione doni timoris, est bonum, secundum quod habet vim inferendi malum. Malum autem quod per hujusmodi eminentiam potest inferri, pertinet ad timoris donum solum ex consequenti. Spes autem secundum quod est virtus, respicit non solum auctorem boni, sed etiam ipsum bonum, in quantum est non habitum. Et propterea spes secundum sui rationem importat imperfectionem quamdam, ut dictum est art. 4. Ex quibus patet quod donum timoris est quid perfectius quam virtus spei, quia spes imperfectionem includit. Et quia Christus jam habebat perfectum beatitudinis donum, non attribuitur ei virtus spei, sed donum timoris.

Ad secundum conceditur totum; nam ut dictum est, probat secundam conclu-

sionem: concludit enim quod in Christo non sit timor, prout timor respicit malum, quod esse verum ostensum est.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod perfecta charitas foras mittit timorem servilem, de quo in secundo argumento dictum est, et plenius 2. 2. quæst. 110; qui respicit principaliter pœnam: non autem timorem filialem divinæ reverentiæ, sicut fuit in Christo.

## ARTICULUS VII.

### *Utrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod in Christo non fuerint gratiæ gratis datæ.

In eo qui habuit gratiam secundum plenitudinem, non fuerunt gratiæ gratis datæ. Sed Christus habuit gratiam secundum plenitudinem, secundum illud Joan. 1. *Plenum gratiæ, et veritatis.* Ergo in Christo non fuerunt gratiæ gratis datæ.

Maior probatur. Gratiæ gratis datæ videntur esse quædam participationes divinæ, divisim et particulariter diversis attributæ, secundum illud 1. Corint. 12. *Divisiones gratiarum sunt.* Ergo ei qui habet plenitudinem gratiæ, non convenit habere gratias gratis datas.

Consequentia hæc prob. Quia ei qui habet aliquid secundum plenitudinem, non competit illud habere secundum participationem.

2. In eo cui debebantur ea quæ pertinent ad gratias gratis datas, non fuerunt gratiæ gratis datæ. Sed homini Christo erant debita ea, quæ pertinent ad gratias gratis datas. Ergo in Christo homine non fuerunt gratiæ gratis datæ.

Maior prob, quia quod debetur alicui, non videtur gratis esse ei datum.

Maior probat., quia debitum erat homini Christo quod sermone sapientiæ et scientiæ abundaret, et potens esset in virtutibus faciendis, et in aliis hujusmodi, quæ pertinent ad gratias gratis datas, cum ipse sit *Dei virtus et Dei sapientia*, ut dicitur 1. Cor. 1.

3. In eo qui non fuit usus gratiis gratis datis, non fuerunt gratiæ gratis datæ. Sed Christus non legitur quod usus fuerit gratiis gratis datis, præsertim quantum ad genera linguarum. Ergo in Christo non fuerunt gratiæ gratis datæ.

Minor prob., quia gratiæ gratis datæ ordinantur ad utilitatem fidelium, secundum illud 1. Cor. 12. « Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: » non autem videtur ad utilitatem aliorum pertinere habitus, aut quæcumque dispositio, si homo eis non utatur, secundum illud Eccles. 20. « Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? » Igitur ei qui non utitur his gratiis, non sunt hujusmodi gratiæ attribuendæ.

#### PRO AFFIRMATIVA.

#### *Argumentum sed contra.*

August. dicit in epist. ad Dardanum, et est epist. 57. « Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo fuerunt omnes gratiæ. »

#### *Determinatio.*

Conclusio. In Christo fuerunt excellentissime omnes gratiæ gratis datæ.

Prob. In primo, et principali doctore spiritualis doctrinæ fidei, fuerunt excellentissime omnes gratiæ gratis datæ. Sed Christus fuit primus, et principalis doctor spiritualis doctrinæ fidei. Ergo in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, sicut in primo, et principali fidei doctore.

Maior prob., quia sicut dictum est 1. 2. quæst. 111. gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei, et spiritualis doctrinæ manifestationem: oportet enim eum qui docet habere ea, per quæ sua doctrina manifestetur; alias sua doctrina esset inutilis: in primo igitur fidei et spiritualis doctrinæ doctore fuerunt omnes gratiæ gratis datæ excellentissime.

Minor prob., quia ad Heb. 2. dicitur « cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in

« nos confirmata est, contestante Deo sig-« nis, et portentis.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod gratiæ gratis datæ, sunt quædam participationes divinæ in aliis hominibus, non autem in Christo. Ad cujus evidentiam est considerandum quod sicut gratia gratum faciens ordinatur ad actus meritorios, tam interiores, quam exteriores, ita gratia gratis data ordinatur ad quosdam actus exteriores manifestativos fidei, sicut est operatio miraculorum, et alia hujusmodi. In utraque autem gratia Christus plenitudinem habuit. In quantum enim divinitati unita erat ejus anima, plenam efficaciam habebat ad omnes prædictos actus perficiendos. Alii autem sancti moventur á Deo, sicut instrumenta non unita, sed separata, propter quod particulariter efficaciam recipiunt ad hos, vel ad illos actus perficiendos, et ideo in aliis sanctis hujusmodi gratiæ dividuntur, non autem in Christo.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod Christus potest considerari dupliciter. Uno modo secundum naturam divinam, et sic ei competunt ea quæ pertinent ad gratias gratis datas, non per gratiam, sed naturaliter, et sic non competit ei recipere gratias, sed dare. Alio modo secundum naturam humanam, et sic competunt ei gratiæ gratis datæ. Unde simpliciter secundum hunc sensum, negatur minor. Christo enim secundum humanam naturam conveniunt quæ pertinent ad gratias gratis datas per ipsas gratias.

Ad cujus probationem dicitur quod Christus dicitur *Dei virtus et Dei sapientia*, in quantum est æternus Dei Filius, secundum quem modum convenit ei esse datorem gratiæ.

Ad 3. Dicitur primo assignando rationem minoris, quare scilicet Christus non fuit usus dono linguarum: ratio enim hujus est, quia Christus in una sola gente judæorum voluit personaliter prædicare, secundum quod ipse dicit Matth. 15. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*: et Apostolus dicit Rom. 15. *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis*, et ideo non oportuit quod loqueretur pluribus linguis. Nec tamen defuit ei omnium linguarum notitia, cum etiam occulta cordium ei non essent abscondita, ut dicetur quæst. 10. art. 2. Quorum absconditorum quæcumque voces sunt signa. Ad argumenti autem formam, negatur maior; potuit enim esse gratia linguarum absque usu, quemadmodum fuit in Christo.

Ad cujus probationem dicitur, quod non inutiliter hanc notitiam quis habet, sicut non inutiliter habet habitum, qui eo non utitur, quando non est opportunum. Habuit igitur Christus notitiam omnium linguarum, sed non est ea usus, quia non erat utendi opportunitas. Apostolis autem datum est donum linguarum et eo usi sunt, quia mittebantur ad docendum omnes gentes.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum in Christo fuerit prophetia.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit prophetia.

1. In eo qui habuit plenam, et apertam notitiam Dei, et divinorum, non fuit prophetia. Sed Christus habuit apertam, et plenam notitiam Dei, et divinorum. Ergo in Christo non fuit prophetia.

Maior prob. Quia prophetia importat quamdam obscuram et imperfectam notitiam, secundum illud Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad eum.*

Minor probatur. Quia Christus clariorem, et magis apertam notitiam habuit, quam Moyses, de quo ibidem subditur, quod *palam, et non per ænigmata vidit Deum.*

Aliter. Illud, quod importat quamdam obscuram, et imperfectam notitiam, non est ponendum in Christo. Sed prophetia

importat quamdam obscuram et imperfectam notitiam. Ergo prophetia non debet poni in Christo.

Maior prob. Quia Christus habuit magis apertam visionem, quam Moyses, qui non videbat Deum per ænigmata.

Minor prob. Quia Num. 12. dicitur, quod prophetia habetur per somnium, et visionem, quod significat obscuram notitiam.

2. In Christo non ponitur fides, ut dictum est art. 3. nec spes ut dictum est art. 4. Ergo in Christo non debet poni prophetia.

Conseq. prob. Quia sicut fides est eorum quæ non videntur, et spes eorum quæ non habentur, ita prophetia est eorum, quæ non sunt præsentia, sed distant. Nam propheta dicitur procul fans.

3. Ille in quo ponitur prophetia, est inferioris ordinis, quam angelus. Sed Christus non est minoratus ab angelis, secundum notitiam animæ, sed solum secundum corporis passionem, ut habetur Heb. 2. Ergo in Christo non fuit prophetia.

Maior probatur. Quia propheta est inferioris ordinis, quam angelus. Unde et Moyses. qui fuit supremus prophetarum (ut 2. 2. qu. 174. ar. 4. dictum est,) locutus est cum angelo in solitudine, ut dicitur Act. 7.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

De Christo prædicitur Deut. 18. *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris.* Et ipse de se dicit Matth. 13. et Joan. 4. *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.*

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo fuit prophetia.

Prob. In eo qui statum hominis viatoris attingebat, et cognoscebat, et loquebatur ea quæ erant á cognitione viatorum remota, erat prophetia. Sed Christus ante passionem attingebat hominum viatorum status, et cognoscebat, et loquebatur ea quæ erant remota à cognitione eorum, cum quibus loquebatur. Ergo in Christo ante passionem fuit prophetia.

Maior manifestatur. Ad hoc enim, quod aliquis propheta dici possit, duo requiruntur. Primum est, quod cognoscat et loquatur ea, quæ sunt procul á cognitione eorum cum quibus loquitur. Propheta enim dicitur quasi procul fans, vel procul videns; in quantum scilicet cognoscit, et loquitur ea quæ sunt procul ab hominum sensibus, sicut etiam Aug. dicit l. 16. contra Faus. cap. 18. Alterum est, quod ille qui loquitur ea quæ sunt procul á notitia eorum cum quibus loquitur, sit cum his cum quibus loquitur, et pertineat ad statum eorum cum quibus loquitur: si enim hoc deficiat, non potest dici propheta aliquis, etiamsi loquatur ea quæ sunt remota á cognitione eorum cum quibus loquitur. Unde si Deus, vel angelus annuntiet hominibus ea, quæ sunt remota ab hominum notitia, non dicitur Deus, vel angelus propheta, quia Deus, et angelus non attingunt statum nostrum, sed sunt supra humanum statum. Est autem necessarium, ut propheta sit cum his cum quibus loquitur, secundum locum, et secundum tempus; secundum locum quidem, quia si aliquis esset in Gallia, et cognosceret et annuntiaret aliis in Gallia existentibus ea, quæ tunc in Syria agerentur, propheticum esset. Sicut Elisæus ad Giezi dixit 4. Reg. 5. quomodo vir descenderat de curru, et occurrerat ei. Si vero aliquis in Syria existens, ea quæ sunt ibi, annuntiaret his qui sunt in Syria, non esset prophetica annuntiatio. Secundum tempus vero, quia propter hoc propheticum fuit, quod Isaias prænuntiavit, quod Cirus rex persarum templum Dei esset reædificaturus, ut patet Isaiæ 44. Quia scilicet Isaias erat cum his cum quibus loquebatur, et prænuntiabat ea quæ secundum tempus ab eorum notitia distabant. Non autem fuit propheticum, quod Esdras hoc scripsit

quia ejus tempore factum est. Ad hoc igitur, quod aliquis propheta dici possit necessarium est, quod cognoscat, et loquatur ea quæ sunt procul á cognitione eorum quibus illa prænuntiat, et quod sit cum his quibus loquitur. Ille igitur qui est nobiscum, et nobis loquitur ea quæ sunt procul á nostra notitia, potest dici propheta: quæ est maior quæ erat probanda.

Minor patet. Nam Christus ante ejus passionem erat viator, etsi esset etiam comprehensor, et ideo, ut erat viator, erat nobiscum, idest pertinebat ad statum nostrum. Quod vero Christus cognoverit, et locutus fuerit ea quæ erant remota á cognitione eorum cum quibus loquebatur, patet ex evangelica historia, in qua narratur, quod Christus et occulta cordium manifestavit, et multa futura prædixit, ut ruinam templi, etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior primæ formæ, et minor secundæ formæ. Ad probationem, quæ eadem est, dicitur, quod per illa verba scripturæ, non ostenditur esse de ratione prophetiæ ænigmatica cognitio, quæ scilicet est per somnium, et in visione; sed ostenditur excellentia Moysis super alios prophetas. Moyses enim palam, et non per ænigmata Deum vidit, de quo dicitur Deuter. ult. *Non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moyses.* Alii autem prophetæ per somnium, et in visione perceperunt divina.

Vel potest dici ad minorem primæ formæ, et ad probationem maioris secundæ, quod quamvis Christus habuerit plenam, et perfectam notitiam, quantum ad partem intellectivam, habuit tamen in parte imaginativa quasdam similitudines, in quibus etiam poterat speculari divina, in quantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod fides est eorum, quæ non videntur á credente, et spes est eorum, quæ non habentur á sperante. Et ideo fides et spes repugnant perfectioni beatitudinis Christi. Prophetia autem importat quidem cognitionem eorum quæ distant, non quidem ab eo qui prophetiam habet, sed á communi cognitione eorum, cum quibus propheta conversatur: et propterea prophetia non repugnat perfectæ cognitioni, et beatitudini Christi. Et ideo ponitur in Christo ante ejus passionem prophetia, non autem fides, et spes.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod est vera de propheta pure viatore, non autem de propheta simul viatore, et comprehensore, qualis fuit solus Christus. Hic enim est maior angelis; Moyses autem fuit purus viator, et ideo erat minor angelis.

## ARTICULUS IX.

### *Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiæ.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit plenitudo gratiæ.

1. In eo in quo fuit plenitudo gratiæ, fuerunt omnes virtutes. Sed in Christo non fuerunt omnes virtutes. Ergo in Christo non fuit plenitudo gratiæ.

Maior prob., quia á gratia derivantur virtutes, ut ostensum est. 1. 2. quæst. 110. art. 4. ad 1.

Minor prob., quia in Christo non fuit fides, neque spes, ut dictum est art. 3. et 4. hujus quæst.

2. In eo qui numquam subjacuit alicui peccato, non fuit plenitudo gratiæ. Sed Christus numquam subjacuit alicui peccato. Ergo in Christo non fuit plenitudo gratiæ.

Maior prob., quia gratia dividitur in operantem, et cooperantem, ut dictum est 1. 2. quæst. 111. art. 2. Operans autem gratia dicitur, per quam justificatur impius. Unde in eo qui numquam subjacuit peccato, non fuit gratia operans; ac per hoc non habuit plenitudinem gratiæ.

3. Donum, quod descendit, non potest haberi secundum plenitudinem, nec

etiam ab anima Christi. Sed gratia est donum descendens á Patre luminum. Ergo gratia non potest haberi ab aliqua creatura, etiam ab anima Christi, secundum plenitudinem.

Minor prob., quia Jac. 1. dicitur. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens á Patre luminum.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 1. dicitur: *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis.*

*Determinatio.*

*Quid sit plene habere gratiam.*

Illud dicitur haberi secundum plenitudinem, quod perfecte, et totaliter habetur. Unde quærere, an in Christo fuerit gratiæ plenitudo, est quærere, an Christus habuerit gratiam perfecte, et totaliter.

*Distinctio.* Potest autem aliquid haberi totaliter, et perfecte dupliciter. Uno modo quantum ad quantitatem intensivam; puta si dicam aliquem plene habere albedinem, si habeat eam quantumcumque nata est haberi. Alio modo secundum quantitatem virtualem, puta si aliquis dicatur plene habere vitam, quia habet eam secundum omnes effectus, vel operationes vitæ, et sic homo habet plene vitam, non autem brutum animal, vel planta, quia homo habet vitam secundum omnes vitæ effectus, puta secundum quod habet effectum vegetandi, sentiendi, et intelligendi; plantæ autem non habent vitam, nisi secundum aliquos horum effectuum. Gratia igitur potest haberi perfecte, et totaliter hoc duplici modo, scilicet intensive, et secundum virtutem, ut patebit.

1.ª Conclusio Christus habuit plenitudinem gratiæ secundum quantitatem intensivam.

Probatur dupliciter. Primo ille, cujus anima propinquius conjungitur causæ influenti gratiam inter omnes creaturas rationales, habuit gratiam in summo secundum perfectissimum modum. Sed anima Christi propinquius conjungitur causæ influenti gratiam, quia est Deus inter omnes creaturas rationales. Ergo Christus habuit plenitudinem gratiæ in summo secundum perfectissimum modum.

Maior prob., quia quanto aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius recipit, ut art. 1. dictum est.

Secundo. In eo, cujus anima sic recipiebat gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios, fuit plenitudo gratiæ in summo gradu. Sed anima Christi sic recipiebat gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios. Ergo Christus habuit plenitudinem gratiæ secundum perfectissimum modum, quo haberi potest.

Maior manifestatur á simili. Nam sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus; ita qui est causa gratiæ in omnibus habentibus gratiam, debet maxime habere gratiam.

Minor patet. Quia de plenitudine gratiæ Christi omnes accepimus ut dicitur Jo. 1.

2.ª Conclusio. Christus plenitudinem gratiæ habuit, quantum ad virtutem gratiæ.

Prob. In eo qui habuit omnes operationes, vel effectus gratiæ, fuit plenitudo gratiæ secundum virtutem. Sed Christus habuit omnes operationes, vel effectus gratiæ. Ergo in Christo fuit plenitudo gratiæ, secundum virtutem.

Maior patet. Quia hoc est habere plenitudinem gratiæ, secundum virtutem, ut dictum est in secundo membro distinctionis factæ in principio corporis.

Minor. Ille, cui conferebatur gratia tamquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam, habuit omnes effectus gratiæ. Sed Christo collata est gratia, quasi cuidam universali principio gratiæ in genere habentium gratiam. Ergo Christus habuit omnes effectus

gratiæ, qui effectus sunt virtutes, dona, gratiæ gratis datæ, et alia hujusmodi.

Maior hujus ostenditur à simili. Sicut enim sol, qui est universalis causa generationis (ut Dionys. dicit in 4. cap. de div. Nom.) ejus virtus se extendit ad omnia, quæ sub generatione cadunt, ita principium universale, in genere habentium gratiam oportet habere omnes gratiæ operationes, et effectus.

Minor patet ex dictis: nam ex plenitudine gratiæ Christi omnes habentes gratiam acceperunt, ut etiam supra dictum est.

Habuit igitur Christus plenitudinem gratiæ intensivam, quia ejus anima fuit propinquissima primo principio influenti gratiam, et quia ex anima Christi gratia transfundebatur in omnes alios. Plenitudinem vero gratiæ virtualem habuit Christus, quia ei collata fuit gratia, tamquam universali principio, ac per hoc omnes gratiæ operationes et effectus habuit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. In Christo enim fuerunt omnes virtutes, ut artic. 2. dictum est. Ad prob. dicitur, quod fides, et spes nominant effectus gratiæ in quodam defectu qui est ex parte recipientis gratiam, in quantum scilicet fides est de non visis, et spes de non habitis. Unde fides, et spes dupliciter considerari possunt. Uno modo quantum ad id, quod est perfectionis in ipsis, puta quod fides habet certitudinem, et spes firmitatem. Alio modo ut nominant effectus gratiæ in quodam defectu. Si considerentur secundo modo, fides et spes non fuerunt in Christo, quia cum ipse sit auctor gratiæ, non fuerunt in eo defectus, quos important fides, et spes. Sed tamen quidquid est perfectionis in fide et spe, in Christo est multo perfectius. Sicut in igne non sunt modi caloris defectivi, ex defectu subjecti, sed est in eo quicquid pertinet ad perfectionem caloris. Ad probationem igitur breviter dicitur, quod in Christo non fuerunt fides, et spes quoad id quod nominant imperfectionis ex parte subjecti, sed quoad id quod perfectionis est in fide, et spe fuerunt in Christo excellentissimo modo.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod ad gratiam operantem per se pertinet facere justum; sed quod justum faciat ex impio, hoc accidit ei ex parte subjecti, in quo peccatum invenitur. Igitur anima Christi justificata est per gratiam operantem, non quasi fuerit peccatrix, et injusta, sed in quantum per gratiam facta est justa, et sancta á principio suæ conceptionis.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod gratiam haberi secundum plenitudinem potest intelligi dupliciter: uno modo per comparationem ad plenitudinem infinitam bonitatis divinæ, et sic nulla creatura, nec anima Christi potest habere plenitudinem gratiæ; hæc enim plenitudo gratiæ est propria Dei: alio modo secundum plenitudinem quæ potest haberi á creatura, et hæc plenitudo gratiæ fuit in anima Christi.

Ad formam igitur dicitur ad maiorem, quod donum descendens á Patre luminum non habetur secundum plenitudinem primo modo; haberi tamen potest secundum plenitudinem secundo modo, et sic Christus habuit plenitudinem gratiæ super omnes alios.

## ARTICULUS X.

*Utrum plenitudo gratiæ sit propria Christi.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod plenitudo gratiæ non sit propria Christi.

1. Illud quod potest attribui aliis á Christo, non est proprium Christi. Sed plenitudo gratiæ attribuitur quibusdam aliis á Christo. Ergo plenitudo gratiæ non est propria Christi.

Maior prob., quia quod est proprium alicui, sibi soli convenit.

Minor probat., quia Lucæ 1. dicitur

Beatæ Virgini; *Ave gratia plena*: et Act. 6. *Stephanus plenus gratia, et fortitudine.*

2. Illud quod potest communicari aliis per Christum, non videtur esse proprium Christi. Sed plenitudo gratiæ potest communicari aliis per Christum. Ergo plenitudo gratiæ non est propria Christi.

Minor prob., quia dicitur ad Ephes. 3. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

3. Illud quod á singulis hominibus habetur, non est proprium Christi. Sed plenitudo gratiæ habetur á singulis hominibus. Ergo plenitudo gratiæ non est propria Christi.

Minor probat. In statu patriæ omnes habent quamdam plenitudinem, quia «in illa cœlesti patria, ubi plenitudo est «omnis boni, licet quædam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter,» ut patet per Greg. Hom. 34. in Evang. Ergo etiam in statu viæ habetur plenitudo gratiæ á singulis hominibus.

Conseq. prob., quia status viæ videtur proportionari statui patriæ.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud quod attribuitur Christo, in quantum est unigenitus á Patre, est proprium Christi. Sed plenitudo gratiæ attribuitur Christo, in quantum est unigenitus á Patre. Ergo plenitudo gratiæ est propria Christi.

Maior prob., quia esse unigenitum á Patre, est proprium Christo.

Minor prob., quia Joan. 1. dicitur: *Vidimus eum, quasi unigenitum a Patre, plenum gratiæ, et veritatis.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Plenitudo gratiæ potest attendi dupliciter. Uno modo ex parte ipsius gratiæ. Alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte ipsius gratiæ dicitur esse plenitudo gratiæ ex eo quod aliquis pertingit ad summum gratiæ, et quantum ad essentiam, et quantum ad virtutem, quia scilicet habet gratiam, et in maxima excellentia, qua potest haberi, et in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus; ex parte vero subjecti habentis gratiam, esse dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plenam gratiam, secundum suam conditionem. Sive secundum intensionem, prout in eo est intensa gratia usque ad terminum præfixum ei á Deo, secundum illud ad Ephes. 4. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*; sive etiam secundum virtutem, in quantum scilicet quis habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad suum officium, sive statum. Sicut Apostolus dicebat ad Ephes. 3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc*, etc.

1.ª Conclusio. Plenitudo gratiæ ex parte gratiæ, quantum ad essentiam, et quantum ad virtutem, est propria Christi.

Hanc probat argumentum pro affirmativa.

2.ª Conclusio. Plenitudo gratiæ ex parte subjecti habentis gratiam, non est propria Christi, sed communicatur aliis per Christum.

Hanc probant duo priora argumenta pro negativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod si sit sermo de plenitudine gratiæ ex parte ipsius gratiæ, negatur minor. Plenitudo enim hæc non attribuitur aliis á Christo. Ad prob. dicitur quod Beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ; sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam Virginem, quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa á Deo, ut scilicet esset mater unigeniti ejus. Et similiter Stephanus dicitur esse plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc quod esset idoneus minister, et testis Dei, ad quod

erat electus. Et idem dicendum est de aliis, quibus plenitudo gratiæ attribuitur. Harum tamen plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est divinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum. Et quia Beatissima Virgo fuerat præordinata ad summum statum, ad quem creatura ordinari poterat, ideo plenitudo gratiæ in ea fuit maior, quam fuerit plenitudo cujuscumque alterius sancti. Si vero sermo sit de plenitudine gratiæ juxta secundum modum, scilicet ex parte subjecti, jam dictum est quod hæc plenitudo non est propria Christi, unde probat hoc argumentum secundam conclusionem, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur minor de plenitudine gratiæ ex parte ipsius gratiæ: quæ plenitudo est propria Christi.

Ad probat, dicitur quod Apostolus ibi liquitur de illa plenitudine gratiæ, quæ accipitur ex parte subjecti, in comparatione ad id, ad quod homo est divinitus præordinatus. Quod quidem est, vel aliquid commune, ad quod præordinantur omnes sancti, vel aliquid speciale quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et secundum hoc, quædam plenitudo gratiæ est omnibus sanctis communis, ut scilicet habeant gratiam sufficientem ad merendum vitam æternam, quæ in plena Dei fruitione consistit, et hanc plenitudinem optat Apostolus fidelibus, quibus inductam sententiam scribit.

Ad 3. Negatur minor de plenitudine gratiæ, ex parte gratiæ.

Ad antecedens probationis dicitur quod illa dona, quæ sunt communia in patria, scilicet visio, comprehensio, fruitio, et alia hujusmodi habent quædam dona sibi correspondentia etiam in statu viæ, quæ dona sunt etiam communia omnibus sanctis; sunt tamen quædam sanctorum prærogativæ in patria, et in via, quæ non habentur ab omnibus, ut patet ex dictis in duabus præcedentibus responsionibus, quia scilicet non omnes præordinantur ad æqualem statum, sed aliqui ad maiorem, et aliqui ad minorem, ut in prima responsione dictum est.

## ARTICULUS XI.

*Utrum gratia Christi sit infinita.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod gratia Christi sit infinita.

1. Omne immensum est infinitum. Sed gratia Christi est immensa. Ergo gratia Christi est infinita.

Minor prob., quia Joan. 3. dicitur: *non enim ad mensuram dat Deus spiritum Filio*, scilicet Christo.

2. Illud cujus effectus est infinitus, est infinitum. Sed gratia Christi habet effectum infinitum. Ergo gratia Christi est infinita.

Maior prob., quia effectus infinitus demonstrat virtutem infinitam, quæ non potest fundari nisi in essentia infinita.

Minor prob., quia gratia Christi se extendit in se ad salutem totius humani generis. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, ut dicitur 1. Joan. 2.

3. Si gratia Christi esset finita, sequeretur quod posset alterius hominis gratia tantum crescere, quod perveniret adæqualitatem gratiæ Christi. Quod est falsum.

Conseq. prob., quia omne finitum per additionem finiti potest pervenire ad æqualitatem cujuscumque alterius finiti.

Falsitas consequentis probat. Quia Job. 28. dicitur. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum*: quod Gregorius exponit de gratia Christi, lib. 18. Mor. cap. 27.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud quod est creatum, non est infinitum. Sed gratia Christi est quoddam creatum in ejus anima. Ergo gratia Christi non est infinita.

Maior prob., quia omne creatum est finitum secundum illud Sap. 11. *Omnia in numero, et pondere, et mensura disposuisti.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* In Christo potest duplex gratia considerari, ut dictum est supra quæst. 2. artic. 10. Una quidem est gratia unionis, quæ, sicut supra dictum est, est ipsum uniri personaliter Filio Dei, quod dicitur gratia, quia est gratis concessum humanæ naturæ: alia vero est gratia habitualis.

*Subdistinctio.* Quæ quidem potest dupliciter considerari: uno modo secundum quod est quoddam ens. Alio modo secundum propriam rationem gratiæ; qui modus quid sit, patebit in probatione tertiæ conclusionis.

1.ª Conclusio. Gratia unionis est infinita.

Probatur, quia persona Verbi, quæ sibi humanam naturam univit, est infinita.

2.ª Conclusio. Gratia habitualis Christi, secundum quod hujusmodi gratia est quoddam ens, est finita.

Prob. Gratia quæ est in subjecto finito habens finitam capacitatem, est finita. Sed gratia Christi est in subjecto finito, habens finitam capacitatem. Ergo gratia habitualis Christi, est secundum suam entitatem finita.

Maior prob., quia gratia non potest excedere capacitatem sui subjecti.

Minor prob., quia anima Christi, quæ est subjectum gratiæ habitualis, est creatura quædam habens finitam capacitatem.

3.ª Conclusio. Gratia habitualis Christi, secundum rationem gratiæ, potest dici infinita.

Manifestatur, quia gratia Christi non limitatur, sed habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiæ, et non datur ei secundum aliquam certam mensuram id quod ad rationem gratiæ pertinet, eo quod secundum propositum Dei, cujus est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundum illud ad Ephes. 1. *Gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Sicut si dicamus lucem solis esse infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Respondetur tripliciter, secundum quod tripliciter potest exponi sententia Apostoli inducta ad probandam minorem. Illud enim quod dicitur: Pater non ad mensuram dat spiritum Filio, exponitur, uno modo de dono, quod Deus Pater ab æterno dedit Filio, scilicet de divina natura, quam Deus Pater per generationem æternam dedit Filio, quæ est donum infinitum. Unde Glos. interlin. dicit ibidem: «ut tantus sit Filius, quantus est Pater.» Et secundum hanc expositionem conceditur totum argumentum. Probat enim hujusmodi donum esse infinitum, quod est verum. Alio modo potest referri ad donum, quod datum est humanæ naturæ, ut uniatur divinæ personæ; quod etiam est donum infinitum: unde Glos. ordin. dicit ibidem: «sicut Pater plenum et perfectum genuit Verbum; sic et plenum et perfectum est unitum humanæ naturæ.» Et secundum hanc expositionem conceditur, quod hujusmodi gratia sit infinita. Tertio modo potest referri ad gratiam habitualem: et tunc respondetur dicendo primo ad maiorem, quod illud quod est immensum, eo modo quo est immensum, eo modo potest dici infinitum. Tunc ad minorem dicitur quod gratia habitualis Christi est immensa, non secundum suum esse, sed secundum rationem gratiæ, quatenus Christo non est data gratia secundum aliquam mensuram, sed ut universali principio gratificationis: unde August. hoc exponens tract. 14. in Joan. dicit: mensura divina, divisio quædam donorum est: alii enim datur per spiritum sermo sapientæ, alii sermo scientiæ; sed Christus, qui dat, non ad mensuram accepit.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod gratia Christi habet infinitum effectum,

tum propter prædictam infinitatem, scilicet secundum rationem gratiæ, tum propter unitatem divinæ personæ, cui anima Christi unita est: unde hoc argumentum probat tertiam conclusionem.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod est verum id quod assumitur in his, quæ habent quantitatem unius rationis; si enim sint aliqua duo, quæ habeant quantitatem unius rationis, puta continuam, quorum unum maiorem habeat quantitatem, poterit id quod est minoris quantitatis, ad æqualitatem majoris per additionem quantitatis pervenire; si vero quantitates sint diversarum rationum, non est necesse, quod habens minorem quantitatem, per additionem perveniat ad æqualitatem maioris. Sicut corpus quantumcumque augeatur, numquam poterit ad magnitudinem animæ pervenire; quantitas autem gratiæ Christi, non est ejusdem rationis cum quantitate gratiæ aliorum hominum: nam gratia aliorum hominum comparatur ad gratiam Christi, sicut quædam virtus particularis ad universalem, sicut virtus ignis ad virtutem solis: unde sicut virtus ignis, quantumcumque crescat, non potest adæquare virtutem solis, ita gratia alterius hominis, quantumcumque crescat, non potest adæquare gratiam Christi.

## ARTICULUS XII.

*Utrum gratia Christi potuerit augeri.*

*Pro affirmativa*=Videtur, quod gratia Christi potuerit augeri.

1. Omne finitum potest augeri. Sed gratia Christi est finita, ut art. præced. dictum est. Ergo gratia Christi potuit augeri.

2. Illud cuius augmentum est per virtutem divinam, potest semper augeri. Sed augmentum gratiæ fit per virtutem divinam. Ergo gratia semper potest augeri.

Maior prob., quia virtus divina, cum sit infinita, nullo termino coarctatur.

Minor prob., quia 2. Cor. 9. dic. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.*

3. Lucæ 2. dicitur, quod *puer Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines.* Ergo gratia Christi potuit augeri.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Nihil potest esse, aut intelligi majus, quam quod aliquis sit unigenitus á Patre. Ergo nec potest esse, aut intelligi maior gratia, quam illa, qua Christus fuit plenus.

Conseq. prob., quia plenitudo gratiæ convenit Christo, in quantum est unigenitus á Patre. Secundum illud Jo. 1. *Vidimus eum, quasi unigenitum á Patre, plenum gratiæ et veritatis.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliquam formam non posse augeri contingit dupliciter: uno modo ex parte subjecti, in quo est; alio modo ex parte ipsius formæ. Ex parte subjecti non potest augeri forma, quando subjectum attingit ad ultimum gradum in participatione illius formæ secundum suum modum; sicut si dicatur quod aër non potest crescere in caliditate, quando pertingit ad ultimum gradum caloris, qui potest salvari in natura aëris, licet possit esse maior calor in rerum natura, in alio subjecto, qui est calor ignis. Ex parte vero formæ excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subjectum attingit ad ultimam perfectionem, quam potest talis forma habere in natura: sicut si dicamus quod calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris, quam ille ad quam pertingit ignis.

1.ª Conclusio. Gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ.

Probat. Gratia, cujus finis est unio creaturæ rationalis ad Deum in esse personali, non potest augeri. Sed finis gratiæ Christi est unio creaturæ rationalis ad Deum in esse personali. Ergo gratia Christi non potest augeri.

Maior ostenditur. Nam, sicut aliarum formarum est ex divina sapientia determinata propria mensura, ita ex eadem divina sapientia est determinata propria mensura ipsius gratiæ, secundum illud Sap. 11. *Omnia in numero, et pondere, et mensura disposuisti.* Mensura autem unicuique formæ præfigitur per comparationem ad suum finem. Sicut non est maior gravitas, quam gravitas terræ, quia non potest esse inferior locus, loco terræ. Gratia igitur, cujus finis est maxima unio ad Deum, non potest augeri; et quia non potest esse, nec intelligi maior unio creaturæ rationalis ad Deum, quam unio quæ est in persona; ideo gratia, cujus finis est unio personalis ad Deum, non potest augeri.

Aliter formatur hæc ratio. Gratia, cujus finis est maxima unio creaturæ rationalis ad Deum, non potest augeri. Sed gratiæ Christi finis est maxima unio creaturæ rationalis ad Deum. Ergo gratia Christi non potest augeri.

Maior probat. Quia mensura gratiæ, sicut et aliarum formarum determinata est per divinam sapientiam, per comparationem ad proprium finem, ut in prob. maioris præcedentis, ratione, auctoritate scripturæ, et exemplo gravitatis terræ dictum est.

Minor prob. Quia finis gratiæ Christi est unio personalis naturæ humanæ ad Verbum, qua nulla maior esse aut intelligi potest.

2.ª Conclusio. Gratia Christi non potest augeri ex parte subjecti.

Prob. Gratia ejus, qui ab instanti suæ conceptionis fuit verus et plenus comprehensor, non potuit augeri. Sed Christus secundum quod homo, á primo instanti suæ conceptionis fuit verus, et plenus comprehensor. Ergo gratia Christi non potuit ex parte subjecti augeri.

Maior probat. Quia beatorum gratia non potest augeri, eo quod sint in termino; et confirmatur quia hominum, qui sunt pure viatores, gratia potest augeri ex parte formæ, quia non attingunt ultimum gratiæ gradum, et ex parte subjecti, quia nondum pervenerunt ad terminum.

Minor prob. infra quæst. 15. ar. 10.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod maior est vera de quantitatibus mathematicis, non autem est vera de quantitate naturali, et multo minus est vera in ipsis formis. Si enim loquamur de quantitate in mathematicis, cuilibet finitæ quantitati potest fieri additio, quia ex parte quantitatis finitæ non est aliquid repugnans additioni. Si vero loquamur de quantitate naturali, potest esse repugnantia ex parte formæ, cui debetur determinata quantitas, sicut et alia accidentia determinata. Unde Phil. dicit in 2. de Ani. tex. 41. quod « omnium natura constantium est terminus, et ratio magnitudinis, et augmenti. » Et inde est, quod quantitati totius cœli non potest fieri additio. Multo igitur magis in ipsis formis consideratur aliquis terminus, ultra quem non prætergrediuntur. Et propter hoc non oportet, quod gratiæ Christi possit fieri additio, quamvis sit finita secundum sui essentiam.

Ad 2. Nagatur maior. Ad prob. dicitur, quod ex hoc, quod divina potentia non est per aliquem terminum coarctata, sequitur quidem quod possit facere aliquod maius, et melius quam sit habitualis gratia Christi, secundum quod est quoddam ens. Est enim gratia habitualis Christi accidens quoddam secundum suum esse; non tamen potest Deus facere aliquid melius gratia habituali Christi, quatenus habet ordinem ad personalem unionem cum unigenito á Patre: cum nullum possit esse creatum maius hac unione. Cui unioni sufficienter correspondet talis mensura gratiæ secundum diffinitionem divinæ sapientiæ. Et brevius dicitur, quod gratia habitualis Christi potest considerari dupliciter: uno modo secundum suum esse: alio modo

secundum quod est ordinata ad personalem unionem naturæ humanæ cum Unigenito á Patre. Si consideretur primo modo, Deus potest facere aliquid maius, puta unam animam, vel aliquam aliam substantiam. Si vero consideretur secundo modo, Deus non potest facere perfectiorem gratiam, quia non potest gratia ordinari ad aliquid maius, quam sit hypostatica unio.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod est Evangelistæ sententia, quod in sapientia, et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiæ et gratiæ augmentatos, et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus, in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit. Et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et ætate, quia, secundum processum ætatis, perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quæ sunt ad Deum, scilicet in operibus gratiæ, et in his quæ sunt ad homines, scilicet in sapientia.

## ARTICULUS XIII.

### *Utrum gratia habitualis Christi subsequatur unionem.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod gratia habitualis Christi non subsequatur unionem.

1. Illud, quod est idem cum gratia unionis, non subsequitur gratiam unionis. Sed gratia habitualis Christi est eadem cum gratia unionis. Ergo gratia habitualis Christi non subsequitur gratiam unionis.

Maior prob., quia idem non sequitur ad seipsum.

Minor prob., quia dicit Aug. in lib. de prædest. SS. cap. 15. «Ea gratia fit «ab initio fidei suæ quicumque homo «christianus, qua gratia homo ille ab ini«tio suo factus est Christus.» Quorum duorum primum, scilicet facere hominem christianum, pertinet ad gratiam habitualem. Alterum vero scilicet facere Christum, pertinet ad gratiam unionis; et August. dicit hæc duo ad eamdem gratiam pertinere.

2. Dispositio ad gratiam unionis, non subsequitur, sed præcedit gratiam unionis. Sed gratia habitualis videtur esse quædam dispositio humanæ naturæ ad unionem personalem. Ergo videtur, quod gratia habitualis non subsequatur unionem, sed magis ipsam præcedat.

Maior prob., quia dispositio præcedit id, cujus est dispositio, tempore, vel saltem intellectu.

3. Commune est prius proprio, saltem secundum intellectum. Sed gratia habitualis est communis Christo, et aliis hominibus; gratia vero unionis est propria Christo. Ergo gratia habitualis Christi non subsequitur, sed præcedit gratiam unionis.

### PRO AFFIRMATIVA.

### *Argumentum sed contra.*

Isaiæ 42. dicitur: *ecce servus meus, suscipiam eum*, quod pertinet ad gratiam unionis. Et postea sequitur: *dedi spiritum meum super eum*, quod pertinet ad donum gratiæ habitualis. Ergo susceptio humanæ naturæ in unitatem personæ, præcessit gratiam habitualem in Christo.

### *Determinatio.*

Conclusio. Unio humanæ naturæ ad divinam personam (quam supra q. 2. ar. 19. et q. 6. art. 6. diximus esse ipsam gratiam unionis) præcedit gratiam habitualem in Christo, non ordine temporis, sed ordine naturæ, et intellectus.

Probatur triplici ratione. Et prima desumitur ex ordine principiorum utriusque gratiæ. Et est talis: gratia, cujus principium præcedit ordine naturæ, et intellectus principium gratiæ habitualis, præcedit ipsam gratiam habitualem. Sed principium gratiæ unionis præcedit ordine naturæ, et intellectus principium gratiæ habitualis. Ergo gratia unionis præcedit in Christo gratiam habitualem,

non ordine temporis, sed ordine naturæ et intellectus.

Maior patet. Quia ex ordine principiorum est ordo eorum, quæ sunt ex principiis.

Minor probatur, principium enim gratiæ unionis est persona Filii, assumens humanam naturam, quæ Filii persona secundum hoc dicitur missa in mundum, quod humanam naturam assumpsit. Principium autem gratiæ habitualis, quæ cum charitate datur, est Spiritus Sanctus, qui dicitur mitti secundum hoc, quod per charitatem mentem inhabitat; missio autem Filii, secundum ordinem naturæ prior est missione Spiritus Sancti, sicut ordine naturæ Spiritus Sanctus procedit á Filio, et á sapientia dilectio. Et per hoc unio personalis, secundum quam intelligitur missio Filii, est prior ordine naturæ, habituali gratia, secundum quam intelligitur missio Spiritus Sancti.

In forma sic probatur ipsa minor. Missio Filii præcedit ordine naturæ, et intellectus missionem Spiritus Sancti. Sed principium gratiæ unionis est ipsa persona Filii, quæ secundum hoc dicitur missa; principium vero gratiæ habitualis est persona Spiritus Sancti, quæ dicitur mitti per donum gratiæ habitualis. Ergo principium gratiæ unionis est prius ordine naturæ et intellectus, quam principium gratiæ habitualis.

Secunda ratio desumitur ex habitudine gratiæ ad suam causam. Et est: præsentia divinitatis in Christo præcedit gratiam habitualem secundum ordinem naturæ. Sed gratia unionis est secundum quam intelligitur Dei præsentia in Christo. Ergo gratia unionis præcedit gratiam habitualem in Christo secundum ordinem naturæ.

Maior prob., quia gratia habitualis causatur in homine ex præsentia divinitatis, sicut lumen in aëre causatur ex præsentia solis. Unde dicitur Ezech. 43. Gloria Dei Israël ingrediebatur per « viam orientalem, et terra splendebat à « majestate ejus. » Causa autem naturæ ordine effectum præcedit. Unde præsentia divinitatis in aliquo gratiam habitualem præcedit, sicut sol præcedit splendorem.

Tertia ratio desumitur ex fine gratiæ. Quæ est: gratia per quam natura humana suppositatur, præcedit gratiam quæ ordinatur ad dirigendas operationes. Sed gratia unionis est, per quam humana natura trahitur ad divinum suppositum, gratia vero habitualis est directiva operationum. Ergo gratia unionis præcedit ordine naturæ gratiam habitualem.

Maior prob., quia actiones sunt suppositorum, et individuorum, unde actio et per consequens gratia ad ipsam ordinans, præsupponit hypostasim operantem.

Minor prob. Et quoad priorem partem, quia hypostasis non præsupponitur in humana natura, unioni, ut patet ex dictis qu. 4. artic. 2. quoad aliam partem vero prob., quia gratia habitualis ordinatur ad bene agendum. Igitur ex ordine principiorum utriusque gratiæ, ex habitudine utriusque ad suam causam, et tandem ex fine patet, quod gratia unionis ordine naturæ præcedit gratiam habitualem in Christo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod August. ibi per gratiam non intelligit gratiam unionis, nec habitualem, sed gratuitam Dei voluntatem, gratis beneficia largientem. Et propter hoc eadem gratia dicit hominem quemcumque fieri christianum, qua gratia factus est homo Christus; quia utrumque gratuita Dei voluntate absque meritis factum est.

Ad 2. Dicitur, quod aliqua perfectio potest acquiri dupliciter: uno modo successive; alio modo absque successione. Si acquiratur successive, habet dispositionem præcedentem, quæ dispositio est etiam consequens ipsam formam acquisi-

tam: sicut in acquisitione formæ ignis præcedit dispositio, quæ est calor, qui postea est effectus formæ ignis acquisitæ, et ad eam consequitur. Si vero perfectio acquiratur non successive, non potest intelligi aliqua dispositio, ut præcedens, sed solum ad perfectionem jam acquisitam sequitur naturalis dispositio. Et quia humana natura est unita personæ Verbi á principio, absque aliqua successione, ideo gratia habitualis non intelligitur, ut dispositio præcedens unionem, sed ut consequens eam, sicut quædam naturalis proprietas. Unde Aug. dicit in Enchir. c. 40. quod *gratia est quodammodo Christo homini naturalis.* Ad formam igitur argumenti, negatur maior; non enim est vera, nisi in his quæ successive acquiruntur: si autem sit aliqua perfectio, quæ absque ulla successione acquiratur, nullam admittit præcedentem dispositionem.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod commune est prius proprio, si utrumque sit unius generis. Sed in his quæ sunt diversorum generum, nihil prohibet proprium esse prius communi. Sicut homo prius secundum intellectum est substantia, quam sensibilis, et rationalis; tamen prius est rationalis, quam albus. Et quia gratia unionis non est in genere gratiæ habitualis, sed est supra omne genus, sicut et ipsa divina persona, ideo Christo prius convenit hæc gratia unionis sibi propria, quam gratia habitualis, quæ per ipsum aliis communicatur.

Vel dicitur secundo ad eamdem maiorem, quod proprium est duplex; quoddam, quod se habet per additionem ad commune, sicut rationale ad animal, et hoc est posterius quam commune. Alterum est principium, et origo ejus, quod est commune; sicut natura ignis est causa caloris, qui omnibus aliis calidis communicatur, et propria natura solis est causa luminis, quod á sole in aliis corporibus provenit. Proprium igitur, quod se habet per additionem ad commune, sequitur commune. Proprium vero, quod est origo communis, præcedit commune.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

### EX PRÆCED. 7.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod in Christi anima fuit gratia habitualis. Ut Joan. 1. *Plenum gratiæ et veritatis* Nam hoc de gratia habituali intelligitur: ut patet ex contextu. Item Psal. 44. " Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. » Quod de Christo exponitur Hebr. 1. Item Isa. 61. " Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. » Hoc enim intelligendum esse de Christo, habetur ex Luc. 4. ubi hæc prophetia recitatur. Item Act. 4. " Sanctum Puerum tuum Jesum, quem unxisti. *Et cap.* 11. Jesum Nazarenum quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto. » Peruncionem autem intelligendam esse gratiam habitualem docetur, per ly *vox unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* 1. Jo. 2. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus habuit omnes virtutes: ut per hoc, quod dicitur Jo. 1. *Plenum gratiæ.* De plenitudine siquidem gratiæ profluunt virtutes plenæ, idest proportionaliter ad illam plenitudinem perfectæ. Item per ly *unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Psal. 44. Nam, cum hoc lætitiæ oleum, idest gratia, in consortibus Christi, idest hominibus justificatis, causet virtutes, patet, quod multo magis in Christo illas causavit, in quantum scilicet modo heroico, ut ad *secundum.* Item per id, quod dicitur Hebr. 7. " Talis decebat, ut nobis esset ponti-

fex sanctus, innocens, impollutus, segregatus á peccatoribus. *Item Act.* 10. Jesum a Nazareth quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, et virtute. *Item per ly* discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: » Matth. 11. Ex hoc enim, quod in Christo fuerunt hæ virtutes, scilicet, mititas, et cordialis humilitas, docemur, quod omnes fuerunt in ipso: quoniam virtutes connexæ sunt. 1. 2. q. 65. art. etc. Item per ly *cæpit facere, et docere.* Act. 1. His enim verbis innuitur: quod Christus habuit perfectiones, quas docuit. Cum ergo docuerit nos virtutes, scilicet, misericordiam, et cæteras, de quibus patet in Evangelio passim, constat ex hoc, quod virtutes illas modo sibi convenienti habuit. Vide ar. 3. ad 2. pro captu de ly *modo sibi convenienti.* Doctrina itaque Christi est quædam forma suæ probitatis, et virtutis expressa. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis; quod fides non fuit in Christo. Ut Hebr. 11. secundum quod adducitur *in arg. cont.* Pro quo recolenda est regula de locis dialecticis: quod scilicet á quocumque removetur definitio, removetur et definitum. Quæ quidem regula non tantum verificatur de re, sed etiam de modo: hoc est, quod et definitum removetur ab eo, á quo removetur definitio: et eo modo (puta proprie, vel improprie) quo removetur definitio ab ipso, removetur quoque definitum. Vide ad *tertium.* Pro auctoritate illa Joan. ult. *Tu omnia nosti,* adverte, quod ad propositum hoc insinuandum multum facit, quod Petrus hanc dixerit. Si enim secundum conditionem personarum proferentium verba commensurandus est sensus verborum ab eis intentus (ut habetur ex *contra gentes* lib. 4. cap. 4. de Socrate, et Platone:) facile dicemus, quod Petrus per ly *omnia nosti,* etiam visionem divinæ essentiæ cointellexit: quandoquidem Christo, cui tunc ista dicebat, antea á Patre luminum edoctus, excedens semetipsum, et coapostolos, dixerat Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi. Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et *Leone I.* insinuatum, quod spes virtus non fuit in Christo. A scripturis quidem ad Christum loquentibus, ut Psalm. 64. " Beatus, quem elegisti, et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis. » Per hoc enim quod humanitati assumptæ attribuit beatitudinem, quæ est inhabitare in atriis divinis: de quibus, quia ibi tamquam in loco spatioso *videtur Deus Deorum in Syon,* dicitur Psalm. 83. *melior est dies una in atriis tuis super millia:* per hoc, inquam, satis demonstratur intentum. Nam dum á Christo tollit objectum spei, quod facit ponendo in ipso fruitionem beatificæ visionis, eodem tenore simul tollit ab eo spei virtutem. Vide text. corp. et ad *secundum.* Item quæst. 4. art. 3. ad *primum.* A Papa etiam *Leone* insinuatur idem per hoc, quod ait: " Nec Verbum in carnem, aut in animam, aliqua sui parte conversum est, cum simplex, et incommunicabilis natura Deitatis tota sit semper in sua essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum: et sic assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat » Hæc ille in Epist. Num. 11. ad Julianum episcopum Coensem. Ex ly *beatificans,* etc. discurre, ut supra, de ablatione objecti spei. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod in Christo fuerunt dona Spiritus Sancti. Ut Isai. 4. secundum quod est *in arg. cont.* Item ca. 11. " Flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, et spiritus timoris Domini. » Ac si aperte dicatur, super Christum, qui de virgine stirpis Jesse natus est, requieverunt, idest, perfectissime sine ulla umquam controversia habitaverunt dona septem, scilicet sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, timor Domini: quæ sunt dona unius in se, atque ejusdem Spiritus Sancti, licet ratione donorum ipsorum dicatur septiformis. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Petri Abay-*

*lardi* dicentis (*ut refert D. Bernardus Epistola* 190.) in Christo non fuisse spiritum timoris Domini. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari abundanter ab Isa. 11. " Replebit eum spiritus timoris Domini. » Vide tex. corp. fin. Item á Psalm. 18. " Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi. » Per hoc enim quod in beatis ponitur talis timor quæst. 34. ar. 4 Simul, immo et magis in Christo ponitur; qui adhuc in terris vivens fuit omnium beatorum comprehensorum beatissimus. Item ad Hebræ. 5 ut in corpor. fin. Item ab Ecclesia in præfatio. Miss. *Majestatem tuam tremunt potestates.* Item á dictis 2. 2. art. num. 104. cum Elucid. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Augustino insinuatum, quod in Christo fuerunt gratiæ gratis datæ. A D. Aug. quidem: ut *in arg. cont.* Ex quo aperta tibi via est, quod quotiescumque in scripturis Christus caput Ecclesiæ assignatur, per hoc in ipso fuisse gratias gratis datas connotatur. Videas ergo per te ipsum, et applica. Luc. 20. *Factus est in caput anguli*, et Ephes. 1. 4. 5. et Colos. 1. 2. A scripturis vero specialiter insinuatur per dicta Joan. 2. " De plenitudine ejus nos omnes accepimus; *et Act.* 2. Repleti sunt Spiritu Sancto, et loquebantur variis linguis, *et* 1. *Cor.* 15. Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, alii quidem per ipsum datur sermo sapientiæ, » etc. Ex eo enim, quod Apostoli, et alii receperunt gratias gratis datas, patet intentum: cum de plenitudine Christi omnes accipiant. Auctoritates ergo illæ simul collectæ, si scholasticam loquelam induant, ad propositum dicunt: gratiæ omnes gratis datæ fuerunt in Christo. Nam ab effectu in membris Ecclesiæ viso infertur, quid in suo capite sit. Hinc quoque ulterius manifestum fit: quod illud prædictum in eod. ca. Jo. scilicet: *Plenum gratiæ*, exponi debet amplissime de gratia quacumque, sive justificante, sive gratis data. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod in Christo fuit prophetia. Ut Matth. 13. Joan. 4. et Deut. 18. Secundum quod ponuntur *in arg. cont.* Pro meliori captu vide veritates aureas super totam legem veterem, Deut. 18. concl. 6. *Secundo* vides: etc.

Ex art 9. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum; quod in Christo est gratiæ plenitudo. Ut Joan. 1. Secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus meliori captu nota id, quod Joannes Evangelista de plenitudine hac dicit infra c. 3. *Non ad mensuram dat Deus spiritum.* Scilicet, ei, quem ipse Deus misit, ut monstrat contextus. Per hoc enim quod in Christo est spiritus ei datus non ad mensuram, monstratur, quod Christus habet gratias Spiritus Sancti in summo, scilicet, secundum perfectissimum modum quemcumque quo haberi possunt. Alioquin spiritus ei fuisset datus ad mensuram, quod est contra Evangelium. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod plenitudo gratiæ est soli Christo propria. Ut per hoc quod dicitur Jo. 1. *vidimus eum*, etc. Ut cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Ad cujus declarationem dixit Apost. Colos. 1. " Ut sit ipse in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. » Vides enim hinc declarari; quod ly *plenum gratiæ* non tantum dicit plenitudinem, sed et omnem, idest plenitudinem ad omnium gratiarum gradus, et effectus abundantissimam tum intensive, tum extensive. Item, quod plenitudo illa importata per ly *plenum gratiæ* non fuit in Christo ab instanti conceptionis ex meritis, q. 2. ar. 11. sed ex mera complacentia divinæ voluntatis, quod hic designatur per ly *complacuit.* Item, quod ly *plenum gratiæ* non dicit temporalem, idest ad tempus, ut solet in quibusdam, datam, sed permanentem plenitudinem illam: quod annotatur hic per ly *inhabitare.* Quae omnia et insinuantur, et confirmantur quoque c. 2. " In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 11. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas,

merito esse á scripturis insinuatum, quod Christi gratia habitualis. est, et non est infinita. Quod quidem non sit, ut Sap. 11. *Omnia in* etc. ut cum discursu est *in arg. cont.* Quod autem sit, insinuatur Jo. 3. *Non ad mensuram dat Deus spiritum.* Vide ar. 9. append. et item a. 1. Jo. 2. " Ipse est propitiatio pro peccatis, non tantum nostris, sed etiam totius mundi. » Hoc est, etiam infinitorum mundorum, si essent: propter duplicem causam adductam in ad *secundum.* Si de hoc, et consequenter de pleniori notitia textus hujus vis instrui: vide omnino Compend. Alber. Mag. lib. 4. cap. 13. Schol. Et D. Thom. opusc. 2. quod dicitur compendium theologiæ tracta. 2. scilicet de fide ad humanitatem Christi, c. 31. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod gratia Christi non potest augeri. Ut Jo. 1. *Vidimus,* etc. secundum quod cum discursu est *in arg. cont.* Item Coloss. 1. secundum quod est supra art. 10. append. Item á dictis a. 11. append. Vide et art. 9. Nam ista omnia mutuo se juvant. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 13. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis insinuatum, quod gratia habitualis in Christo subsequitur gratiam unionis, ut Isa. 42. secundum quod cum discursu applicatur *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Jo. 1. *Verbum caro factum est*, antequam dicatur ; *Plenum gratiæ.* Ac si aperte dictum sit. Ista gratiæ plenitudo præsupponit unionem Verbi ad carnem. Quod autem ad illam unionem sequatur, sicut quaedam proprietas naturalis ex ea resultans, insinuatur, et ib. per ly *gloriam quasi unigeniti á Patre.* Hoc est: ex contextu. Gloria, quae est gratia habitualis consummata, quam vidimus in anima Verbi incarnati, erat gloria procedens ex hoc, quod illud Verbum caro factum Filius est unigenitus á Patre. Hinc enim resultavit illa gloria, idest, quod fuit etiam comprehensor ab instanti conceptionis: quamprimum scilicet *Verbum caro factum est*, idest, quam primum illa persona incarnata, et illa caro sic Verbo unita, fuit unigenitus á Patre. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO OCTAVA,

### DE GRATIA CHRISTI, SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIÆ, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiæ: et circa hoc quæruntur octo.

Primo, utrum Christus sit caput Ecclesiæ.

Secundo, utrum sit caput hominum quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas.

Tertio, utrum sit caput omnium hominum

Quarto, utrum sit caput angelorum.

Quinto, utrum gratia Christi secundum quam est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali ejus, secundum quod est quidam homo singularis.

Sexto, utrum esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo.

Septimo, utrum diabolus sit caput omnium malorum.

Octavo, utrum antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus sit caput Ecclesiæ.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christo, secundum quod est homo, non competat esse caput Ecclesiæ.

1. Ille, qui est caput Ecclesiæ, influit his, qui sunt de corpore Ecclesiæ, sensum et motum. Sed Christus in quantum homo, non influit sensum et motum in membra Ecclesiæ. Ergo Christus in quantum homo, non est caput Ecclesiæ.

Maior prob., quia caput influit sensum et motum in membra.

Minor prob., quia sensus et motus spiritualis, qui est per gratiam, non influitur nobis á Christo homine, quia sicut August. dicit in lib. 1. de Trin. cap. 12. *Nec etiam Christus, secundum quod est homo, dat Spiritum Sanctum, sed solum in quantum est Deus.*

2. Capitis non videtur esse aliud caput. Sed Christi secundum quod est homo, est aliud caput, scilicet Deus: secundum illud 1. Cor. 11. *caput Christi Deus.* Ergo Christo, secundum quod homo, non convenit esse caput Ecclesiæ.

3. Ei qui est universale principium totius Ecclesiæ, non competit esse caput Ecclesiæ. Sed Christus est universale principium totius Ecclesiæ. Ergo Christo non competit esse caput Ecclesiæ.

Maior prob., quia caput non est aliquod universale, sed est quoddam particulare membrum in homine recipiens influentiam á corde. Igitur videtur quod Christus magis debeat dici cor Ecclesiæ, quam caput.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad Ephes. 1. dicit Apostolus. *Ipsum* (scilicet Christum) *dedit caput super omnem Ecclesiam.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus dicitur caput Ecclesiæ, secundum similitudinem humani capitis.

Prob. Ille cui competunt per respectum ad corpus Ecclesiæ ea, quæ conveniunt humano capiti per respectum ad naturale corpus, est caput Ecclesiæ. Sed Christo competunt per respectum ad Ecclesiam ea, quæ conveniunt humano capiti per respectum ad naturale corpus. Ergo Christus est caput Ecclesiæ.

Maior prob., quia tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diversa membra habet diversos actus, ut Apost. docet Rom. 12. et 1. Cor. 12. Ille igitur cui competunt per respectum ad corpus Ecclesiæ ea, quæ conveniunt humano capiti respectu naturalis corporis, erit caput Ecclesiæ, secundum similitudinem. Erit inquam caput Ecclesiæ, quia ei competunt conditiones capitis, erit caput secundum similitudinem, quia corpus Ecclesiæ non est naturale, sed mysticum, secundum similitudinem humani corporis.

Minor prob. In naturali enim capite tria consideramus, quæ sibi conveniunt per respectum ad naturalis corporis membra, scilicet ordinem, perfectionem et virtutem; ordinem quidem, quia caput est prima pars hominis incipiendo á superiori. Et inde est quod omne principium, consuevit vocari caput, secundum illud Ezech. 16. *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.* Perfectionem vero, quia in capite vigent omnes sensus, et interiores et exteriores, cum in cæteris membris sit solus tactus: et inde est quod dicitur Isaiæ 9. *Senex et honorabilis ipse est caput.* Virtutem autem quia virtus, et motus cæterorum membrorum, et gubernatio eorum in suis actibus, est á capite propter vim sensitivam, et motivam ibi dominantem. Unde et rector dicitur caput populi, secundum illud 1. Reg. 15. *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Hæc autem tria conveniunt Christo spiritualiter. Primo enim secundum propinquitatem ad Deum gratia ejus altior est et prior, etsi non tempore, quia omnes alii recepe-runt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud Rom. 8. *Quos præscivit, hos et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Perfectionem vero habet Christus quantum ad plenitudinem omnium gratiarum, secundum illud Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis.* Habet etiam

Christus virtutem influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundum illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Conveniunt igitur Christo per respectum ad mysticum Ecclesiæ corpus ea, quæ conveniunt humano capiti per respectum ad naturalis corporis membra, ac per hoc Christus convenienter dicitur caput Ecclesiæ secundum spiritualem similitudinem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur quod dare gratiam, aut Spiritum Sanctum, convenit Christo, secundum quod est Deus, auctoritative. Sed instrumentaliter convenit etiam ei, secundum quod homo, in quantum scilicet ejus humanitas instrumentum fuit divinitatis ejus. Et ita actiones ipsius humanitatis ex virtute divinitatis fuerunt nobis salutiferæ, utpote gratiam in nobis causantes, et per meritum, et per efficientiam quamdam. Aug. autem negat Christum, secundum quod homo est, dare Spiritum Sanctum per auctoritatem; instrumentaliter autem, sive ministerialiter, etiam alii sancti dicuntur dare Spiritum Sanctum secundum illud ad Gal. 3. *Qui tribuit vobis spiritum*, etc.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod est vera de capite naturali, non autem de capite secundum similitudinem dicto. In metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem, quantum ad omnia; sic enim non esset similitudo, sed rei veritas. Capitis igitur naturalis non est aliud caput, quia corpus humanum non est pars alterius corporis: sed corpus similitudinarie dictum, idest aliqua multitudo ordinata est pars alterius multitudinis, sicut multitudo domestica est pars multitudinis civilis, et ideo paterfamilias, qui est caput multitudinis domesticæ, habet supra se caput rectorem civitatis. Et per hunc modum nihil prohibet caput Christi esse Deum, cum tamen ipse Christus sit caput Ecclesiæ.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod caput est quidem particulare membrum; habet tamen universalem influentiam in omnia membra, et eminentiam super omnia corporis membra. Dicitur autem Christus caput, quia sicut caput habet manifestam eminentiam super cætera corporis membra, ita Christus secundum visibilem naturam omnibus hominibus præfertur. Cor autem habet influentiam occultam, et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit.

## ARTICULUS II.

### *Utrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non sit caput hominum quantum ad corpora.

1. Qui influit in Ecclesiam spiritualem sensum, et motum gratiæ, non est caput hominum quantum ad corpora. Sed Christus dicitur caput Ecclesiæ, in quantum influit spiritualem sensum, et motum gratiæ in Ecclesiam. Ergo Christus non est caput hominum quantum ad corpora, sed solum quantum ad animas.

Maior prob., quia hujus spiritualis sensus, et motus, non est corpus capax.

2. Si Christus esset caput hominum quantum ad corpora, sequeretur quod esset caput etiam brutorum animalium, quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia secundum corpora communicamus cum brutis.

3. Qui traxit corpus suum ab aliis hominibus, non est caput Ecclesiæ quantum ad corpora. Sed Christus corpus suum ab aliis hominibus traxit, ut patet Matth. 1. et Luc. 3. Ergo Christus non est caput Ecclesiæ quantum ad corpora.

Maior prob., quia caput est primum inter cætera membra, ut dictum est art. præced. præcipue ad 3. Unde quod trahitur ex aliis membris, caput dici non potest.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur ad Philip. 3. « Reformabit « corpus humilitatis nostræ configuratum « corpori claritatis suæ. »

*Determinatio.*

Conclusio. Christus, secundum totam suam humanitatem, scilicet secundum animam et corpus, est caput hominum, non solum quantum ad animas, sed etiam quantum ad corpora ; quantum ad animas quidem principaliter, quantum vero ad corpora secundario.

Prob. Ille cujus tota humanitas, scilicet anima et corpus habet vim influendi in homines, et quantum ad animam, et quantum ad corpus; principaliter tamen in animas, quam in corpora, est caput hominum, secundum animam, et secundum corpus, non solum quantum ad animas, sed etiam quantum ad corpora: quantum ad animas quidem principaliter; quantum vero ad corpora secundario. Sed Christus secundum totam suam humanitatem, scilicet secundum animam et corpus influit in homines, quantum ad animam, et corpus, principaliter in animam, et secundario in corpus. Ergo Christus, secundum totam suam humanitatem est caput hominum, quantum ad animas principaliter, et quantum ad corpora secundario.

Maior prob. ex dictis art. præced. Christus enim dicitur caput Ecclesiæ in quantum influit in membra Ecclesiæ. Unde si secundum totam suam humanitatem influit in totam humanitatem hominum, erit caput omnium hominum, quantum ad animas, et quantum ad corpora; et si principaliter influit in animam, et secundario in corpora, erit caput hominum, quantum ad utrumque, differenter tamen.

Minor ostenditur præmittendo quod corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ est propria ejus forma, et proprius motor. In quantum anima est forma ejus, recipit corpus ab anima vitam et proprietates convenientes humano corpori, secundum suam speciem; in quantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentalirer servit animæ. Ex quibus habentur duo; primum est quod cum humanitas Christi habeat vim influendi, in quantum est conjuncta Dei Verbo, tota Christi humanitas habet vim influendi, quia scilicet anima per seipsam Verbo est conjuncta, et corpus est conjunctum per animam eidem Verbo. Unde anima Christi principaliter habet vim influendi, et corpus secundario. Alterum est quod Christus secundum suam humanitatem principaliter influat in animas, et secundario in corpora aliorum hominum; influit quidem principaliter in animas, quia anima est, quæ est capax spiritualis influentiæ, ut dicetur ad primum. Secundario vero influit in corpora dupliciter. Primo quia membra corporis exhibentur arma justitiæ existentis in anima per Christum, ut Apost. dicit Rom. 6. Secundo in quantum vita gloriæ ab anima derivatur ad corpus, secundum illud Rom. 8. « Qui suscitavit Christum « Jesum á mortuis, vivificavit et mortalia « corpora vestra, propter inhabitantem « spiritum ejus in vobis. »

Breviter igitur dicitur quod Christus secundum quod homo, tota sua humanitate est caput hominum, quantum ad animas, et quantum ad corpora, quia tota sua humanitas, ex hoc quod est Verbo conjuncta, habet vim influendi in homines, quantum ad corpora, et quantum ad animas. Quantum quidem ad animas principaliter, quia anima est principaliter capax influxus spiritualis. Secundario vero in corpora, quia corpus non est capax spiritualis influxus, nisi per animam, quatenus scilicet membra corporis animæ deserviunt, et etiam quia gloria animæ in corpus diffunditur: vivificantur enim corpora propter inhabitantem spiritum, ut Apostolus dicit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod sensus spiritualis gratiæ non pervenit quidem ad corpus primo, et principaliter; sed secundario et instrumentaliter, ut in corpore dictum est. Et sub aliis verbis: ad maiorem dicitur quod ille qui influit in Ecclesiam spiritualem sensum, non potest esse caput hominum, quantum ad corpora principaliter, cum corpora non possint primo hunc influxum recipere; potest tamen esse caput hominum quantum ad corpora secundario, quia secundario hujusmodi influxus ad corpora derivatur duobus illis modis, de quibus in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur consequentia: Christus enim est caput hominum, quantum ad corpora, quatenus humanum corpus habet habitudinem ad animam rationalem quæ est ejus forma, et motor, ut in corpore dictum est; et quia corpora brutorum nullam habitudinem habent ad animam rationalem, sicut habet corpus humanum, propterea Christus non est caput brutorum.

Ad 3. Negatur maior: Christus enim est caput hominum, quantum ad corpora, quia influit in corpora spiritualem vitam. Unde trahere corpus ab aliis hominibus non impedit, quin sit caput hominum, quantum ad corpora: impediret autem si ab eis traxisset spiritualem vitam. Licet igitur Christus traxerit materiam corporis ab aliis hominibus, vitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipso, secundum illud 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus sit caput omnium hominum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non sit caput omnium hominum.

1. Ille qui est caput omnium hominum, est caput etiam infidelium. Sed Christus non est caput infidelium. Ergo Christus non est caput omnium hominum.

Minor prob. infideles nullo modo sunt membra Ecclesiæ quæ est corpus Christi, ut dicitur ad Ephes. 1. Ergo Christus non est caput infidelium.

Conseq. prob., quia caput non habet relationem, nisi ad membra sui corporis.

2. Ille, qui est caput tantum eorum in quibus non invenitur macula, et ruga non est caput omnium hominum. Sed Christus est caput tantum eorum in quibus non invenitur macula, et ruga. Ergo Christus non est caput omnium hominum.

Maior prob., quia sunt multi homines etiam fideles, in quibus invenitur macula, et ruga peccati.

Minor prob., quia ad Ephes 5. dicitur, quod «Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut ipse exhiberet «sibi gloriosam Ecclesiam non habentem «maculam, aut rugam, aut aliquid «hujusmodi.»

3. Ille qui est caput omnium hominum, est caput etiam patrum veteris testamenti, qui homines quidam fuerunt. Sed Christus non est caput patrum veteris testamenti. Ergo Christus non est caput omnium hominum.

Minor prob. Illi quorum Christus est caput, pertinent ad corpus Christi. Sed antiqui patres non pertinent ad corpus Christi. Ergo antiquorum patrum Christus non est caput.

Minor hujus prob., quia patres veteris testamenti serviebant sacramentis veteris legis, secundum illud Hæbr. 8. «Qui exemplari, et umbræ deserviunt «cœlestium,» quæ sacramenta comparantur ad Christum sicut umbra ad corpus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus *est Salvator omnium hominum, et maxime fidelium,* ut dicitur 1. Tim. 4. Et *est propitiatio pro pec-*

*catis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi* ut dicitur 1, Jo. 2. Ergo Christus est caput omnium hominum.

Conseq. probat., quia salvare homines, et propitiari peccatis eorum, competit Christo, secundum quod est caput.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus est caput omnium hominum qui ab initio mundi fuerunt: et usque ad finem futuri sunt, diverso tamen modo.

Probatur, et declaratur. Probatur, inquam, ex differentia, quæ est inter corpus naturale et mysticum. Hæc enim est differentia inter corpus hominis naturale, et corpus Ecclesiæ mysticum, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul; membra vero corporis mystici, non sunt omnia simul, neque quantum ad esse naturæ, quia corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus qui fuerunt á principio mundi usque ad finem ipsius; neque etiam quantum ad esse gratiæ, quia eorum etiam qui sunt in uno tempore, quidam gratia carent, postmodum habituri, aliis eam jam habentibus: ex quibus in forma sic probatur conclusio Omnes homines, qui fuerunt á principio mundi, et qui futuri sunt usque ad mundi finem, pertinent ad corpus mysticum Ecclesiæ. Ergo Christus est caput omnium hominum.

Antecedens prob. ex differentia corporis naturalis et mystici superius posita.

Consequentia patet, quia Christus est caput Ecclesiæ, ut supra dictum est art. 1. Et per hoc est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent.

Adhuc formalius. Ille qui est caput Ecclesiæ, est caput omnium hominum. Sed Christus est caput Ecclesiæ, ergo Christus est caput omnium hominum.

Maior prob., quia omnes homines pertinent ad corpus Ecclesiæ, ut patet ex differentia, quæ est inter corpus naturale et mysticum.

Declaratur autem conclusio quoad illud verbum, diversimode. Nam membra corporis mystici accipiuntur, non solum secundum quod sunt actu, sed etiam, secundum quod sunt in potentia, ut ex assignata differentia inter corpus naturale, et mysticum patet. Sunt autem quidam homines membra Ecclesiæ sic in potentia, quod numquam reducuntur ad actum, ut sunt infideles, qui numquam convertuntur, et in infidelitate decedunt. Quidam vero sunt, qui quandoque reducentur ad actum, et hi sunt in triplici gradu. Quorum primus est per fidem tantum. Secundus per charitatem viæ. Tertius per fruitionem patriæ. In primo gradu sunt fideles peccatores. In secundo sunt fideles justi viatores, et etiam in purgatorio existentes. In tertio sunt comprehensores. Christus igitur est caput omnium horum generaliter, quocumque tempore fuerint, sed secundum diversos gradus; primo enim, et principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam; secundo eorum qui uniuntur sibi actu per charitatem; tertio eorum qui uniuntur sibi actu per fidem; quarto vero eorum qui uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum divinam prædestinationem; quinto vero eorum, qui sunt sibi uniti in potentia, quæ numquam reducetur ad actum, sicut sunt homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc seculo recedentes, totaliter desinunt esse membra Christi, quia jam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur. Ex quibus patet, quomodo Christus sit caput omnium hominum, et quomodo diversimode sit caput diversorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Est enim Christus caput etiam infidelium. Ad prob. dicitur, quod infideles non sunt quidem membra Ecclesiæ actu, sunt tamen in potentia de Ecclesia. Quæ quidem potentia

in duobus fundatur. Primo quidem, et principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis. Secundario vero in arbitrii libertate, qua infidelis potest actu membrum Ecclesiæ fieri.

Ad 2. Negatur minor. Est enim Christus caput etiam eorum in quibus invenitur macula, et ruga peccati. Ad prob. dicitur, quod esse Ecclesiam gloriosam non habentem maculam, neque rugam, est ultimus finis, ad quem perducimur per passionem Christi. Unde hoc erit in statu patriæ, non autem in statu viæ, in quo *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus*, ut dicitur 1. Jo. 1. Sunt tamen peccata quædam, scilicet mortalia, quibus carent illi, qui sunt membra Christi per actualem unionem charitatis. Qui vero peccatis mortalibus subduntur, non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi forte imperfecte per fidem informem, quæ unit Christo, secundum quid, et non simpliciter, ut scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ. *Fides* enim *sine operibus mortua est*, ut dicitur Jac. 2. Percipiunt tamen tales á Christo quemdam actum vitæ, qui est credere, sicut si membrum mortificatum aliqualiter moveatur. Verificatur igitur Apost. sententia in futura vita, quando Ecclesia erit gloriosa sine ulla macula; in præsenti vero, Ecclesia non est sine ruga, saltem, peccati venialis, ut dictum est.

Ad 3. Negatur minor. Est enim Christus caput etiam antiquorum Patrum. Ad prob. negatur minor. Ad cujus probationem dicitur, quod sancti illi Patres non insistebant sacramentis illis legalibus, tamquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus, et umbris futurorum. Idem autem est motus in imaginem, in quantum est imago, et in rem imaginatam, ut dicit Phil. in lib. de memor. et reminis. c. 2. et ideo antiqui Patres servando legalia sacramenta, ferebantur in Christum per fidem, et dilectionem eamdem, qua et nos in ipsum ferimur. Et ita Patres antiqui et pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus sit caput angelorum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus secundum quod homo, non sit caput angelorum.

1. Qui est caput angelorum, est conformis in natura cum angelis. Sed Christus, secundum quod est homo, non est conformis in natura cum angelis. Ergo Christus secundum quod homo, non est caput angelorum.

Maior prob., quia caput, et membra sunt unius naturæ.

Minor prob., quia ut dicit. Heb. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

2. Illorum Christus est caput, qui pertinent ad Ecclesiam, quæ est corpus ejus, ut dicitur ad Ephes. 1. Sed angeli non pertinent ad Ecclesiam. Ergo Christus, secundum quod est homo, non est caput angelorum.

Minor prob., qui ambulant, non per fidem, sed per speciem, non pertinent ad Ecclesiam, quæ est congregatio fidelium. Sed angeli ambulant, non per fidem, sed per speciem; alioquin peregrinarentur á Domino, secundum quod Apostolus argumentatur. 2. Cor. 5. Ergo angeli non pertinent ad Ecclesiam, quæ est corpus Christi.

3. Ille qui est caput angelorum, influit vitam angelis. Sed Christus secundum quod homo non influit vitam angelis. Ergo Christus, ut est homo, non est caput angelorum.

Maior patet, quia Christus est caput per hoc, quod influit vitam in membra, ut dictum est in præcedentibus articulis.

Minor prob. Illi, quibus Christus, ut est homo, influit vitam, habent corpora. Sed angeli non habent corpora. Ergo Christus non influit angelis vitam.

Maior hujus prob., quia August. dicit trac. 23. in Joan. quod sicut Verbum,

quod erat in principio apud Deum, vivificat animas; ita Verbum caro factum vivificat corpora. Verbum igitur factum caro, quod est Christus, vivificat eos, qui habent corpora.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit ad Coloss. 2. *Qui est caput omnis principatus et potestatis*: et eadem ratio est de angelis aliorum ordinum. Ergo Christus est caput angelorum.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus non solum est caput hominum, sed etiam angelorum.

Prob. Ille, qui est caput omnium qui ordinantur ad gloriam divinæ fruitionis, est caput non solum hominum, sed etiam angelorum. Sed Christus est caput omnium eorum qui ordinantur ad gloriam divinæ fruitionis. Ergo Christus est caput non solum hominum, sed etiam angelorum.

Maior prob., quia ad finem æternæ fruitionis divinæ ordinantur non solum homines, sed etiam angeli.

Minor prob. Quia illi qui ordinantur ad unum finem, sunt unum corpus mysticum: dicitur enim unum corpus similitudinarie, multitudo ordinata ad unum, secundum diversos actus, sive officia, cujus multitudinis oportet ponere unum caput. Totius igitur multitudinis ordinatæ ad finem divinæ fruitionis Christus est caput. Quia propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona illius, non solum quam homines, sed etiam quam angeli. Et de ejus influentia recipiunt non solum homines, sed etiam angeli: dicitur enim ad Ephes. 1. quod « constituit eum, » scilicet Christum Deus Pater « ad dexteram suam in cœlestibus « supra omnem Potestatem, et Principa- « tum, et Virtutem, et Dominationem, et « omne nomen, quod dominatur non so- « lum in hoc seculo, sed etiam in futuro; « et omnia subjecit sub pedibus ejus. »

Et confirmatur conclusio, Quia Matth. 4. legitur, quod « accesserunt angeli, et « ministrabant ei. »

AD ARGUMENTA,

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod ille qui est caput angelorum debet esse conformis angelis secundum aliquam rationem, saltem generis. Tunc ad minorem dicitur, quod influentia Christi super homines, principaliter quidem est quantum ad animas, secundum quas homines conveniunt cum angelis in natura generis, licet non in natura speciei; et ratione hujus conformitatis Christus potest dici caput angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpora.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. negatur maior. Ad prob. quæ innuitur dicitur, quod Ecclesia secundum statum viæ est congregatio fidelium, sed secundum statum patriæ est congregatio comprehendentium; Christus autem non solum fuit viator, sed fuit etiam comprehensor. Et ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium est caput, utpote plenissime habens gratiam et gloriam.

Ad 3. Negatur minor. Ad cujus prob. negatur maior. Ad ejus prob. dicitur, quod August. ibi loquitur secundum quamdam assimilationem causæ ad effectum, prout scilicet res corporalis agit in corpus, et res spiritualis in res spirituales. Tamen humanitas Christi ex virtute spiritualis naturæ, scilicet divinæ, potest aliquid causare, non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus angelorum, propter proximam conjunctionem ejus ad Deum.

## ARTICULUS V.

*Utrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali ejus secundum quod est quidam homo singularis.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod non sit eadem gratia, qua Christus est caput Ecclesiæ, cum gratia singulari illius hominis.

1. Peccatum personale Adæ fuit aliud

á peccato originali, quod traduxit in posteros. Ergo alia est gratia Christi, et alia est gratia ejus, in quantum est caput Ecclesiæ.

Consequentia prob. Quia Apost. dicit Roman. 5. "Si unius delicto multi "mortui sunt, multo magis gratia Dei, "et donum in gratia unius hominis Jesu "Christi in plures abundavit." Ex quibus verbis patet quod eadem est proportio gratiæ Christi ad ipsum Christum, et ad humanum genus in justificando, quæ est peccati Adæ in mortificando.

2. Gratia quæ ordinatur ad actum distinctum ab actu gratiæ capitalis, est alia á gratia capitali. Sed gratia Christi ut est singularis homo, ordinatur ad actum distinctum ab actu ad quem ordinatur gratia capitis. Ergo gratia Christi, ut est singularis homo, distinguitur á gratia Christi, ut est caput Ecclesiæ.

Maior prob. Quia habitus distinguuntur secundum actus.

Minor prob. Quia gratia Christi personalis ordinatur ad sanctificationem illius animæ, gratia vero capitis ordinatur ad sanctificandum alios.

3. Gratia Christi, ut est singularis homo, distinguitur á gratia unionis. Ergo etiam gratia hæc distinguitur á gratia capitali.

Consequentia probatur. Quia in Christo distinguitur hæc triplex gratia, ut dictum est qu. 6. art. 6. scilicet gratia unionis, gratia capitis, et gratia singularis illius hominis. Unde sicut gratia unionis á duabus aliis distinguitur, ita illæ duæ, scilicet hominis, et capitis, ab invicem distinguuntur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Gratia secundum quam Christus est caput nostrum, est eadem cum gratia capitali. Sed gratia personalis Christi est secundum quam Christus est caput nostrum. Ergo gratia personalis est eadem cum gratia capitali.

Maior prob., quia Christus est caput nostrum, per capitalem gratiam.

Minor ostenditur. Christus est caput nostrum, in quantum habuit plenitudinem gratiæ, de qua omnes accepimus, ut dicitur Joann. 1. Ergo Christus est caput nostrum per gratiam personalem.

Conseq. hæc prob., quia gratia illa, qua Christus erat repletus, fuit personalis et de illa nos accepimus.

*Determinatio.*

Conclusio. Eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est justificata, et gratia ejus secundum quam est caput Ecclesiæ, justificans alios: differt tamen secundum rationem.

Prob. prima pars. Actus quo aliquis secundum eminentiam est aliquid actu, est idem secundum essentiam cum actu, quo ille qui est actu, agit in alia. Sed gratia personalis Christi est actus, sive forma qua anima Christi secundum maximam eminentiam, est actu justa. Ergo gratia personalis Christi est eadem secundum essentiam cum gratia capitali, secundum quam alii justificantur.

Maior ostenditur. Quia unumquodque agit, in quantum est ens actu. Unde oportet quod actus, quo aliquis est actu, et quo agit, sit idem. Sicut idem est calor, quo ignis est calidus, et quo alia calefacit. Altera pars est quod hujusmodi forma, qua aliquis est in actu, ad hoc, ut sit principium agendi in alia, requiritur quod sit in agente secundum aliquam eminentiam. Et hæc pars ostenditur, quia non omnis actus, quo aliquis est actu, sufficit ad hoc, quod sit principium agendi in alia, cum enim agens sit præstantius patiente, ut dicit Augustinus 12. super Genes. ad lit. cap. 16. et Philosophus 3. de Ani. text. 19. oportet quod agens in alia, habeat actum secundum eminentiam quamdam. Illa igitur forma, quæ secundum eminentiam actuat aliquid, est eadem cum ea, qua ille, qui est per eam actu, agit in alia. Et sic patet maior.

Minor patet. Quia dictum est art. 1. hujus quæstion. et artic. 9. præcedentis quod in anima Christi recepta est gratia secundum maximam eminentiam. Et ideo ex eminentia gratiæ, quam accepit, competit sibi quod gratia illa ad alios derivetur, quod pertinet ad rationem capitis.

Altera conclusionis pars relinquitur, ut manifesta: quia gratia, prout est personæ particularis Christi, respicit ejus animam, eam sanctificans. Prout vero est gratia capitis, respicit alios. Unde gratia habitualis Christi dicitur gratia Christi, ut ejus animam sanctificat, et gratia capitis, prout in alios derivatur; quod est secundum rationem differre.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de peccato Adæ, et gratia Christi quantum ad hoc quod est esse unum, vel duo Nam peccatum originale in Adam quod est peccatum naturæ, derivatum est á peccato actuali ipsius, quod est peccatum personale, quia in Adam persona corrupit naturam, qua corruptione mediante, peccatum primi hominis derivatur ad posteros, secundum quod natura corrupta corrumpit personam. Unde peccatum Adæ non fuisset derivatum ad nos, si non fuisset corrupta natura. Peccatum igitur personale Adæ, et originale differunt, quia illud est peccatum personæ, hoc vero naturæ. Gratia autem Christi non derivatur á Christo in nos, mediante natura humana, sed per solam actionem personalem ipsius Christi. Unde non oportet in Christo distinguere duplicem gratiam, quarum una respondeat naturæ, alia personæ, sicut in Adam distinguitur peccatum naturæ, et personæ.

Ad 2. dicitur. Quod actus distincti sunt in duplici differentia. Quidam sunt quorum unus est ratio, et causa alterius. Quidam sunt omnino disparati. Maior propositio est vera de actibus omnino disparatis, non autem de actibus quorum unus est causa alterius; hujusmodi enim actus non diversificant habitum. Ad minorem dicitur, quod actus gratiæ personalis, qui est facere habentem sanctum formaliter, est ratio justificationis aliorum, quæ ratio pertinet ad gratiam capitis, et inde est quod per hujusmodi differentiam, quæ est facere sanctum habentem, et justificare alios, non diversificatur essentia habitus.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de gratia unionis, et de gratia habituali, et capitali. Gratia enim personalis, et gratia capitis ordinantur ad aliquem actum: et quia actus utriusque sunt subordinati, ut dictum est in præcedenti responsione, ideo conveniunt in essentia habitus. Gratia autem unionis non ordinatur ad aliquem actum. Potest etiam concedi, quod gratia personalis quodammodo possit dici gratia unionis, prout facit quamdam congruitatem ad unionem. Et secundum hoc una per essentiam est gratia unionis, habitualis, personalis, et capitis, differens tantum secundum ratinem. Gratia tamen unionis sic accepta differt á gratia unionis simpliciter, sicut dispositio differt ab eo, cujus est dispositio.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo.*

*Pro negativa* = Videtur, quod esse caput Ecclesiæ non sit proprium Christo.

1. Caput Ecclesiæ antiqui testamenti, fuit quidam homo præter Christum. Ergo videtur, quod eadem ratione aliquis alius homo præter Christum possit esse caput Ecclesiæ, ac per hoc esse caput Ecclesiæ non est proprium Christo.

Antecedens probat., quia dicitur 1. Reg. 15. *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.*

Conseq. prob. Quia una est Ecclesia in novo, et in veteri testamento.

2. Aliis á Christo convenit gratiam aliis præbere. Ergo aliis á Christo competit esse caput Ecclesiæ.

Anteced. prob. Quia ad Ephes. 4. dicitur. « Omnis sermo malus ab ore ves- « tro non procedat; sed si quis bonus est « ad ædificationem fidei, ut det gratiam « audientibus. »

Conseq. prob. Quia ex hoc Christus dicitur esse caput Ecclesiæ quod gratiam influit Ecclesiæ membris. Si ergo hoc non soli Christo, sed etiam aliis convenit, non erit solus Christus Ecclesiæ caput.

3. Christus non retinuit sibi soli nomen pastoris, secundum illud 1. Petr. 5. « Cum apparuerit princeps pastorum ; » nec etiam sibi soli retinuit nomen fundamenti, secundum illud Apoc. 21. « Murus civitatis habens fundamenta duo- « decim. » Ergo videtur quod nec etiam nomen capitis sibi soli retinuerit.

Conseq. prob., quia Christus ex eo quod præest Ecclesiæ, non solum dicitur caput, sed etiam pastor, et fundamentum Ecclesiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ei, cui soli convenit ut ex eo Ecclesiæ corpus per nexus, et conjunctiones subministratum, et constructum crescat in augmentum Dei, proprium est esse caput Ecclesiæ. Sed soli Christo convenit quod corpus Ecclesiæ per nexus et conjunctiones constructum crescat in augmentum Dei. Ergo Christo proprium est esse caput Ecclesiæ.

Maior, et minor prob., quia, ut dicitur Coloss. 2. «Caput Ecclesiæ est, ex « quo corpus per nexus, et conjunctio- « nes subministratum, et constructum, « crescit in augmentum Dei.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Caput influit in alia membra dupliciter. Uno modo quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiva, et sensitiva á capite derivatur ad cætera membra. Alio modo secundum quamdam exteriorem gubernationem; prout scilicet secundum visum, et alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Et quia Christus est caput Ecclesiæ, habet hunc duplicem influxum gratiæ in alia membra Ecclesiæ: et hoc duplici modo potest dici caput Ecclesiæ, et de utroque modo videndum est, an sit proprium Christo esse caput Ecclesiæ.

1.ª Conclusio. Esse caput Ecclesiæ secundum interiorem influxum gratiæ est proprium Christo.

Prob. Quia interior influxus gratiæ non est ab aliquo, nisi á solo Christo cujus humanitas, ex hoc quod est divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi.

2.ª Conclusio. Esse caput Ecclesiæ secundum exteriorem influxum, sive gubernationem, possunt etiam alii dici capita Ecclesiæ; differenter tamen á Christo.

Probat. Quoad priorem partem auctoritate scripturae: dicitur enim Amos. *Optimates capita populorum:* et hanc etiam probant duo priora argumenta facta pro negativa; quia scilicet hic exterior influxus potest etiam aliis convenire.

Altéra pars, scilicet, quod esse caput Ecclesiae secundum exteriorem influxum et gubernationem differenter conveniat Christo, et aliis, ostenditur. Primo enim attenditur hæc differentia inter Christum, et alios qui dicuntur Ecclesiæ capita. Quia Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundum omnem locum, tempus, et statum. Alii autem homines dicuntur capita secundum quaedam specialia loca, sicut episcopi suarum Ecclesiarum; vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiæ, tempore sui potificatus; et secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Secundo attenditur differentiæ inter Christum, et alios, qui sunt capita Ecclesiae, quia Christus est caput Ecclesiae propria virtute, et auctoritate; alii vero dicuntur capita in quantum ge-

runt vicem Christi, juxta illud 2. Cor. 2. « Nam et ego quod donavi, si quid « donavi propter vos in persona Christi,» et 2. Cor. 5. dicitur " pro Christo le- « gatione fungimur, tamquam Deo ex- « hortante per nos. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, et ad ejus prob. quod verbum illud intelligitur, secundum quod ratio capitis est ex exteriori gubernatione, prout dicitur rex caput regni sui; secundum quem modum esse caput Ecclesiæ potest aliis á Christo convenire, licet differenter, ut dictum est in corpore.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod dare gratiam interius influendo convenit soli Christo, homini autem convenit dare gratiam exterius persuadendo ad ea quae sunt gratiae. Unde hoc argumentum probat secundam conclusionem, ut dictum est.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod Christus retinuit sibi soli nomen quod importat principalem auctoritatem; nomina vero, quæ possunt importare auctoritatem secundariam, communicavit etiam aliis sicut et auctoritatem. Unde Augustinus dicit super Joann. Tractat. 46. «Si præpositi Ecclesiæ pastores sunt, « quomodo unus pastor est, nisi quia « sunt illi omnes unius membra pastoris?» Et similiter alii possunt dici fundamenta et capita, in quantum sunt unius capitis et fundamenti membra, et tamen, sicut Aug. ibidem dicit, *pastorem esse dedit membris suis: ostium vero nemo nostrum se dicit: hoc sibi ipse proprium tenuit.* Et hoc ideo, quia in ostio importatur principalis auctoritas, in quantum ostium est, per quod omnes ingrediuntur in domum, et ipse solus Christus est, per quem accesum habemus in gratiam istam, in qua stamus. Nomen igitur capitis, in quantum caput influit interiori influxu, Christus soli sibi reservavit, quia solus interius gratiam influit; nomen vero capitis secundum exteriorem gubernationem communicavit aliis, qui Ecclesiæ loco Christi præsunt.

## ARTICULUS VII.

*Utrum diabolus sit caput omnium malorum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod diabolus non sit caput omnium malorum.

1. Ille, qui est caput malorum, habet vim influendi malitiam. Sed diabolus non habet vim influendi malitiam. Ergo diabolus non est caput omnium malorum.

Maior prob., quia ad rationem capitis pertinet quod influat sensum, et motum in membra: ut dicit quædam Glos. super illud ad Ephes. 1. *ipsum dedit caput.*

Minor prob., quia malitia peccati procedit á voluntate peccantis.

2. Ab eo, qui est caput omnium malorum, procedunt omnia peccata. Sed á diabolo non procedunt omnia peccata Ergo diabolus non est caput omnium malorum.

Maior prob., quia per quodlibet peccatorum fit homo malus. Unde qui omnium est caput malorum, omnium peccatorum debet se causa.

Minor prob. Nam diabolus non est causa peccati dæmonum, quia dæmones non peccaverunt ex persuasione alterius. Similiter nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit; dicitur enim in lib. de Eccles. dogm. c. 82. *Non omnes cogitationes nostræ malæ semper diaboli instinctu excitantur; sed aliquoties ex motu arbitrii nostri emergunt.*

3. Multitudo, quæ habet unum caput, debet habere unum aliquid, in quo multa conveniunt. Sed multitudo malorum non videtur habere aliquid, in quo mali uniantur. Ergo multitudo malorum non habet unum caput: ac per hoc diabolus non est caput omnium malorum.

Maior probat., quia unum caput uni corpori præficitur. Unde ad hoc quod multitudo possit habere caput, requiritur quod illa multa, quæ multitudinem

faciunt, in aliquo uno convenire possint, alioquin non esset una multitudo.

Minor probat., quia malum malo contingit esse contrarium: contingit etiam malum ex diversis defectibus, ut Dion. dicit. 4. c. de div. nom.

Aliter. Unum caput assignatur uni corpori. Sed multitudo malorum non potest esse unum corpus, cum mali non conveniant in aliquo uno, ut dictum est et probatum in alia forma. Ergo multitudo malorum non potest habere unum caput diabolum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Super illud Job. 18. *Memoria illius pereat de terra*, dicit Glos. desumpta ex Greg. lib. 14. mor. c. 11. *De unoquoque iniquo dicitur, ut ad caput, idest diabolum, revertatur.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliquis potest dici caput alicujus multitudinis dupliciter: uno modo secundum interiorem influxum, et exteriorem gubernationem simul. Et hoc modo Christus est caput Ecclesiæ, ut art. præced. dictum est. Alio modo secundum exteriorem gubernationem tantum. Secundum quem modum quilibet princeps, vel prælatus est caput multitudinis sibi subjectæ. Membra distictionis hujus patent ex dictis in præced. art. in corp.

Conclusio. Diabolus est caput omnium malorum secundum exteriorem gubernationem. Prob. primo auctoritate Job. 41. qui de diabolo dicit. *Ipse est rex super universos filios superbiæ.*

Secundo prob. ratione, quæ est: Ille, qui adducit omnes malos ad proprium finem, est caput omnium malorum. Sed diabolus inducit ad proprium suum finem omnes malos. Ergo diabolus est caput omnium malorum.

Maior prob., quia pertinet ad gubernatorem, ut eos, quos gubernat, ad suum finem adducat. Sicut ad ducem exercitus pertinet dirigere omnes milites ad victoriam, quæ est finis ducis.

Minor probat. Et primo ostenditur, quis sit finis diaboli; deinde probatur quod diabolus dirigat, et inducat malos ad hunc suum finem. Finis diaboli est aversio creaturæ rationalis á Deo. Habet autem aversio á Deo rationem finis in quantum appetitur sub specie libertatis, juxta illud Jerem. 2. *A sæculo confregisti jugum, et dixisti: non serviam.* Ad hunc autem finem inducit diabolus homines per hoc quod inducit eos ad peccatum. Unde á principio tentavit removere hominem ab obedientia divini præcepti. Omnes igitur, qui peccant, diriguntur á diabolo, ad diaboli finem, ac per hoc sub ejus regimine cadunt, propter quod dicitur eorum caput.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod licet diabolus non influat rationali menti, tamen suggerendo inducit ad malum. Est igitur peccatum á voluntate sicut ab intrinseca causa; à diaboli vero suggestione procedere potest ut á causa extrinseca.

Ad 2. Dicitur aliquem esse omnium peccatorum causam, potest dupliciter intelligi. Uno modo suggestive, ita quod suggerat omnia, et singula peccata. Alio modo per hoc, quod proponit signum suæ voluntatis. Sicut dux potest esse causa pugnæ militum hoc duplici modo. Primo suggerendo eis, ut pugnent. Alio modo elevando signum, sive vexillum, quod multi, nullo suggerente, sequuntur. Ad maiorem dicitur quod ille, qui est caput omnium malorum, sufficit quod sit causa omnium peccatorum altero horum modorum, ita quod nullum sit peccatum, ad quod non inducat suggerendo, vel proponendo suæ voluntatis signum. Ad minorem dicitur quod diabolus non est causa omnium peccatorum per instigationem, sed per hoc quod proposuit signum suæ voluntatis. Primum enim peccatum diaboli, quo ab initio

peccat, ut dicitur 1. Jo. 3. propositum est omnibus ad sequendum; quidam tamen hoc peccatum imitantur per suggestionem ipsius, quidam vero imitantur propria sponte absque ulla suggestione. Et per hoc omnium malorum caput est diabolus, in quantum ipsum mali imitantur, secundum illud Sap. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

Et breviter respondetur, negando minorem. Ad probationem dicitur quod omnia peccata procedunt ex diabolo, vel suggerendo, vel proponendo suam voluntatem: unde licet dæmones non peccaverint ex alterius persuasione, peccaverunt tamen per hoc quod eis fuit proposita voluntas diaboli imitanda, et sic est intelligenda autoritas inducta ex lib. de Eccl. dogm. Cogitationes enim nostræ malæ, non omnes sunt ex persuasione diaboli, imitantur tamen ejus primum peccatum.

Ad 3. Negatur minor utriusque formæ: omnia enim peccata conveniunt in aversione á Deo, licet ab invicem differant secundum conversionem ad diversa commutabilia bona: unde malorum multitudo una est ex parte aversionis, et ex illa parte caput habere potest.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum antichristus possit etiam dici caput omnium malorum.*

*Pro negativa.* =Videtur, quod antichristus non possit dici caput omnium malorum.

1. Diabolus est caput multitudinis malorum, ut articulo præcedenti dictum est. Ergo antichristus non potest dici caput malorum.

Conseq. prob., quia unius corporis non sunt diversa capita.

2. Membrum diaboli non potest esse caput malorum. Sed antichristus est membrum diaboli. Ergo antichristus non est caput omnium malorum.

Maior prob., quia caput distinguitur á membris.

3. Caput habet influentiam in membra. Sed antichristus non habet influentiam in malos qui eum præcesserunt. Ergo antichristus non est omnium malorum caput.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Super illud Job. 21. «Interrogate »quemlibet de viatoribus,» dicit gloss. Greg. libro 15. Moralium c. 36. «Dum «de omnium malorum corpore loquere«tur, subito ad omnium iniquorum ca«put antichristum verba convertit.»

*Determinatio.*

*Distinctio.* In capite naturali tria inveniuntur, ut dictum est art. 1. hujus quæstionis, scilicet ordo, perfectio et virtus influendi.

1.ª Conclusio. Antichristus non dicitur caput omnium malorum secundum ordinem temporis.

Prob. quia peccatum ejus non præcedit secundum tempus peccata omnium malorum, sicut præcessit peccatum diaboli.

2.ª Conclusio. Antichristus non est caput omnium malorum propter virtutem influendi, sed solum aliquorum.

Prob. quia etsi antichristus aliquos sui temporis ad malum sit conversurus exterius inducendo; non tamen illi qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam inducti, nec etiam ejus malitiam sunt imitati: unde secundum hunc modum erit caput tantum eorum quos ad malitiam aliquo dictorum modorum inducet, scilicet vel persuadendo, vel proponendo eis suam malitiam imitandam.

3.ª Conclusio. Antichristus dicitur caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem.

Probatur. Primo á sufficienti divisione: nam cum antichristus sit malorum caput, secundum Glossam inductam pro affirmativa, et non sit caput ratione ordinis, nec ratione influentiæ, sequitur quod sit caput ratione magnæ malitiæ in eo futuræ super omnes alios malos.

Secundo probatur auctoritate Glossæ, quæ super illud 2. ad Thess. 2. « ostendens se tamquam sit Deus, » dicit: « Sicut in Christo omnis plenitudo divinitatis inhabitavit; ita in antichristo omnis malitiæ plenitudo, » non quidem quod humanitas ejus sit assumpta á diabolo in unitatem personæ, sicut humanitas Christi á Filio Dei; sed quia diabolus suam malitiam eminentius ei influet suggerendo, quam omnibus aliis. Et secundum hoc, omnes alii mali qui præcesserunt, sunt quasi quædam figuræ antichristi, secundum illud 2. ad Thess. 2. *Mysterium jam operatur iniquitatis.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod diabolus et antichristus non sunt duo capita, sed unum; quia antichristus dicitur esse caput, in quantum plenissime invenitur in eo impressa malitia diaboli: unde super illud 2. Thess. 2. « Ostendens se tamquam sit Deus,» dicit Glos.: «In ipso erit caput omnium malorum, scilicet diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ. » Non dicitur in antichristo esse diabolum, per unionem personalem, nec per intrinsecam inhabitationem, quia sola Trinitas illabitur menti, ut dicitur in libro de Ecclesiasticis dogm. cap. 83., sed per malitiæ effectum.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sicut caput Christi est Deus; et tamen Christus est caput Ecclesiæ, ut dictum est art. 1. hujus quæstionis; ita antichristus est membrum diaboli, et tamen est caput malorum.

Ad 3. Dicitur, quod maior est vera de eo qui est caput ratione influentiæ, non autem de eo qui est caput tantum ratione perfectionis. Tunc ad minorem dicitur, quod antichristus non dicitur caput omnium malorum propter similitudinem influentiæ; sed propter similitudinem maximæ malitiæ, ut in corpore dictum est: in eo enim diabolus quasi deducet ad caput malitiam suam, per modum quo dicitur aliquis ad caput propositum ducere, cum illud perfecerit, ac compleverit.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI.

EX PRÆCED. 8.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, merito esse á scripturis, et Concilio insinuatum, quod Christus est caput Ecclesiæ. Ut *Ephes.* 1. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus ampliori notitia videndi sunt art. 3. et 4. A Concilio autem *Tridentino* sessione sexta, capit. decimosexto. «Christus, tamquam caput in membra, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et sine qua nullo pacto grata, et meritoria esse possent. » Ubi patet etiam de officio capitis. Ad quod facit et dictum ejusdem Concilii sessione vigesimaprima, canone tertio, scilicet, " Christum esse omnium gratiarum fontem, et auctorem. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, insinuatum, quod Christus est caput nostrum, etiam quantum ad corpora, ut Philip. 3. *Reformabit*, etc. ut *in arg. cont.* Ex quo datur intelligi, quod Christum secundum corpus suum esse caput nostrum secundum corpora nostra, est ipsum facere corpora nostra esse conformia etiam in sæculo venturo corpori suo. A simili ergo Christum secundum animam esse caput nostrum quantum ad animes, est ipsum facere animas nostras esse conformes etiam in sæculo venturo animæ suæ. Et hoc est illud influere in utrumque: de quo loquitur articuli conclusio. Ex quibus etiam patet,

quod per ly *immortalitatem* positam in ad *tertium* intelliguntur tamquam nomine communissimo designatæ quatuor dotes corporis, de quibus 1. *Cor.* 15. scilicet, impassibilitas, agilitas, claritas, subtilitas. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim cujusdam *Augustini de Roma*, ut refertur in Concilio *Basileensi, sessione* 22. dicentis: quod non omnes fideles justificati sunt membra Christi, sed soli prædestinati. Item hæresim *Joannis Huss*, ut refert Concilium *Constantiense sess.* 15. dicentis, quod præscitus, quamvis aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam, numquam tamen est pars sanctæ Ecclesiæ. Vel quod in idem redit, prædestinatum ad mortem, quantumcumque ipse bene vivat, numquam posse esse membrum Dei. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Conciliis *Basileensi* ibidem contra eum de Roma: et *Constantiensi* ibidem cuntra Huss. Et nota, quod, licet post ultimam translationem de ann. 1437. ab *Eugenio* Papa factam Basileense illud nihil valeat, utpote á vero suo capite dissolutum: tamen quoad sententiam contra illum de Roma, quoniam lata fuit de ann. 1435. est validum. Si plenius vis scire, quid sit tenendum, vel non tenendum de Basileensi: vide summam Conciliorum ibidem, sessione ult. ly Bulla *Nicolai V.* etc. Vide etiam compen. Albert. Mag. lib. 4. cap. 4. Schol. vide infra q. 10. art. 1. append. Item damnari á Concilio Tridentino sess. 6. c. 3. 4. et can. 28. Ubi decernitur, quod per fidem veram, licet non vivam; habet esse christianum. Item a. 1. Tim. 4. et 1. Joan. 2. ut adducuntur hic *in arg. cont.* Item á Psal 117. " Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Totus enim mundus, tamquam sectus in duos parietes in angulum unum concurrentes dividebatur in Judæum, et Græcum, quibus nominibus sæpe usum fuisse ad Roman. Apostolum legimus, hoc est in Judæos, et Gentiles. Per hoc ergo, quod, Christum esse caput anguli, dicunt Scripturæ, designant: quod totus mundus, maxime autem fideles, et charitatem habentes, sunt membra corporis Christi. Item damnari á primo q. 20. ar. 4. et q. 23. ar. 6. 8. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Genesis, 4. concl. 6. 7. et Num. 14. concl. 10. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, insinuatum, quod Christus est caput angelorum, ut Coloss. 2. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi expone ly « eadem est ratio aliorum ordinum, » idest ut angeli sunt, non autem, ut præcise superiores sunt. Non enim formaliter valet consequentia affirmativa ab inferiori ad superius in tali sensu, puta; est caput ordinum inferiorum, ergo et superiorum: valet tamen ab eo, in quo conveniunt superiores cum inferioribus: quoniam sic quædam similia sunt: et de similibus, ut sunt similia, idem est judicium: puta, est caput ordinum inferiorum, ut angeli sunt, ergo et superiorum ut angeli sunt. Per hoc siquidem nomen, angelus, intelligitur nunc creatura excellens: et cum omnis quantumcumque excellens creatura sit nominabilis, idest, nomine comprehensibilis, per ly angelus nunc intelligitur quodcumque nominabile, cujus scilicet essentia nomine comprehendi potest. Hoc vero tum superioribus, tum inferioribus angelis commune est: quoniam solus Deus in tali sensu innominabilis est 1. q. 13. art. 1. corp. et ad primum. Id ergo, quod implicite continetur in hac auctoritate, scilicet, " qui est caput omnis principatus, et potestatis, » posuit explicite idem Apost. Eph. 1. " Constituit eum supra omnem potestatem, et principatum, et omne nomen, quod nominatur. » Rursum expone ly caput, scilicet quantum ad conformitatem naturæ in genere solum, et quantum ad influentiam ad actus hierarchicos tantum pertinentem. Id, quod expressit D. Thom., 3. d. 13, qu 2. art. 2. dicens. " Christus secundum quod homo, est caput angelorum: non tamen ita proprie, nec eodem modo, sicut hominum, propter duas conditiones. Primo quantum ad conformitatem naturæ; quia cum hominibus convenit etiam secundum speciem in natura, cum angelis autem non secundum speciem, sed secundum genus intellectualis naturæ. Secundo quantum ad influentiam: quia non influit angel. removendo prohibens, aut

merendo gratiam, aut orando pro eis, quia jam beati sunt: sed in his, quæ ad actus hierarchicos pertinent: secundum quod unus angelus illuminat, purgat, et perficit alium, ut in 2. lib. dist. 6. dictum est. Hoc enim multo eminentius á Christo recipiunt. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito á scripturis insinuatum esse, quod eadem realiter est gratia habitualis in Christo, et gratia capitalis. Ut per hoc, quod dicitur Joan. 1. *De plenitudine ejus* etc. secundum quod cum discursu applicatur *in arg. cont.* Pro cujus pleniori captu vide q. 7. a. 10. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito á scripturis, Conciliis, et sanctis insinuatum esse: quod proprium est, et non est Christo esse caput Ecclesiæ. Quod quidem sit, á scripturis insinuatur: ut Coloss. 2. *caput*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Item á Joann. 19. " Unus militum lancea latus ejus aperuit; et continuo exivit sanguis, et aqua. » Ad hujus enim expositionem inquit Papa *Clemens V.* in Concilio *Viennen.* " In assumpta natura ipsum Dei Verbum, emisso jam spiritu, perforari lancea sustinuit latus suum: ut exinde profluentibus undis aquæ, et sanguinis formaretur unica, et immaculata, ac virgo sancta Mater Ecclesia, conjux Christi. » Hæc in Clem. 1 de sum. Trin. et fide cathol. Secundum prædicta ergo Christus, ut caput, in membra influit dona gratiarum, et salutis. Quod autem non sit, á Matth. 17. " Mitte hamum: et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore ejus staterem illum sumens, da eis pro me, et te. » Pro hoc enim, quod Christus jubet Petro, ut numum hunc, scilicet, staterem solvat tum pro se, tum pro ipso Petro exactoribus tributi, sive census, demonstrat aperte intentum intelligentibus: quod secundum B. Hieronymum ista census solutio imperatori, cui jam facta erat judæa tributaria, dabatur pro capite. Exponatur ergo secundum planum sensum ly *da eis pro me, et pro te*, idest, pro me capite, et pro te capite. Verum cum differentia hac, quod ego sum caput primum, et interius influens, et exterius gubernans; tu autem es caput secundarium exterius solum gubernans. A Conciliis vero insinuatur, quod sit: ut á *Florentino* in lit. sanct. union. " Definimus Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput. » Vide Compend. Alber. Mag. lib. 5. c. 43. schol. Item á Conc. *Constantinopol.* " Veneramur secundum scripturas, et canonum definitiones sanctissimum antiquæ Romæ episcopum: primum esse, et maximum episcoporum. » Hæc illud. A sanctis autem doctoribus idem insinuatur per hoc, quod vocant B. Petrum caput. Ut Chrys. super Matth. homil. 55 expressis verbis dicit: " Petrum esse caput Ecclesiæ, verticem totius consortii: *hom. 87. super Joann.* Principem Apostolorum, *et de laudibus B. Pauli*, Petrum Apostolorum caput. *Eusebius Ecclesiast. histor. lib. 2. c. 14.* Petrum esse maximum, et primorum principem. *Cyrillus super ly* vos, quem me esse, dicitis, *Petrum nominat*, principem, caputque cæterorum Apostolorum. *Dionysius sæpe inquit:* Verticalem Petrum, summum præ cæteris. » De his græcis, aliisque latinis doctoribus vide Joannem episcopum Roffensem lib. *Assertionis Lutheranæ confutatio*, art. 25 Vide et Elucidationes Additionum articulorum num. 94. 102. 168. Item veritates aureas super totam legem veterem, Levit. 8. concl. 8. et Numer. 27. concl. 1. et Deut. 17. concl. 7. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Joannis Huss* dicentis (ut refertur in Concilio *Constantiens. sess.* 15.) quod Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quosdam actibus Ecclesiæ malignantium consimiles. Et illorum, qui á Sigiberto Monacho in suis chronicis vocantur Prædestinati; qui eodem referente, universaliter dicebant, prædestinatum á Deo ad vitam, etiamsi ipse mala opera agat, numquam posse esse membrum diaboli. Ex hoc enim, quod articulus præsens, diabolum esse omnium malorum caput ostendit. expugnat hæreses prædictas: easque implicare in seipsis contradictionem insinuat. *Secundo* habes: quomo-

do per rationem ostendas, easdem merito damnari á scripturis per hoc, quod denotant, diabolum esse caput omnium malorum. Eodem enim tenore sententialiter connotant, omnes malos, ut sic, idest, ut mali sunt, esse membra diaboli. Ut á Job. 41. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*, idest, super omnes peccatores. Nam " initium omnis peccati est superbia, et initium superbiæ est apostatare á Deo, » Eccl. 10. Item á Job. 18. cum Glossa, secundum quod adducitur *in arg. cont.* Item a. 2. Tim. 7. " Resipiscant á diaboli laqueis, á quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. » Ecce, quod diabolus gubernat, idest, ad finem propriæ voluntatis inducit peccatores, quod est esse caput eorum, eosque esse membra ejus. Item specialiter *Joannis Hus* dictum damnatur ab ipso Concilio *Constantiensi* sess. eadem, ut supra sess. 15. In suo itaque simili condemnat et illud phantasma prædestinatorum. Nam una hæresi damnata, omnes consimiles cointelliguntur reprobari: quoniam de similibus, quatenus similia sunt, idem est judicium. Item ab Ephes. 2. " Aliquando ambulastis secundum principem potestatis aeris hujus spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos aliquando conversati sumus. » Ecce, quod seipsum connumerat quondam filiis diffidentiæ: quorum principem, idest, caput, dicit diabolum. Item a. 1. Tim. 1. *Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Item á B. Gregor. homil. super Matth. 4. " Certe iniquorum omnium diabolus caput est, et hujus capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An non diaboli membra judæi persequentes, et milites crucifigentes fuerunt?» Et tamen de his militibus Centurio. et qui cum eo erant, postmodum percutientis pectora sua revertebantur, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. En quod de iis, quorum quidam (ut ex bis signis probabile est) erant ad vitam æternam prædestinati, dicit B. Greg. quod pro statu illo, quo erant in peccato mortali, diaboli membra erant. Item á Concilio *Trident.* sess. 5. " Adam incurrisse indignationem Dei, atque ideo mortem, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium: hoc est, diaboli.» Adam erat de numero simpliciter prædestinatorum, quam et sapientia increata eduxit á delicto suo, Sap. 10. qui tamen pro tempore peccati sui fuit sub imperio diaboli. Quod (ut ex text. corp. habes) est diabolum esse caput, et subjectos sibi esse ipsius membra. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem. Gen. 4. concl. 6. 7. et Num. 14. concl. 10. Item ab Elucidat. prim. part. quæst. 20. art. 4. et quæst. 23. art. 4. 6. 8. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem evellas radicitus, atque interimas hæresim *Lutheri* et *Calvini* dicentium (ut refert Gabriel Præteolus titul. *Antichristus*, *Lutherani*, *Calvinistæ*) quod Papa, idest, Romanus Pontifex est antichristus. Per hoc enim, quod Sanctus Doctor demonstrat, in antichristo futuram esse plenitudinem perfectæ malitiæ, commostrat necessario consequenter (maxime si intelligatur quid rei horum terminorum, ut sup. not. post. respon. ad tertium) quod impossibile est, Papam, idest, Romanum Pontificem esse antichristum. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari ab Apostolo. 2. Thessal. 2. Daniel. 9. Nam ex eo, quod dicunt pessimas illas conditiones de antichristo, satis, superque manifestum relinquunt, quod Papa non est antichristus. Quomodo edim (ut ordine illo progrediamur) Papa est discessio, ut scilicet á Christo homines discedere faciat: si ipse tamquam vicarius ejus ad Christi ovile oves reducit? Quomodo homo peccati, ut scilicet alios ad peccandum seducat, si ipse tot sanctionibus, legibus ac pœnis homines á peccando compescit? Quomodo filius perditionis, ut scilicet sacramenta, Deique præcepta perdat: si ipse nihil magis in suis decretis, generalibusque conciliis, quam sacramentorum Christi susceptionem, ejusdemque mandatorum observantiam inculcat? Quænam abominatio desolationis dicta á Daniele propheta? Quænam adversaria elatio contra, et supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur? In quonam templo sederunt umquam Romani Pontifices, ostendentes se esse Deum? Immo, quod plus urget, quando passi sunt (*inquit D. Aug.*) se instar Dei adorari Romani Pontifices? Quando dixerunt vel unus eorum, se esse Messiam, aut Jesum Nazarenum cru-

cifixum seduxisse orbem? Aliud quippe, et in infinitum distans est dicere, se (quod tota Ecclesia catholica de Romano Pontifice confitetur) esse Christi Vicarium, et ut tantum vicarium velle adorari. Aliud vero est dicere se Christum, ostendere se Deum. Quando in Pontificem Romanum judaica gens, velut in suum Messiam credidit? Quando ipsorum quispiam convocavit judæos Hierosolymam, aut in templo inibi ædificato seipsum judæis pro Deo vendicavit? Quis horum divinam scripturam juxta verum sensum interpretari prohibuit; aut falsum pro catholico sensum ipsius acceptavit? Immo vero sanctos literarum sacrarum doctores speciali veneratione quotannis celebrat, et celebrari faciunt Romani Pontifices: invigilantes præterea ne super illud bonum semen inimicus homo seminet zizania; scientes, sibi fuisse á Deo mandatum Lev. 19. *Agrum tuum non seres diverso semine.* Hoc est; neque tu seres, neque alios, quantum in te est, serere permittes.

Quando Romani Pontifices Evangelicæ legis veros observàtores terroribus, minis, falsis blandiciis, signis, atque prodigiis mendacibus persecuti sunt? Immo vero legis ipsius cultores honorificarunt, honorificant, et honorificari per totum orbem præcipiunt, ut patet in quotidiana institutione celebritatum de sanctis martyribus, confessoribus, virginibus, etc. Quis tandem Romanorum Pontificum finxit, se á mortuis resurrexisse, vel se ad cœlum in nubes, quasi volitando ascendere: vel inde á Michaele archangelo in terram dejectus circa montem Oliveti occubuit? Hinc patet, quam indocti sint, ac instabiles, 2. Petr. 3. quam superbi, nihil scientes, et á veritate privati: 1. Timoth. 6 quam sint conversi in vaniloquium, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 1. Timoth. 1. Hæreticos dico, talis zizaniæ superseminatores in medio tritici, cum ipsorum credentibus. Quis enim non stultissimus, etiam apud rationis mediocriter capacem, haberetur, et esset, qui aliquam rem (puta piscem) proprietates, seu conditiones hominis non habentem, diceret esse hominem? Quid, si aliquam rem contrarias hominis conditionibus conditiones habentem diceret hominem? Tales profecto fuerunt in suo illo zizanico semine de Romano Pontifice *Wicleff* in Anglia, *Huss* in Bohemia, *Lutherus* in Germania, *Calvinus* in Geneva, et alii similes: ut ex applicatione supradictarum conditionum utriusque, scilicet, Antichristi, et Romani Pontificis manifeste constat, ut singillatim aperiendo viam veritatis non ex accidentalibus, sed ex propriis, ut philosophum, theologumque decet, procedentes demonstravimus. *Tertio* consequenter habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim eamdem á fortiori totaliter (quod plus est) condemnari á sanctis omnibus, atque conciliis per hoc, quod affirmarunt, Romanum Pontificem pro tempore existentem esse Vicarium Christi, caput Ecclesiæ, pastorem, patrem, doctorem, etiam pastorum, patrum, atque doctorum. De Sanctorum Doctoribus sufficiat nunc ad duxisse Bernardum, et Augustinum. Quorum Bernardus in lib. de consideratione ad Papam *Eugenium III.* inquit. " Indagemus diligentius, quid sis, quam geras videlicet personam pro tempore in Ecclesia Dei Tu es sacerdos magnus, tu summus pontifex, tu princeps episcoporum , tu hæres Apostolorum. Tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt et alii quidem cœli janitores, et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius quanto differentius utrumque præ illis nomen hæreditasti. Hebent illi assignatos sibi greges, singuli singulos; tibi universi crediti uni sumus. Nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. «*Ubi nota ly* quam personam geras pro tempore in Ecclesia Dei. » Per dictum siquidem hoc indicat ille: quod unusquisque Romanus Pontifex canonice electus est *sacerdos magnus, summus pontifex, princeps episc.* etc. ut sup. usque in finem ipsius aureæ auctoritatis. Pro quo et vide Addition. qu. 19. art. 4. 5. cum Elucid. et qu. 26. art. 4. cum Elucid. contra antichristos disseminantes: quod prælati mali non habent potestatem. Augustinus vero de Romanorum Pontificum fide, á quibus in totam Ecclesiam, tamquam á capite in membra diffunditur, sic habet. " Fides ista, quam Ro-

mani habent, ipsa, eademque est, et non alia, quæ in universo mundo annunciatur, et creditur, quæ non solum in terra, sed et in cœlis prædicatur. Quia JESUS pacificavit per sanguinem suum non solum terrestria, sed et cœlestia. Et hoc est. In universo mundo fidem prædicari, per quam omnis mundus fit subditus Deo.» *Hæc ille. Et recitat Papa* Leo 9. in Epist. advers. præsumption. Michaelis, et Leonis Archiepiscoporum, cap. 20. De generalibus item Conciliis nonnulla breviter ad propositum præmissum apprime facientia, referre pro nunc sufficiat. Conc. Florent. ex latinis, et græcis patribus unanimi consensu coadunatum sic ait. " Definimus Sanctam Apostolicam sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem, ac doctorem existere, et ei in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam á Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur.» Hæc illud sess. ult. in liter. sanct. unionis. Concilium item *Nicænum primum* 318 Patrum, Constantinop. primum 150 Patrum, Ephesinum primum 200 Patrum, Chalcedonense 600 Patrum, Constantinop. secundum 164 Patrum, Constantinop. tertium 289 Patrum (sex primæ universales synodi, aliarum omnium exemplar, ac norma, ut in decretis distinc. 15. ca. sicut c. sancta.) pro capite suo reverenter agnoscunt Romanum Pontificem, dum eum in suis legatis, seu vicariis præsidentem sibimetipsis singillatim acceptant: nihilque sine illius auctoritate á seipsis firmatum esse profitentur: ideoque per hoc et dictis, et factis hæresim in principio appendicis positam unanimiter execrantur, atque condemnant. Manifesta sunt hæc omnia videntibus in conciliorum magnis voluminibus ipsorum progressus, ac gesta. Verumtamen, ut compendiose quasi in unum colligamus ipsa inibi varie dispersa, sufficiat nunc audire Concilium *Lateranense* sub Leone X. in sess. XI. ponderosa haec ita decernens. " Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem: conciliorum indicendorum, transferendorum, ac differendorum plenum jus, et potestatem habere, nedum sacrae scripturae testimonio, dictis Sanctorum Patrum, sacrorumque canonum decretis: sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione, manifeste constat. Quorum aliqua referre placuit: reliqua vero (utpote notoria) silentio praeterire. In Alexandrina enim synodo legimus: Nicaenam synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis auctoritate concilia celebrari. Neque nos latet: Leonem primum Pontificem Ephesinam synodum secundam ad Chalcedonensem transtulisse; Martinum quintum praesidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi concilium dedisse. Ephesinam quoque primam synodum Cœlestino, Chalcedonensem Leoni primo, sextam Agathoni, septimam Adriano, octavam Nicolao, Romanis Pontificibus, maximam reverentiam exhibuisse, eorumdemque Pontificum institutionibus, et mandatis in sacris conciliis per eos editis, et factis reverenter, et humiliter obtemperasse, etc. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quae in suis Conciliis gesta fuerunt corroboratione á Romanis Pontificibus subscriptionem, approbationemque humiliter petere, et obtinere: prout ex Nicæna, Ephesina, Chalcedonensi, sexta Constantinopolitana, septima item Nicæna, Romana, synodis habitis, earumque gestis manifeste colligitur.» Nec mirum. Felix enim Pa. et martyr. in Epist. ad Benignum episc. ait. " Semper dubia, et majora negotia terminum ab hac sede, á tempore Apostolorum, qui eum suis documentis instruxerunt, accipere consueverunt. Hæc sancta, et apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia per Dei omnipotentis gratiam á tramite apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec ab hæreticis noivtatibus depravata succubuit. Sed, ut in exordio normam fidei christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum principibus, illibatam firmiter tenet: secundum ipsius Domini pollicitationem, qui suorum discipulorum principi in suis fassus est Evangeliis. Petre (inquiens) ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando

conversus confirma fratres tuos.» Sed et B. Hieron. in detectione nugarum Ruffini epist. 40. par. 1. ait. "Scito, Romanam fidem Apostolica voce laudatam istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annuntiaret, quam semel praedicatum est; Pauli auctoritate munitam non posse mutari.» Quibus concordat B. Ambrosius lib. 3. de sacram. "Ecclesiae Romanae typum in omnibus sequimur, et formam.» Quibus consentit et B. Athanasius cum episc. Ægypti scribens ad Felicem Pa. sic. "Tu profanarum haeresum, atque imperitorum, atque omnium infestantium depositor, princeps, et doctor, caputque omnium orthodoxae doctrinae, et immaculatae fidei existis.» Numquid non tres doctores quasi ad digitum *Lutherum* et *Calvinum* cum similibus praemonstrarunt; ipsissimis verbis veracibus uno ore damnantes? *Quarto* itaque vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO NONA,

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de scientia Christi: circa quam duo consideranda sunt. Primo quam scientiam Christus habuerit. Secundo de unaquaque scientiarum ipsius.

*Circa primum quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Christus habuerit aliquam scientiam præter divinam.

Secundo, utrum habuerit scientiam quam habent beati, vel comprehensores.

Tertio, utrum habuerit scientiam inditam, vel infusam.

Quarto, utrum habuerit aliquam scientiam acquisitam.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus habuerit aliquam scientiam præter divinam.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non habuerit aliquam scientiam præter divinam.

1. Christus per scientiam divinam cognoscebat omnia. Ergo superfluum fuisset, quod in eo esset alia scientia.

Conseq. prob., quia ad hoc est necessaria scientia, ut per eam aliqua cognoscantur.

2. Omnis scientia creata comparatur ad scientiam Dei increatam, sicut lux minor ad maiorem. Ergo in Christo non refulsit aliqua alia scientia præter scientiam divinam.

Conseq. prob., quia lux minor per maiorem offuscatur.

3. In Christo est unio continens duas naturas, scilicet divinam, et humanam. Ergo scientia unionis, quæ secundum aliquos ponitur in Christo, continet scientiam humanam et divinam; ac per hoc, non debent poni plures scientiæ in Christo, sed una tamen continens scientiam divinam et humanam.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus assumpsit sensum hominis. Ergo in Christo fuit scientia humana.

Antecedens est Ambrosii in libro de Incarnat. cap. 7. qui dicit: «Deus in «carne perfectionem humanæ naturæ as«sumpsit: suscepit sensum hominis, non «sensum carnis inflatum.»

Conseq. prob., quia ad sensum hominis pertinet scientia creata.

Aliter. In eo in quo est sensus hominis, debet esse scientia creata. Sed in Christo est sensus hominis, ut Ambros. dicit loc. cit. Ergo in Christo est scientia creata.

Maior prob., quia ad sensum hominis pertinet scientia creata.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus habuit scientiam creatam præter divinam.

Prob. triplici ratione. Prima: si in Christo non esset scientia creata præter divinam sequeretur, quod ejus anima esset imperfectior animabus aliorum hominum: quod est inconveniens.

Conseq. prob. Anima humana secundum se considerata, est in potentia ad intelligibilia cognoscenda; est enim sicut tabula, in qua nihil est scriptum, et tamen possibile est in ea scribi per intellectum possibilem, *quo est omnia fieri*, ut dicitur 3. de anima t. 18. Ergo anima non habens scientiam sibi convenientem, erit imperfecta.

Conseq. hæc ostenditur. Quia quod est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Unde si anima Christi non haberet scientiam creatam, esset in potentia ad ipsam, non reducta ad actum, ac per hoc esset cæteris animabus humanis imperfectior.

Falsitas autem, sive quod hoc sit inconveniens, ostenditur. Nam Filius Dei per humanam naturam, quam assumpsit, totum genus humanum ad perfectum reduxit. Unde ejus humanitas debuit esse perfectissima; et ideo ejus anima debuit habere scientiam, quæ esset propria perfectio ejus.

Secunda ratio. Si in Christo non fuisset scientia creata, frustra assumpsisset animam rationalem.

Prob. conseq. Nam quælibet res est propter suam operationem, ut dicitur 2. Cœl. t. 17. Propria autem operatio animæ rationalis est intelligere, quod pertinet ad scientiam creatam. Unde si anima Christi non habuisset creatam scientiam, fuisset frustra assumpta.

Tertia ratio. Illud, quod pertinet ad animæ rationalis naturam, fuit in Christo. Sed aliqua scientia creata pertinet ad animæ rationalis naturam. Ergo aliqua scientia creata fuit in Christo.

Maior prob., quia cum Christus totam naturam humanam susceperit, nihil naturalium humanæ naturæ Christo defuit.

Minor prob. Pertinet enim ad animæ naturam illa scientia, per quam cognoscimus principia: accipimus enim hic scientiam large pro qualibet cognitione humani intellectus.

Et confirmatur conclusio. Quia in sexta Synodo damnata est positio negantium in Christo esse duas scientias, vel duas sapientias.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Christus enim cognoscit omnia per scientiam divinam, operatione increata, quæ est ipsa Dei essentia: qui actus non potuit esse animæ Christi, cum sit alterius naturæ. Si igitur non fuisset in anima Christi aliqua alia scientia præter divinam, nihil anima Christi cognovisset, et ita fuisset frustra assumpta, cum illud frustra esse dicatur, quod caret propria operatione. Breviter autem dicitur ad antecedens, quod Christus per scientiam divinam, operatione divina cognoscebat omnia; anima tamen ejus, si scientiam creatam non haberet, nihil cognovisset, ut dictum est in corpore.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod duo lumina possunt accipi dupliciter. Uno modo in eodem ordine, et hoc fit quando utrumque lumen accipitur in ordine illuminantis, ut sunt lumen solis, et lumen candelæ. Alio modo accipiuntur in diverso ordine, ita scilicet quod unum sit in ordine illuminantis, et alterum in ordine illuminati: sicut sunt lumen solis, et lumen aëris. Si accipiantur duo lumina in ordine illuminantium, sic maius offuscat minus: lumen enim solis offuscat lumen candelæ; existente enim sole, candela non illuminat, sed remanet ejus lumen offuscatum á maiori lumine. Si vero accipiantur duo lumina, sic quod maius sit in ordine illuminantis, et minus in ordine illuminati; minus lumen non offuscatur per maius, sed magis augetur, sicut lumen aëris, per lumen solis. Et hoc modo lumen scientiæ creatæ non offuscatur, sed

magis clarescit in anima Christi per lumen scientiæ divinæ, quæ est *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut dicitur Jo. 1. et ad quam omne lumen comparatur, ut illuminatum ad illuminans.

Ad 3. Negatur consequentia; ex hoc enim, quod unio incarnationis continet duas naturas, non sequitur quod in Christo sit una scientia continens divinam, et creatam. Ad prob. quæ innuitur, quia aliqui posuerunt in Christo scientiam unionis, dicitur quod scientia unionis potest in Christo duobus modis intelligi. Uno modo ex parte unitorum: et sic ponitur in Christo scientia, quantum ad naturam divinam, et quantum ad naturam humanam, ita quod propter unionem, secundum quam est eadem hypostasis Dei, et hominis, id quod est Dei, attribuitur homini, et id quod est hominis, attribuitur Deo, ut dictum est qu. 3. art. 1. Alio modo potest intelligi, ut ponatur scientia in Christo ex parte ipsius unionis, et sic non potest poni scientia unionis in Christo, quia unio illa est ad esse personale; scientia autem non convenit personæ, nisi ratione alicujus naturæ. Non datur igitur in Christo aliqua alia scientia, quæ consequatur unionem, sed sola divina, vel creata.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus habuerit scientiam, quam habent beati, vel comprehensores.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit scientia beatorum, vel comprehensorum.

1. Ille, in quo est scientia beatorum, habet lumen divinum tamquam participatum. Sed Christus non habuit lumen divinum tamquam participatum. Ergo Christus non habuit scientiam beatorum.

Maior prob., quia scientia beatorum est per participationem divini luminis, secundum illud Psal. 35 «In lumine tuo «videbimus lumen.»

Minor prob., quia Christus habuit ipsam divinitatem in se substantialiter manentem, secundum illud ad Coloss. 2. «In Christo inhabitat omnis plenitudo «divinitatis corporaliter.»

2. Ille, qui habet scientiam beatorum, est beatus beatitudine creata. Sed Christus non est beatus beatitudine creata. Ergo Christus non habuit scientiam beatorum.

Maior prob., quia scientia beatorum eos beatos facit, secundum illud Jo. 17. «Hæc est vita æterna, ut cognoscant te «solum verum Deum, et quem misisti «Jesum Christum.»

Minor prob., quia ille homo fuit beatus ex hoc ipso, quod fuit Deo unitus in persona, secundum illud Psal. 64. «Bea«tus quem elegisti, et assumpsisti»

3. In Christo fuit alia scientia supernaturalis multo altior, quam habent beati, scilicet scientia divina. Ergo in Christo non fuit scientia quam habent beati.

Conseq. prob., quia homini duplex scientia convenit: una secundum suam naturam, et hæc in Christo fuit scientia acquisita; alia supra suam naturam, quæ in Christo fuit scientia divina.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo, qui plene cognovit Deum, fuit scientia, quam habent beati comprehensores. Sed Christus etiam secundum quod homo, plene cognovit Deum. Ergo in Christo fuit scientia, quam habent beati.

Minor prob., quia scientia beatorum in cognitione Dei consistit.

Maior prob., quia Jo. 8. dicit Christus, «scio eum, et sermonem ejus servo.»

*Determinatio.*

Conclusio. Cognitio beata in Dei visione consistens convenit Christo homini excellentissime.

Prob. Ei, per quem homines reducuntur ad actum cognitionis beatificæ consistentis in Dei visione, ad quam homines sicut ad finem ordinantur, com-

petit scientia beata excellentissime. Sed per Christi humanitatem homines reducuntur ad actum scientiæ beatæ, ad quam homines sunt in potentia, et ad quam tamquam ad finem ordinantur. Ergo oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens excellentissime Christo homini conveniret.

Maior habet duas partes: prima est quod ei per quem homines reducuntur ad actum scientiæ beatæ, competat scientia beata: altera est quod ei competat beata scientia excellentissime.

Quoad priorem partem prob. Quia illud quod est in potentia, reducitur ad actum per id quod est in actu: oportet enim esse calidum id per quod alia calefiunt. Ei igitur qui debet reducere homines ad actum scientiæ beatæ, ad quam homo est in potentia, necesse est quod habeat scientiam beatam. Altera pars probatur, quia semper causam oportet esse potiorem causato.

Minor habet etiam duas partes. Una est quod homo sit in potentia ad scientiam beatam. Et hæc ostenditur, quia creatura rationalis est capax illius beatæ cognitionis, in quantum est ad imaginem Dei. Altera est quod per humanitatem Christi homo ad actum beatæ hujus cognitionis reducatur, et hæc prob. Quia ad Heb. 2. dicitur: *decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur quod divinitas conjuncta est humanitati Christi, non secundum essentiam, vel naturam, sed secundum personam, cum qua unitate remanet distinctio naturarum, et ideo anima Christi, quæ est pars humanæ naturæ, per aliquod lumen participatum á natura divina, perfecta est ad scientiam beatam, qua Deus per essentiam videtur. In Christo igitur est lumen divinum participatum secundum humanitatem, non secundum divinitatem.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur quod homo ille, ex ipsa unione est beatus beatitudine increata, sicut ex unione est Deus. Sed præter beatitudinem increatam oportuit in natura humana Christi esse quamdam beatitudinem creatam per quam anima ejus in ultimo fine humanæ naturæ constitueretur. Unde negatur sequela, quæ intenditur: ex hoc enim quod homo ille est beatus beatitudine increata, non sequitur quod non habeat beatitudinem creatam. Et ratio est, quia suppositum illius hominis est divinum, et ideo ille homo Deus est beatus increata beatitudine, anima autem illius hominis est creata, et ideo creata beatitudine efficitur beata.

Ad 3. Neg. consequentia. Etsi enim scientia beata sit supernaturalis respectu animæ humanæ, et etiam animæ Christi; tamen non est supernaturalis sicut divina. Visio enim, seu scientia beata, est quodammodo supra naturam animæ rationalis, in quantum scilicet propria virtute ad eam pervenire non potest. Quodammodo vero est secundum naturam ipsius, in quantum scilicet anima secundum naturam suam est capax divinæ visionis, prout est facta ad Dei imaginem, ut dictum est in corpore. Scientia vero increata est omnibus modis supra naturam animæ humanæ. Persona igitur illius hominis Christi habet scientiam increatam, immo est ipsa increata scientia; anima vero illius hominis creata scientia beata efficitur, et ideo non solum non inconvenit, sed est necessarium ponere utramque scientiam in Christo, ut in corpore dictum est. Ad prob. dicitur, quod homini Christo conveniunt non solum scientia, quæ est simpliciter naturalis rationali animæ, quæ est scientia acquisita, et scientia beata, quæ est quodammodo naturalis et quodammodo supernaturalis; sed etiam scientia quæ est simpliciter supernatu-

ralis animæ rationali, quæ est scientia divina. Unde in homine Christo illa est insufficiens divisio.

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non sit scientia indita, vel infusa.

1. In eo, in quo est scientia beata non est scientia indita, vel infusa. Sed in Christo fuit scientia beata, ut art. præc. dictum est. Ergo in Christo non fuit scientia indita, vel infusa.

Minor prob. In eo, in quo est notitia perfecta ad quæ omnes scientiæ comparantur sicut imperfectum ad perfectum, non potest inveniri scientia infusa: præsente enim cognitione perfecta, excluditur cognitio imperfecta; sicut manifesta visio faciei excludit ænigmaticam visionem fidei, ut patet 1. Cor. 13. Sed scientia beata est notitia perfecta, ad quam omnis alia scientia comparatur, sicut imperfectum ad perfectum. Ergo in eo, in quo est scientia beata, non potest esse scientia indita, vel infusa.

2. Et est alia probatio maioris primi argumenti. In eo in quo est scientia, ad quam comparatur scientia indita, vel infusa, sicut dispositio ad perfectionem, non potest esse scientia indita, vel infusa. Sed scientia beata est, ad quam comparatur scientia indita, vel infusa, sicut dispositio ad perfectionem. Ergo in eo, in quo est scientia beata, sicut fuit in Christo, non potest esse scientia indita, vel infusa.

Maior prob., quia habita perfectione non est ulterius necessaria dispositio, sicut habito termino, non est necessarius motus.

Minor prob., quia imperfectior modus cognitionis disponit ad perfectionem; sicut opinio, quæ est per syllogismum dialecticum, disponit ad scientiam quæ est per syllogismum demonstrativum. Sed scientia infusa, sicut et quælibet alia scientia, comparatur ad beatum, sicut imperfectus modus sciendi ad perfectum. Ergo scientia indita est dispositio ad scientia beatam, ac per hoc non potest simul cum ea haberi.

3. Materia corporalis non potest simul recipere duas formas sensibiles, unam perfectiorem, et aliam minus perfectam. Ergo neque una anima Christi potest simul recipere duplicem scientiam, unam perfectiorem, quæ est scientia beata, et aliam imperfectiorem, quæ est scientia indita, vel infusa.

Consequentia prob., quia sicut materia corporalis est in potentia ad formam sensibilem, ita intellectus possibilis est in potentia ad formam intelligibilem.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad Coloss. 2. Dicitur, quod in Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi.*

*Determinatio.*

Conclusio. Præter scientiam divinam et increatam est in Christo secundum ejus animam scientia beata, qua cognoscit Verbum, et res in Verbo, et scientia infusa, sive indita, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas.

Probatur. Scientia, sine qua humanus Christi intellectus esset imperfectus, est in Christo ponenda. Sed sine scientia indita intellectus humanus Christi esset imperfectus. Ergo præter scientiam divinam et beatam est ponenda in Christo scientia indita, vel infusa.

Maior prob., quia decebat ut natura humana assumpta á Verbo Dei imperfecta non esset, ut artic. 1. dictum est.

Minor prob. Illud quod est in potentia, si non ponatur in eo id per quod reducitur ad actum, est imperfectum; omne enim, quod est in potentia, est imperfectum, si non reducatur ad actum. Sed intellectus possibilis humanus est in potentia ad omnia intelligibilia, et reducitur ad actum per species intelligibiles, quæ sunt quædam formæ com-

pletivæ ipsius, ut patet ex his quæ dicuntur in 3. de ani. tex. 32. et 38. Ergo si in eo non influerentur hujusmodi species, per quas omnia, ad quæ est in potentia, cognoscere posset, esset imperfectus; et hoc est ponere in Christo scientiam inditam, in quantum scilicet per Verbum Dei, animæ personaliter sibi unitæ impressæ sunt species intelligibiles ad cognoscenda omnia ad quæ intellectus possibilis est in potentia, sicut etiam per Verbum Dei impressæ sunt species intelligibiles menti angelicæ in principio creationis rerum, ut patet per Augustin. 2. super Genessim ad lit. cap. 8.

Et confirmatur conclusio, quia sicut in angelis, secundum eumdem Aug. lib. 4. sup. Gen. ad lit. c. 22. 24. et 30. ponitur duplex cognitio, una scilicet matutina, per quam cognoscunt res in Verbo, et alia vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species inditas; ita præter scientiam divinam, et increatam est in Christo secundum ejus animam scientia beata, qua cognoscit Verbum, et res in Verbo, et scientia infusa sive indita per quam cognoscit res in propriis naturis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. maior. Potest enim in eo, in quo est scientia beata, inveniri etiam scientia infusa. Ad probat. dicitur ad maiorem. Quod aliqua notitia potest dici imperfecta per comparationem ad notitiam beatam dupliciter. Uno modo quia includit aliquid oppositum manifestæ visioni, et hæc imperfecta cognitio non potest esse simul cum visione beatifica. Alio modo, aliqua cognitio potest dici imperfecta respectu cognitionis beatæ, non quia includat aliquid oppositum visioni beatæ, sed quia ad perfectionem illius non attingit, et talis imperfecta cognitio potest simul esse cum beatifica visione. Maior igitur probationis est vera de cognitione imperfecta primo modo, in quo sensu optime prob. per sententiam Apostoli: fides enim in sui ratione importat oppositum manifestæ visionis, eo quod de ratione fidei est, ut sit de non visis, ut dictum est 2. 2. q. 1. art. 4. Et ideo cum venerit quod perfectum est, evacuabitur fides; non autem est vera de scientia indita, vel infusa; quia hujusmodi scientia nullam importat imperfectionem repugnantem claræ visioni.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod dispositio potest se habere ad perfectionem dupliciter: uno modo, sicut via ducens ad perfectionem; alio modo sicut effectus á perfectione procedens. Et hoc duplici modo calor potest comparari ad formam ignis, sicut dispositio. Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. Et similiter opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam quæ per demonstrationem acquiritur, qua tamen acquisita potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam. Quia ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Negatur igitur simpliciter ipsa maior. Ad prob. dicitur, quod est vera de dispositione, quæ est solum via, sicut est motus respectu termini; non autem est vera de dispositione, quæ est etiam effectus consequens perfectionem, et sic scientia indita se habet ad beatam. Manet igitur in Christo simul cum scientia beata, scientia indita, vel infusa; non quasi via ad beatitudinem, sed quasi per beatitudinem confirmata.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod in proposito supponit unum falsum, scilicet quod visio beata fiat per speciem repræsentantem objectum beatificum, quod est divina essentia; si enim hoc esset verum, efficax esset probatio

consequentiæ; essent enim tunc in intellectu duæ species actu; est autem hoc suppositum falsum, quia cognitio beata non fit per speciem, quæ sit similitudo divinæ essentiæ, vel eorum quæ in divina essentia cognoscuntur, ut patet ex dictis in 1. p. q. 12. art. 2. Sed talis cognitio est ipsius divinæ essentiæ immediate per hoc, quod ipsa essentia divina unitur menti beatæ, sicut intelligibile intelligenti, quæ quidem divina essentia est forma excedens proportionem cujuslibet creaturæ; unde nihil prohibet quin cum hac forma superexcedente simul insint rationali menti species intelligibiles proportionatæ suæ naturæ.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.*

*Pro negativa* = Videtur, quod in Christo non fuerit aliqua scientia experimentalis acquisita.

1. Christus non habuit scientiam acquisitam excellentissime. Ergo Christus nullo modo habuit scientiam acquisitam.

Anteced. prob., quia Christus non vacavit studiis literarum, quibus perfectissime scientia acquiritur, dicitur enim Jo. 7. *Mirabantur Judæi dicentes: quomodo hic literas scit, cum non didicerit?*

Conseq. prob., quia quicquid Christus habuit, excellentissime habuit.

2. Ei quod est plenum, non potest aliquid superaddi. Sed potentiæ animæ Christi fuit impleta per species intelligibiles divinitus inditas, ut art. præced. dictum est. Ergo non potuerunt supervenire ejus animæ aliquæ species acquisitæ.

2. In eo, qui jam habet habitum scientiæ, per ea, quæ á sensu accipit, non acquiritur novus habitus, sed ille, qui prius inerat, confirmatur, et augetur. Ergo in Christo, qui scientiæ inditæ habitum habebat, non videtur quod per ea, quæ sensu accepit, fuerit generatus novus habitus scientiæ acquisitæ; sed solum videtur, quod habitus scientiæ fuerit in eo confirmatus.

Antecedens prob., quia sic duæ formæ ejusdem speciei essent simul in eodem subjecto, quod est impossibile.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Heb. 5. dicitur: *Cum esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Glos. interlin. idest *expertus est.* Ergo in Christo fuit aliqua experimentalis scientia.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus habuit scientiam acquisitam.

Prob. In illo, in quo est intellectus agens, et possibilis, est etiam scientia acquisita. Sed in Christo fuit intellectus agens, et possibilis. Ergo in Christo fuit scientia acquisita, quam quidam experimentalem vocant.

Maior prob. In eo, in quo est propria operatio intellectus agentis, et possibilis est scientia acquisita. Sed in eo, in quo est intellectus agens, et possibilis, est etiam propria operatio utriusque intellectus. Ergo in eo, in quo est intellectus agens, et possibilis, est etiam scientia acquisita.

Maior hujus prob., quia propria operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles in actu, abstrahendo eas á phantasmatibus. Unde dicitur in 3. de ani. tex. 18. quod intellectus agentis est omnia facere. Quæ species recipiuntur in intellectu possibili: quod est habere scientiam acquisitam.

Minor hujus prob., quia si intellectus agens, vel possibilis in Christo non haberet propriam operationem, frustra uterque fuisset assumptus á Christo, cum frustra sit, quod non habet propriam operationem. Hoc autem est inconveniens. Quia Deus, sicut et natura nihil facit frustra in aliis, et multo minus in anima Christi.

Minor principalis prob. Omnia, quæ sunt plantata in humana natura, fuerunt

assumpta á Verbo, ut alias dictum est. Sed intellectus agens, sicut et possibilis, fuit in natura humana plantatus. Ergo uterque intellectus fuit á Verbo Dei assumptus.

Brevius formatur hæc ratio. In Christo fuit intellectus agens, sicut et possibilis; uterque enim plantatus erat in humana natura. Ergo in Christo fuit scientia acquisita.

Consequentia prob., quia alioquin Christus frustra assumpsisset utrumque intellectum, si non habuisset propriam utriusque operationem, quæ est facere, et recipere species intelligibiles, quod est scientiam acquisitam habere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens; habuit enim Christus scientiam acquisitam excellentissime. Ad prob. negatur consequentia: ex hoc enim quod Christus non vacavit studiis litterarum, audiendo á doctoribus in scholis, non sequitur, quod non habuerit scientiam acquisitam excellentissime. Ad prob. dicitur, quod duplex est modus acquirendi scientiam. Unus inveniendo, alter addiscendo. Modus, qui est per inventionem, est præcipuus; modus vero, qui est per disciplinam, est secundarius. Unde dicitur 1. Ethic. cap. 4. *Ille quidem est optimus, qui omnia per seipsum intelligit: bonus autem rursus est ille, qui bene docenti obedit.* Potest igitur excellentissime haberi scientia acquisita, absque hoc quod á doctore accipiatur, scilicet per inventionem. Et quia hic modus est perfectior; ideo Christo magis competebat habere scientiam acquisitam per inventionem, quam per disciplinam, præsertim cum ipse daretur á Deo omnibus in doctorem, juxta illud Joel. 2. *Lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ.*

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod humana mens duplicem habet respectum. Unum quidem ad superiora, et secundum hunc respectum anima Christi fuit plena per scientiam inditam. Alium respectum habet ad inferiora, idest ad phantasmata, quæ sunt nata movere mentem humanam per virtutem intellectus agentis. Oportuit autem, quod etiam secundum hunc respectum anima Christi scientia impleretur, non quia prima plenitudo menti humanæ non sufficeret, sed oportebat eam perfici etiam secundum comparationem ad phantasmata.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de habitu acquisito, et infuso; nam habitus scientiæ acquisitæ acquiritur per comparationem humanæ mentis ad phantasmata, et quia secundum eamdem rationem non potest alius habitus iterato acquiri, ideo ea, quæ noviter á sensu accipiuntur, non faciunt alium habitum in eo, qui jam habet habitum scientiæ acquisitæ, sed confirmant priorem. Habitus autem scientiæ infusæ est alterius rationis, utpote á superiori descendens in animam, non secundum proportionem phantasmatum, et ideo species acquisitæ ab inferioribus per sensum faciunt novum habitum scientiæ acquisitæ.

Et formalius dicitur ad antecedens, quod in eo, qui habet habitum scientiæ acquisitæ, non acquiritur novus habitus per eá quæ noviter á sensu accipiuntur pertinentia ad eumdem habitum. In eo tamen qui habet scientiam infusam, potest acquiri novus habitus alterius rationis, qui est habitus scientiæ acquisitæ. Et ad prob. dicitur, quod hujusmodi habitus scilicet infusus, et acquisitus non sunt ejusdem rationis, sed diversæ, cum unus respiciat superiora, et alius inferiora, ut in responsione præcedenti dictum est.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 9.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Macarii* (ut in sexta synodo actio. 8. refertur) dicentis: In Christo non esse duas operationes. Et loquitur de operationibus intellectivis. Nam ibi simul dicit in ipso non esse duas voluntates. Ex quo sequebatur secundum illum, in Christo non esse duo velle, nec duo intelligere: et consequenter nec duas scientias, scilicet unam creatam, et alteram increatam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab eadem sexta synodo in eadem actio. 8. per hoc, quod ideo eum, et duos, aut tres ejus discipulos ipsi consentientes exilio relegatos coram toto ipso concilio denudaverunt pallio episcopali. Et actio. 16. tota synodus anathematizat eosdem. Et actio. 17. ab eadem synodo explicatur mysterium Dominicæ incarnationis in unitate personæ duas concurrisse naturas, et duas naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum doctrinam in Christo copulatas. Item damnari á Jo. 1. *Verbum caro factum est,* etc. *plenum gratiæ et veritatis.* Per hoc enim demonstrat, quod ex unione illa Verbi, et carnis resultavit in anima Christi et gratia, et veritas. Gratia quidem in essentia animæ, q. 7. a. 1. veritas atem in intellectu ejusdem. Et hæc est scientia creata. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus habuit scientiam comprehensorum, ut per hoc, quod dicitur Joan. 8. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus captu exponitur ly *scio eum*, idest, plena scientia, quanta, scilicet, alicui animæ communicari potest. Et hanc expositionem subindicat idem Evangelista capit. 1. per ly " vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti á patre, plenum gratiæ, et veritatis. » Ac si dixerit. Plenam veritatis cognitionem habet, secundum quod caro, idest, secundum quod homo est, et tam plenam, quantam condecet unigenitum á patre. Et hoc est: Christum hominem fuisse comprehensorem in summo ab instanti illo quo *Verbum caro factum est. Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum: quod in Christo fuit scientia indita, sive infusa. Ut Coloss. 2. secundum quod *in arg. cont.* Item Gen. 2. per ly " omne, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. » His enim verbis denotatur: quod nomina imposita rebus ab Adamo erant convenientia rebus ipsis: et consequenter, quod ipse habuit cognitionem rerum non superficiariam, sed perfectam. Nam alicui rei nomen ab aliquo impositum sibi conveniens non est, nisi secundum proprietatem rei ipsius ei conveniat: et consequenter, nisi tale nomen imponens (dummodo talis impositio non fiat á casu) cognitionem proprietatis ejusdem rei cognoscat. Cum igitur impositio nominum ab Adam non fuerit á casu, et fuerit rebus ipsis conveniens: oportet dicere, quod scriptura per illam sententiam denotavit: quod Adam habuit cognitionem perfectam rerum naturalium, idest cognitionem ipsarum quoad earum proprietates. Quia vero ista ejus scientia non fuit experimentalis, idest per viam sensus, quod longum tempus exposcit, acquisita; cum á principio suæ creationis eam habuerit, ut inde colligitur: ideo eam fuisse inditam, seu illi infusam, dicere necessarium est. Argumentari itaque scholastice vult sic: in Adamo fuit scientia indita, qua intellectus suus possibilis cognovit res in propria ipsarum natura per species sibi infusas; ergo multo magis utique talis scientia fuit in Christo. Nam scientia indita ponitur in Adamo, quia fuit principium hominum, ut patet 1. q. 80. ar. 3. et Christus est caput omnium hominum qu. 8. art. 3. magis, quam Adamus, ut habetur ex 1. Corinth. 15. cum Roman. 5. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod in Christo fuit scientia per experientiam acquisita, ut per hoc, quod dicitur Hebræ. 5. *didicit*, etc. secundum quod cum expositione est *in arg. cont.* Ubi ly *didicit* non dicit disciplinam, quasi, quod Christus acquisierit scientiam hanc

per disciplinam: sed dicit inventionem propriam ex rebus experimento comprobatis. Ac si dictum fuerit. Ex his, quæ passus est, cognovit experimentaliter per seipsum, quam difficile sit obedire. Christum ergo didicisse obedientiam ex his, quæ passus fuit, est ipsum experimento tot, tantarumque passionum suarum; qu. 46. ar. 5. 6. 7. cognovisse, quod laboriosum valde est in omnibus simpliciter, ac veraciter, ut decet obedire. Quod autem ly *didicit* dicat scientiam acquisitam, seu experimentalem, patet ex ipso Apostoli contextu, scilicet *cum esset Filius Dei.* Ac si apertius dixisset. Christus, ut Filius Dei, cognovit ab æterno simplici intelligentia, quod valde laboriosum est in tam arduis rebus obedire usque ad mortem, et mortem crucis: sed, in quantum homo, cognitionem de hoc acquisivit in tempore ex horum, quæ passus est, experientia. Item insinuatur per dictum Luc. 2. *Jesus proficiebat sapientia.* Hoc enim cum neque de divina, neque de beata, neque de infusa Christi scientia intelligi possit, quasi aliqua istarum trium secundum seipsam augmentetur, intelligendum necessario est de scientia experimento acquisita: et consequenter per hoc supponit Evangelista, talem scientiam fuisse in Christo. *Secundo* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA,

### DE SCIENTIA BEATA ANIMÆ CHISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de qualibet prædictarum scientiarum. Sed quia de scientia divina dictum est in prima parte (quæst. XIV.) restat nunc dicendum de aliis tribus: primo de scientia beata; secundo de scientia indita; tertio de scientia acquisita.

Sed quia etiam de scientia beata, quæ in Dei visione consistit, plura dicta sunt in prima parte (quæst. XII.) hic illa sola videntur dicenda quæ proprie pertinent ad animam Christi.

*Circa hoc ergo quæruntur quatuor.*

Primo, utrum anima Christi comprehenderit Verbum, sive divinam essentiam.

Secundo, utrum in Verbo cognoverit omnia.

Tertio, utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita.

Quarto, utrum videat Verbum, sive divinam essentiam clarius qualibet alia creatura.

### ARTICULUS I.

*Utrum anima Christi comprehenderit Verbum, sive divinam essentiam.*

*Pro affirmativa* = Videtur, quod anima Christi comprehenderit, et comprehendat Verbum, sive divinam essentiam.

1. Ille, qui communicat cum Sancta Trinitate in cognitione, quæ est Trinitati propria, comprehendit divinam essentiam. Sed Christi anima communicat cum Sancta Trinitate in cognitione quæ est Trinitati propria. Ergo Christi anima comprehendit divinam essentiam.

Maior prob., quia notitia, qua Sancta Trinitas seipsam cognoscit, est comprehensiva.

Minor prob., quia Isid. dicit lib. 1. de sum. bon. cap. 3. *Trinitas sibi soli nota est, et homini assumpto.*

2. *Tota divinitas in una personarum est unita humanæ naturæ in Christo*, ut Dam. dicit lib. 3. ortod. fid. c. 6. Ergo multo magis tota natura divina videtur ab anima Christi; et ita videtur, quod anima Christi comprehenderit divinam essentiam.

Conseq. prob., quia maius est uniri Deo, secundum esse personale, quam secundum visionem.

3. Illud, quod convenit Filio Dei per naturam, convenit Filio hominis per gratiam, ut Aug. dicit in 1. de Trin. c. 13. Sed comprehendere divinam essentiam competit Filio Dei per naturam.

Ergo comprehendere divinam essentiam convenit Filio hominis per gratiam. Et ita videtur, quod anima Christi per gratiam Verbum comprehenderit.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud, quod comprehenditur, est finitum comprehendenti, ut Aug. dicit in lib. 83. Qq. q. 14. Sed divina essentia non est finita animæ Christi, cum eam in infinitum excedat. Ergo divina essentia non comprehenditur ab anima Christi.

*Determinatio.*

Conclusio. Anima Christi nullo modo comprehendit divinam essentiam.

Prob. Nulla creatura potest comprehendere divinam essentiam, ut ostensum est 1. par. q. 12. art. 7. Infinitum enim á finito comprehendi non potest. Sed anima Christi est creatura. Ergo anima Christi nullo modo comprehendit divinam essentiam.

Minor prob., quia (ut ex dictis patet) sic facta est unio naturarum in persona Christi, quod tamen proprietas utriusque naturæ inconfusa permanserit, ita scilicet quod *increatum manserit increatum, et creatum manserit infra limites creaturæ*, sicut Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. c. 3. et 4. Unde anima Christi, etsi á Verbo in unitate personali fuerit assumpta; mansit tamen infra limites creaturæ, ac per hoc ad comprehensionem Verbi non potuit pervenire.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod communicare cum Sancta Trinitate in cognitione sui contingit dupliciter. Uno modo ratione comprehensionis, ita ut comprehendat divinam essentiam, sicut ipsa Trinitas se comprehendit. Et sic vera est maior. Sed est falsa minor; nulla enim creatura, nec anima Christi communicat in hoc cum Sancta Trinitate, nec communicare potest, sicut nec potest esse infinita. Nec sic locutus est Isid. Alio modo ratione cujusdam excellentiæ. Et sic vera est minor; anima enim Christi sic cum Sancta Trinitate in cognitione divinæ essentiæ communicat: est tamen falsa maior; hujusmodi enim cognitio excellens deficit á comprehensiva notitia, sicut finitum ab infinito deficit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod nec etiam in unione, quæ est secundum esse personale, natura humana comprehendit Dei Verbum, sive naturam divinam, quæ quamvis tota fuerit unita humanæ naturæ in una persona Filii, non tamen tota virtus divinitatis fuit ab humana natura, quasi circumscripta. Unde Aug. dicit in Epist. ad Vol. « Scire te « volo, non hoc christianam habere doc- « trinam, quod ita Deus infusus sit carni, « ut curam gubernandæ universitatis, vel « deseruerit, vel amiserit, vel ad illud « corpusculum quasi contractam, collec- « tamque transtulerit. » Anima etiam Christi totam essentiam divinam videt non tamen eam comprehendit, quia non totaliter eam videt, idest, non ita perfecte, sicut visibilis est, ut 1. par. quæst. 12. artic. 7. expositum est.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quæ est Aug. sententia, quod dictum Aug. intelligendum est de gratia unionis, secundum quam omnia quæ dicuntur de Filio Dei secundum divinam naturam, etiam dicuntur de Filio hominis, propter identitatem suppositi. Et secundum hoc vere potest dici, quod Filius hominis est comprehensor divinæ essentiæ, non quidem secundum animam, sed secundum divinam naturam: per quem etiam modum potest dici, quod Filius hominis est creator. Non est igitur sensus dicti Aug. quod humanitati Christi per gratiam gratum facientem, vel gratis datam fuerit collatum, ut comprehenderet divinam essentiam; sed hic est sensus, quod homo ille, cujus suppositum est divinum, per hanc unionem collatum est, ut ei conveniant, quæ conveniunt Filio Dei per naturam, de quibus fusius dicetur infra q. 16. per totum.

## ARTICULUS II.

### *Utrum anima Christi in Verbo cognoverit omnia.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod anima Christi in Verbo non cognoscat omnia.

1. Ille, qui in Verbo cognoscit omnia, scit diem judicii. Sed anima Christi non scit diem judicii. Ergo anima Christi in Verbo non cognoscit omnia.

Minor prob., quia Marci 13. dicitur: « de die autem illa nemo scit, neque an« geli in cœlo, neque Filius, nisi Pater. »

2. Deus plura cognoscit in Verbo, quam anima Christi. Ergo anima Christi non cognoscit omnia in Verbo.

Anteced. prob. Deus perfectius videt essentiam suam, quam anima Christi. Ergo Deus plura cognoscit in Verbo, quam anima Christi.

Conseq. hæc prob., quia quanto aliquis perfectius cognoscit aliquod principium, tanto plura in illo principio cognoscit.

3. Si anima Christi sciret omnia in Verbo, quæ scit Verbum, sequeretur, quod scientia animæ Christi æquaretur scientiæ divinæ, creatum videlicet increato, quod est impossibile.

Conseq. prob., quia quantitas scientiæ attenditur secundum quantitatem scibilium.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Super illud Apoc. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere divinitatem, et sapientiam,* dicit Glos. ord. *idest omnium cognitionem.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Cum quæritur: an Christus cognoscat omnia in Verbo, ly omnia, potest dupliciter intelligi. Uno modo proprie, ut distribuat pro omnibus, quæ quocumque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata á quocumque secundum quodcumque tempus. Alio modo large, ut extendatur, non solum ad omnia, quæ sunt actu secundum quodcumque tempus, sed etiam ad omnia quæcumque sunt in potentia, numquam reducenda, nec reducta ad actum.

*Subdistinctio.* Hæc autem sunt in duplici differentia. Quædam sunt in sola potentia divina. Quædam vero sunt etiam in potentia creaturæ.

Et sic ly omnia, ad tria potest se extendere. Primo, ad ea, quæ fuerunt, sunt, vel futura sunt. Secundo ad ea, quæ sunt in sola Dei potentia. Tertio ad ea quæ sunt in potentia creaturæ, quæ tamen non reducuntur ad actum.

1.ª CONCLUSIO. Anima Christi cognoscit in Verbo omnia proprie.

Prob. Ille, ad cujus dignitatem pertinet omnium cognitio, cognoscit omnia. Sed ad dignitatem Christi etiam secundum quod homo, pertinet cognitio omnium. Ergo anima Christi cognoscit omnia proprie.

Maior prob., quia unusquisque intellectus creatus in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius videt Verbum. Nulli tamen intellectui creato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quæ, ad ipsum cognoscentem spectant.

Minor prob. Ad Christum enim, et ad ejus dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subjecta sunt omnia. Et etiam quia ipse est omnium judex constitutus á Deo, quia *Filius hominis est,* ut dicitur Jo. 5.

Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia, secundum quodcumque tempus, et etiam hominum cogitatus, quorum est judex, ita ut quod de eo dicitur Jo. 2. *Ipse enim sciebat, quid esset in homine,* potest intelligi, non solum quantum ad scientiam divinam, sed etiam quantum ad scientiam animæ ejus, quam habet in Verbo.

2.ª CONCLUSIO Anima Christi non cognoscit in Verbo omnia quæ sunt in sola divina potentia, quæ numquam reducenda sunt ad actum.

Prob. Qui cognoscit omnia quæ Deus

potest facere, comprehendit divinam virtutem, ac per hoc divinam essentiam. Sed anima Christi non comprehendit divinam essentiam, ut art. præced. dictum est. Ergo anima Christi non cognoscit omnia, quæ sunt in divina potentia.

3.ª Conclusio. Anima Christi cognoscit in Verbo omnia, quæ sunt in potentia creaturæ.

Prob., quia anima Christi comprehendit in Verbo essentiam omnis creaturæ, et per consequens potentiam, et virtutem, et omnia quæ sunt in potentia creaturæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor; anima enim Christi cognoscit in Verbo diem judicii. Ad prob. quæ est Evangelistæ sententia, dicitur quod Arrius et Eunomius intellexerunt illud verbum, non quantum ad scientiam animæ, quia ipsi in Christo animam non ponebant, ut dictum est q. 9. art. 1., sed quantum ad divinam cognitionem Filii, quem ponebant esse minorem Patre quantum ad scientiam.

*Reprobatio erroris Arrii.*

Sed Arrii interpretatio stare non potest. Quia per Verbum Dei facta sunt omnia, ut dicitur Jo. 1. Et inter alia, facta sunt per ipsum etiam omnia tempora. Et cum nihil sit factum per ipsum, quod ab ipso ignoretur, evidenter sequitur quod Verbum diem judicii cognoscat.

*Vera responsio.*

Dicitur igitur Filium Dei nescire diem judicii, quia ipsum non facit scire. Interrogatus enim super hoc ab Apostolis Act. 1. noluit hoc eis revelare. Sicut é contra legitur Gen. 22. *Nunc cognovi, quod timeas Deum*, idest: nunc cognoscere feci. Dicitur autem Pater scire, quia hanc cognitionem tradidit Filio. Unde in hoc ipso, quod dicitur *nisi Pater*, datur intelligi, quod Filius cognoscit, et non solum quantum ad divinam naturam, sed etiam quantum ad humanam, quia (ut Chrysost. argumentatur Hom. 78. in Matth.) si Christo homini datum est, ut sciat qualiter oporteat judicare, quod maius est, multo magis datum est ei scire, quod minus est, scilicet tempus judicii.

*Origenis interpretatio.*

Origenes tamen Hom. 30. in Matth. hoc exponit de Christo secundum corpus ejus, quod est Ecclesia, quæ hoc tempus ignorat.

*Aliorum interpretatio.*

Quidam vero dicunt hoc esse intelligendum, non de Filio Dei naturali, sicut erat Christus; sed de Filio Dei adoptivo, qui tempus judicii ignorat.

Ad 2. Dicitur quod probat secundam conclusionem, scilicet quod Deus cognoscat etiam ea quæ sunt in divina potentia; quæ tamen numquam reducuntur ad actum. Deus enim in tantum perfectius cognoscit divinam essentiam, quam anima Christi, quod eam comprehendit. Et ideo Deus cognoscit omnia quæ sunt in actu, secundum quodcumque tempus; et hæc cognoscit Deus scientia visionis: et omnia quæcumque facere potest, licet numquam fecerit, vel sit facturus; et hæc dicitur Deus cognoscere per simplicem intelligentiam ut prima par. qu. 14. artic. 9. dictum est. Scit ergo anima Christi omnia quæ Deus cognoscit per scientiam visionis; non tamen ea omnia quæ Deus cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ. Et ita plura sit Deus in seipso, quam anima Christi, ut in secunda conclusione dictum est.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur quod quantitas scientiæ non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quamvis igitur scientia animæ Christi quam habet in Verbo, parificetur scientiæ visionis, quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium; scientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scientiam animæ Christi; quia

lumen increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum receptum in anima Christi. Excedit tamen absolute loquendo divina scientia scientiam animæ Christi etiam quantum ad numerum scitorum quia scientia divina se extendit etiam ad ea, quæ sunt in sola Dei potentia, ad quæ non se extendit scientia animæ Christi, ut in corpore dictum est.

## ARTICULUS III.

### *Utrum anima Christi in verbo cognoverit infinita.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod anima Christi in Verbo non possit cognoscere infinita.

1. Illud, cujus diffinitioni repugnat esse cognoscibile, non potest cognosci ab anima Christi. Sed diffinitioni infiniti repugnat esse cognoscibile, ut dicitur 3. Phys. tex. 63. Ergo infinitum non potest ab anima Christi cognosci.

Maior prob., quia impossibile est diffinitionem á diffinito separari; esset enim hoc contradictoria esse simul.

2. Ille, cujus scientia est finita, non potest cognoscere infinita. Sed scientia animæ Christi est finita. Ergo anima Christi non potest cognoscere infinita

Maior prob., quia infinitorum scientia est infinita.

Minor probat., quia scientia animæ Christi est creata.

3. Scientia, qua potest esse alia maior, non est infinita. Sed scientia animæ Christi est alia scientia maior. Ergo scientia animæ Christi non est infinita.

Maior prob., quia infinito non potest esse aliquid maius.

Minor prob., quia plura continentur in scientia divina absolute loquendo, quam in scientia animæ Christi, ut dictum est quæst. præced. art. 1.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Anima Christi cognoscit totam suam potentiam, et omnia quæ potest. Ergo anima Christi cognoscit infinita.

Conseq. prob., quia potest in emundationem omnium, et infinitorum peccatorum, secundum illud 1. Jo. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Cognoscibilia sunt duplicia. Quædam sunt cognoscibilia principaliter, et per se, quædam vero sunt cognoscibilia secundario, et per aliud.

Manifestatur hæc distinctio. Scientia enim non est nisi entis, quia ens et verum convertuntur. Unde quot modis dicitur ens, tot modis dicitur verum, et cognoscibile. Ens autem dicitur dupliciter. Uno modo simpliciter, et hoc est ens in actu. Alio modo secundum quid, quod est ens in potentia. Et quia, ut dicitur 9. Metth. tex. 20. unumquodque cognoscitur secundum quod est actu, non autem secundum quod est in potentia, scientia primo, et principaliter respicit ens in actu quod est primo et per se cognoscibile, secundario autem respicit ens in potentia, quod non est cognoscibile secundum seipsum, sed secundum quod cognoscitur illud, in cujus potentia existit. Cognoscibilia igitur primo, et per se sunt entia in actu; cognoscibilia vero secundario, et per aliud sunt entia in potentia.

1.ª Conclusio. Anima Christi non cognoscit infinita cognoscibilia simpliciter.

Prob. Illud quod non est, non potest cognosci. Sed infinita cognoscibilia simpliciter, non sunt. Ergo anima Christi non potest cognoscere infinita cognoscibilia simpliciter.

Maior patet ex distinctione posita: nam cognoscibile simpliciter dicitur illud quod est in actu.

Minor prob. Nam etiamsi accipiantur omnia quæcumque sunt in actu, etiam secundum quodcumque tempus, non possunt esse infinitæ substantiæ in actu; (de substantiis enim est sermo, nam ac-

cidentia, et quæcumque substantias consequuntur, non proprie sunt entia, sed potius entis dicuntur) eo quod status generationis, et corruptionis non duret in infinitum. Unde est certus numerus, non solum eorum quæ sunt absque generatione et corruptione, ut sunt substantiæ separatæ, et corpora cælestia; sed etiam generabilium, et corruptibilium.

2.ª Conclusio. Anima Christi cognoscit infinita, quæ sunt secundum quid cognoscibilia.

Probatur. Anima Christi in Verbo cognoscit omnia quæ sunt in potentia creaturæ, ut dictum est in tertia conclusione præcedentis articuli. Ergo anima Christi cognoscit, secundum hunc modum, infinita.

Conseq. prob. quia in potentia creaturæ sunt infinita, cum anima cum suis potentiis sit in perpetuum duratura. Est autem hæc animæ Christi cognitio respectu eorum quæ non sunt actu, scientia simplicis intelligentiæ, non autem visionis.

### AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod infinitum dupliciter dicitur, ut 1. p. q. 7. art. 1. dictum est. Uno modo secundum rationem formæ; et sic dicitur infinitum negative, scilicet illud, quod est forma, vel actus non limitatus per materiam, vel per subjectum in quo recipiatur: et si de hoc infiniti genere sit sermo, est falsa ipsa minor; est enim hujusmodi infinitum, quantum est de se, maxime cognoscibile, propter perfectionem actus, licet non sit comprehensibile á potentia finita creaturæ, et sic Deus dicitur infinitus, et tale infinitum anima Christi cognoscit, licet non comprehendat. Alio modo dicitur infinitum secundum rationem materiæ; quod quidem dicitur privative, ex hoc scilicet, quod non habet formam, quam natum est habere, et per hunc modum dicitur infinitum in quantitate. Hoc autem infinitum uno modo est incognoscibile, alio modo est cognoscibile. Potest enim hoc infinitum quantitativum considerari tripliciter: uno modo secundum propriam rationem: alio modo secundum modum ipsius infiniti: tertio modo secundum modum intellectus cognoscentis. Si consideretur secundum suam rationem, est ignotum: quia tale infinitum est quasi materia cum privatione formæ ut dicitur 3. Phys. 165. Et quia omnis cognitio est per formam, vel actum, sequitur quod infinitum materiale secundum suam rationem sit ignotum.

Et sic infinitum non cognoscitur ab anima Christi, ut bene probat argumentum: non potest enim diffinitio, et propria ratio separari á diffinito. Si vero consideretur infinitum secundum modum ipsius infiniti, est etiam ignotum; est enim modus ipsius, ut accipiatur pars post partem, ut dicitur 3. Phys. t. 63. et sic ejus quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere: unde numquam poterit cognosci, et hoc etiam modo tale infinitum est ignotum animæ Christi; repugnat enim, quod sit cognitum totum, et tamen adhuc sint aliæ partes cognoscendæ. Si vero consideretur secundum modum intellectus cognoscentis, potest infinitum cognosci. Sicut enim materialia possunt accipi ab intellectu immaterialiter, et multa possunt accipi unita; ita infinita possunt accipi ab intellectu, non per modum infiniti, sed quasi finite, ut ea quæ sunt in seipsis infinita, sint in intellectu cognoscentis finita. Et hoc modo anima Christi scit infinita, non quidem discurrendo per singula, sed in aliquo uno, puta in aliqua creatura, in cujus potentia existunt infinita, et principaliter in ipso Verbo Dei. Ad formam igitur argumenti dicitur quod si sermo sit de infinito formali, negatur minor: si sermo sit de infinito materiali secundum propriam rationem, et secundum proprium

modum, conceditur totum. Sic enim anima Christi non cognoscit infinitum. Si sermo sit de infinito secundum modum cognoscentis, negatur etiam minor: non enim repugnat infinito sic considerato esse cognoscibile, ut dictum est.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod infinitum est duplex. Quoddam est, quod est omnibus modis infinitum, et hoc est illud, quod est infinitum secundum essentiam, et tale infinitum est solus Deus: ut dictum est 1. par. q. 7. art. 2. Quoddam vero est infinitum secundum quid. Et hoc est infinitum aliquo modo, non tamen secundum essentiam. Nihil enim prohibet aliquid esse infinitum uno modo, quod tamen sit finitum alio modo. Sicut si imaginemur in quantitatibus superficiem quæ sit secundum latitudinem finita, secundum longitudinem vero sit infinita. Et si essent infiniti homines numero, haberent quidem infinitatem secundum aliquid, scilicet secundum multitudinem: secundum tamen essentiæ rationem, haberent finitatem, eo quod omnium essentia esset limitata sub ratione unius speciei. Si igitur in probatione sit sermo de infinito simpliciter, verum est quod scientia infiniti debet esse infinita: et quia anima Christi habet finitam capacitatem, ideo attingit quidem Deum, qui est simpliciter infinitus, tamen non comprehendit ipsum, ut dictum est supra artic. 1. hujus quæst. Si autem sermo sit de infinito solum secundum quid, falsum est assumptum in probatione; potest enim scientia finita esse infiniti hoc modo. Et ratio est, quia proprium objectum intellectus, est quod quid est: ut dicitur in 3. de An. t. 26. ad quod pertinet ratio speciei. Unde intellectus creatus, per finitam scientiam potest cognoscere omne id, quod est determinatæ speciei, quamvis secundum numerum individuorum, vel secundum extensionem esset infinitum. Quia igitur infinitum, quod est in creaturis, est in potentia ipsarum creaturarum, quæ potest comprehendi ab anima Christi, cum comparetur ad ipsum secundum essentiæ rationem, ex qua parte potentia creaturæ finitatem habet; propterea anima Christi cognoscit quicquid in potentia creaturæ continetur. Sicut etiam intellectus noster intelligit universale, puta naturam generis, vel speciei, quæ quodammodo habet infinitatem, in quantum potest de infinitis prædicari.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur præmittendo primo quod infinitum duplex est: quoddam est infinitum omnibus modis, et tale infinitum non potest esse, nisi unum. Unde et Phil. dicit in 1. de cœl. tex. 2. quod quia corpus est ad omnem partem dimensionatum, impossibile est esse plura corpora infinita: aliud est infinitum uno modo tantum; et hoc modo possent esse plura infinita: sicut si intelligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem protractas in aliqua superficie infinita secundum latitudinem. Secundo est præmittendum quod infinitum non est substantia quædam, sed accidit rebus, quæ dicuntur infinitæ, puta lineæ, et numero: ut dicitur 3. Phys. tex. 37. Unde infinitum multiplicatur secundum diversa subjecta; aliud enim est infinitum in linea, et aliud in superficie, et aliud in corpore, et aliud in numero. Et sicut multiplicatur infinitum, ita debent multiplicari proprietates infiniti, et debent inveniri in diversis subjectis, in quibus invenitur infinitum. Est autem quædam proprietas infiniti, quod infinito non sit aliquid maius. Quæ proprietas diversimode invenitur in infinito simpliciter, et in infinito tantum secundum aliquem modum. Infinito enim simpliciter, nihil omnino est maius. Infinito autem tantum aliquo modo, non est aliquod maius in suo ordine, potest tamen esse aliquod maius in alio ordine; puta si sit linea infinita, nulla erit alia maior linea, quia etiamsi alia linea esset infinita, non es-

set maior priori linea; tamen si esset superficies aliqua infinita, esset aliquid majus, quam linea infinita in ea existens, quia illa linea haberet solum longitudinem, superficies autem haberet partes etiam in latitudine. Unde infinito secundum aliquid tantum puta linea, non est aliquid maius in illo ordine, simpliciter tamen est aliquid maius: et hoc est, quia tale infinitum non est omnibus modis infinitum. Et ideo non est mirum si ei non conveniat simpliciter hæc infiniti proprietas. Apparet hoc etiam in numeris; nam species numeri paris sunt infinitæ, et etiam species numeri imparis, et tamen species numeri paris et imparis simul, sunt plures, quam species paris, vel imparis tantum. Ad propositum igitur descendendo dicitur, quod ea quæ sunt in potentia creaturæ, sunt infinita, non tamen simpliciter. Et hoc infinito in suo ordine non est aliquid majus, tamen simpliciter potest esse aliquid maius quia in Dei scientia plura sunt, immo in infinitum plura alia sunt, quæ non sunt in potentia creaturæ. Unde stat quod scientia animæ Christi ad infinita se extendat, et tamen Deus per suam scientiam simplicis intelligentiæ plura in infinitum sciat, quam anima Christi in Verbo. Unde breviter dicitur ad probationem maioris negatæ quod infinito simpliciter nullo modo potest esse aliquid maius; infinito autem non omnibus modis non potest esse aliquid maius in eodem ordine; potest tamen esse aliquod maius in diverso ordine. Et quia ea, ad quæ se extendit scientia animæ Christi beata, non sunt infinita omnibus modis, sed solum in ordine eorum quæ comprehenduntur in potentia creaturæ; ideo hac scientia animæ Christi est alia scientia maior, quæ est scientia divina.

## ARTICULUS IV.

*Utrum anima Christi videat Verbum, sive divinam essentiam clarius, qualibet alia creatura.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod anima Christi non perfectius videat Verbum, sive divinam essentiam, quam quælibet alia creatura.

1. Visionum, quæ habent idem medium, una non est perfectior altera. Sed visio beata animæ Christi, et aliorum beatorum, habent idem medium, per quod fiunt. Ergo visio beata animæ Christi non est perfectior visione aliorum beatorum.

Maior prob., quia perfectio cognitionis est secundum medium cognoscendi, et quanto medium est perfectius, tanto perfectior est cognitio, sive visio. Sicut perfectior est cognitio, quæ habetur per medium demonstrativum, quam quæ habetur per medium dialecticum.

Minor prob., quia omnes beati vident Verbum immediate per ipsam divinam essentiam, ut dictum est 1. par. q. 12. art. 2.

2. Potentia visiva, quæ est infra potentiam intellectivam angeli, non videt perfectius, quam videat angelus. Sed potentia rationalis, qualis est intellectus animæ Christi, est infra potentiam intellectivam angeli ut Dion. dicit 4. cap. Cœl. Hier. Ergo anima Christi non potest perfectius videre divinam essentiam, quam angelus.

Maior prob., quia perfectio visionis non excedit perfectionem potentiæ visivæ. Unde potentia visiva, quæ est infra potentiam angeli, habebit visionem minoris perfectionis, quam sit operatio angelica.

3. Sunt infiniti gradus medii inter modum, quo Deus videt Verbum suum, et modum, quod anima Christi videt ipsum. Ergo potest aliqua creatura perfectius videre Deum, quam anima Christi.

Anteced. prob., quia Deus in infinitum perfectius videt Verbum suum, quam anima Christi.

Consequentia est evidens, quia si sunt infiniti gradus medii, poterit aliqua alia creatura elevari ad videndum Deum in uno illorum graduum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Anima ejus, qui in cœlesti gloria est super omnes alias creaturas, perfectius videt Deum, quam quælibet alia creatura. Sed Christus in cœlesti gloria est super omnes alias creaturas. Ergo anima Christi perfectius Deum videt, quam quælibet alia creatura.

Maior prob., quia in illa cœlesti gloria tanto aliquis est superior, quanto perfectius Deum videt.

Minor prob., quia Apostolus dicit ad Ephes. 1. quod « Deus constituit Chris-« tum ad dexteram suam in cœlestibus, « supra omnem principatum, et potesta-« tem, et virtutem, et dominationem, et « omne nomen, quod nominatur, non so-« lum in hoc sæculo, sed etiam in futu-« ro. »

*Determinatio.*

Conclusio. Anima Christi præ cæteris creaturis perfectius videt divinam essentiam.

Prob. Anima, quæ propinquius conjungitur Verbo Dei, perfectius videt divinam essentiam. Sed anima Christi propinquius conjungitur Verbo Dei, quam quælibet alia creatura. Ergo anima Christi perfectius videt Dei essentiam præ cæteris creaturis.

Maior prob., quia visio divinæ essentiæ convenit omnibus beatis secundum participationem luminis, quod derivatur in eis á fonte Verbi Dei, secundum illud Eccles. 1. *Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis.* Unde illa creatura, quæ propinquius Verbo Dei conjungitur, perfectius Dei essentiam videt, utpote plenius recipiens influentiam divini luminis quo Deus videtur.

In forma sic prob. maior. Qui plenius recipit influentiam divini luminis, in quo divina essentia videtur; perfectius divinam essentiam videt. Sed qui est Dei Verbo propinquius conjunctus, perfectius, et plenius recipit influentiam divini luminis. Ergo qui Dei Verbo propinquius conjungitur, perfectius Dei essentiam videt.

Minor prob., quia anima Christi unitur Verbo Dei in persona, quod nulli alteri convenit. Et propterea plenius, quam quælibet alia creatura, influentiam divini luminis recipit.

Et confirmatur conclusio. Quia Jo. 1. dicitur: *vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti á Patre, plenum* non solum *gratiæ*, sed etiam *veritatis*. Scilicet plenum gratia, et divino lumine.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod cognitio potest dici perfecta dupliciter. Uno modo ex parte cogniti, alio modo ex parte cognoscentis. Perfectio cognitionis ex parte cogniti attenditur secundum medium. Unde cognitiones, quæ sunt per idem medium, sunt æqualiter perfectæ ex parte cogniti, et per hunc modum cognitio omnium beatorum est æque perfecta ex parte cogniti, quia omnes in Verbo vident divinam essentiam. Perfectio vero cognitionis ex parte potentiæ, attenditur secundum potentiam, vel habitum, et maiorem abundantiam luminis. Et inde est, quod etiam inter homines, per unum medium unus perfectius cognoscit unam conclusionem, quam alius. Et per hunc modum anima Christi, quæ abundantiori repletur lumine, perfectius cognoscit divinam essentiam, quam alii beati, licet omnes divinam essentiam videant per seipsam.

Ad 2. Negatur maior. Potest enim una inferior potentia habere perfectiorem visionem, quam superior. Ad prob. dicitur, quod est vera de operatione naturali potentiæ, non autem de operatione supernaturali. Potentia enim inferior non potest habere operationem naturalem perfectiorem operatione naturali potentiæ superioris; potest tamen habere operationem supernaturalem perfectiorem, ratione maioris luminis supernaturalis participati. Et quia visio divinæ es-

sentiæ excedit naturalem potentiam cujuslibet creaturæ, ut in 1. par. quæst. 12. artic. 4. dictum est; ideo gradus in ipsa attenduntur magis secundum ordinem gratiæ, in quo Christus est excellentissimus, quam secundum ordinem naturæ, secundum quem natura angelica præfertur humanæ.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod etsi, considerata potentia Dei absoluta, possit esse gradus visionis sublimior gradu visionis animæ Christi; potuisset enim Deus sua infinita potentia determinare animæ Christi superiorem gradum luminis, tamen de potentia Dei ordinaria non potest esse sublimior gradus visionis in creaturis gradu visionis animæ Christi, sicut non potest esse perfectior unio ad Deum, quam illa, qua anima Christi est Deo unita; sicut dictum est quæst. 7. art. 12. corp. et ad 1.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 10.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim cujusdam *Augustini de Roma* dicentis, ut refertur in Conc. *Basileensi*, *sess.* 22. quod anima Chisti videt Deum tam clare, et intense, quantum clare, et intense videt Deus seipsum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari ibidem ab eodem Concilio post multos errores ejusdem Augustini recitatos, dicente. « Quas propositiones, et alias ex eadem radice procedentes, tamquam erroneas in fide, damnat, et reprobat hæc sancta synodus. An. 1433. » De hoc Concilio, ubi valeat, vel non valeat, vide sup. q. 8. a. 3. appen. De qua re notato etiam dicta in summa Conciliorum in fine illius Basileensis: quæ sunt hæc. " Bulla Papæ Nicolai V qui successit Eugenio IV. de approbatione gestorum in Concilio Basileensi propter securitatem animarum, et cavenda pericula conscientiarum, confirmat Nicolaus Papa gesta per congregatos in Concilio Basileensi, quod spectat ad censuras, et causas beneficiales. De aliis nihil, nec de approbatione ipsius Concilii Anno 1449 Pontificatus sui anno tertio. » Unde patet, quod censura prædicta, qua damnavit hæresim illius Augustini de Roma, est valida: quoniam auctoritate Summi Pontificis censuræ á congregatis illis factæ approbantur. Quapropter, ut uno verbo dicatur, sciendum pro semper: quod illorum, quæ in Conciliis Basileensi, et Constantiensi statuta sunt, nihil habet auctoritatis robur: nisi dumtaxat ea, quæ in Bulla *Nicolai V.* aut *Martini V.* Pontificia auctoritate probata fuerunt. Item merito hæresis illa damnatur á dictis in Additionibus artic. num. 398. cum Elucid. Vide et eam cum nonnullis aliis ejusdem erroribus damnari á Cardinali Turrecremata in summa de Ecclesia, lib. 1. cap. 68. Item à Beato August. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont. Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *duas*, scilicet, *unam Agnoetarum*, et *Ignoitarum* dicentium; humanitatem Verbi secundum subsistentiam ei unitam diem ultimum, horamque totius consummationis nescire, et *alteram Arnoldi* dicentis; Filium Dei assumpsisse humanitatem æqualem divinitati, ut tantum valeat, quantum divinitas. Per quod ostenditur, quod iste arbitrabatur, animam Christi scire omnia coæqualiter divinitati, cui personaliter unita est. Unde pro tanto solum hæc Arnoldi positio hic adducitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari ab Isa. 63. *Dies ultionis in corde meo.* Hoc enim ad planum sensum contextus dicitur in persona Christi secundum humanitatem Crucifixi: ut patet legenti c. illud. Item á dictis Addit. ar. nu. 378. cum Eluc. et 1. qu. 75. ar.

7. cum Elucid. Item ab Act. 10. *Ipse est, qui constitutus est á Deo judex vivorum, et mortuorum*, Nam manifestum est: quod judicare quis recte non potest, nisi notitiam habeat de omnibus rebus judicandis, et de omnibus requisitis ad judicium, inter quæ computatur dies ad judicandum præfixa. Cum itaque Christus sit judex omnium etiam quoad intimas cogitationes (secundum scripturas) et ejus judicium sit secundum rei veritatem, *Rom.* 2. *Isa.* 11. patet, quod per illam Actuum auctoritatem importatur, quod Christus secundum humanitatem cognoscit omnia, etiam universorum cogitata, et diem, locum, horamque judicii. Quod si ultimum illum judicii diem (ut dixit hæresis) ignoraret, jam sequeretur inconveniens maximum, scilicet quod ipse dies præcedentes judicium etiam nesciret. Nam, si ultimum tantum diem ignorat, tunc sciet, quod ille solus dies est sibi ignotus: si vero sciat omnes dies præcedentes ultimum; tunc necessario cognoscet, quod dies immediate sequens illos est ultimus: alioquin non esset certus de hoc, quod nosset omnes dies antecedentes. Si ergo scit pro certo dies omnes præcedentes ultimum: tunc quoque sciet diem proxime sequentem fore ultimum. Sic igitur, si præcedentes novit, et ultimum novit, aut si ultimum nescit et præcedentes pariter nescit. Quomodo ergo judex rectus esse poterit vivorum, et mortuorum in novissimo die secundum scripturas? Cæterum *Arnoldus* etiam damnatur á dictis art. 1. in text. et in append. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem destruas errorem *Agnoetarum* dicentium, humanitatem Verbi multa ignorare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a. 1. Jo. 2. *Ipse est*, etc. ut cum discursu applicatur *in arg. cont.* Si enim infinita, quorum capax natura creata esse potest, scit Christus secundum humanitatem; multa utique ignorare dicendus non est. Nec huic obstat: quod non omnia, quæ in sola potentia divina sunt, novit, art. 2. quia respectu istorum non potest dici ignorare, licet hæc nesciat. Nam ignorantia differt á nescientia, tamquam privatio á simplici negatione, in cujus signum in Angelis ponitur nescientia: 1 q. 58. art. 5. in quibus tamen nullus ponitur defectus, ut est privatio, per quod ignorantia denotatur: 1. q. 12. art. 4. ad 2. ut patere potest bene consideranti, Stant igitur simul duo hæc, scilicet quod verum sit, animam Christi nescire multa, utpote quorum creatura capax non est, ut patet art. 2. concl. 2. Et quod error sit, animam Christi ignorare eadem, vel aliquid cæterorum. Nam, si falsum est, quod in intellectu Angeli sit aliquis defectus, ut dicit privationem, 1. qu. 12. art. 4. ad 2. erit quoque falsum, quod in intellectu animæ Christi sit aliquis defectus privationem importans, quoniam Christus non est minoratus ab Angelis secundum notitiam animæ, qu. 7. art. 8. ad 3. immo est illis, quoad hoc, excellentior, qu. hac. art. sequent. Item merito condemnatur ex dictis art. 2. in textu, et append. *Tertio* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, et quidem á fortiori, hæreses *Origenis* dicentis, quod Filius Dei non potest videre Patrem. Et, quod Spiritus Sanctus nec videt illum. Verba autem Origenis in libris Periarchon, Epiphanio referente, sunt hæc. " Sicut incongruum est dicere, quod possit Filius videre Patrem: sic inconsequens est opinari, quod Spiritus Sanctus possit videre Filium. » Articulus enim præsens per hoc, quod demonstrat, animam Filii Dei incarnati posse, immo et de facto videre divinam essentiam, commonstrare necessario intelligitur: quod multo magis Filius Dei, ut Filius Dei, potest videre illam, et ideo Patrem: quoniam Pater est realiter idem cum essentia divina, ut supra not. ante ad *primum*. Nam, si secundum humanitatem videt essentiam divinam: utique magis, immo et in infinitum magis secundum divinitatem videt illam. Rursus. Si per articulum demonstratur, quod anima Christi potest videre Patrem, ut dictum est: utique eodem articulo commonstratum fuisse intelligitur, quod multo magis Spiritus Sanctus potest videre Filium. Nam Spiritum Sanctum esse Deum, et consequenter infinities anima Christi majorem, constat: et Filium quoque realiter idem esse cum essentia divina, ut patet ex

not. ante argumenta. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Matth. 11. " Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi filius. » Patet enim hic, et ad literam, quod Filius videt Patrem, et ad sensum, quod Spiritus Sanctus videt Filium. Ad sensum, inquam, literæ: quia dictio exclusiva, qualis est ly *nisi*, á consortio prædicati essentialis de una persona, non excludit alias personas divinas propter essentiæ unitatem, 1. quæst. 31. art. 4. ad 1. et 2 Immo tunc concludi quidem illæ supponuntur, et excludi aliquid creatorum. Unde per ly *nemo novit Filium*, *nisi Pater*, non significatur. quod Flius non agnoscat seipsum, aut quod Spiritus Sanctus non agnoscat Filium, sed quod nulla creatura ex se novit Filium. Similiter per ly *nemo novit Patrem*, *nisi Filius*, non denotatur, quod Pater non agnoscat seipsum, aut quod Spiritus Sanctus non agnoscat Patrem: sed quod nulla creatura vi sua cognoscit Patrem. Juvat ad hoc videre, 1. qu. 36. art. 2. maxime ad *secundum* in fin. Item merito damnari á dictis in 1. q. 42. art. 6. cum Elucid. Item per hoc, quod damnatur auctor illarum á Concilio *quinto Constantinopol.* actione 8. cap. 11. " Si quis non anathematizat Arrium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, et Origenem cum impiis eorum scriptis, et omnes alios hæreticos, etc. talis anathema sit. » Item á Concilio *Lateranensi* sub Martino 1. Canone 17. " Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobiscum eadem credens non respuit, et anathematizat anima, et ore omnes, quos respuit, et anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impiis eorum scriptis usque ad unum apicem, sancta Dei catholica Ecclesia, Sabellium, Arrium, Macedonium, Eunomium, Apollinarem, Polemonem, Eutychem, Dioscorum, Timotheum, Elurum, Severum, Theodosium, Cholutum, Themistium, Paulum Samosatenum, Chodorum, Theodorum, Nestorium, Periam, Origenem, Didymum, Evagrium, et omnes alios hæreticos, qui etc.» *Et infra.* «Anathematizamus et eos, qui nobiscum consonantes non respuunt, et anathematizant prædictos hæreticos, eorumque scripta. » Item á Concilio sexto Constantinopolitano actione 11. Ubi in ultimis Epistolæ Sophronii Patriarchæ Hierosolymorum (quæ postea actione 13. á tota synodo approbatur) recensentur plurimi hæretici, á *Simone Mago* usque ad illud tempus, qui perperam de mysterio Trinitatis sunt locuti. Recensentur inter cæteros et *Origenes*, et ejus discipuli, scilicet *Didymus* et *Evagrius*. Item á Papa *Gelasio* in libro Decretorum distinctione 15. cap. Sancta Romana. " Origenis nonnulla opuscula, quæ vir Beatus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus; reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda. *Et infra.* Origenis schismatici. *Et infra.* Liber, qui appellatur de pœnitentia Origenis apocryphus. *Et infra.* Hæc, et his similia ab omni Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata. » *Tertio* vides: quomodo ex iis, etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA PRIMA,

DE SCIENTIA INDITA, VEL INFUSA ANIMÆ CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de scientia indita, vel infusa animæ Christi.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum secundum hanc scientiam Christus sciat omnia.

Secundo, utrum hac scientia uti potuerit non convertendo se ad phantasmata.

Tertio, utrum hæc scientia fuerit collativa.

Quarto, de comparatione hujus scientiæ ad scientiam angelicam.

Quinto, utrum fuerit scientia habitualis.

Sexto, utrum fuerit distincta per diversos habitus.

## ARTICULUS I.

### *Utrum Christus secundum scientiam inditam, vel infusam omnia sciat.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod secundum hanc scientiam Christus non cognoverit omnia.

1. Secundum scientiam, quæ pertinet ad perfectionem intellectus possibilis animæ humanæ, non potuit Christus cognoscere omnia, sed solum ea quæ naturali ratione cognosci possunt. Sed scientia indita animæ Christi pertinet ad perfectionem naturalem intellectus possibilis animæ Christi. Ergo secundum scientiam inditam, Christus non cognovit omnia, sed solum ea, quæ lumine naturali comprehendi possunt.

Maior prob., quia intellectus possibilis animæ humanæ non videtur esse in potentia ad omnia simpliciter, sed ad illa sola, in quæ potest reduci ad actum per intellectum agentem, qui est proprium activum ipsius, quæ quidem sunt cognoscibilia secundum rationem naturalem.

2. Christus secundum scientiam inditam, vel infusam non cognovit substantias separatas. Ergo Christus secundum hanc scientiam non cognovit omnia.

Anteced. prob. Cognitio substantiarum separatarum non pertinet ad perfectionem intellectus humani. Ergo substantiæ separatæ non cognoscuntur per scientiam inditam humano intellectui.

Conseq. hæc prob., quia scientia indita pertinet ad perfectionem intellectus, cui est indita, ut in præcedenti argumento dictum est. Unde per hanc scientiam cognoscuntur tantum ea quæ pertinent ad perfectionem humani intellectus.

Antecedens hoc prob. Non pertinet ad perfectionem visivæ potentiæ corporalis videre ea quæ sunt omnino absque colore. Ergo nec pertinet ad perfectionem humani intellectus cognoscere ea, quæ non possunt esse phantasmata, quales sunt substantiæ separatæ.

Conseq. hæc prob., quia phantasmata se habent ad intellectum humanum, sicut colores ad visum, ut dicitur 3. de Ani. tex. 18. et 39.

3. Christus per scientiam inditam non cognovit singularia. Ergo Christus per hanc scientiam non cognovit omnia.

Anteced. prob., quia cognoscere singularia non pertinet ad perfectionem humani intellectus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Qui est repletus sapientia, intellectu, scientia, et consilio, cognoscit per scientiam infusam omnia. Sed Christus est repletus á Spiritu Sancto, sapientia, intellectu, scientia, et consilio: ut dicitur Isa. 11. Ergo Christus per hanc scientiam inditam sibi per Spiritum Sanctum, cognoscit omnia.

Maior prob., quia sub his quatuor comprehenduntur omnia cognoscibilia. Nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium divinorum; ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium; ad scientiam pertinet cognitio omnium conclusionum; ad consilium vero cognitio omnium agibilium.

*Determinatio.*

Conclusio. Christi anima per scientiam inditam, seu infusam cognovit omnia plenius, et abundantius cæteris creaturis; divinam tamen essentiam per hanc scientiam non cognovit.

Prob. Anima, quæ est omnino perfecta per hoc, quod omnis ejus potentialitas est reducta ad actum, cognoscit omnia per scientiam inditam, excepta divina essentia. Sed anima Christi est omnino perfecta per hoc, quod omnis ejus potentialitas est reducta ad actum, ut dictum est quæst 9. art. 1. Ergo anima Christi cognovit omnia per scientiam infusam, excepta divina essentia.

Maior prob. Nam in anima humana, sicut et in qualibet alia creatura, con-

sideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad agens primum; quod agens potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale, et hæc consuevit vocari potentia obedientiæ in creatura. Secundum priorem potentiam anima est in potentia ad omnia cognoscibilia per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt quæcumque pertinent ad scientias humanas; per potentiam vero obedientialem respicit anima humana omnia, quæ per divinam revelationem hominibus innotescunt; sive pertineant ad donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcumque aliud donum Spiritus Sancti. Anima igitur, quæ reducitur ad actum, quantum ad omnem ejus potentialitatem, cognoscit omnia, excepta divina essentia, ad cujus cognitionem anima per solam scientiam beatam pervenit, ut de anima Christi dictum est quæst. præced. art. 1.

Cum igitur anima Christi sit reducta ad actum quoad utramque ejus potentialitatem, sequitur, quod omnia per scientiam inditam cognoverit, divina essentia excepta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod in anima humana, sive in ejus possibili intellectu consideratur duplex potentialitas, ut dictum est in corpore, scilicet naturalis, et obedientialis, et secundum hanc duplicem potentialitatem, duplici perfectione perfici potest, scilicet perfectione respondente potentiæ naturali, et perfectione respondente potentiæ obedientiali. Maior igitur est vera de cognitione respondente tantum potentiæ naturali intellectus, non autem de perfectione respondente potentiæ obedientiali. Et ad minorem dicitur, quod scientia indita respondet etiam potentiæ obedientiali animæ Christi, et ideo per hanc notitiam omnia cognoscit, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur antecedens. Christus enim secundum hanc scientiam inditam etiam substantias separatas cognovit. Ad cujus probationem negatur antecedens. Pertinet enim ad perfectionem animæ humanæ, etiam cognitio substantiarum separatarum, quas etsi non possit in hac vita cognoscere, cum in statu hujus vitæ sit quodammodo ad corpus obligata, et per hoc sine phantasmate intelligere non possit; tamen post statum hujus vitæ, anima separata poterit aliqualiter substantias separatas per seipsam cognoscere, ut dictum est 1. p. quæst. 89. art. 1. Et hoc præcipue manifestum est circa animas beatorum. Christus autem ante passionem, non solum fuit viator, sed etiam comprehensor, et ideo anima ejus poterat cognoscere substantias separatas per modum quo eas cognoscit anima separata. Ad prob. autem hujus antecedentis negatur consequentia; non enim est eadem ratio de potentia visiva corporali respectu colorum, et de intellectu respectu phantasmatum, ut alias dictum est.

Ad 3. Negatur antecedens. Cognovit enim Christus etiam singularia. Ad prob. dicitur quod etsi cognitio singularium non pertineat ad perfectionem animæ intellectivæ, secundum cognitionem speculativam, pertinet tamen ad perfectionem ejus secundum cognitionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium in quibus est operatio, ut dicitur 6. Ethic. cap. 7. Unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, et providentia futurorum, ut Tull. dicit in 2. Rhetor. Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiæ secundum donum consilii, consequens est quod cognoverit omnia singularia, præsentia, præterita, et futura.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus potuerit uti scientia indita, non convertendo se ad phantasmata.*

*Pro negativa.* ==Videtur, quod ani-

ma Christi non potuerit uti scientia indita, non convertendo se ad phantasmata.

1. Potentia visiva corporalis Christi non potuit exire in actum, nisi convertendo se ad colores. Ergo neque intellectus animæ Christi potuit aliquid intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata.

Consequentia prob., quia phantasmata comparantur ad humanum intellectum, sicut colores ad visum, ut dicitur 3. de anima.

2. Anima, quæ est ejusdem naturæ cum animabus nostris, non potest intelligere non convertendo se ad phantasmata. Sed anima Christi est ejusdem naturæ cum animabus nostris. Ergo anima Christi non potest intelligere, non convertendo se ad phantasmata.

Maior prob., quia anima nostra non potest intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata.

Minor prob., quia si anima Christi non esset ejusdem naturæ cum animabus nostris, sequeretur, quod Christus non esset ejusdem speciei nobiscum, quod est contra id, quod Apost. dicit ad Philip. 2. de Christo loquens: *in similitudinem hominum factus.*

3. Si anima Christi intelligere potuit absque conversione ad phantasmata, quæ per sensus accipiuntur, sequeretur, quod frustra fuissent sensus in anima Christi, quod est inconveniens.

Consequentia prob., quia sensus dati sunt homini, ut deserviant intellectui.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Anima Christi cognovit quædam, quæ per phantasmata cognosci non possunt, scilicet substantias separatas, sicut dictum est art. præcedenti. Ergo anima Christi per scientiam inditam poterat intelligere, non convertendo se ad phantasmata.

*Determinatio.*

Conclusio. Anima Christi potuit uti scientia indita, non convertendo se ad phantasmata.

Prob. Anima quæ nullo modo subditur, aut obligatur suo corpori, potest intelligere, et uti scientia sibi indita, non convertendo se ad phantasmata. Sed anima Christi nullo modo subdebatur, aut obligabatur corpori. Ergo Christus poterat uti scientia sibi indita, non convertendo se ad phantasmata.

Maior prob., quia anima hominis ex hoc indiget ad phantasmata converti, quia est corpori obligata, et quodammodo ei subjecta, et ab eo dependens. Unde anima, quæ nullo modo corpori obligatur, non indiget converti ad phantasmata in sua intellectione.

Minor prob. Anima ejus, qui habet conditiones comprehensoris, non est suo corpori obligata, aut ab eo dependens in sua operatione. Sed Christus habebat conditiones comprehensoris. Ergo anima Christi non erat suo corpori obligata quasi ab ipso in operando dependens.

Maior hujus prob., quia hæc est una conditio animæ comprehensoris, ut nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter corpori dominetur. Unde et post resurrectionem ex anima gloria redundabit ad corpus.

Minor hujus prob., quia Christus in statu ante passionem fuit simul viator et comprehensor, ut magis patebit infra quæst. 15. art. 10. Unde habuit conditiones viatoris et comprehensoris. Conditiones viatoris habuit, præcipue ex parte corporis, in quantum erat passibile; conditiones vero comprehensoris maxime habuit ex parte animæ intellectivæ, inter quas illa una est quod anima non subjiciatur corpori, ut immediate supra dictum est. Et ideo animæ beatæ, et ante resurrectionem, et post possunt intelligere sine conversione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprehensoris, ut etiam nunc dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. consequentia. Ad prob. dicitur quod similitudo illa, quam Phil. ponit inter colorem et phantasmata, non attenditur quantum ad omnia, sed solum quantum ad aliquid. Ad cujus evidentiam est considerandum quod ad hoc quod intellectus intelligere possit in actu, tria requiruntur, scilicet objectum intelligibile, species repræsentans objectum, et phantasma á quo abstrahitur species repræsentans objectum intelligibile: objectum est quod intelligitur; species est qua intelligitur objectum; et phantasma est, in quo per illustrationem intellectus agentis apparet natura communis, cujus species recipitur in intellectu possibili. Hæc autem tria non eodem modo requiruntur ad intellectionem: objectum enim est finis, seu terminus ipsius intellectionis, species vero est qua intellectus fit in actu. Et quia intellectus impossibile est ut intelligat, nisi fiat in actu, et intellectio necessario requirit suum terminum; ideo semper hæc duo sunt necessaria intellectui ad intelligendum. Phantasma autem requiritur solum respectu intellectus, cujus objectum est quidditas rei materialis. Et quia objectum intellectus hominis dum est corpori conjunctus, in statu præsenti est natura in materia existens, ut in 1. p. quæst. 85. abunde dictum est; ideo phantasma non est semper necessarium ad intellectionem, sed tantum in præsenti statu, et propterea in statu beatitudinis non erunt necessaria phantasmata ad intelligendum. Similitudo igitur coloris, et phantasmatis tenet quantum ad hoc quod sicut ad visionem requiritur color, ita ad intellectionem in hoc statu requiritur phantasma; non autem quoad omnia, quia color est objectum visus, terminus visionis et finis videntis; et ideo nullo modo fit visio sine colore. Phantasma autem non est objectum intellectus, sed id in quo relucet natura, quæ est objectum intellectus, per illustrationem intellectus agentis: unde phantasma non est semper necessarium, sed solum in statu præsenti. Et quia anima Christi erat in statu beatitudinis, propterea poterat intelligere, et uti scientia infusa, non convertendo se ad phantasmata.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod licet anima Christi fuerit ejusdem naturæ cum animabus nostris; habuit tamen aliquem statum, quem animæ nostræ non habent nunc in re, sed tantum in spe, scilicet statum comprehensoris: et formalius dicitur ad maiorem, quod est vera de anima, quæ est ejusdem naturæ, et ejusdem status cum animabus nostris; si autem sit ejusdem naturæ, sed diversi status, est falsa: et ad minorem dicitur, quod anima Christi erat quidem ejusdem naturæ cum animabus nostris, sed in alio statu existens.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur dupliciter. Primo quod etsi Christus posset uti hac scientia non convertendo se ad phantasmata; poterat tamen intelligere etiam convertendo se ad phantasmata: et ideo sensus non fuerunt frustra assumpti. Dicitur secundo quod sensus non solum dantur homini ad scientiam acquirendam, sed etiam ad necessitatem vitæ animalis; et ideo dato quod Christus non uteretur sensibus ad intelligendum, utebatur tamen eis ad alias operationes animalis vitæ, puta oculis ad videndum noxia, vel utilia naturæ, et similiter de aliis sensibus.

## ARTICULUS III.

### *Utrum scientia indita animæ Christi fuerit collativa.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non habuerit hanc scientiam per modum collationis.

1. *In Christo non dicimus consilium, neque electionem,* ut Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. cap. 14. Ergo in Christo nec fuit scientia collativa, vel discursiva.

Conseq. prob., quia consilium et electio non removentur á Christo, nisi in

quantum important collationem et discursum.

2. In eo qui omnia cognovit, non est scientia discursiva vel collativa. Sed anima Christi cognovit omnia, ut dictum est quæst. præc. art. 2. Ergo in Christo non fuit scientia collativa, vel discursiva.

Maior prob., quia homo indiget collatione, et discursu rationis ad inquirendam scientiam eorum, quæ ignorat.

3. In eo cujus scientia se habet per modum comprehensorum, non est scientia discursiva vel collativa. Sed scientia animæ Christi se habuit per modum comprehensorum. Ergo anima Christi non habuit scientiam collativam vel discursivam.

Maior prob., quia scientia quæ habet modum comprehensorum, assimilatur scientiæ angelorum, quibus comprehensores assimilantur, ut dicitur Matth. 22. in quibus non est scientia discursiva vel collativa, ut dicit Dion. 7. cap. de div. nom.

Minor patet. Quia Christus erat comprehensor, ut dictum est.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus habuit animam rationalem, ut dictum est qu. 5. art. 3. Ergo in Christo fuit scientia collativa.

Conseq. prob., quia propria operatio animæ rationalis est conferre et discurrere de uno in aliud.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliqua scientia potest esse discursiva, vel collativa dupliciter. Uno modo quantum ad acquisitionem, sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum unum per aliud, sicut effectus per causas, vel é converso. Alio modo quantum ad usum, sicut interdum scientes, ex causis concludunt effectus, non ut de novo addiscant, sed volentes uti scientia quam jam habent.

1.ª Conclusio. Scientia animæ Christi non fuit collativa, seu discursiva quantum ad acquisitionem.

Probat. Quia scientia de qua nunc loquimur fuit Christo divinitus infusa, et non per investigationem rationis acquisita.

2.ª Conclusio. Scientia animæ Christi poterat esse collativa, seu discursiva quantum ad usum.

Prob. Quia Christus poterat ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat. Unde Matth. 17. cum Dominus quæsisset á Petro, á quibus reges terræ tributum acciperent, á filiis suis, an ab alienis, Petro respondente, quod ab alienis, conclusit: *ergo liberi sunt filii.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod consilium et electio non excluduntur á Christo in quantum important collationem, sed quia consilium est cum dubitatione, et per consequens electio, quæ in sui ratione consilium includit, cum dubitatione est. Et quia in Christo non fuit dubitatio, ideo removentur ab eo consilium et electio; non tamen á Christo excluditur usus consiliandi.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod in eo qui omnia novit, non est scientia collativa quantum ad acquisitionem; potest tamen esse scientia collativa quantum ad usum.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod etsi beati conformentur angelis, quantum ad dona gratiarum; manet tamen inter eos differentia, quæ est secundum naturam, et quia uti collatione, et discursu est connaturale animæ humanæ, ideo talis usus remanet in beatis, non tamen convenit angelis, qui non intelligunt cum discursu.

## ARTICULUS IV.

*Utrum scientia indita in Christo fuerit maior, scientia angelorum.*

*Pro negativa*=Videtur, quod scientia hæc in Christo non fuerit maior quam in angelis.

1. Scientia quæ est perfectiva animæ

humanæ, non est maior scientia angelorum. Sed scientia indita animæ Christi est perfectiva animæ Christi, quæ est anima humana. Ergo scientia indita animæ Christi non est maior scientia angelorum.

Maior prob. Anima humana secundum ordinem naturæ, est infra naturam angelicam. Ergo perfectio animæ humanæ est infra perfectionem angelicam.

Conseq. prob., quia perfectio proportionatur perfectibili.

2. Scientia quæ est aliquo modo collativa et discursiva, non est maior scientia angelorum, quæ nullo modo est collativa et discursiva. Sed scientia animæ Christi est aliquo modo collativa et discursiva, ut artic. præced. dictum est. Ergo scientia indita animæ Christi non est maior scientia angelorum.

3. Scientia quæ est maior scientia angelorum, est immaterialior scientia angelorum. Sed scientia animæ Christi non est immaterialior scientia angelorum. Ergo scientia animæ Christi non est maior, quam scientia angelorum.

Maior prob., quia quanto aliqua scientia est immaterialior, tanto est potior.

Minor probat., quia anima Christi est actus corporis, et habet conversionem ad phantasmata: quod de angelis dici non potest.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus est minoratus ab angelis, propter solam passionem. Ergo Christus non est minoratus ab angelis in scientia.

Anteced. prob., quia Apostolus dicit Heb. 2. *Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Scientia indita animæ Christi potest dupliciter considerari. Uno modo secundum id quod habuit á causa influente. Alio modo secundum id quod habuit á subjecto recipiente.

1.ª Conclusio. Scientia animæ Christi indita, fuit multo excellentior, quam scientia angelorum secundum id quod habuit á causa influente, scilicet quantum ad multitudinem cognitorum, et quantum ad scientiæ certitudinem.

Prob. Quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius quam lumen, quod pertinet ad naturam angelicam.

2.ª Conclusio. Scientia indita animæ Christi est inferior scientia angelorum quantum ad id quod habuit ex subjecto recipiente, scilicet quantum ad modum cognoscendi

Prob. Quia modus cognoscendi naturalis animæ humanæ, est per conversionem ad phantasmata, et per collationem et discursum, qui modus non invenitur in angelis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod scientia quæ est perfectiva humanæ animæ non est perfectior scientia angelorum, quantum ad modum cognoscendi; potest tamen esse maior, quantum ad id quod habet ex parte influentis, ut dictum est in corpore.

Ad 2. Similiter dicitur ad maiorem, quod est vera de perfectione scientiæ, quantum ad modum sciendi; potest tamen esse falsa de perfectione scientiæ quantum ad multitudinem scitorum et certitudinem.

Ad 3. Etiam dicitur ad maiorem, quod scientia quæ est omnibus modis perfectior scientia angelorum, est immaterialior; si vero aliqua scientia sit perfectior solum, quantum ad id quod habet ex parte influentis, potest esse perfectior scientia angelorum, non obstante minori immaterialitate. Hæc igitur argumenta probant secundum conclusionem.

## ARTICULUS V.

*Utrum scientia indita animæ Christi fuerit habitualis.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit scientia habitualis.

1. In eo quem decet maxima perfectio scientiæ, non est scientia habitualis. Sed animam Christi decebat maxima perfectio scientiæ, ut dictum est qu. 9. artic. 1. Ergo in anima Christi non fuit habitualis scientia.

Maior prob., quia maior est perfectio scientiæ existentis in actu, quam existentis in potentia, vel in habitu.

2. In eo qui cognoscit infinita, non ponitur scientia habitualis. Sed anima Christi infinita novit, ut dictum est quæst. præced. art. 2. Ergo in Christo non fuit scientia habitualis.

Maior prob., quia in eo qui cognoscit infinita, frustra esset scientia habitualis; et hoc ostenditur quia scientia habitualis, quæ numquam potest reduci ad actum, est frustra; de ratione enim habitus est quod reducatur ad actum. Unde si non reducatur ad actum, est frustra. Sed in eo qui cognoscit infinita, non potest habitualis scientia reduci ad actum, non enim potest omnia á se cognita, unum post aliud considerare, cum hoc esset numerare infinita. Ergo in eo qui cognoscit infinita, frustra ponitur scientia habitualis.

3. Si in anima Christi fuisset aliquis habitus scientiæ creatus, sequeretur quod aliquid creatum esset nobilius, quam anima Christi, quod est falsum.

Conseq. prob. Perfectio est nobilior perfectibili; sed scientia habitualis est quædam perfectio scientis. Ergo scientia habitualis est perfectior et nobilior sciente: ac per hoc, si in anima Christi esset scientia habitualis, hujusmodi scientia esset nobilior ipsa anima Christi.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Scientia nostra est in genere habitus. Sed scientia Christi, de qua nunc loquimur, univoca fuit scientiæ nostræ, sicut et anima ejus fuit unius speciei cum anima nostra. Ergo scientia Christi est habitualis.

*Determinatio.*

Conclusio. Scientia indita animæ Christi fuit habitualis, et poterat ea uti quando volebat.

Prob. Scientia quæ est conveniens naturali modo intelligendi animæ humanæ, est habitualis. Sed scientia indita animæ Christi est conveniens naturali modo intelligendi animæ humanæ. Ergo scientia indita animæ Christi est habitualis.

Maior prob., quia hic modus est connaturalis animæ humanæ, ut quandoque sit intelligens actu, quandoque in potentia; medium autem inter puram potentiam, et actum completum est habitus, et quia medium, et extrema sunt ejusdem generis, sequitur quod habitus sit etiam naturalis humanæ animæ, ac per hoc scientia conveniens naturali modo intelligendi humanæ animæ, est habitualis.

Minor prob., quia ut dictum est artic. præced. modus hujus scientiæ animæ Christi fuit conveniens ipsi subjecto recipienti, scilicet ipsi animæ Christi. Et hoc quia receptum est in recipiente per modum recipientis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod cognitio potest dici perfectissima dupliciter. Uno modo simpliciter; et hæc est quæ semper est in actu, qualis est cognitio qua videtur divina essentia, et alia in ipsa, et hæc est supra naturam animæ humanæ, et non potest esse habitualis. Alio modo dicitur aliqua notitia perfecta in suo genere, scilicet in genere cognitionis proportionatæ modo cognoscendi animæ humanæ, et hæc potest esse habitualis. Et hæc duplex cognitio fuit in anima Christi, et utraque fuit suo modo perfectissima. Fuit enim in Christo cognitio excedens modum na-

turæ humanæ, qua videbat Deum per essentiam, et alia á Deo in ipsa essentia divina, et hæc fuit perfectissima simpliciter, et non fuit habitualis, sed actualis, respectu omnium quæ hoc modo cognovit. Alia cognitio fuit in Christo secundum modum próportionatum humanæ naturæ, prout scilicet cognovit res per species sibi inditas, de qua cognitione nunc loquimur. Et hæc cognitio non fuit simpliciter perfectissima, sed perfectissima in genere humanæ cognitionis; unde non oportuit ut esset semper in actu.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem, negatur assumptum: non enim frustra ponitur habitualis scientia in eo qui infinita cognoscit. Ad cujus prob. negatur minor: potest enim hujusmodi scientia reduci ad actum, non quidem respectu omnium simul, sed secundum quod convenit loco, et tempori et debito finiti. Habitus enim reducitur ad actum ad imperium voluntatis: nam habitus est, quo quis agit cum voluerit. Voluntas autem indeterminate se habet ad infinita. Nec tamen hoc est frustra, licet non tendat in omnia actualiter, dummodo tendat actualiter in id, quod convenit loco et tempori. Et ideo etiam habitus non est frustra, licet non reducantur in actum ea quæ subjacent habitui, dummodo reducatur in actum id, quod congruit debito fini voluntatis, secundum exigentiam temporis et negotiorum.

Ad 3. dicitur, quod aliquid potest esse nobilius, sive perfectius altero dupliciter. Uno modo simpliciter: alio modo secundum quid. Manifestatur hæc distinctio. Nam bonum, sicut etiam ens dicitur dupliciter: uno modo simpliciter, et sic bonum et ens, dicitur substantia quæ in suo esse, et in sua bonitate subsistit; alio modo dicitur ens et bonum secundum quid, et hoc modo accidens potest dici ens et bonum; non quia ipsum habeat esse et bonitatem, sed quia ejus subjectum est ens et bonum. Sic igitur scientia habitualis potest dici perfectior, et nobilior anima Christi, non simpliciter, sed secundum quid, cum tota bonitas habitualis scientiæ cedat in bonitatem subjecti. Si igitur sit sermo de bonitate, seu perfectione simpliciter, negatur conseq. et ad prob. dicitur, quod perfectio accidentalis est nobilior perfectibili substantiali secundum quid. Si sermo sit de perfectione secundum quid, conceditur conseq. et negatur falsitas consequentis: non enim inconvenit aliquam creaturam esse perfectiorem anima Christi secundum quid.

## ARTICULUS VI.

*Utrum scientia indita animæ Christi fuerit distincta per diversos habitus.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in anima Christi non fuerit nisi unus habitus scientiæ.

1. Scientia perfectissima excedens scientiam angelorum, non est distincta per diversos habitus. Sed scientia animæ Christi fuit perfectissima, excedens scientiam angelorum. Ergo scientia animæ Christi non fuit distincta per diversos habitus.

Maior prob., quia quanto aliqua scientia est perfectior, tanto est magis unita; unde et angeli superiores per formas magis universales cognoscunt, ut dictum est 1. p. qu. 55. art. 3.

2. Scientia á qua derivatur fides nostra, est tantum una, et non distincta per diversos habitus. Sed á scientia Christi derivatur fides nostra. Ergo scientia Christi est tantum una, et non distincta per diversos habitus.

Maior prob., quia unus est habitus fidei de omnibus credibilibus, ut dictum est 2. 2. q. 4. art. 6.

Minor prob., quia ad Hebr. 12. dicitur: *aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.*

3. In eo, qui omnia cognoscit secundum unam rationem, est tantum unus habitus scientiæ. Sed anima Christi cognoscit omnia secundum unam rationem,

scilicet secundum lumen divinitus infusum. Ergo in Christo fuit tantum unus habitus scientiæ.

Maior prob., quia scientiæ distinguuntur secundum diversas rationes scibilium.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Zachariæ 3. Dicitur: *super lapidem unum sunt septem oculi.* Ergo in Christo fuerunt diversi habitus scientiæ.

Conseq. prob., quia per lapidem significatur Christus, et per oculum scientia.

*Determinatio.*

Conclusio. Scientia indita animæ Christi fuit distincta secundum diversos habitus.

Prob. Scientia quæ habet modum connaturalem animæ humanæ, est distincta per diversos habitus. Sed scientia indita animæ Christi, habuit modum connaturalem animæ humanæ, ut artic. 4. dictum est. Ergo scientia indita animæ Christi est distincta per diversos habitus.

Maior probatur, quia est connaturale animæ humanæ, ut recipiat species in minori universalitate, quam angeli, ita scilicet, quod diversas naturas specificas per diversas species intelligibiles cognoscat; ex quo contingit, quod in nobis sint diversi habitus scientiarum, quia, inquam, sunt diversa scibilium genera, in quantum ea quæ reducuntur in unum genus, eodem habitu scientiæ cognoscuntur, sicut dicitur 1. post. tex. 44. quod *una scientia est, quæ est unius generis subjecti.* Est igitur connaturalis modus cognoscendi animæ humanæ, ut diversa genera cognoscibilium per diversas species, ac per hoc per diversos habitus cognoscat. Unde habens modum cognoscendi connaturalem animæ humanæ, habet scientiam distinctam per diversos habitus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod maior est vera de scientia perfectissima simpliciter, quæ omnibus modis excedat scientiam angelicam; non autem est vera de cognitione perfectissima tantum in genere, scilicet inter humanas cognitiones. Tunc ad minorem dicitur, quod (sicut dictum est art. 4.) scientia animæ Christi est perfectissima, et excedens angelorum scientiam, quantum ad id, quod consideratur in ea ex parte Dei influentis; est tamen infra scientiam angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad hujusmodi modum pertinet, quod scientia illa per multos habitus distinguatur, quasi per species magis particulares existens.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod fides non derivatur á scientia indita Christi, sed á scientia divina, quæ est simpliciter una. Fides enim innititur primæ veritati. Unde Christus est auctor fidei nostræ, non secundum inditam, sed secundum divinam scientiam. Et formalius negatur minor de scientia indita. Et ad prob. dicitur, quod Christus est auctor fidei, secundum scientiam divinam.

Ad 3. Dicitur, quod ratio cognoscendi est duplex. Una est ratio sub qua: et hoc modo lumen, sub quo res videtur, est ratio videndi. Alia est ratio in qua: et sic species dicitur ratio, in qua repræsentatur res cognoscibilis. Ad maiorem dicitur, quod est vera de eo qui cognoscit plura sub una ratione in qua, non autem de eo qui cognoscit plura sub una ratione tantum sub qua. Tunc dicitur ad minorem, quod lumen divinitus infusum est communis ratio, sub qua intelliguntur ea quæ divinitus revelantur, sicut et lumen intellectus agentis eorum quæ naturaliter cognoscuntur, quæ unitas rationis sub qua, idest luminis, non sufficit ad constituendam unitatem habitus scientiæ. Sed cum hoc requiritur unitas rationis, in qua cognita repræsentatur quæ est species. Et quia in anima Christi oportuit esse species singularium rerum, ut singula propria cognitione cognosceret, propterea ejus scientia indita fuit distincta per diversos habitus.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

### EX PRÆCED. 11.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus per inditam scientiam cognovit omnia. Ut per dictum Isaiæ 11. Quod, scilicet, *replevit eum*, etc. secundum quod cum discursu declaratorio est *in arg. cont.* Item á Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri*, etc. ut qu. 9. art. 3. app. Et á similibus ibi dictis. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod anima Christi per scientiam infusam potuit intelligere sine conversione ad phantasmata. Ut Isa. 11. per ly *replevit eum spiritus sapientiæ, et intellectus*. Per hoc enim denotatur: quod in homine Christo, qui flos ab Isaia ibi vocatur, fuit cognitio et divinorum, et aliorum immaterialium; quoniam ad sapientiam pertinet cognoscere divina: ad intellectum autem immaterialia, ut dicitur art. 1. *arg. cont.* Immaterialia vero connotant substantias separatas: 1. quæst. 50. art. 1. 2. Cognoscit ergo Christi anima substantias separatas secundum seipsas, juxta propbetiam illam: et consequenter cognoscere potuit etiam ab instanti conceptionis Christi (hoc enim instans sub nomine floris de radice ascendentis innuit Isaias) non convertendo se ad phantasmata. Substantiæ siquidem separatæ secundum seipsas cognosci non possunt per phantasmata, P. P. qu. 88. art. 2. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scipturis. et á Conc. insinuatum, quod scientia indita animæ Christi fuit discursiva. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Philip. 2. *In similitudinem hominum factus.* Hoc est, similis hominibus in specie, idest ejusdem speciei cum hominibus. Quod tamquam exponens Beatus Athanas. in symbolo suo dixit: quod « Christus est perfectus homo ex anima rationali, et humana carne subsistens. » Rationalis enim animæ est ratiocinari, idest intelligendo discurrere. 1. qu. 79. ar. 8. et propterea Apostolus, per ly *in similitudinem hominum factus* ponit discursum scientiæ in Christo. A Conciliis autem per hoc, quod Concilium *Florentinum* referens Concilia Generalia quartum, quintum, sextum, eis consentit dicentibus. " Sequentes sanctos Patres consonanter omnes docemus; Dominum nostrum Jesum Christum ex anima rationali, et corpore secundum humanitatem per omnia nobis similem absque peccato. » Hæc in constit. Concilii Florentini super unione Armenorum. Quia ergo Christus, secundum quod homo, est per omnia similis hominibus absque peccato, et scientia hominum est discursiva, 1. q. 14 a. 7. et qu. 85. art. 5. ideo ex illis verbis Concilia scholasticis perspicacibus concludendum reliquerunt; quod scientia Christi humana, licet infusa, fuit discursiva, secundum quod ei placebat. Quod infusum esse non tollat á scientia, quod sit humana, vide 1. qu. 94. art. 3. Dixi ly *secundum quod ei placebat*, quia Christus poterat discurrere, et non discurrere, secundum scripturam illam, sicut et secundum eamdem poterat intelligere cum conversione, et sine conversione ad phantasmata, art. 2. Hoc enim, vel illo modo intelligere non facit quod Christus secundum humanitatem non sit similis nobis: ut consideranti patet ex dictis art. 2. ad 2. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod scientia indita animæ Christi fuit excellentior, quam Angelorum. Ut per hoc, quod dicitur Hebr. 2. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Pro cujus captu meliori vide q. 7. a. 8. arg. 3. cointelligendo, quod Christus, secundum quod homo, est caput Angelorum, q. 8. ar. 4. Quæ loca citata aperte intentum sensus eorum penetrantibus indicant. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum: quod scientia indita animæ Christi fuit habitualis. Ut per hoc, quod dicitur Hebr. *Debuit per omnia fratribus assimilari.* His enim verbis, ad propositum scholastice loquendo, innuitur ab Apostolo, quod scientia prædicta Christi fuit univoca scientiæ nostræ; alioquin non esset similis per omnia. Cum ergo scientia

nostra sit in genere habitus, idest habitualis, et Christi scientia talis fuit secundum Apostolum habitualis. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod scientia animæ Christi indita fuit distincta per diversos habitus. Ut per hoc, quod dicitur Zach. 3. etc. ut ponitur cum expositione *in arg. cont.* Item per ly *debuit per*, etc. Hebr. 2. ut in art. 5. append. Si enim scientia Christi cum nostra est per omnia similis, idest, unius rationis, sequitur ex Apostolo; quod, cum scientia nostra sit secundum diversos habitus, et illa Christi similiter sit. Juvabit item ad hunc locum videre art. 3. append. quod scilicet ejusdem specificæ naturæ est anima Christi cum nostra. Ex hoc namque ad propositum scientiæ sic pro conditione subjecti modificatæ discurrere facile est. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA SECUNDA,

### DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI ACQUISITA, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de scientia Christi acquisita, vel experimentali.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum secundum hanc scientiam cognoverit omnia.

Secundo, utrum in hac scientia profecerit.

Tertio, utrum aliquid ab homine didicerit.

Quarto, utrum acceperit aliquid ab Angelis.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus secundum scientiam acquisitam cognoverit omnia.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus, secundum scientiam acquisitam, non cognoverit omnia.

1. Ille qui per scientiam acquisitam omnia cognoscit, omnia est expertus. Sed Christus non omnia fuit expertus. Ergo Christus secundum scientiam acquisitam non cognovit omnia.

Maior prob., quia hujusmodi scientia per experientiam acquiritur.

2. Sensibus corporalibus Christi non fuerunt omnia sensibilia subjecta. Ergo Christus non cognovit omnia per scientiam acquisitam.

Conseq. prob., quia homo acquirit scientiam per sensum.

3. Si Christus secundum scientiam acquisitam omnia scivisset, sequeretur, quod in eo scientia acquisita esset æqualis scientiæ infusæ et scientiæ beatæ, quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia quantitas scientiæ attenditur secundum scibilia. Si igitur omnia per hanc scientiam cognoscit, sicut per illas, esset eis æqualis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Si Christus per scientiam acquisitam non cognovisset omnia, sequeretur, quod in anima Christi fuisset aliquid imperfectum; quod est falsum. Ergo Christus secundum scientiam acquisitam cognovit omnia.

Conseq. prob., quia si Christus secundum hanc scientiam non cognovisset omnia, fuisset hæc scientia imperfecta; est enim imperfectum omne id, cui potest fieri additio: posset autem fieri additio huic scientiæ, si non cognoscerentur per ipsam omnia.

Falsitas prob., quia nihil imperfectum fuit in Christo, quantum ad animam.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus per scientiam acquisitam scivit omnia illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis.

Prob. Per scientiam quæ ponitur in

in anima Christi propter convenientiam intellectus agentis, ne ejus actio, quæ est facere intelligibilia in actu, sit otiosa, cognoscit Christus omnia, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis. Sed scientia acquisita ponitur in anima Christi, ut dictum est quæst. 9. art. 4. propter convenientiam intellectus agentis, ne ejus actio sit otiosa, sicut et scientia indita ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus possibilis, ut dictum est q. 9. art. 4. Ergo Christus per scientiam acquisitam cognovit omnia illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis, sicut per scientiam inditam scivit omnia ad quæ intellectus possibilis est quocumque modo in potentia.

Maior prob., quia intellectus agens est, quo est omnia facere, sicut intellectus possibilis est, quo est omnia fieri, ut dicitur in 3. de anima t. 18. Sicut igitur per scientiam inditam, quæ ponitur in Christo, propter perfectionem intellectus possibilis, cognovit Christus omnia, ad quæ intellectus possibilis est quocumque modo in potentia, ita per scientiam acquisitam, quæ ponitur in anima Christi, propter operationem intellectus agentis, cognovit Christus omnia, quæ possunt per operationem intellectus agentis cognosci.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad hoc enim, quod aliquis per scientiam acquisitam omnia cognoscat, non est necesse, quod omnia sit expertus; sed sufficit ut sit expertus aliqua, ex quorum experientia possit in omnium aliorum notitiam pervenire. Ad prob. dicitur, quod scientia rerum acquiri potest, non solum per experientiam ipsarum rerum, sed etiam per experientiam quarumdam aliarum rerum, cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, et causas per effectus, et similia per similia, et contraria per contraria. Sic igitur licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen quæ expertus est, in omnium devenit notitiam.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subjecta omnia sensibilia, fuerunt tamen sensibus ejus subjecta aliqua sensibilia, ex quibus, propter excellentissimam vim rationis ejus, potuit in aliorum notitiam devenire per modum dictum in præced. responsione. Sicut videndo aliquos effectus corporum cœlestium, potuit comprehendere eorum virtutes, et effectus, quos habent in istis inferioribus qui ejus sensibus non subjacebant; et eadem ratione ex quibuscumque aliis in aliorum notitiam potuit devenire.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognovit omnia, sed illa omnia quæ per lumen intellectus agentis homini sunt cognoscibilia. Unde per hanc scientiam non cognovit essentiam substantiarum separatarum, nec etiam singularia præterita, præsentia, et futura, quæ tamen cognovit per scientiam inditam, ut supra dictum est.

## ARTICULUS II.

### *Utrum Christus in scientia acquisita profecerit.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus secundum scientiam acquisitam non profecerit.

1. Christus secundum scientiam beatam et infusam non profecit. Ergo Christus nec secundum scientiam acquisitam profecit.

Conseq. probat., quia sicut Christus secundum scientiam beatam et inditam cognoscit omnia, propter quod in eis proficere non poterat, ita secundum scientiam acquisitam omnia cognovit, ut artic. præced. dictum est.

2. In eo qui potest in scientia proficere, est scientia imperfecta. Sed in Christo non est ponere scientiam imper-

fectam. Ergo Christus non potest in scientia proficere.

Maior prob., quia proficere est imperfecti, et non perfecti; perfectum enim additionem non recipit.

3. Non venerari unionem, quæ est secundum hypostasim in Christo, est impium. Sed *qui dicunt Christum proficere sapientia et gratia, ut additamentum sensus suscipientem, non venerantur unionem, quæ est secundum hypostasim*, ut Dam. dicit in 3. lib. ort. fid. cap. 22. Ergo dicere quod scientia Christi additamentum receperit per profectum est impium.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 2. dicitur, quod *Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Et Ambr. lib. de incar. dom. cap. 7. dicit quod *proficiebat secundum sapientiam humanam*, quæ est sapientia acquisita lumine intellectus agentis. Ergo Christus secundum scientiam acquisitam profecit.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Duplex est profectus scientiæ. Unus quidem secundum essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur. Alius est secundum effectum, puta si aliquis secundum eumdem, et æqualem scientiæ habitum primo minora aliis demonstret, et postea maiora et subtiliora.

2.ª *Distinctio.* Quadruplex scientia ponitur in Christo, scilicet divina, beata, infusa, et acquisita. Primas tres omnes concorditer posuerunt in Christo: scientiam vero acquisitam, quidam ab eo negaverunt, inter quos fuit olim etiam sanctissimus doctor in d. 14. 3. sent. artic. 3. quæst. 5. Hi enim posuerunt quod præter habitum scientiæ infusum, non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisitæ.

1.ª Conclusio. Christus profecit secundum effectum in omni scientia, et gratia, sicut et in ætate.

Prob. Quia Christus secundum augmentum ætatis opera maiora faciebat, quæ maiorem scientiam et gratiam demonstrabant.

2.ª Conclusio. Habitus scientiæ infusæ non fuit in Christo augmentatus. Et sub aliis verbis: Christus non profecit in scientia infusa profectu essentiali.

Prob. Quia Christo á principio fuit omnium scientia infusa.

3.ª Conclusio. Christus non profecit profectu essentiali in scientia beata.

Prob. Quia anima Christi fuit á principio perfecte beata.

4.ª Conclusio. Christus non profecit in scientia divina.

Prob. Quia scientia divina non potest augeri, ut probatum est 1. par. qu. 14. art. 15.

5.ª Conclusio. Si præter habitum scientiæ infusum, non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisitæ, ut quibusdam videtur, et olim auctori visum fuit, nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam.

Manifestatur, quia scientia divina beata, et infusa non possunt augeri secundum essentiam. Ergo si non datur aliquis habitus scientiæ acquisitæ in Christo, nulla scientia in Christo potest augeri secundum essentiam.

Sed quia huic positioni videbatur obstare auctoritas scripturæ inducta pro affirmativa, ex qua habetur quod Christus proficiebat sapientia humana, ut Ambr. dicit, dicunt quod scientia Christi profecit secundum experientiam, convertendo scilicet species intelligibiles inditas ad ea quæ de novo per sensum accepit. Sicut si alicui divinitus infunderetur scientia colorum vel saporum, et postea videret aliquem colorem, vel gustaret aliquem saporem, iste non proficeret in scientia colorum vel saporum secundum habitum, sed solum diceretur proficere per hoc quod species quas habet infusas, applicaret ad ea quæ per sensum accipit.

*Reprobatio positionis negantis á Christo scientiam acquisitam.*

Sed positio eorum qui negant á Christo habitum scientiæ acquisitæ, reprobatur per hoc quod stante hac positione sequeretur quod animæ Christi deesset naturalis actio intellectus agentis, ac per hoc frustra in Christo fuisset intellectus agens, quod est inconveniens. Consequentia probat., quia naturalis operatio intellectus agentis est abstrahere species intelligibiles á phantasmatibus, quam operationem intellectus agens Christi, stante dicta positione, habere non posset, cum jam species essent in intellectu per infusionem. Dicendum est igitur quod intellectus agens animæ Christi abstrahit species intelligibiles á phantasmatibus, ac per hoc præter habitum scientiæ infussum ponitur in Christo habitus scientiæ acquisitæ.

6.ª Conclusio. In scientia acquisita profecit secundum habitum.

Prob. Nam habitus scientiæ acquisitæ augetur per abstractionem specierum á phantasmatibus: unde cum intellectus agens animæ Christi posset abstrahere species á phantasmatibus, poterat habitus scientiæ acquisitæ augeri, per hoc scilicet quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas á phantasmatibus, poterat etiam alias, et alias abstrahere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod non est eadem ratio de scientia infusa et beata animæ Christi ex una parte, et de scientia acquisita ex altera. Scientia enim infusa, et beata fuerunt effectus virtutis infinitæ, qui potest simul totum operari, et ita in neutra scientia Christus profecit, sed á principio utramque perfecte habuit. Scientia autem acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed succesive. Et ideo secundum hanc scientiam Christus non á principio scivit omnia, sed paulatim, et post aliquod tempus, scilicet in perfecta ætate. Quod patet ex hoc quod evangelista simul dicit eum profecisse sapientia et ætate.

Ad 2. Dicitur quod scientia potest dici perfecta dupliciter. Uno modo simpliciter, et huic nulla potest fieri additio. Alio modo quod sit perfecta secundum tempus, et ætatem addiscentis, et huic potest fieri additio, sicut potest fieri additio ætati. Ad formam dicitur ad maiorem, quod in eo qui potest proficere, non est scientia perfecta simpliciter; potest tamen in eo esse scientia perfecta, secundum quod congruit ætati scientis. Tunc ad minorem dicitur, quod scientia acquisita in Christo semper fuit perfecta secundum tempus, id est secundum quod ætati congruebat; non tamen fuit semper perfecta simplicter, et secundum naturam, cum crescente ætate posset scientia augeri.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod verbum Dam. intelligitur quantum ad illos, qui dicunt simpliciter fuisse factam additionem scientiæ Christi, scilicet secundum quamcumque scientiam, et præcipue secundum infusam, quæ causatur in anima Christi ex unione ad Verbum; non autem intelligitur de augmento scientiæ quæ ex naturali agente causatur.

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus aliquid ab homine didicerit.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus aliquid ab hominibus didicerit.

1. Ille qui homines interrogat, et eis respondet, aliquid ab hominibus discit. Sed Christus homines interrogabat, eisque respondebat. Ergo Christus didicit aliquid ab hominibus.

Maior prob. Quia interrogare et respondere addiscentis est.

Minor prob. Quia Lucæ 2. dicitur, quod invenerunt Jesum parentes ejus in medio doctorum *interrogantem illos, et respondentem.*

2. Qui accipit scientiam á rebus sensibilibus, potest multo magis aliquid ab

hominibus discere. Sed Christus accipiebat scientiam experimentalem á rebus sensibilibus, ut art. præced. dictum est. Ergo multo magis potuit aliquid ab hominibus addiscere.

Maior probat., quia acquirere scientiam ab homine docente, videtur esse nobilius quam acquirere á rebus sensibilibus. In anima enim hominis docentis sunt species intelligibiles in actu, in rebus vero sensibilibus sunt species intelligibiles solum in potentia.

3. Christus secundum scientiam experimentalem, non omnia á principio scivit, ut dictum est art. præced. Ergo Christus potuit ab hominibus aliqua addiscere, quæ secundum hanc scientiam nesciebat.

Conseq. prob., quia cum quilibet audiens sermonem significativum alicujus possit addiscere, Christus poterat audire aliquid eorum, quæ nesciebat, ab homine, et per consequens poterat discere ab homine.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Præceptor omnium hominum non didicit aliquid ab homine. Sed Christus fuit præceptor omnium hominum. Ergo Christus nihil didicit ab homine.

Maior prob., quia præceptoris non est doceri, sed docere.

Minor prob., quia Isaiæ 55. dicitur. *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus nihil didicit ab homine.

Prob. Ille qui constitutus est á Deo caput Ecclesiæ, quinimmo omnium hominum, ut non solum pro seipso gratiam acciperet, sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis docerentur, non didicit aliquid ab aliquo homine. Sed Christus constitutus est á Deo caput Ecclesiæ, quinimmo omnium hominum. Ergo Christus non didicit aliquid ab aliquo homine.

Maior prob. Quia in quolibet genere id quod est primum movens non movetur, secundum illam speciem motus, sicut primum alterans non alteratur: ita et primum docens non debet doceri.

Minor prob. Et quod Christus sit caput Ecclesiæ, immo omnium hominum, habitum est supra qu. 8. art. 3. Quod vero Christus omnibus influat gratiam, habitum est etiam eadem qu. art. 1. et 2. Quod tandem Christus sit constitutus ad influendam doctrinam, ostenditur; quia Jo. 18. dicitur. « In hoc natus sum, « et ad hoc veni in mundum, ut testimo- « nium perhibeam veritati. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem. Quod sicut Origen. dicit super Luc. hom. 19. « Dominus interrogabat, non ut aliquid « addisceret, sed ut interrogans erudiret. « Ex uno quippe doctrinæ fonte manat « et interrogare, et respondere sapien- « ter. » Unde et ibidem in Evangelio sequitur quod « stupebant omnes, qui eum « audiebant, super prudentia, et respon- « sis ejus. » Vel formalius negatur maior: non enim semper qui interrogat homines, ad hoc interrogat ut discat. Et ad prob. negatur assumptum. Interrogare et respondere non est solum addiscentis, sed potest etiam esse docentis, et sic Christus interrogabat, ut Origenes dicit loc. cit.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. negatur assumptum, nobilius enim est acquirere scientiam immediate á rebus sensibilibus, quam ab homine. Ad cujus prob. dicitur quod ille qui addiscit ab homine, non accipit immediate scientiam á speciebus intelligibibus, quæ sunt in mente ipsius; sed mediantibus vocibus sensibilibus, tamquam signis intelligibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatæ sunt signa intellectualis scientiæ ipsius, ita creaturæ á Deo conditæ sunt signa sapientiæ ejus. Unde dicitur Eccles. 1. quod *Deus effudit sapientiam super omnia opera sua.* Sicut

igitur dignius est doceri á Deo quam ab homine, ita dignius est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod Jesus proficiebat scientia experimentali, sicut et ætate, ut dictum est art. præced. Sicut autem ætas opportuna requiritur ad hoc, quod homo accipiat scientiam per inventionem; ita etiam ad hoc ut accipiat scientiam per disciplinam; Dominus autem nihil fecit quod non congrueret ejus ætati, et ideo audiendis doctrinæ sermonibus non accomodavit auditum, nisi illo tempore, quo poterat etiam per viam experientiæ talem scientiæ gradum attigisse. Unde Greg. dicit Hom. 2. super Ezech. « duodecimo anno ætatis suæ interrogare dignatus est homines in terra; quia juxta rationis usum doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta.» Quando igitur Christus audivit aliquid ab homine, aut per ætatem conveniebat illud, quod audiebat, scire, aut non: si conveniebat illud scire per ætatem jam sciebat per inventionem; si non conveniebat, non accomodavit auditum sermonibus hominum. Si enim aliquis in secundo, vel tertio anno ætatis ostendisset Christo hominem esse risibilem, non accomodasset illi demonstrationi auditum; si vero hoc idem dixisset Christo in perfecta ætate, puta in duodecimo anno, jam ipse per inventionem scivisset, et sic numquam ab homine potuit doceri.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus aliquid acceperit ab angelis.*

*Pro affirmativa.* — Videtur, quod Christus acceperit scientiam ab angelis.

1. Ille qui confortatur ab angelo, accipit scientiam ab angelis. Sed Christus confortatus fuit ab angelo, ut dicitur Lucæ 22. Ergo Christus accepit scientiam ab angelis.

Maior prob., quia confortatio fit per verba confortativa docentis, secundum illud Job. 4. *Ecce docuisti plurimos, et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui.*

2. Dion. 4. cap. Cælest. Hierarch. dicit: « video enim quod et ipse Jesus « supercælestium substantiarum super- « substantialis substantia, ad nostram « intransmutabiliter veniens, obedienter « subjicitur patris, et Dei per angelos « formationibus. » Ergo videtur quod ipse Christus ordinationi legis divinæ subjici voluerit, per quam homines mediantibus angelis eruduntur.

3. Corpus Christi subjectum fuit impressioni cœlestium corporum. Ergo etiam ejus mens humana subjacebat illuminationibus supercœlestium spirituum.

Anteced. prob., quia Christus passus est calorem in æstate, et in hyeme frigus, sicut et alias humanas passiones.

Conseq, prob., quia sicut corpus humanum naturali ordine subjicitur corporibus cœlestibus, ita etiam humana mens angelicis mentibus.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Qui docet angelos, non docetur ab angelis. Sed Christus angelos docet. Ergo Christus non docetur ab angelis.

Maior prob., quia non est ejusdem docere, et doceri.

Minor prob., quia Dion. 7. cap. Cœl. Hierarch. dicit, quod « supremi angeli « ad ipsum Jesum quæstionem faciunt, « divinique illius operis, et pro nobis as- « sumptæ carnis scientiam discunt, et eos « ipse Jesus sine medio docet. »

*Determinatio.*

*Distinctio.* Anima humana duobus modis nata est perfici; uno modo per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus; alio modo per scientiam inditam.

Manifestatur hæc distinctio, quia anima est media inter spirituales substantias, et corporales, et ideo prout communicat cum spiritualibus substantiis, per-

ficitur per scientiam inditam, prout vero respicit res materiales, perficitur per scientiam acquisitam.

1.ª Conclusio. Anima Christi non accipit ab angelis scientiam experimentalem.

Probatur. Quia ad acquirendam hanc scientiam non requiritur lumen angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis.

2.ª Conclusio. Anima Christi non accepit ab angelis scientiam infusam.

Prob. Quia sicut supra communem modum creaturæ anima illa unita est Verbo in unitate personæ, ita supra communem modum hominum immediate ab ipso Dei Verbo repleta est scientia, et gratia: et non mediantibus angelis, qui etiam ex influentia Verbi rerum scientiam in sui principio acceperunt; sicut dicit August. 2. super Gen. ad lit. cap. 8.

Aliter formatur hæc littera.

Conclusio. Christus non accepit scientiam ab angelis.

Prob. Christus non accepit ab angelis scientiam acquisitam, quia ad hanc sufficit lumen intellectus agentis: nec scientiam infusam, quia anima Christi est unita Verbo Dei immediate. Ergo anima Christi non accepit scientiam ab angelis.

Consequentia prob., quia anima humana duobus modis nata est perfici, scilicet per acceptionem scientiæ acquisitæ, vel infusæ, ut in distinctione supra posita dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod illa confortatio angeli non fuit per modum instructionis; sed fuit ad demonstrandam proprietatem humanæ naturæ. Unde Beda dicit super Luc. «In documento utrius-«que naturæ, et angeli ei ministrasse, «et eum confortasse dicuntur: creator «enim omnium, creaturæ suæ non eguit «præsidio; sed homo factus, sicut prop-«ter nos tristis est, ita propter nos con-«fortatur,» ut scilicet in nobis fides incarnationis ejus confirmetur. Maior igitur non est universaliter vera; sed solum vera est de confortatione, quæ fit per modum instructionis.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Dion. dicit Christum fuisse formationibus angelicis subjectum, non ratione sui ipsius; sed ratione eorum quæ circa ejus incarnationem agebantur, et circa ministrationem ejus, in infantili ætate constitutam. Unde ibidem subdit, quod «per medios angelos, nuntiatur Joseph «á Patre dispensata Jesu ad Ægiptum «recessio, et rursum ad Judæam de «Ægypto traductio.» Christus igitur non subjiciebatur angelicis formationibus per hoc, quod reciperet ab eis scientiam; sed per hoc, quod per angelos revelebantur ea quæ circa ipsum infantem essent agenda.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod in Christo non est eadem ratio de anima, et de corpore, quoad hoc, quod est subjici substantiis spiritualibus, et corporibus cœlestibus. Filius enim Dei assumpsit corpus passibile, ut dicetur quæst. 14. art. 1., sed animam assumpsit perfectam scientia, et gratia; et ideo corpus ejus convenienter fuit subjectum impressioni cœlestium corporum, anima vero ejus non fuit subjecta impressioni cœlestium spirituum.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 12.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod anima Christi per scientiam acquisitam cognovit omnia. Ut per

hoc, quod dicitur Heb. 5. *Didicit ex his*, etc. ut sup. q. 9. a. 4. append. His enim Apostoli verbis monstratur, quod scientia per experientiam erat in anima Christi, tamquam ornatus ejus: scientia namque ornat animam, in qua est, atque ideo dicitur forma ejus, licet accidentalis, q. 11. a. 5. ad 3. Addatur ergo Apostolo dictum Gen. 2. *Perfecti sunt cœli, et terra, et omnis ornatus eorum*: et tunc manifeste videbitur ex scripturis intentum. Si enim omnis ornatus cœli, et terræ est perfectus, in quantum scilicet de requisitis nihil ei deest, sed omnia ad ornatum facientia sunt optime in genere suo disposita, 1. q. 25. ar. 5. ad 3. multo magis utique ornatus omnis animæ Christi, quæ cœlo, et terra simpliciter melior est, qu. 11. ar. 5. ad 3 debuit esse perfectus. Scientia ergo omnis in Christo existens fuit perfecta secundum scripturas, et consequenter scientia etiam acquisita. Fuisset autem imperfecta, si secundum eam ipsius anima non scivisset omnia, quoniam imperfectum est illud, cui potest in suo genere fieri additio (ut dicitur *in arg. cont.*) ergo per scientiam acquisitam anima illa novit tali scientia cognoscibilia. Testimonio itaque scripturarum qualibet scientia, tamquam ornatu suo, Christus fuit perfectus, idest, cognovit omnia: in genere tamen proportionaliter sibi conveniente intelligendo ly *omnia*, quod patet ex supradictis. q. 10. a. 2. et q. 11. ar. 1. Et hic. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis iusinuatum, quod Christus in scientia acquisita profecerit. Ut Luc. 2. etc. secundum quod cum expositione B. Ambrosii ponitur *in arg. cont.* Pro cujus ampliori captu dic, quod in tali sapientia humana profecit et secundum effectum, juxta *primam* conclusionem, et secundum habitum, juxta *quintam*: licet in aliis scientiis tribus prædictis profecerit secundum effectum tantum juxta conclusiones *primam*, *secundam*, *tertiam*, et *quartam*. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Ecclesia: quod Christus nihil ab hominibus didicit. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Isa. 55. *Ecce*, etc. ut *in arg. cont.* Item per dictum Joan. 3. *Rabbi, scimus, quia á Deo venisti Magister*. Si enim Christus á Deo venit Magister hominibus (ut verissime venit) utique non docendus, sed docturus venit; quemadmodum et dicitur Joann. 4. *Messias, cum venerit, nuntiabit nobis omnia*. Magistri enim est docere, non doceri. Ab Ecclesia vero insinuatur idem per hoc, quod in collecta sexagesimæ dicit. " Deus, qui, etc. concede propitius, ut contra adversa omnia doctoris gentium protectione muniamur. » Ipsa siquidem ex eo, quod Christum vocat doctorem gentium, scholasticis theologis indubie concludendum relinquit: quod Christus á gentibus quibuscumque non didicit aliquid. Discipulorum enim, quales ibi significantur esse omnes gentes respectu Christi, non est docere magistrum; sed ab ipso doceri. Vide dicta circa resp. ad 1. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Dionysio insinuatum: quod Christus non docetur ab Angelis. A Sancto Dionysio quidem, secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Á scripturis vero per hoc, quod Christus, secundum quod homo, caput Angelorum dicitur, Col. 2. et Ephes. 1. Vide q. 8. a. 4. arg. contr. et cor. Non enim capitis est gubernari, sed gubernare, non est accipere influentiam, licet ministerium á membris; sed ejus est influere in membra. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA TERTIA,

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de potentia animæ Christi: et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum habuerit omnipotentiam simpliciter.

Secundo, utrum habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Tertio, utrum habuerit omnipotentiam respectu proprii rorporis.

Quarto, utrum habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.

## ARTICULUS I.

### *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam.

1. Qui habet potentiam quam habet Filius Dei naturaliter, habet omnipotentiam. Sed anima Christi habet potentiam, quam habet naturaliter Dei Filius. Ergo anima Christi habet omnipotentiam.

Maior prob., quia Filius Dei omnipotentiam habet.

Minor prob., quia Amb. super illud Lucæ *Hic erit magnus*, dicit: *Potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo* (et per consequens anima quæ est præcipua hominis pars) *erat ex tempore accepturus.*

2. Anima Christi habet omnium scientiam, quæ Deus scit, quodammodo, ut dictum est quæst. 10. art. 2. Ergo anima Christi habet omnium potentiam.

Consequentia prob., quia sicut potentia Dei est infinita, ita etiam et ejus scientia.

3. Anima Christi habet scientiam practicam de omnibus. Ergo anima Christi potuit omnia facere; et sic habet omnipotentiam.

Antecedens prob., quia anima Christi habuit omnem scientiam: scientiarum autem quædam est speculativa, et quædam practica.

Consequentia prob., quia habere de aliquo scientiam practicam, est scire facere illud de quo practica scientia habetur.

PRO NEGATIVA.

### *Argumentum sed contra.*

Illud, quod est proprium Dei, non potest alicui creaturæ convenire. Sed esse omnipotentem est proprium Dei, secundum illud Exod. 15. *Iste Deus meus, et glorificabo eum*: et postea subdit; *omnipotens nomen ejus.* Ergo esse omnipotentem non convenit animæ Christi quæ, est creata.

### *Determinatio.*

Conclusio. Impossibile est, quod anima Christi habeat omnipotentiam.

Prob. Illud, quod consequitur naturam divinam, tamquam divinæ naturæ proprium, non potest animæ Christi convenire. Sed omnipotentia consequitur naturam divinam, tamquam divinæ naturæ propria. Ergo omnipotentia non potest convenire animæ Christi.

Maior prob., quia sicut dictum est quæst. 2. artic. 1. et 2. in mysterio incarnationis, ita facta est unio in persona, quod tamen remansit distinctio naturarum, utraque scilicet natura retinente id, quod est sibi proprium. Illud igitur, quod est proprium divinæ naturæ, non potest convenire humanæ naturæ á Verbo assumptæ, ac per hoc nec animæ Christi, quæ est humanæ naturæ pars.

Minor ostenditur præmittendo, quod potentia activa cujuslibet rei sequitur formam ipsius rei, quæ est principium agendi; forma autem vel est ipsa natura rei, sicut in rebus simplicibus, vel est constituens ipsam naturam rei, sicut in his quæ sunt composita ex materia, et forma; ex quibus patet, quod potentia activa cujuslibet rei sequitur naturam ipsius rei ita, quod ad omnia, ad quæ se extendit natura rei, ad ea se extendat ejus potentia activa; et quia sola natura divina se extendit ad omnia, quæ possunt habere rationem entis, cum natura divina sit ipsum esse incircumscriptum, ut Dion. dicit 5. cap. de div. nom., ideo omnipotentia sequitur naturam divinam, tamquam ei propria, sicut quamlibet aliam rem sequitur potentia activa respectu eorum ad quæ se extendit perfectio suæ naturæ, sicut calidum ad calefaciendum, lucidum ad illuminandum, et

sic de aliis. Potentia igitur activa, se extendens ad omnia quæ possunt habere rationem entis, quæ potentia omnipotentia dicitur, est propria naturæ divinæ, ac per hoc nulli creaturæ, nec humanitati assumptæ, ac per hoc nec animæ Christi quæ est naturæ humanæ assumptæ pars, potest convenire.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod homo accepit omnipotentiam ex tempore, quam Filius Dei habuit ab æterno, non quidem per hoc, quod omnipotentia fuerit communicata humanitati assumptæ, ita ut sit in ea tamquam in subjecto, sicut scientia, vel charitas; sed solum per unionem personæ divinæ cum humana natura, ex qua factum est, quod sicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens; non quasi sit alia omnipotentia hominis, quam Filii Dei, sicut nec est alia deitas, sed eo quod est una persona Dei, et hominis. Et sub aliis verbis: non dicitur animam Christi habere omnipotentiam, quasi in ea sit omnipotentia; sed quia humanitas assumpta est in persona, quæ est omnipotens. Sicut homo non dicitur Deus, quasi humanitas sit facta divinitas, vel quasi divinitas ei insit, sed quia est in persona divina.

Ad 2. Quidam negabant consequentiam: dicebant enim, quod alia ratio est de scientia, et alia de potentia activa. Nam potentia activa consequitur ipsam naturam rei, eo quod actio consideretur, ut egrediens ab agente. Scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam scientis, sed potest haberi per assimilationem scientis ad res scitas, secundum similitudines susceptas a rebus scitis, vel ab alio. Ex quo sequitur, quod aliquis creatus intellectus possit habere omnium rerum scientiam, quia potest omnium rerum formas in esse intelligibili recipere; non tamen potest aliqua creatura habere omnipotentiam, quia nulla natura creata se extendit ad omnia quæ possunt habere rationem entis.

*Insufficientia hujus responsionis.*

Sed hæc responsio non videtur sufficiens: quia sicut aliquis potest cognoscere per formas receptas ab alio, ita potest agere per formas ab alio receptas; sicut aqua potest calefacere per calorem receptum ab igne. Unde sicut ille qui recipit á Deo formas omnium rerum cognoscibilium, potest omnia cognoscere, ita ille qui recipit formas omnium factibilium, potest omnia facere. Sicut igitur anima Christi per formas rerum sibi á Deo inditas potest omnia cognoscere, ita per easdem similitudines poterit omnia facere.

*Sufficiens responsio.*

Dicendum est igitur aliter negando antecedens. Non enim anima Christi habet scientiam omnium quæ Deus scit, nec ea, quorum scientiam habet, scit eo modo quo Deus scit. Si enim anima Christi sciret omnia quæ Deus scit, et eo modo quo Deus omnia scit, profecto haberet etiam omnipotentiam. Est igitur considerandum, quod id, quod á superiori natura in inferiori recipitur, habetur inferiori modo á recipiente. Non enim calor in eadem perfectione et virtute recipitur in aqua, qua est in igne. Quia igitur anima Christi est inferioris naturæ, quam natura divina, similitudines rerum non recipiuntur in ipsa anima Christi secundum eamdem perfectionem et virtutem, secundum quam sunt in natura divina. Et inde est, quod scientia animæ Christi est inferior scientia divina, quantum ad modum cognoscendi, quia Deus pefectius cognoscit res, quam anima Christi; et etiam quantum ad numerum scitorum, quia anima Christi non cognoscit omnia quæ Deus potest facere: quæ tamen Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ; licet anima Christi cognoscat omnia præterita, præsentia, et futura quæ Deus cognoscit scientia visionis. Et similiter similitudines rerum animæ Christi inditæ, non adæquant virtutem divinam in agendo, ut scilicet pos-

sit omnia agere quæ Deus potest, vel etiam eo modo agere sicut Deus agit: quia Deus agit divina virtute, cujus virtutis creatura non est capax. Non igitur ex cognitione omnium, et ex quacumque cognitione omnium arguitur omnipotentia cognoscentis, sed solum ex cognitione omnium quæ quocumque modo habent, vel habere possunt rationem entis, et ex cognitione rerum secundum omnem modum, quo possunt cognosci, ad quam cognitionem requiritur infinita virtus; creatura potest quidem cosnoscere aliqua, idest omnia quæ Deus facit, vel est facturus; non tamen cognoscit omnia quæ Deus potest facere: et iterum creatura potest cognoscere ea quæ Deus fecit, vel est facturus, aliquo modo, non tamen omnibus modis: ad hoc enim requiritur potentia infinita: et quia anima Christi non cognoscit omnia simpliciter, sed solum ea quæ Deus cognoscit scientia visionis, et iterum quia non cognoscit illa secundum omnem modum; ideo ex tali cognitione non potest argui omnipotentia. Ad cognoscendum enim res aliquo modo non requiritur potentia infinita; tamen ad faciendum aliquas res requiritur virtus infinita, ut patet ex his quæ in 1. par. quæst. 45. dicta sunt: creare enim res ad potentiam infinitam pertinet.

Breviter igitur dicitur, quod anima Christi habet omnium scientiam: non omnium simpliciter, sed solum eorum quæ quandoque sunt in actu; et iterum non cognoscit illa, secundum omnem modum possibilem; sed solum secundum quod per creatum intellectum cognoscibilia sunt: ex qua cognitione non sequitur, quod anima Christi habeat omnipotentiam.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod anima Christi habuit omnem scientiam quidem, scilicet practicam, et speculativam; non tamen oportet, quod omnium illorum habeat scientiam practicam, quorum habet scientiam speculativam. Et ratio est quia ad scientiam speculativam habendam sufficit sola conformitas, vel assimilatio scientis ad rem scitam; ad scientiam vero practicam requiritur, quod formæ rerum quæ sunt in intellectu, sint factivæ. Plus autem est habere formam, et eam imprimere in alterum, quam solum habere formam; sicut plus est lucere, et illuminare, quam lucere tantum; et inde est, quod anima Christi habet quidem speculativam scientiam creandi (scit enim qualiter Deus creat) sed non habet hujus rei scientiam practicam, quia non habet scientiam creationis factivam.

## ARTICULUS II.

### *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

*Pro affirmativa.*==Videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutionis creaturarum.

1. Ille cui data est omnis potestas in cœlo, et in terra, habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Sed Christo *data est omnis potestas in cœlo, et in terra*, ut dicitur Matth. ult. Ergo anima Christi habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Maior prob., quia nomine cœli et terræ intelligitur omnis creatura, ut patet, cum dicitur Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum et terram*, idest omnem creaturam.

2. Creatura quæ est omnibus aliis creaturis perfectior, habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Sed anima Christi est perfectior qualibet creatura. Ergo anima Christi habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Maior prob., quia quælibet creatura potest moveri ab alia creatura perfectiori, præter primum angelum. Dicit enim August. lib. 3. de Trin. cap. 4. quod *sicut corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum*

*vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, et spiritus vitæ rationalis desertor, atque peccator per spiritum vitæ rationalem pium, et justum.* Ex quibus patet quod creatura perfectior movet imperfectiorem, et sic creatura quæ est omnibus aliis creaturis perfectior, omnes alias creaturas movere poterit.

Et confirmatur argumentum, quia anima Christi movet etiam supremos spiritus, ipsos illuminando, ut dicit Dion. 7. cap. Cœl. Hierarch.

3. Anima Christi plenissime habuit gratiam miraculorum, seu virtutum, sicut et cæteras gratias. Ergo anima Christi habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Conseq. prob., quia omnis immutatio creaturæ potest ad gratiam miraculorum pertinere, cum etiam cœlestia corpora miraculose á suo ordine immutata fuerint, sicut Dion. probat in Epistola ad Polycarpum.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Solius Dei est creaturas conservare. Ergo solius Dei est habere omnipotentiam respectu immutationis creaturarum, ac per hoc non convenit animæ Christi.

Anteced. prob., quia dicitur Heb. 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ.*

Consequentia prob., quia ejusdem est transmutare creaturas, et creaturas conservare.

*Determinatio.*

Pro resolutione hujus quæsiti duplici distinctione opus est.

1.ª *Distinctio.* Prima distinctio est ex parte transmutationis creaturarum: est enim transmutatio creaturarum triplex. Una quidem est naturalis, ut quando vapores transmutantur in pluviam; vel quando semen transmutatur in animal, et sic de aliis. Alia est miraculosa quæ fit ab agente supernaturali, supra consuetum ordinem, et cursum naturæ, sicut resuscitatio mortuorum. Tertia est secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil.

2.ª *Distinctio.* Altera distinctio accipienda est ex parte animæ Christi, quæ dupliciter considerari potest: uno modo secundum propriam naturam, et virtutem; alio modo prout est instrumentum Verbi Dei, sibi personaliter uniti.

1.ª Conclusio. Anima Christi, secundum propriam naturam et virtutem sive naturalem, sive gratuitam, potentiam habuit tantum ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ convenientes.

Manifestatur. Habuit enim potentiam anima Christi sic considerata ad gubernandum corpus, et ad disponendos humanos actus, et etiam ad illuminandum per gratiæ et scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab ejus perfectione deficientes, per modum, quo est conveniens creaturæ rationali.

2.ª Conclusio. Anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, habuit instrumentalem virtutem ad faciendas omnes immutationes miraculosas, ordinabiles ad finem incarnationis, qui est instaurare omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.

Hanc probat tertium argumentum pro affirmativa inductum.

3.ª Conclusio. Anima Christi non habuit potentiam redigendi creaturas in nihilum.

Prob. Solus Deus potest creare. Ergo solus Deus potest creaturas in nihilum redigere.

Conseq. prob., quia immutatio creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondet creationi rerum, prout scilicet producuntur ex nihilo. Et ideo sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere qui etiam solus eas in esse conservat, ne in nihilum decidant.

4.ª Conclusio directe responsiva quæsito. Anima Christi non habet om-

nipotentiam respectu immutionis creaturarum.

Hæc conclusio probata remanet, tum argumento pro negativa, tum etiam ex tertia conclusione inducta: non enim potest anima Christi creare, nec creaturas in nihilum redigere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod humanitati Christi, præter sua naturalia, conveniunt aliqua dupliciter. Quædam ei conveniunt gratia unionis, quia scilicet est Verbo unita, et hæc sunt omnia quæ sunt Deo propria, et per hunc modum ille homo Christus dicitur omnipotens, creator, æternus, infinitus, et Deus. Non quod humanitati assumptæ insit omnipotentia, aut æternitas, sicut hæc conveniunt deitati; sed dicuntur hæc de humanitate, quia est conjuncta divinæ personæ. Unde non est alia omnipotentia Filii Dei, et Filii hominis, sed eadem est omnipotentia Filii Dei quæ Filio hominis attribuitur, quatenus humanitas in Verbo Dei subsistit. Quædam vero conveniunt humanitati Christi quia consequuntur unionem: et sunt quasi effectus unionis, ut sunt plenitudo gratiæ, de qua dicitur Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, et veritatis*, et etiam plenitudo scientiæ, et hujusmodi; et hæc in Christo multiplicantur; nam alia est scientia Verbi Dei, et alia est scientia animæ Christi, et sic de aliis quæ consequuntur unionem, tamquam unionis effectus, et quia omnipotentia est Deo propria; propterea quando dicit Christus: data est mihi omnis potestas, idest omnipotentia, non est intelligendum quod animæ Christi fuerit data alia omnipotentia ab ea quæ convenit Verbo, sed quod omnipotentia quæ est Verbi, data est naturæ humanæ per hoc quod est Verbo unita, et licet hoc factum fuerit in instanti conceptionis; tamen solum post resurrectionem fuit manifestata per hoc quod tunc totum mundum convertere potuit. Sensus ergo verborum domini est; data est mihi omnis potestas, idest tunc post resurrectionem manifesta erit mea potestas, quam habeo. Ex quo non sequitur quod anima Christi habuerit omnipotentiam; sed solum quod homo Christus esset omnipotens, quia ejus humanitas erat conjuncta omnipotenti, scilicet Verbo.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod ad hoc quod aliquis habeat omnipotentiam ad immutandas creaturas, non sufficit quod possit omnem creaturam immutare; sed necessarium est quod possit immutare omnem creaturam secundum omnem modum, quo creatura mutabilis est; licet ergo omnis creatura sit mutabilis ab alia creatura, præter supremum angelum, qui tamen potest illuminari ab anima Christi, non tamen omnis immutatio quæ potest fieri circa creaturam, potest fieri á creatura; sed quædam immutationes possunt fieri á solo Deo: quæcumque tamen immutationes possunt fieri per creaturas, possunt etiam fieri per animam Christi secundum quod est instrumentum Verbi, non autem secundum propriam naturam, et virtutem, quia quædam harum immutationum non pertinent ad animam, neque quantum ad ordinem naturæ, neque quantum ad ordinem gratiæ, ut sunt mortuos suscitare, leprosos mundare, claudis gressus dare, et alia hujusmodi.

Ad 3. Negatur consequentia. Nam habere plenissime gratiam miraculorum non est habere omnipotentiam. Ut enim dictum est 2. 2. quæst. 178. art. 1. gratia virtutum, seu miraculorum datur animæ alicujus sancti, non ut propria virtute ei conveniat miracula facere, sed ut per virtutem divinam hujusmodi miracula fiant. Et hæc gratia excellentissime data est animæ Christi, ut scilicet non solum ipse miracula faceret; sed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet. Unde dicitur Matth. 10. quod *convocatis duodecim discipulis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut*

*ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Habuit igitur anima Christi plenissime gratiam miraculorum, et tamen non habuit omnipotentiam.

Ad probationem negatæ consequentiæ dici potest, quod non omnis immutatio creaturæ ad gratiam miraculorum pertinet: creatio enim non est proprie miraculorum, ut dictum est prima parte, quæst. 105. art. 7. ad 1. Unde animæ Christi convenit plenissime gratia miraculorum, et tamen non convenit ei potentia creandi, vel annihilandi, ut dictum est.

## ARTICULUS III.

### *Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.*

*Pro affirmativa.*=Videtur quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

1. Ille qui facit quæcumque vult respectu naturalium operationum proprii corporis, habet omnipotentiam respectu proprii corporis. Sed Christus faciebat quæcumque volebat respectu naturalium operationum proprii corporis. Ergo Christus habuit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Maior prob. Quia ex hoc Deus dicitur omnipotens, quia omnia quæcumque voluit, fecit. Unde qui facit quæcumque vult circa aliquid, habet omnipotentiam respectu illius.

Minor probat. Quia Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. cap. 20. quod *omnia naturalia fuerunt Christo voluntaria: volens enim esurivit, volens sitivit, volens timuit, volens mortuus est etc.*

2. Adam secundum originalem justitiam, quam habuit in statu innocentiæ, habebat corpus omnino subjectum animæ, ita ut nihil in corpore posset accidere contra animæ voluntatem. Ergo multo magis anima Christi habuit omnipotentiam respectu sui corporis.

Consequentia prob., quia in Christo fuit perfectius humana natura, quam fuerit in Adam.

3. Anima Christi habuit virtutem perfectissimam, et quantum ad imaginationem, et quantum ad alias virtutes. Ergo anima Christi fuit omnipotens in respectu ad proprium corpus.

Consequentia prob. Quia ad imaginationem animæ, corpus naturaliter immutatur; et tanto magis, quanto magis anima fuerit fortis imaginationis, ut 1. par. dictum est.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad conditionem humanæ naturæ pertinet quod valetudo corporis, et ejus nutritio, et augmentum imperio rationis non subdantur. Ergo nec in Christo hujusmodi operationes rationi subdebantur; ac per hoc anima Christi non habuit omnipotentiam respectu sui corporis.

Antecedens prob., quia naturalia soli Deo, qui est auctor naturæ, subduntur.

Consequentia prob., quia ad Heb. 3. dicitur, quod Christus *debuit per omnia fratribus assimilari*, et præcipue in his quæ pertinent ad conditionem naturæ humanæ.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Anima Christi potest dupliciter considerari, ut dictum est art. præced.: uno modo secundum propriam naturam, et virtutem; alio modo secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona.

1. Conclusio. Anima Christi secundum propriam naturam et virtutem, sicut non poterat immutare exteriora, corpora, á cursu et ordine naturæ, ita etiam non poterat immutare proprium corpus á naturali dispositione.

Prob. Quia anima Christi, secundum propriam naturam, habet determinatam proportionem ad suum corpus.

2. Conclusio. Potestati animæ Christi secundum quod erat instrumentum divinitatis, subdebatur omnis dispositio proprii corporis, ac per hoc habuit om-

nipotentiam respectu proprii corporis.

Conclusio hæc relinquitur manifesta ex secunda conclusione articuli præcedentis.

3.ª Conclusio. Omnipotentia quæ convenit animæ Christi respectu proprii corporis, magis attribuitur Verbo Dei, cujus anima est instrumentum, quam ipsi animæ Christi.

Manifestatur. Quia virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem quod Verbum Damasc. intelligendum est, quantum ad voluntatem Christi divinam, quia sicut ipse in præced. cap. dicit: *beneplacito divinæ voluntatis permittebatur carni pati, et operari quæ propria*: ex quo non sequitur quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis, nisi ut est instrumentum Verbi, et divinæ voluntatis.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod ad originalem justitiam quam Adam habuit in statu inocentiæ, non pertinebat quod anima hominis haberet virtutem transmutandi proprium corpus in quacumque forma, sed quod posset ipsum conservare absque omni nocumento. Et hanc virtutem potuisset Christus assumere, si voluisset. Sed cum sint tres status hominum, scilicet innocentiæ, culpæ, et gloriæ, sicut Christus de statu gloriæ assumpsit comprehensionem, et de statu innocentiæ immunitatem á peccato, ita de statu culpæ assumpsit necessitatem subjacendi pœnalitatibus hujus vitæ, ut dicetur quæst. seq.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur quod imaginationi, si fuerit fortis naturaliter, obedit corpus quantum ad aliqua, puta quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis, ut dicitur 3. de ani. textu 48. Similiter etiam quantum ad alterationem quæ est secundum calorem, et frigus et alia consequentia, eo quod ex imaginatione natæ sunt consequi animæ passiones, secundum quas movetur cor, et sic per commotionem spirituum, totum corpus alteratur: aliæ vero dispositiones corporales quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque fortis sit, puta figura manus, vel pedis, vel aliquid simile. Ex hoc igitur quod Christus habuit perfectam virtutem imaginativæ non sequitur quod habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

## ARTICULUS IV.

*Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod anima Christi non habuerit omnipotentiam respectu executionis propriæ voluntatis.

1. Dicitur Marci. 7. quod Dominus ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. Ergo Christus non potuit in omnibus exequi propositum suæ voluntatis.

2. Ille qui præcipit aliquid, cujus postea oppositum fit, non habet omnipotentiam respectu executionis propriæ voluntatis. Sed Dominus præcepit quædam facienda, quorum contraria acciderunt. Dicitur enim Matth. 9. quod cæcis illuminatis comminatus est Jesus dicens: *videte, ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt illum per totam terram illam.* Ergo Christus non potuit in omnibus exequi propositum suæ voluntatis

Minor prob., quia præceptum est signum voluntatis, ut dictum est 1. par. quæst. 19. art. 12. Unde cujus præceptum non impletur, nec voluntas impletur; ac per hoc non habet omnipotentiam in executione eorum quæ vult.

3. Ille qui ab alio petit fieri illud quod vult, non habet omnipoientiam in exequendo suam voluntatem. Sed Domi-

nus petivit à Patre orando, id quod fieri volebat. Ergo non potuit in omnibus exequi propositum suæ voluntatis.

Maior prob., quia id quod potest aliquis facere, non petit ab alio, ut fiat.

Minor prob., quia dicitur Lucæ 6. quod «Dominus exiit in montem orare, et «erat pernoctans in oratione Dei.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in lib. de quæst. nov. et vet. testam. quæst. 77. "Impossibile "est quod Salvatoris voluntas non im- "pleatur, nec potest velle quod scit fie- "ri non debere."

*Determinatio.*

*Distinctio.* Anima Christi dupliciter aliquid voluit: uno modo quasi per se implendum, sicut fuit iter facere, docere, et similia: alio modo implendum virtute divina, sicut resuscitationem proprii corporis, et alia hujusmodi miraculosa opera.

1.ª Conclusio. Anima Christi habuit omnipotentiam, respectu executionis propriæ voluntatis in his quæ voluit quasi per se implenda.

Manifestatur. Quia non conveniret ejus sapientiæ quod aliquid vellet per se facere quod suæ virtuti non subjaceret. Quicquid igitur Dominus voluit quasi per se implendum, potuit exequi.

2.ª Conclusio. Omnia, quæ Dominus voluit quasi divina virtute implenda, potuit, non propria virtute, sed virtute divinitatis.

Manifestatur. Quia anima Christi non poterat facere opera miraculosa propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum divinitatis, ut dictum est art. 1. hujus quæst.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter; primo quod sicut dicit Aug. in l. de quæst. nov. et vet. test. loc. cit. «quod factum est, hoc vo- "luisse dicendus est Christus. Adver- "tendum est enim quod illud in finibus "gestum est gentilium, quibus adhuc "tempus prædicandi non erat: Ultro ta- "men venientes ad fidem non suscipe- "re, invidiæ erat. A suis ergo noluit "prædicari (inter gentiles); requiri au- "tem se voluit (á gentilibus): et ita fac- "tum est." Sensus igitur inductæ sententiæ est quod Dominus neminem gentilium voluit scire, quia nolebat ipsis prædicare; tamen, quia sponte venerunt, non potuit latere, quia scilicet ultro venientes erant suscipiendi, et hoc voluit Dominus, scilicet non prædicare, et suscipere accedentes sponte, et ita factum est.

Dicitur secundo Quod ea quæ anima Christi voluit, fuerunt in triplici differentia: quædam voluit quasi per se implenda, et hæc omnia potuit propria virtute implere; quædam vero voluit quasi divina virtute implenda, et hæc potuit omnia virtute divina implere: quædam tandem voluit quæ erant implenda per alios quæ non subjiciebantur ejus humanæ voluntati, et hæc poterat velle, quæ tamen poterant non fieri. Unde Christus humana voluntate volebat ut novem leprosi redirent, et darent gloriam Deo, et tamen non fuit factum, quia hoc erat ab ipsis curatis leprosis implendum. Et de his erat illud, de quo dicitur in inducta sententia quod voluit, et non potuit latere. Unde in Epist. Agathonis Papæ quæ est recepta in 6. synodo act. 4. legitur. "Ergo neille conditor omnium, "ac Redemptor, in terris latere volens "non potuit, nisi hoc ad humanam ejus "voluntatem, quam temporaliter est "dignatus assumere, redigatur?"

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod sicut Greg. dicit lib. 19. Mor. cap. 19. per hoc quod "Do- "minus præcepit taceri virtutes suas, "servis suis se sequentibus exemplum "dedit, ut ipsi quidem desiderent occul- "tari suas virtutes, et tamen ut alii eo- "rum exemplo proficiant, prodantur in- "viti." Sic ergo præceptum illud designabat voluntatem ipsius qui humanam

gloriam refugiebat, secundum illud Joan. 8. *Ego gloriam meam non quæro*; volebat tamen absolute, præsertim secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum, propter aliorum utilitatem.

Vel formalius potest dici negando majorem; potest enim aliquid aliquis præcipere, et habere potentiam, ut sequatur id, quod præcipit, etiamsi sequatur oppositum: et ad probationem dicitur, quod præceptum non est semper signum voluntatis beneplaciti, ut diffuse dictum est 1. par. quæst. 19. art. 12. ad 2.

Ad 3. Negatur maior, in his quæ á Deo petuntur. Deus enim operatur in omnibus agentibus. Et ad minorem dicitur, quod Christus orabat, et pro his quæ divina virtute fieri debebant, et pro his etiam quæ humana voluntate erat facturus, quia virtus, et operatio animæ Christi dependebat á Deo, qui operatur in nobis velle, et perficere. Per hoc igitur quod Christus Deum rogabat pro his quæ erat facturus, non derogatur aliquo modo potentiæ suæ, quia potentia creaturæ á Deo dependet.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 13.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *August. de Roma* dicentis virtualiter, animam Christi esse simpliciter omnipotentem per hoc, quod formaliter (ut refert Concilium *Basileense*, sess. 22.) dicit, quod humana natura in Christo est persona Verbi, est veraciter Deus naturalis, et propius. Quia enim persona Verbi, Deus vere naturalis, et proprius est simpliciter omnipotens, 1. q. 25. a. 3. ideo sequitur de necessitate, quod anima Christi, si est persona Verbi, habeat omnipotentiam simpliciter. Quia ergo prædictus *August.* dicebat primum, scilicet animam Christi esse personam Verbi, ideo et ibi necessario includebat secundum, scilicet animam Christi esse simpliciter omnipotentem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab Exod. 15. *iste Deus*, etc. secundum quod cum discursu applicatur *in arg. cont.* Pro tanto enim reprobare intendimus nunc August. prædictum, pro quanto loquitur de animæ Christi omnipotentia, sicut etiam pro tanto illum nunc adduximus. Item merito damnari á Concilio ipso *Basileensi*, sess. eadem, secundum quod contra plures ejus errores recitatur supra, qu. 10. ar. 1. append. Damnando enim illud primum ab ipso Augustino dictum, cointelligitur et damnare illud secundum necessario sequens. Unde etiam in condemnatione propositionum ejus dicit ly *et alias ex eadem radice procedentes*. Cæterum de valore, et invaliditate ejusdem Concilii dicta ibi signanter notabis per totum; nequando alicubi erres. Videas quoque de hac re q. 8. ar. 3. app. et citatum ibi Compend. Alb. Mag. Schol. Item merito damnari á q. 2. a. 2. append. et p. 1. q. 75. ar. 7. app. et ab Addit. art num. 389. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod anima Christi non est omnipotens respectu immutationis creaturarum. Ut per hoc, quod dicitur Hebr. 1. *Portans*, etc. secundum quod cum discursu applicatur *in arg. cont.* Ubi ly *portans* refertur ad Filium Dei: ut monstratur in præcedenti contextu per ly *in Filio*. Filius autem est Deus. 1. q. 31. art. 1. immo et Christus, secundum quod homo, si reduplicatio intelligatur ratione suppositi, non est creatura, sed creator, q. 16. art. 10. Item ly *portans omnia* exponatur pro conservans, et immutans omnia. Ly *verbo virtutis suæ*, idest imperio suo vigoroso,

et efficaci, seu virtute propria. Unde ad ampliorem captum hujus faciet videre de rerum conservatione á Deo, in 1. quæst, 10. articulis suis, et de earumdem ab ipso immutatione, ibidem, q. 104. articulis suis. Item idipsum insinuatur per hoc, quod Deus dicit Isa. 48. *Gloriam meam alteri non dabo.* Hoc est. Quod mihi proprie convenit, id, quod est in gloriam meam singulariter cedere, ut in proposito est portare omnia virtute sua, ego non patiar transferri ad aliquam creaturam. Cum itaque anima Christi sit creatura. illud portare omnia, quod gloriam Dei singulariter infert, non potest secundum scripturam hanc attribui animæ ipsi. Item per id, quod dicitur Job. 34. « Quem constituit alium, *Deus omnipotens*, super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est? » Ac si aperte in proposito dixerit. Solus Deus habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum omnium. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, et conciliis insinuatum, quod anima Christi non habuit omnipotentiam respectu proprii corporis. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Heb. 2. *debuit*, etc. ut cum discursu applicatur *in arg. cont.* A conciliis autem universalibus quarto, quinto, et sexto per hoc, quod dicunt. « Consonanter omnes docemus Dominum nostrum Jesum Christum consubstantialem nobis secundum humanitatem, et per omnia nobis similem absque peccato. » Hæc in constit. Concil. *Flor.* super unione Armenor. Ex hac enim conciliorum sententia scholasticis theologis intentum concludendum persuadetur modo simili; qui est *in arg. cont.* *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum; quod anima Christi habuit omnipotentiam respectu executionis propriæ voluntatis. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis autem, ut Sap. 12. *Subest tibi* (Domine) *cum volueris, posse.* Licet enim principaliter, et absolute intelligatur hoc de Christo, quoad voluntatem divinam: tamen secundario potest etiam de ipso, quoad voluntatem humanam animæ ejus, intelligi. Ac si aperte dictum sit, ó Christe, qui es sapientia Patris (de qua cap. 7. 8.) potes facere, quæcumque volueris, sive divina, sive humana voluntate. Quod tamen intellige, servata semper differentiali consideratione utriusque voluntatis. *Secundo* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA QUARTA,

### DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS Á FILIO DEI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de defectibus quos Christus in humana natura assumpsit: et primo de defectibus corporis; secundo de defectibus animæ.

*Circa primum quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus.

Secundo, utrum assumpserit necessitatem his defectibus subjacendi.

Tertio, utrum hos defectus contraxerit.

Quarto, utrum omnes hujusmodi defectus assumpserit.

### ARTICULUS I.

*Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.*

*Pro negativa*=Videtur, quod Filius Dei non debuerit assumere humanam naturam cum corporis defectibus.

1. Anima Christi habuit omnimodam perfectionem, et quantum ad gratiam, et quantum ad scientiam, ut dictum est quæst. 7. art. 9. et quæst. 9. art. 1.

Ergo etiam corpus debuit esse omnibus modis perfectum, nullum in se habens defectum.

Consequentia prob., quia sicut anima unita est personaliter Verbo Dei, et ita et corpus.

2. Corpus cujus anima est beata, est incorruptibile, nullum habens defectum. Sed anima Christi erat beata. Ergo corpus Christi erat incorruptibile, nullum habens defectum.

Maior prob., quia ex beatitudine animæ glorificatur corpus : dicit enim Aug. in epist. ad Dioscorum, et est epist. 56. « Tam potenti natura Deus fecit ani« mam, ut ex ejus plenissima beatitudine « redundet etiam in inferiorem naturam, « quæ est corpus, non beatitudo quæ « fruentis et intelligentis est propria, sed « plenitudo sanitatis, idest incorruptio« nis vigor. »

Minor prob., quia anima Christi videbat Dei Verbum ea visione, qua beati vident, ut dictum est quæst. 9. art. 2.

3. In eo qui fuit absque omni culpa, non fuerunt corporales defectus. Sed Christus fuit absque omni culpa. Ergo in Christo non fuerunt corporales defectus.

Maior prob., quia corporales defectus sunt pœnales, pœna autem consequitur culpam. In eo igitur qui absque omni culpa fuit, nullus corporalis defectus esse debuit.

Minor prob., quia dicitur de Christo 1. Pet. 2. *qui peccatum non fecit.*

4. Ea per quæ impeditur finis incarnationis, non debuerunt assumi á Filio Dei. Sed per corporales defectus multipliciter videtur impediri finis incarnationis. Ergo non videtur fuisse conveniens, quod Filius Dei humanam naturam assumpserit cum corporalibus infirmitatibus, sive defectibus.

Maior probatur, quia nullus sapiens assumit id, quod impedit ipsum á proprio fine.

Minor ostenditur. Tripliciter enim defectus corporales videntur incarnationis finem impedire.

Primo, quia propter hujusmodi infirmitates homines ab ejus cognitione impediebantur, secundum illud Isaiæ 53. *Desideravimus eum despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus est vultus ejus, et despectus: unde nec reputavimus eum.*

In forma. Ea per quæ homines á Verbi incarnati cognitione impediuntur, impediunt finem incarnationis, qui est Dei notitia. Sed per assumptos corporales defectus impediuntur homines á cognitione incarnati Verbi, ut ex Isaia dictum est. Ergo, etc.

Secundo, quia sanctorum Patrum desiderium non videtur impleri, ex quorum persona dicitur Isaiæ 51. *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini.*

Tertio, quia congruentius per fortitudinem, quam per infirmitatem videbatur et potestas diaboli posse superari, et humana infirmitas posse sanari.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ille qui ad hoc venit, ut nos adjuvaret, convenienter assumpsit corporales defectus. Sed Filius Dei ad hoc venit, ut nos adjuvaret. Ergo Filius Dei convenienter assumpsit corporales defectus.

Maior prob., quia Heb. 2. dicitur: *in eo in quo ipse passus est, et tentatus, potens est et eis qui tentantur, auxiliari.*

Minor prob., quia David dicebat in Psal. 120. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit, corpus assumptum á Filio Dei, humanis infirmitatibus, et defectibus subjacere.

Prob. Fuit enim hoc conveniens præcipue propter tria. Primo propter finem incarnationis. Quod sic ostenditur: Filius Dei ad hoc, carne assumpta, venit in mundum, ut pro peccato humani gene-

ris satisfaceret. Ergo conveniens fuit quantum ad finem incarnationis, quod hujusmodi pœnalitates in nostra natura susciperet vice nostra, secundum illud Isaiæ 53. *Vere languores nostros ipse tulit.*

Consequentia prob., quia unus pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam in se suscipit. Hujusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis, et hujusmodi sunt pœna peccati, quod est in mundum per Adam introductum secundum illud Rom. 5. « Per unum homi- « nem peccatum intravit in mundum, et « per peccatum mors. »

Secundo hoc fuit conveniens propter fidem incarnationis adstruendam. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout hujusmodi corporalibus defectibus subjacet; si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichæi posuerunt. Et ideo dicitur ad Phil. 2. « Exinanivit « semetipsum formam servi accipiens, in « similitudinem hominum factus, et ha- « bitu inventus ut homo. » Unde et B. Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem revocatus, ut dicitur Joan. 20.

Tertio fuit hoc conveniens propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, passiones, et defectus humanos fortiter tolerando. Unde dicitur ad Hebr. 12. «Sustinuit á peccatoribus adversus semet- « ipsum contradictionem, ut non fatige- « mini animis vestris deficientes. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de anima á Verbo assumpta, et de corpore. Assumpsit enim Dei Filius humanam naturam, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Satisfactio autem pro peccatis alterius habet pro materia pœnas, quas ille, qui satisfacit pro peccato alterius, sustinet: sed pro principio satisfactionis habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, et ex quo satisfactio efficaciam habet. Non enim esset efficax satisfactio, nisi ex charitate procederet, ut dicetur dum de satisfactione erit sermo. Et ideo oportuit animam Christi perfectam esse, quantum ad habitus scientiarum, et virtutum, ut haberet facultatem satisfaciendi; et quod corpus ejus esset subjectum infirmitatibus, ut ei satisfactionis materia non deesset. Ad prob. igitur consequentiæ dicitur, quod etsi tam corpus quam anima essent Verbo conjuncta in Christo, tamen anima erat ei conjuncta, ut illa in qua debebat esse satisfactionis principium; corpus vero, ut illud in quo debebat esse satisfactionis quasi materia, quæ sunt pœnalitates.

Ad 2. Dicitur, quod etsi maior simpliciter vera sit, non tamen fuit vera in Christo ante suam resurrectionem: est quidem vera simpliciter, quia secundum naturalem habitudinem, quæ est inter animam et corpus, ex gloria animæ redundat gloria ad corpus. Non fuit autem vera in Christo, dum esset in hac vita: quia in Christo hæc naturalis habitudo subjacebat voluntati divinitatis ipsius, ex qua factum est, quod beatitudo remaneret in anima, et non derivaretur ad corpus; sed caro pateretur quæ conveniunt naturæ passibili, secundum illud, quod Dam. dicit lib. 3. ort. fid. cap. 15. quod «beneplacito divinæ voluntatis permitte- «batur carni pati, et operari quæ propria.»

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod pœna semper sequitur culpam actualem, vel originalem: non quidem semper in eo qui patitur, sed sufficit, quod culpa sit in eo, pro quo quis patitur, ut pro eo satisfaciat; et ita accidit in Christo, in quo non fuit aliqua culpa, sed pro nostra culpa pœnas tulit, secundum illud Isaiæ 53. « Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.»

Ad 4. Negatur minor. Ad primam prob. dicitur, quod infirmitas assumpta

á Christo non solum non impedivit finem incarnationis; sed ipsum maxime promovit, ut in corpore ostensum est. Et quamvis per hujusmodi infirmitates absconderetur ejus divinitas, manifestabatur tamen humanitas quæ est via perveniendi ad divinitatem, secundum illud Rom. 5. « Accessum habemus per Jesum Chris« tum ad Deum. » Ad secundam dicitur, quod desiderabant antiqui Patres in Christo, non quidem fortitudinem corporalem, sed spiritualem. Ad tertiam dicitur, quod per hanc spiritualem fortitudinem Christus diabolum vicit, et humanam sanavit infirmitatem.

## ARTICULUS II.

### *Utrum Christus assumpserit necessitatem subjacendi his corporalibus defectibus.*

*Pro negativa* ==Videtur, quod Christus non ex necessitate his defectibus subjacuerit.

1. Qui passus est, quia voluit, non ex necessitate est passus. Sed Christus passus est, quia voluit. Ergo Christus non ex necessitate subjacuit passioni.

Maior prob., quia voluntas opponitur necessitati.

Minor prob., quia dicitur Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*: et loquitur de oblatione ad passionem.

2. In eo in quo nihil est coactum, sed omnia voluntaria, non est necessitas patiendi. Sed in Christo nihil fuit coactum. Ergo in Christo non fuit necessitas patiendi.

Maior prob., quia quod est voluntarium, non est necessarium.

Minor probat., quia Dam. dicit in 3. lib. ort. fid. capit. 20. *Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria.*

3. In eo cujus anima nulla creatura est potentior, non est aliqua necessitas subjacendi corporalibus defectibus. Sed anima Christi, ad quam pertinet corpus proprium conservare, nulla creatura est potentior. Ergo in Christo non fuerunt corporales defectus, seu infirmitates, ex necessitate.

Maior prob., quia necessitas infertur á potentiori.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

*Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati,* ut dicitur ad Roman. 8. Ergo in carne Christi fuit necessitas sustinendi corporales defectus.

Conseq. probat., quia conditio carnis peccati est quod habeat necessitatem moriendi, et sustinendi alias hujusmodi passiones.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Necessitas est duplex. Una quidem coactionis, quæ fit ab agente extrinseco; et hæc necessitas contrariatur naturæ, et voluntati, quorum utrumque est principium intrinsecum. Alia vero est necessitas naturalis; et hæc est quæ consequitur principia naturalia, puta formam; sicut necessarium est ignem calefacere: vel materiam; sicut necessarium est corpus ex contrariis compositum dissolvi.

1.ª Conclusio. Corpus Christi, secundundum necessitatem naturalem consequentem materiam, subjectum fuit necessitati mortis, et aliorum hujusmodi defectuum corporalium.

Prob. Beneplecito divinæ voluntatis carni Christi permittebatur agere, et pati quæ propria, ut dictum est art. præced. ad 2. Ergo corpus Christi, secundum necessitatem consequentem materiam, subjectum fuit corporalibus defectibus, scilicet morti, et aliis hujusmodi defectibus.

Conseq. prob., quia necesstas patiendi hos defectus causatur ex principiis carnis humanæ, ut in principio corporis dictum est, quia scilicet humana caro est composita ex contrariis.

2.ª Conclusio. Corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ sub-

jacuit necessitati coactionis, secundum quod coactio repugnat naturæ.

Manifestatur. Subjacuit enim corpus Christi necessitati patiendi á clavo perforante, et flagello flagellante.

3.ª Conclusio. In Christo non fuit necessitas coactionis patiendi hos defectus, secundum quod coactio repugnat voluntati, secundum quod voluntas sequitur rationem deliberatam.

Manifestatur. Quia Christus secundum voluntatem humanam deliberatam, et secundum voluntatem divinam voluntarie patiebatur.

4.ª Conclusio. In Christo fuit necessitas coactionis repugnantis voluntati humanæ, secundum ejus naturalem motum.

Probatur, quia humana voluntas, secundum ejus naturalem motum, refugit pati mortem, et alios hujusmodi defectus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probat. quod Christus dicitur *oblatus, quia voluit*, et voluntate divina, et voluntate humana deliberata, tamen mors erat contra naturalem motum humanæ voluntatis, ut Dam. dicit lib. 3. ort. fid. cap. 23. et 24.

Ad 2. Negatur minor. Fuit enim in Christo coactio repugnans naturæ, et etiam naturali motui voluntatis, ut dictum est in corpore. Ad probationem dicitur quod in Christo nihil fuit coactum secundum quod coactio repugnat voluntati deliberatæ. Sic enim omnia voluntaria fuerunt in Christo, quia deliberata ejus voluntas erat pati mortem, et alios hujusmodi defectus, ut pro peccato hominis satisfaceret.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod nihil fuit potentius, quam anima Christi absolute, nihil tamen prohibet, aliquid fuisse potentius quantum ad hunc effectum, sicut clavus ad perforandum potentior fuit, quam anima Christi ad conservandum corpus, considerata secundum naturalem ejus virtutem.

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus defectus corporales contraxerit.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus deffectus corporales contraxerit.

1. Christus simul cum natura humana defectus, et infirmitates corporales per suam originem traxit á matre, cujus caro hujusmodi defectibus subjacebat. Ergo videtur quod Christus hos defectus contraxerit.

Conseq. prob., quia illud contrahere dicimur quod simul cum natura ex origine trahimus.

2. Qui accipit naturam, ex cuius principiis causantur pœnalitates, contrahit pœnalitates. Sed Christus assumpsit humanam naturam, ex cujus principiis causantur pœnalitates. Ergo Christus assumpsit pœnalitates.

Maior prob., quia id quod ex principiis naturæ causatur, simul cum natura trahitur, et ita contrahitur ab eo qui naturam accipit.

3. Alii homines hujusmodi defectus contraxerunt. Ergo videtur etiam quod Christus hos defectus contraxerit.

Conseq. prob., quia secundum hujusmodi defectus Christus assimilatur aliis hominibus, ut dicitur Heb. 2.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Qui fuit sine omni peccato, non contraxit pœnalitates. Sed Christus fuit sine omni peccato. Ergo Christus non contraxit pœnalitates corporales.

Maior prob., quia hujusmodi defectus contrahuntur ex peccato, secundum illud Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus non contraxit corporales defectus; sed eos ex propria voluntate suscepit.

Prob. Qui contrahit corporales defectus, habet illos ex debito peccati. Sed

Christus non habuit corporales defectus ex debito peccati. Ergo Christus non contraxit corporales defectus.

Maior manifestatur. Nam in verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam, ut scilicet illud dicatur contrahi quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis, et horum defectuum in natura humana, est peccatum, quia *per peccatum mors intravit in hunc mundum*, ut dicitur Rom. 5. Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt.

Minor prob., quia ut dicit Glos. ord. exponens illud Joan. 3. « Qui de sursum « venit, super omnes est: » « De sursum « venit Christus, idest de altitudine na- « turæ humanæ, quam habuit ante pec- « catum primi hominis: » accepit enim naturam humanam absque peccato in illa puritate, in qua erat in statu innocentiæ, et simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Non contraxit igitur Christus hos defectus, quia non habuit eos ex debito peccati; suscepit eos voluntarie, quia potuisset assumere naturam sine defectibus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod non omne illud quod quis cum natura trahit, contrahit; sed cum hoc requiritur quod trahat etiam causam ejus quod trahit cum natura, quod est ex necessitate trahere. Traxit igitur Christus has pœnalitates; tamen non ex necessitate, cum non traxerit causam harum pœnalitatum, idest peccatum, ut in corpore dictum est. Christus igitur assumpsit naturam ex Virgine Matre absque culpa, et propterea potuisset assumere naturam absque pœna; sed voluit pœnam suscipere, propter opus redemptionis implendum, ut art. 1. dictum est. Et ideo Christus habuit defectus, non contrahendo, sed voluntarie eos suscipiendo.

(Circa B. Virginem dicendum est, quod licet fuerit in potentia contrahendi has pœnalitates ex necessitate, quia fuit in potentia contrahendi peccatum originale; tamen prævenienter, ex intuitu meritorum Christi concepta fuit absque peccato originali. (Vide quæ apposita sunt ad art. 3. quæst. 81. prim. secun. tom. 4. pag. 380.)

Ad 2. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem, quod causa mortis, et aliorum defectuum in humana natura est duplex: una quidem remota quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, in quantum est ex contrariis compositum. Sed hæc causa impediebatur per originalem justitiam. Causa autem proxima mortis, et aliorum defectuum est peccatum, per quod subtracta est originalis justitia. Si igitur sit sermo in maiori de causa, sive de principiis pœnalitatum remota, est falsa, quia hæc causa remota impediebatur per originalem justitiam. Si vero sermo sit de proxima causa, est quidem vera major, sed falsa minor. Christus enim habuit naturam humanam, sine proxima causa pœnalitatum, et ideo pœnalitates non contraxit, sed voluntarie assumpsit.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod Christus in hujusmodi defectibus assimilatus est aliis hominibus, quantum ad qualitatem defectuum, non autem quantum ad causam; habuit enim pœnalitates similes pœnalitatibus nostris; non autem ex eadem causa procedunt pœnalitates Christi, et nostræ. Nostræ enim sunt ex peccato, Christi autem ex sua voluntate.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.

1. Christus venerat omnes defectus nostros curare. Ergo Christus debuit omnes nostros defectus assumere.

Consequentia prob., quia Dam. dicit in 3. lib. cap. 6. ort. fid. *Quod est inassumptibile, est incurabile.*

2. Christus ex parte animæ assumpsit plenitudinem omnis gratiæ. Ergo Christus ex parte corporis debuit assumere omnes defectus.

Conseq. probat., quia ad hoc quod Christus pro nobis satisfaceret, debuit habere habitus perfectivos in anima et defectus in corpore. Sicut igitur ex parte animæ habuit omnes habitus perfectivos, ita ex parte corporis debuit habere omnes defectus.

3. Christus assumpsit mortem. Ergo multo magis omnes alios defectus assumere debuit.

Conseq. prob., quia inter omnes corporales defectus, præcipuum locum tenet mors.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Contraria non possunt fieri simul in eodem. Sed quædam corporales infirmitates sunt sibi ipsis contrariæ, utpote ex contrariis principiis causatæ. Ergo non poterant simul esse omnes infirmitates in Christo, et per hoc non potuerunt omnes ab eo assumi.

*Determinatio.*

Conclusio. Non fuit conveniens quod Christus assumeret omnes defectus, sive infirmitates humanas.

Probatur dupliciter: primo in communi, secundo in particulari. In communi sic ostenditur: Christus assumpsit humanos defectus ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ, ut dictum est art. 1. et 2. hujus quæst. Ergo Christus non debuit assumere omnes humanos defectus, seu infirmitates.

Conseq. prob., quia sicut dictum est art. 1. ad 1. satisfactio habet pro principio habitum animæ ejus, qui satisfacit, et pœnas quasi pro materia. Ut igitur in Christo esset principium satisfactionis ex parte animæ, non debuerunt esse in eo aliqui defectus repugnantes perfectioni scientiæ, ut est ignorantia, et perfectioni gratiæ, ut est peccatum. Et iterum quia satisfactio Christi erat pro peccato totius naturæ, materia hujus satisfactionis debuerunt esse solum infirmitates consequentes totam naturam. Et sic Christus non debuit assumere omnes humanos defectus; sed solum eos qui non repugnant principio satisfaciendi, et qui consequuntur totam naturam, pro qua Christus satisfacere voluit.

In particulari vero sic probatur. Nam defectus sive infirmitates quæ in hominibus inveniuntur, sunt in triplici differentia. Quidam sunt qui repugnant perfectioni scientiæ, et gratiæ; ut sunt peccatum, et ignorantia, pronitas ad malum, et difficultas ad bonum, et hi defectus non debuerunt assumi á Christo, quia non potuisset tunc pro peccato satisfacere propter defectum principii satisfaciendi, ut loco citato dictum est. Quidam vero sunt defectus qui non sequuntur communiter totam humanam naturam propter peccatum primi parentis; sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis, sicut lepra, morbus caducus, et alia hujusmodi: et hi defectus non fuerunt assumpti á Christo, quia hujusmodi defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu, quandoque vero ex defectu virtutis formativæ. Quorum neutrum convenit Christo, quia et caro ejus de Spiritu Sancto concepta est qui est infinitæ sapientiæ, et virtutis, errare et deficere non potens. Et ipse nihil inordinatum in regimine vitæ suæ exercuit.

Tertii tandem defectus sunt qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis; sicut sunt mors, fames, sitis, et alia hujusmodi et hos omnes defectus Christi suscepit, quos Dam. lib. 21. orthod. fid. cap. 14. vocat *naturales et indetractibiles passiones.* Naturales quidem quia consequuntur communiter totam naturam

humanam. Indetractibiles autem quia defectum scientiæ et gratiæ non important. Non debuit igitur Christus assumere defectus qui opponuntur perfectioni scientiæ et gratiæ, et qui proveniunt ex particulari culpa hominis; sed solum eos qui consequuntur totam naturam, et qui nec defectum gratiæ, nec scientiæ important.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod illud quod est omnino inassumptibile, est incurabile. Quod autem est assumptibile saltem in sua causa, est curabile. Defectus particulares, etsi non fuerint assumpti in seipsis, fuerunt tamen assumpti in sua causa: particulares enim defectus hominum causantur ex passibilitate, et corruptibilitate corporis, superadditis quibusdam particularibus causis, de quibus in corpore dictum est. Et ideo cum Christus assumpserit, et curaverit passibilitatem, et corruptibilitatem corporis nostri, ex consequenti omnes alios defectus curavit.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod non est eadem ratio de plenitudine gratiæ et scientiæ in anima, et de universalitate defectuum in corpore: plenitudo enim omnis gratiæ, et scientiæ debebatur animæ Christi secundum se ex hoc ipso, quod erat á Verbo Dei assumpta, et ideo absolute omnem plenitudinem sapientiæ, et gratiæ Christus assumpsit. Defectus vero nostros dispensative assumpsit, non quia ei secundum se competerent, sed ut pro nostro peccato satisfaceret; et ideo non oportuit quod omnes assumeret, sed solum illos qui sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius humanæ naturæ, qui sunt tantum illi qui totam humanam naturam consequuntur; si tamen plenitudini gratiæ et scientiæ non opponantur.

Ad 3. Neg. consequentia. Ad prob. dicitur quod non est eadem ratio de morte ex una parte, et de aliis particularibus defectibus ex altera. Mors enim in omnes homines devenit ex peccato primi parentis; non autem quidam alii defectus, etsi sint morte minores. Nam illi minores defectus proveniunt ex culpa particularium hominum; quæ culpa non potest esse in Christo, ut in corpore dictum est.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 14.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses *Juliani Halicarnasæi,* ut ait Gabriel Prateolus titul. *Acephali,* dicentis; Christi corpus ab ipsá conceptione esse incorruptibile. Et *Aphtartodocitarum* dicentium: quod caro Christi, quam ex Virgine assumpsit, ante passionem fuit incorruptibilis. Et nonnullorum aliorum dicentium: quod Christus humanum corpus passibile non assumpsit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Papa *Clemente* V. in Concilio *Viennensi.* « Firmiter confitemur, unigenitum Dei Filium humanum corpus passibile, et animam intellectivam ipsum corpus vere, per se, et essentialiter informantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suæ personæ. » Hæc in Clem. de sum. Trin. et fid. cath. Item á Papa Eug. IV. in Concil. Florent. " Sacrosancta Ro. Ecclesia firmiter credit, profitetur, et prædicat, quod unus, et idem Dei Filius, et homo est immortalis, et æternus ex natura divinitatis: passibilis, et temporalis ex conditione assumptæ humanitatis. Ipsum in assumpta humanitate ex Virgine vere passum, vere mortuum. » Hæc in constitut. Concilii Flor. super unione

Jacobinorum. Item á Concilio Ephes. 1. cano. 12. " Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, crucifixum carne, et mortem carne gustasse, anathema sit. *Et cano.* 13. Is, qui est ante sæcula omnia, ex Virgine in ipso utero virginali carnem secum conjunxit. Sic illum dicimus passum esse, non quia Deus Verbum in sua natura passus sit plagas, clavorum transfixiones, aut alia vulnera (Deus namque incorporalis extra passionem est) sed quia corpus illud, quod ipsi proprium factum est, hæc sustinuit: ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat." Item á Concilio *Toletano I.* in assertione fidei catholicæ contra Priscillianistas: " Credimus, Filium Dei ex Virgine Maria verum hominem sine virili generatum semine suscepisse: duabus dumtaxat naturis, idest, deitatis, et carnis, in unam convenientibus omnino personam. Nec imaginarium corpus, aut phantasmatis alicujus in eo fuisse: sed solidum, et verum. Hunc et esuriisse, et sitiisse, et doluisse, et flevisse, et omnis corporis injurias pertulisse." Hæc illud ibi: et approbatum est á Papa *Leone.* Ex his enim omnibus patet, quod Christus per hoc, quod fuit verus homo, habuit corpus vere passibile, et corruptibile per mortem, præviosque defectus. Item merito damnari á symbolo fidei in ly *passus, crucifixus, mortuus.* Item á dictis sup. q. 5. art. 1. 4. appen. et q. 1. 1. appen. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Deut. 9. q. concl. 7. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito insinuatum esse á scripturis, et conciliis; quod in Christo fuit necessitas sustinendi defectus corporales. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Ro. 8. *misit Deus*, etc. ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item Lucæ 24. *Oportuit Christum pati.* Per hoc enim monstratur: quod Christus non solum sustinuit passiones corporales, sed etiam ex necessitate sustinuit. A conciliis autem universalibus 4. 5. 6. insinuatur idem, sic. " Consonanter omnes docemus: Christum, secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato." Hæc in constit. Concil. *Florent.* super unione Armenorum. Si enim ipse est similis nobis per omnia: utique cum nos de necessitate patiamur defectus istos, sequitur aperte, quod et ipse habuit necessitatem sustinendi tales defectus; adeo, quod Christus pro nobis non tantum voluntarie assumpsit defectus corporales; sed etiam necessitatem patiendi defectus hujusmodi. Absque peccato tamen, inquit Concilium; et, quia patiendo prædictam necessitatem numquam ullo modo peccavit: et, quia neque illos defectus, neque ullam necessitatem ex peccato contraxerit, ad differentiam nostri. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, symbolo, et concilio insinuatum, quod Christus non contraxit defectus corporales. A scripturis quidem Rom. 5. *Per*, etc. ut *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Hebr. 4. " Tentatum per omnia absque peccato: *et cap.* 7. Sanctus, innocens, impollutus, segregatus á peccatoribus." Ex eo enim, quod Christus sine peccato fuisse ostenditur ab Apostolo, theologis scholasticis concludendum firmiter relinquitur, quod ipse corporales defectus non contraxit. Vide corp. et art. 2. append. circa fin. A Concilio autem *Florent.* insinuatur sic. " Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur, et docet, quod Christus sine peccato conceptus, natus, et mortuus humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit." Hæc in constitutio. *Eugenii V.* in Conc. *Florent.* super unione Jacobinorum. Á symbolo etiam fidei idem innuitur sic. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.* Nam ad hoc, quod quis contrahat vel actu, vel in debito peccatum originale, et consequenter sic, vel sic contrahat corporales defectus, exigitur, quod ab Adam derivetur non tantum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum seminalem rationem, 1. 2. q. 81. ar. 3. 4. id, quod non fit in eo, qui concipitur de Spiritu Sancto. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis in-

inuatum, quod Christus non assumpsit omnes defectus corporales. Ut per hoc, quod dicitur 2. Cor. 8. *Christus pro nobis egenus factus est.* Sicut enim ex eo, quod pro nobis, idest ad satisfaciendum pro nobis, defectum hunc, scilicet egestatem assumpsit, ostenditur á simili, quod omnes defectus ad talem satisfactionem valentes assumpsit; ita ex eodem, tamquam ab oppositis, coostenditur, quod defectus ad hujusmodi satisfactionem non facientes non assumpsit. Dixi ly *pro nobis*, idest, ad satisfaciendum pro nobis, quia Apostoli contextus expositionem hanc subministrat. Sic enim sequitur, *ut illius inopia nos divites essemus.* Quod quidem principaliter intelligendum est de satisfactione Christi pro peccatis nostris: quoniam scilicet tali via facti sumus vere divites. Nam solæ divitiæ veræ sunt, quæ mentis nostræ inopiam expellunt, quæ nos virtutibus divites faciunt, ut patet ex Div. Gregorii homil. super Luc. capit. 8. Dixi ly *principaliter*: quia minus principaliter de divitiis materialibus potest etiam intelligi, sed hoc non facit ad articuli hujus propositum. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA QUINTA,

### DE DEFECTIBUS ANIMÆ Á CHRISTO ASSUMPTIS, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de defectibus pertinentibus ad animam.

*Et circa hoc quæruntur decem.*

Primo, utrum in Christo fuerit peccatum

Secundo, utrum in eo fuerit fomes peccati.

Tertio, utrum in eo fuerit ignorantia.

Quarto, utrum anima ejus fuerit passibilis.

Quinto, utrum in eo fuerit dolor sensibilis.

Sexto, utrum in eo fuerit tristitia.

Septimo, utrum in eo fuerit timor.

Octavo, utrum in eo fuerit admiratio.

Nono, utrum in eo fuerit ira.

Decimo, utrum simul fuerit viator, et comprehensor.

### ARTICULUS I.

*Utrum in Christo fuerit peccatum.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod in Christo fuerit peccatum.

1. In Psal. 21. ex persona Christi dicitur: «Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe á salute mea «verba delictorum meorum.» Ergo videtur, quod in Christo fuerint delicta.

Antecedens, scilicet quod hæc verba fuerint dicta ex persona Christi, patet, quia Christus ea dixit in cruce.

2. In omnibus qui fuerunt originaliter in Adam, fuit peccatum. Sed Christus fuit originaliter in Adam. Ergo in Christo fuit peccatum.

Maior prob., quia Rom 5 dicit Apost. quod *in Adam omnes peccaverunt*, quia scilicet in eo originaliter fuerunt.

3. Homines maxime indigebant auxilio Christi contra peccatum. Ergo videtur, quod in Christo fuerit peccatum.

Consequentia prob., quia Apostol. dicit Heb. 2. Quod «in eo in quo Chris«tus passus est, et tentatus, potens est «et his qui tentantur, auxiliari.»

4. Dicitur 2. Cor. 5. quod Deus *eum qui non noverat peccatum*, scilicet Christum, *pro nobis peccatum fecit.* Ergo in Christo vere fuit peccatum.

Consequentia prob., quia illud vere est, quod á Deo factum est.

5. In eo, qui se homini ad exemplum vitæ præbuit, debuit esse peccatum. Sed Christus se nobis ad exemplum vitæ præbuit. Ergo in Christo debuit esse peccatum.

Maior prob., quia homo indiget exem-

plo, non solum ad recte vivendum; sed etiam ad hoc, quod pœniteat de peccatis. Qui igitur se præbet ad exemplum homini, debet habuisse peccatum, ut de peccatis pœnitendo, pœnitentiæ daret exemplum.

Minor est August. in lib. de agone christiano cap. 11. dicentis: «in homine «Christo se nobis ad exemplum vitæ «præbuit Filius Dei.»

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ipse Dominus Jesus Christus dicit Joan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato*? Quasi dicat: nullus, quia nullum peccatum habeo.

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, nec originalis, nec actualis.

Probatur. Defectus, quos Christus in humana natura assumpsit, conferunt, vel ad satisfactionem, quam Christus pro nobis fecit, vel ad comprobandam veritatem humanæ naturæ assumptæ, vel ad hoc ut nobis fieret exemplum vitæ. Sed defectus peccati non confert ad satisfactionem, nec ad comprobandam veritatem humanæ naturæ, nec ad exemplum virtutis. Ergo defectus peccati nullo modo fuit assumptus á Filio Dei in humana natura.

Maior prob., quia ut dictum est art. 1. et 2. Christus suscepit defectus nostros propter tria: scilicet, ut pro nobis satisfaceret, ut veritatem naturæ comprobaret, et ut nobis fieret exemplum virtutis.

Minor ostenditur quoad singulas partes. Peccatum enim non solum non operatur aliquid ad satisfactionem, sed magis virtutem satisfactionis impedit. Quia (ut dicitur Eccles. 34.) *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Similiter etiam, ex peccato non demonstratur veritas humanæ naturæ, quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cujus Deus est causa; sed magis est contra naturam per seminationem diaboli introductum, ut Dam. dicit in 2. lib. ord. fid. cap. 30. et lib. 3. cap. 20. Nec tandem confert ad hoc, ut Christus esset nobis exemplum virtutis, quia cum peccatum contrarietur virtuti, peccando, exemplum virtutis præbere non potuit.

Et confirmatur conclusio, quia 1. Petr. 2. dicitur: *qui peccatum non fecit.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod sicut Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. cap. 25. dupliciter dicitur aliquid de Christo: uno modo secundum proprietatem naturalem, et hypostaticam, sicut cum dicitur: Deus factus est homo, et quod passus est pro nobis; alio modo secundum proprietatem personalem, et habitualem, prout scilicet aliqua dicuntur de ipso in persona nostra; quæ tamen Christo secundum se nullo modo conveniunt. Unde et inter septem regulas Ticonii, quas Aug. ponit in 3. de doct. Christ. cap. 31. *prima ponitur de Domino et ejus corpore*, cum scilicet *Christi, et Ecclesiæ una persona æstimatur*; et secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens dicit, Psal. 2. «verba de«lictorum meorum:» non quod in ipso capite fuerint delicta, sed in ejus membris.

Ad 2. Dicitur, quod fuisse in Adam originaliter dupliciter contingit. Uno modo secundum corpulentam substantiam, et seminalem rationem simul, et hoc modo omnes homines (excepto solo Christo) fuerunt originaliter in Adam. Alio modo secundum corpulentam substantiam, sed non secundum rationem seminalem, et sic Christus solus fuit originaliter in Adam; unde Aug. dicit 10. super Gen. ad lit. cap. 19. Non eodem omni modo Christus fuit in Adam, et in aliis Patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam, secundum seminalem rationem, et secundum corpulentam substantiam, quia scilicet cum sit in

semine, et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Adamo. Sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit, ratio vero conceptionis ejus, non á semine virili, sed longe aliter, ac desuper venit. Christus igitur fuit in Adam tantum, secundum corpulentam substantiam, non autem secundum seminalem rationem quia accepit naturam humanam ab Adam materialiter, active autem á Spiritu Sancto: sicut et ipse Adam materialiter sumpsit corpus ex limo terræ, active autem à Deo; et propter hoc Christus non peccavit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod Christus in sua tentatione, et passione nobis auxiliatus est satisfaciendo pro nobis. Unde ea tantum habere debuit quæ conferunt ad satisfactionem. Peccatum autem non solum non cooperatur aliquid ad satisfactionem, sed potius ipsam impedit, ut in corpore dictum est: et ideo oportuit, quod Christus omnino á peccato esset immunis, alioquin pœna quam sustinuit, fuisset sibi debita pro peccato proprio, ac per hoc non satisfecisset pro nobis.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod est sententia Apostoli, dupliciter. Primo, quod Deus fecit Christum peccatum, non quidem ut in se peccatum haberet, sed quia fecit eum hostiam pro peccato. Sicut Oseæ 4. dicitur: *peccata populi mei comedent*, scilicet sacerdotes, qui secundum legem comedebant hostias pro peccato oblatas, et secundum hunc modum dicitur etiam Isaiæ 52. *Dominus posuit in eo* scilicet Christo, *iniquitatem omnium nostrum*; quia scilicet eum tradidit, ut esset hostia pro peccatis omnium hominum. Vel secundo dicitur quod fecit eum peccatum, idest habentem similitudinem carnis peccati, ut dicitur Rom. 8. Et hoc propter corpus passibile, et mortale, quod assumpsit.

Ad 5. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod pœnitens laudabile exemplum dare potest, non ex hoc quod peccavit, sed in hoc quod voluntarie pœnam sustinet pro peccato; unde Christus dedit maximum exemplum pœnitentibus, dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit pœnam subire.

## ARTICULUS II.

*Utrum in Christo fuerit fomes peccati.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod in Crito fuerit fomes peccati.

1. In eo in quo fuit passibilitas corporis, fuit fomes peccati. Sed in Christo fuit passibilitas corporis. Ergo in Christo fuit etiam fomes peccati.

Maior prob., quia passibilitas corporis derivatur ab eodem principio, á quo derivatur fomes peccati; utrumque enim derivatur ex substractione originalis justitiæ, per quam simul inferiores vires animæ subdebantur rationi, et corpus animæ.

2. In eo in quo est concupiscentia carnis, est fomes peccati. Sed in Christo fuit concupiscentia carnis. Ergo in Christo fuit fomes peccati.

Maior probat., quia fomes nihil aliud est quam concupiscentia, ut dicit Glos. ordin. Rom. 7.

Minor prob. Caro Christi operabatur, et patiebatur quæ propria, ut Dam. dicit 3. lib. orthod. fid. cap. 15. Ergo in Christo fuit concupiscentia.

Consequentia hæc prob., quia proprium est carni, ut concupiscat delectabilia sibi.

3. In eo qui habuit fortissimum, et virtuosissimum spiritum, et maxime corona dignum, fuit fomes peccati. Sed Christus habuit fortissimum, et virtuosissimum spiritum, et maxime dignum corona. Ergo in Christo fuit fomes peccati.

Maior prob., quia tanto spiritus ostenditur fortior, et magis dignus corona, quanto magis superat hostem, qui est concupiscentia carnis, secundum illud 2. Tim. 2. « Non coronabitur, nisi qui

«'egitime certaverit,» Ergo in eo in quo est spiritus maxime fortis, et dignus corona, est etiam fomes peccati: et prob. hæc consequentia, quia ratione fomitis peccati, *caro concupiscit adversus spiritum* ut dicitur Gal. 5.

Minor prob., quia Apoc. 6. dicitur: *data est ei* (scilicet Christo) *corona, et exivit vincens, ut vinceret.*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo, qui est de Spiritu Sancto, non est fomes peccati. Sed Christus fuit conceptus de Spiritu Sancto: dicitur enim Matth. 1. «Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.» Ergo in Christo non fuit fomes peccati.

Maior prob., quia Spiritus Sanctus excludit peccatum, et inclinationem peccati, quæ importatur nomine fomitis.

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo non fuit fomes peccati.

Prob. dupliciter. Primo in eo qui perfectissime habuit gratiam, et omnes virtutes, secundum perfectissimum gradum, non potuit esse fomes peccati. Sed Christus habuit perfectissime gratiam, et omnes virtutes, secundum perfectissimum gradum. Ergo in Christo non fuit fomes peccati.

Maior prob. Nam virtus moralis, quæ est in irrationali parte animæ, eam facit rationi esse subjectam, et tanto magis, quanto perfectior fuerit virtus; sicut temperantia quæ est in concupiscibili, facit concupiscibilem esse rationi subjectam, et fortitudo, et mansuetudo irascibilem, ut 1. 2. quæst. 56. art. 4. dictum est: et quia ad rationem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus in id, quod est contra rationem, quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis; in eo igitur in quo perfectissime invenitur moralis virtus, non potest fomes peccati inveniri.

Secundo probatur conclusio. Defectus assumpti á Christo sunt ordinabiles ad satisfaciendum. Sed fomes peccati non est ordinabilis ad satisfaciendum. Ergo fomes peccati non fuit assumptus á Christo.

Minor probatur, quia fomes peccati inclinat in peccatum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis fomes, et passibilitas corporis consecuta fuerint in homine ad substractionem originalis justitiæ, non tamen est eadem utriusque ratio. Nam fomes est, inferiores vires pertinentes ad sensibilium appetitum non obedire rationi, passibilitas vero est; vires corporales non obedire animæ: vires autem pertinentes ad sensibilem appetitum non obedire rationi est contra excellentiam virtutis, quia hujusmodi vires naturaliter obedire debent rationi. Unde in eo, qui habet excellentissime moralem virtutem, vires inferiores pertinentes ad appetitum sensitivum, sunt perfecte subjectæ rationi, et ei obediunt; alioquin non haberet perfectissime moralem virtutem. Vires vero corporales non sunt naturaliter subjectæ rationi, ita ut ei debeant obedire: non enim humores corporales naturaliter obediunt rationi, ita ut semper, secundum rationem rectam, debeant esse temperati, et ideo intemperies humorum non repugnat perfectioni virtutis. In Christo igitur non fuit fomes, quia repugnat perfectæ virtuti, quæ erat in Christo; fuit autem passibilitas corporis, quia hæc virtuti non repugnat.

Ad 2. Neg. maior. Potest enim in homine esse concupiscentia carnis absque fomite: caro enim naturaliter concupiscit id, quod est sibi delectabile concupiscentia appetitus sensitivi; concupiscere autem secundum hanc concupiscentiam, contingit dupliciter: uno modo secundum rationem rectam; alio modo contra ordinem rationis rectæ: concupiscentia contra ordinem rationis pertinet ad fomitem, non autem concupiscentia

quæ est secundum rectam rationem. Et hoc modo caro Christi appetebat escam, potum, somnum, et alia quæ secundum rectam rationem appetuntur, ut patet per Dam. in 3. lib. cap. 14. Ad probationem dicitur, quod fomes est concupiscentia contra ordinem rationis.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod aliqualis fortitudo spiritus ostenditur ex hoc, quod resistit concupiscentiæ carnis sibi contrariantis. Sed major fortitudo spiritus ostenditur, si per ejus virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra spiritum concupiscere possit. Et quia Christi spiritus summum fortitudinis gradum attigerat, hoc ei competere debebat, ut concupiscentia appetitus inferioris esset totaliter rationi subjecta, nec contra eam concupisceret. Coronari autem meruit spiritus Christi, non ex hoc quod sustinuit aliquam impugnationem interiorem, quæ pertinet ad fomitem; sed ex hoc quod sustinuit impugnationem exteriorem ex parte mundi, et diaboli, quos superando coronam victoriæ promeruit.

## ARTICULUS III.

*Utrum in Christo fuerit ignorantia.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod in Christo fuerit ignorantia.

1. Illud quod competit Christo secundum humanam naturam, vere fuit in Christo, etiamsi sibi hoc non competat secundum naturam divinam, ut sunt mors et passio. Sed ignorantia competebat Christo secundum humanam naturam. Ergo ignorantia vere fuit in Christo.

Minor prob., quia Dam. dicit 3. lib. orthod. fidei cap. 21. quod Christus *ignorantem et servilem assumpsit naturam.*

2. In eo cui deest aliqua notitia, est ignorantia. Sed Christo defuit aliqua notitia. Ergo in Christo fuit ignorantia.

Maior prob., quia aliquis dicitur ignorans per defectum notitiæ.

Minor prob., quia dicitur 2. Cor. 5. *Eum qui non novit peccatum*, scilicet Christum *pro nobis peccatum fecit.*

3. Isaiæ 8. de Christo dicitur: «antequam sciat puer vocare patrem suum, «et matrem suam, auferetur fortitudo «Damasci.» Ergo in Christo pro aliquo tempore scilicet dum esset puer, fuit aliqua ignorantia.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo qui venerat ad hoc, ut ignorantias nostras auferret, non fuit aliqua ignorantia. Sed Christus venit ad hoc, ut nostras ignorantias auferret. Ergo in Christo non fuit aliqua ignorantia.

Maior prob., quia ignorantia per ignorantiam non tollitur.

Minor prob., quia Lucæ 1. dicitur: venit, scilicet Christus, ut «illuminaret «his, qui in tenebris, et in umbra mortis «sedent.»

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo non fuit ignorantia.

Prob. In eo in quo fuit plenitudo scientiæ, non potuit esse aliqua ignorantia. Sed in Christo fuit plenitudo scientiæ, sicut plenitudo gratiæ et virtutis, ut dictum est q. 7. art. 9. Ergo in Christo non fuit aliqua ignorantia.

Maior probatur, quia sicut plenitudo gratiæ et virtutis excludit fomitem, ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam.

Aliter. In eo in quo est plenitudo scientiæ, sicut plenitudo gratiæ et virtutis, non est ignorantia, sicut nec fomes. Sed in Christo fuit plenitudo scientiæ, sicut etiam gratiæ et virtutis, ut dictum est quæst. 7. art. 9. et quæst. 9. art. 1. Ergo in Christo non fuit ignorantia, sicut nec fomes.

Maior prob., quia sicut plenitudo gratiæ, et virtutis excludit fomitem, ut art. præced. dictum est, ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam.

AD ARGUMENTA.

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ad

ejus probationem quod natura á Christo assumpta potest dupliciter considerari. Uno modo secundum rationem suæ speciei, et secundum hanc considerationem dicit Damas. *eam esse ignorantem, et servilem*; unde subdit: *nam serva quidem est hominis natura ejus, qui fecit ipsam*, scilicet Dei, *et non habet futurorum cognitionem*. Alio modo potest considerari secundum id quod habet ex unione ad hypostasim divinam, ex qua habet plenitudinem scientiæ et gratiæ, secundum illud Joan. 1. *Vidimus eum quasi unigenitum á Patre, plenum gratiæ, et veritatis*. Et hoc modo humana natura in Christo ignorantiam non habuit. Negatur igitur absolute minor. Et ad prob. dicitur quod Dam. locutus est de natura humana secundum rationem suæ speciei, et sensus est quod Christus assumpsit naturam, quæ secundum rationem suæ speciei erat ignorans, et servilis, quæ tamen ex unione ad Verbum habuit plenitudinem scientiæ, et potentiæ.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur quod Christus dicitur non novisse peccatum, quia nescivit ipsum per experientiam, cum nullum peccatum commisserit; scivit autem peccatum per simplicem notitiam. Sicut ille qui numquam furatus est, non cognoscit peccatum furti per experientiam; potest tamen cognoscere furtum per simplicem notitiam, per ejus diffinitionem.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod est sententia scripturæ, quod propheta loquitur de scientia humana. Et possunt ejus verba dupliciter interpretari. Primo, ut loquatur de Filio Dei, antequam assumpserit carnem: et tunc est sensus *antequam Filius Dei sciat vocare patrem*, scilicet Joseph qui ejus pater putativus fuit, *et Matrem* idest Mariam, *auferetur fortitudo Damasci*, idest antequam Filius Dei assumat carnem, auferetur fortitudo Damasci; et hoc ad litteram. Vel spiritualiter loquendo, erit sensus quod antequam Filius Dei fiat homo, per solam invocationem populum suum salvabit, et hæc est Glos. Hieron. in hunc locum. Secundo possunt intelligi verba prophetæ, ut loquatur de Filio Dei jam humanato, et est sensus quod antequam per humanam carnem humana verba proferat, auferetur fortitudo Damasci, dictum est enim supra quæst. 12. art. 2. quod Christus, secundum scientiam acquisitam proficiebat, non quod ab initio non habuerit habitum scientiæ, sed juxta ætatem ostendebat scientiam; ita quod crescente ætate, ostendebat maiorem scientiam ætati convenientem. Vult igitur dicere propheta quod antequam puer habeat ætatem, ut secundum eam ostendat se scire vocare patrem, et matrem, auferetur fortitudo Damasci et hoc Aug. in Serm. de Epiph. (qui est 32. de temp.) dicit esse completum adoratione magorum. Ait enim: «antequam per «humanam carnem humana verba proferret,» idest post tertium decimum diem á sua nativitate in qua ætate pueri nesciunt vocare Patrem, et Matrem, «accepit virtutem Damasci, scilicet divitias, in quibus Damascus præsumebat: in divitiis «autem principatus auro defertur,» quod Christo magi obtulerunt. «Spolia vero «Samariæ iidem ipsi erant qui incolebant. «Samaria namque pro idololatria ponitur. Illic enim populus Israël aversus «á Domino ad idola colenda conversus est. «Hæc igitur prima spolia» idest magos, «puer» idest Christus, antequam per ætatem posset vocare patrem, et matrem, «dominationi idololatriæ» quæ per Samariam significatur, «detraxit.» Ex verbis igitur prophetiæ hujus non tollitur á Christo scientia, sed ostenditur maxima Christi potentia qui nondum incarnatus populum hunc salvavit, et vix natus divitias Damasci, et idololatras ad se traxit.

## ARTICULUS IV.

*Utrum anima Christi fuerit passibilis.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod anima Christi non fuerit passibilis.

1. Anima qua nulla creatura est præstantior, non est passibilis. Sed anima Christi nulla creatura fuit præstantior. Ergo anima Christi non fuit passibilis.

Maior prob., quia cum omne agens sit præstantius patiente, ut Aug. dicit 12. super Gen. ad lit. cap. 16. et Phil. 3. de an. textu 19. nihil patitur, nisi á fortiori, et præstantiori. Illud igitur, quo nihil est præstantius erit impassibile.

2. In anima, quæ est passibilis, est aliqua ægritudo. Sed in anima Christi non fuit aliqua ægritudo. Ergo anima Christi non fuit passibilis.

Maior probat., quia passiones animæ sunt quædam ægritudines, ut Tull. dicit in Tusc. quæst.

Minor prob., quia ægritudo animæ sequitur peccatum, ut patet per illud Psal. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* In Christo autem non fuit peccatum.

3. In eo in quo sunt passiones animæ est etiam fomes. Sed in Christo non fuit fomes, ut art. 2. dictum est. Ergo in Christo non fuerunt aliquæ passiones; ac per hoc ejus anima erat impassibilis.

Maior prob., quia passiones animæ videntur esse idem cum fomite peccati. Unde et Apost. Rom. 7. vocat eas *passiones peccatorum.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In Psalm. 87. dicitur ex persona Christi: *Repleta est malis anima mea,* non quidem peccatis, sed malis humanis, in doloribus, ut ibi Glos. ord. exponit. Ergo anima Christi fuit passibilis.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Animam in corpore constitutam contingit pati dupliciter: uno modo passione corporali, alio modo passione animali. Passione corporali patitur anima per corporis læsionem: cum enim anima sit forma corporis, consequens est quod unum sit esse animæ et corporis, et ideo corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est quod anima per accidens perturbetur, scilicet quantum ad esse quod habet in corpore. Passione autem animali pati dicitur anima secundum operationem quæ vel est propria animæ, ut est intelligere, vel principalius est animæ quam corporis, ut est sentire. Et quamvis secundum intelligere et sentire hoc modo anima dicatur aliquid pati, tamen propriissime dicuntur animæ passiones, affectiones appetitus sensitivi, ut dictum est 1. 2. quæst. 22. art. 2. et 3.

1.ª Conclusio. Anima Christi erat passibilis passione corporali.

Prob. Anima cujus corpus est passibile et mortale, est passibilis passione corporali: hæc ex dictis patet. Sed corpus Christi fuit passibile et mortale, ut dictum est qu. præc. art. 2. Ergo anima Christi fuit passibilis passione corporali.

2.ª Conclusio. Anima Christi fuit passibilis passione animali.

Prob. et declaratur. Prob. Anima ejus in quo sunt affectiones appetitus sensitivi, est passibilis passione animali: hæc patet ex dictis in secundo membro distinctionis. Sed in Christo fuerunt affectiones appetitus sensitivi, sicut et cætera, quæ ad naturam hominis pertinent. Ergo anima Christi erat passibilis passione animali.

Minor confirmatur auctoritate Aug. dicentis lib. 14. de civ. Dei cap. 9. «Ipse Dominus in forma servi vitam agere «dignatus humanam, adhibuit eas, ubi «adhibendas esse judicavit: neque enim «in quo verum erat hominis corpus, et «verus hominis animus, falsus erat humanus affectus.»

Declaratur conclusio. Nam hujusmodi passiones appetitus sensitivi aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad objectum; in nobis enim hujusmodi passiones plerumque feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo quantum ad principium; quia in nobis hujusmodi passiones frequenter præveniunt

judicium rationis; in Christo vero omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Unde Aug. dicit 14. de civit. Dei cap. 9. quod « hos motus certæ dispensationis gratia, « ita cum voluit, Christus suscepit animo « humano, sicut cum voluit, factus est « homo.»

Tertio quantum ad effectum, quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem; quod in Christo non fuit, quia motus convenientes naturaliter humanæ carni, sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conveniebant. Unde Hieronymus dicit super illud Matth. 26. *Cœpit contristari*, quod « Dominus noster, ut ve- " ritatem assumpti hominis probaret, ve- " re quidem contristatus est; sed ne pas- " sio in animo illius dominaretur, per pro- " passionem dicitur quod cœpit contris- " tari,» ut pasio perfecta intelligatur, quando animo, idest rationi dominatur, propassio autem, quando est inchoata in appetitu sensitivo, sed ulterius non se extendit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod aliquid potest esse præstantius cæteris creaturis dupliciter, vel per naturam, vel per gratiam. Quod est præstantius per naturam, non potest pati á creatura inferiori naturaliter. Quod vero est præstantius per gratiam, potest esse passibile secundum propriam naturam, virtute tamen divina potest passionibus resistere. Tunc ad minorem dicitur quod anima Christi erat præstantior cunctis creaturis per gratiam unionis, et propterea secundum suam naturam erat passibilis, et licet posset resistere passionibus, ut ei non supervenirent, præsertim virtute divina; tamen propria voluntate se subjiciebat passionibus, tum corporalibus, tum animalibus, ut redemptionis opus impleret.

Ad 2. Negatur maior. Non enim est necesse quod in anima passibili sit semper aliqua ægritudo. Ad prob. dicitur quod Tull. loquitur secundum opinionem stoicorum qui non vocabant passiones quoscumque motus appetitus sensitivi, sed solum inordinatos, ut abunde dictum est 1. 2. quæst 24. art. 2. et 3. tales autem passiones manifestum est non fuisse in Christo.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod non omnes passiones sunt idem cum fomite peccati, sed solum inordinatæ de quibus loquitur Apostolus in inducta auctoritate.

## ARTICULUS V.

*Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit verus dolor sensibilis.

1. Hilarius 10. de Trin. dicit: « Cum " pro Christo mori sit vita, quid ipse " in mortis sacramento doluisse existi- " mandus est, qui pro se morientibus vi- " tam rependit?» Et infra dicit: « Uni- " genitus Deus hominem verum, non de- " ficiens á se Deo, sumpsit: in quem " quamvis aut ictus incideret, aut vul- " nus descenderet, aut nodi concurre- " rent, aut suspensio elevaret; afferent " quidem hæc impetum passionis, non " tamen dolorem passionis inferrent, ut " telum aliquod aquam perforans.» Ergo in Christo non fuit verus dolor.

2. Ille in quo est verus dolor, est in peccato conceptus. Sed caro Christi non fuit in peccato concepta. Ergo in Christo non fuit verus dolor, nec subjacuit necessitati patiendi.

Maior prob., quia hoc proprium esse videtur carni in peccato conceptæ quod necessitati doloris subjaceat.

Minor prob., quia caro Christi concepta est de Spiritu Sancto in utero virginali.

3. In eo qui summe delectatur in contemplatione divinorum, non potest

esse dolor. Sed anima Christi summe delectabatur contemplatione Dei, quem per essentiam videbat, ut dictum est, q. 9. art. 2. Ergo anima Christi non poterat sentire aliquem dolorem.

Maior prob., quia delectatio contemplationis divinorum diminuit sensum doloris. Unde et martyres in passionibus suis tolerabilius sustinuerunt ex contemplatione divini amoris. Qui igitur summe delectatur, nullum sentire potest dolorem.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Isaiæ 53. dicitur: *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.*

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo fuit verus dolor.

Prob. In eo cujus corpus potest lædi et in quo est sensus læsionis, potest esse verus dolor. Sed corpus Christi poterat lædi, quia erat passibile, et mortale, ut dictum est quæst. præced. artic. 1. nec ei defuit sensus læsionis, cum anima Christi perfecte haberet omnes potentias naturales. Ergo nulli dubium esse debet, quin in Christo fuerit verus dolor.

Maior prob., quia ad veritatem doloris sensibilis requiritur læsio corporis, et sensus læsionis, ut dictum est 1. 2. quæst. 35. præcipue art. 1.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod in omnibus illis verbis, et similibus, Hilarius á carne Christi, non veritatem doloris, sed necessitatem patiendi excludere intendit. Non quidem necessitatem in ordine ad causam proximam doloris, et aliorum humanorum defectuum, quæ est compositio ex contrariis (nam caro Christi ex hac parte subjacuit necessitati patiendi,) sed in ordine ad causam primam patiendi, quæ est peccatum. Et sensus verborum Hilarii est quod in Christo non fuit necessitas patiendi propter peccatum, sicut in nobis, licet ex hoc quod ejus corpus erat ex contrariis compositum, necessitati patiendi subjaceret modo dicto in quæst. 14. art. 2.

Ad 2. Negatur maior: non enim est universaliter vera. Ad probationem dicitur quod proprium est carni in peccato conceptæ subjacere dolori, non solum ex necessitate naturalium principiorum, sed etiam ex necessitate reatus peccati; potest tamen caro non concepta in peccato subjacere dolori, solum ex necessitate naturalium principiorum, ex quibus componitur. In Christo non fuit necessitas patiendi ex peccato, sed solum ex hoc quod ejus corpus erat ex contrariis compositum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod delectatio contemplationis divinorum potest esse in alicujus mente dupliciter. Uno modo ut hujusmodi delectatio derivetur ad vires inferiores animæ, ut erit in patria, et sic hujusmodi delectatio nullum dolorem admittit: unde beati in patria nullo modo pati poterunt. Alio modo ut delectatio contemplationis ita sit in mente, quod non derivetur ad vires inferiores animæ; quod quidem licet naturaliter fieri non possit, potest tamen fieri virtute divina, et est inter miracula computandum; et hæc delectatio potest esse simul cum sensibili dolore. Et sic fuit in anima Christi delectatio divinæ contemplationis, dum esset in hac præsenti vita. Sicut enim virtute divinitatis Christi dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabatur ad corpus, ut ejus passibilitas, et mortalitas non tolleretur, ut dictum est quæst. præced. artic. 1. ad 3. ita delectatio contemplationis sic retinebatur in mente quod non derivabatur ad vires sensibiles, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur.

## ARTICULUS VI.

*Utrum in Christo fuerit tristitia.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit tristitia.

Isaiæ 42. dicitur de Christo. *Non erit tristis, neque turbulentus.*

2. In justo non est tristitia. Sed Christus fuit maxime justus. Ergo in Christo non fuit tristitia.

Maior probatur auctoritate, et ratione. Auctoritas est scripturæ, Prov. 12. dicentis: *non contristabit justum, quicquid ei acciderit.* Rationem assignabant stoici, et erat, quia nullus tristatur, nisi de amissione bonorum suorum: justus autem non reputat bona sua, nisi justitiam et virtutem, quas non potest amittere, alioquin justus subjiceretur fortunæ, si pro amissione bonorum tristaretur.

Minor prob., quia dicitur Hierem. 23. de Christo. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.*

3. In eo in quo est tristitia, est aliquod malum fugiendum. Sed in Christo nullum fuit malum fugiendum. Ergo in Christo non fuit tristitia.

Maior prob., quia omnis tristitia est malum, et fugiendum, ut dicitur 7. Ethic. cap. 13.

4. Ille in quo est tristitia, patitur aliquid contra suam voluntatem. Sed Christus nihil est passus contra suam voluntatem. Ergo in Christo non fuit tristitia.

Maior prob., quia *tristitia est de his quæ nobis nolentibus accidunt*, ut Aug. dicit 14. de civit. Dei cap. 6.

Minor prob., quia dicitur Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus ipse dicit Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Amb. dicit 2. de Trinit. cap. 3. *Ut homo, tristitiam habuit: suscepit enim tristitiam meam: confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico.*

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo potuit esse vera tristitia, sicut verus dolor.

Prob. Deinde declaratur. Probatur hoc modo: in eo cujus anima potest apprehendere interius aliquod nocivum, potuit esse vera tristitia. Sed anima Christi potuit apprehendere interius aliquod nocivum. Ergo in Christo potuit esse vera tristitia.

Maior prob., quia ratio tristitiæ consistit in interiori apprehensione alicujus nocivi; tristitia enim et dolor sunt in appetitu sensitivo; sed differunt secundum motivum, sive objectum: nam objectum, et motivum doloris est læsio sensu tactus percepta, sicut cum aliquis vulneratur: objectum autem, et motivum tristitiæ est nocivum, sive malum interius apprehensum, sive per rationem, sive per imaginationem, ut dictum est 1. 2. quæst. 33. art. 2. Sicut cum aliquis apprehendit amissionem gratiæ, vel pecuniæ, tristatur. In eo igitur, cujus ratio, vel imaginatio potest apprehendere aliquod nocivum, potest esse tristitia.

Minor prob., quia delectatio divinæ contemplationis, ita per dispensationem divinæ virtutis retinebatur in mente Christi, quod non derivabatur ad vires sensitivas: unde sicut per hanc delectationem non excludebatur quin posset sentire corporis læsionem, ita poterat apprehendere malum nocivum; et ideo sicut in Christo poterat esse verus dolor, ita poterat in eo esse vera tristitia, cum utrumque sit in appetitu sensitivo, et differant tantum secundum motivum, ut dictum est. Poterat autem Christus apprehendere aliquid nocivum, et quantum ad se, sicut ejus passio, et mors; et quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, vel etiam Judæorum qui ipsum occiderunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod tristitia quandoque accidit secundum passionem, quandoque vero secundum propassionem; secundum passionem accidit, quando aliquis patitur, et immutatur; sed quando aliquis patitur, sed non immutatur, habet propassionem: et quia in Christo ratio non fuit propter tristitiam immutata, ideo in Christo non fuit tristitia secundum perfectam passionem, sed secundum propassionem. Unde dicitur Matth.

26. quod "cæpit contristari et mæs-« tus esse.» « Aliud enim est contristari, « et aliud incipere contristari,» ut Hieron. dicit in hunc locum. Dixerat igitur Isaias de Christo quod non erit tristis, neque turbulentus; quia in Christo non fuit tristitia secundum passionem perfectam, quæ ejus rationem immutaret, sed solam secundum propassionem.

Ad 2. Negatur maior. Et ad rationem stoicorum dicitur, quod cum sint quatuor principales passiones, scilicet lætitia, tristitia, spes, et timor, ut dictum est 1. 2. quæst. 25. art. 4. et stoici non ponerent passiones aliquas in animo sapientis, posuerunt loco ipsarum tres eupathias, ut dicit Aug. lib. 14. de Civit. Dei cap. 8. idest tres bonas passiones: loco enim cupiditatis, sive spei posuerunt voluntatem; loco lætitiæ, gaudium; loco timoris, cautionem; loco autem tristitiæ non posuerunt aliquam eupathiam in animo sapientis, quia tristitia est de malo, quod jam accidit; nullum autem malum existimabant posse accidere sapienti. Et hoc ideo quia non credebant aliquid esse bonum, nisi honestum, quod homines bonos facit, nec aliquid esse malum, nisi inhonestum, per quod homines mali fiunt. Unde cum in sapiente non possit esse malum inhonestum, nullum malum ei accidere posse existimarunt. In hoc tamen decepti sunt stoici: quia etsi honestum sit principale hominis bonum, et inhonestum, principale ejus malum; quia hæc bona pertinent ad rationem quæ est principalis in homine; sunt tamen quædam secundaria hominis bona quæ pertinent ad ipsum corpus, vel ad exteriores res corpori deservientes. Et secundum hoc potest in animo sapientis esse tristitia, quantum ad appetitum sensitivum, secundum apprehensionem hujusmodi malorum, non tamen ista tristitia perturbat sapientis rationem: et quia Christus hæc mala sustinuit, ut dictum est, ideo in eo potuit esse tristitia, non quidem secundum perfectam passionem; sed tantum secundum propassionem, ut dictum est in præcedenti responsione. Ad sententiam autem scripturæ eodem modo dicitur, quod non contristabit justum quicquid ei acciderit; quia justi ratio ex nullo accidente perturbatur.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod omnis tristitia est malum pœnæ, non autem est semper malum culpæ, sed solum quando procedit ex inordinato affectu. Unde Aug. dicit lib. 14. de Civit. Dei cap. 9. "Cum rectam "rationem sequuntur istæ affectiones, "et quando et ubi oportet adhibentur, "quis eas morbidas, seu vitiosas passio-"nes audeat dicere?»

Ad 4. Dicitur ad minorem, quod nihil prohibet aliquid esse contrarium voluntati secundum se, quod tamen est volitum ratione finis: sicut medicina amara non est secundum se volita, sed solum secundum quod ordinatur ad sanitatem. Et hoc modo mors Christi, et ejus passio, secundum se considerata, fuit involuntaria, et tristitiam causans; fuit tamen voluntaria in ordine ad finem, qui fuit redemptio humani generis. Vel formalius dicitur ad maiorem, quod ille in quo est tristitia, patitur aliquid quod est contra suam voluntatem, vel secundum se, vel in ordine ad finem. Et ad minorem dicitur, quod Christus non est passus aliquid involuntarium in ordine ad finem, tamen ea quæ passus est, erant secundum se contraria voluntati.

## ARTICULUS VII.

*Utrum in Christo fuerit timor.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod in Christo non fuerit timor.

1. In justo non est timor. Sed Christus est maxime justus. Ergo in Christo non est timor.

Maior probatur, quia Prov. 28. dicitur: «justus quasi Leo confidens, absque «terrore erit.»

2. Hilarius dicit 10. de Trin. «Inter-«rogo eos qui hoc ita existimant, an ra-

« tione subsistat, quod mori timuerit, qui « omnem ab Apostolis mortis timorem « expellens, ad gloriam eos sit martyrii « exhortatus. » Ergo non est rationabile in Christo fuisse timorem.

3. In eo qui potest vitare malum non est timor. Sed Christus poterat vitare, et malum pœnæ, quod passus est, et malum culpæ, quod aliis accidit. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.

Maior prob., quia timor non videtur esse nisi de malo culpæ vel pœnæ, quod non potest homo vitare in se, vel in aliis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Marci 14. dicitur, quod *cœpit Jesus pavere et tædere.*

*Determinatio.*

*Quæ sit causa timoris.*

Timor causatur ex apprehensione mali futuri, sicut tristitia causatur ex apprehensione mali præsentis. Non tamen omnis apprehensio mali futuri est causa timoris; sed cum hoc requiritur, quod sit cum aliqua spe evadendi. Si enim apprehensio futuri mali habeat omnimodam certitudinem, non inducit timorem. Unde Phil. dicit 2. Rhet. cap. 5. quod timor non est, nisi ubi est aliqua spes evadendi. Nam quando nulla spes est evadendi, apprehenditur malum, ut præsens, et sic magis causat tristitiam quam timorem.

*Distinctio.* Timor potest considerari quoad duo: primo quantum ad hoc, quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis læsionem, et per tristitiam, si sit præsens, et per timorem, si sit futura; secundo quantum ad incertitudinem futuri eventus, sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, ignorantes quid hoc sit.

1.ª CONCLUSIO. In Christo fuit timor respectu imminentis futuri mali.

Manifestatur. Nam sicut appetitus sensitivus Christi refugiebat corporis læsionem præsentem per tristitiam, sic refugiebat futuram per timorem.

2.ª CONCLUSIO. In Christo non fuit timor secundum, quod consideratur quantum ad incertitudinem futuri eventus.

Prob. auctoritate Damasceni, qui hoc docet in 3. lib. ortod. fid. cap. 23.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod justus dicitur esse absque terrore, secundum quod terror importat perfectam passionem avertentem hominem ab eo, quod est rationis; et sic timor non fuit in Christo, sed solum secundum propassionem, ut dictum est supra. Et ideo dicitur, quod « Jesus cœpit « tædere et pavere, quasi secundum pro« passionem, » ut Hieron. dicit in Matth. 26.

Ad 2. Dicitur, quod Hilarius eo modo á Christo excludit timorem, quo excludit tristitiam, scilicet, quoad necessitatem timendi; sed tamen ad comprobandam veritatem humanæ naturæ voluntarie timorem assumpsit, sicut etiam et tristitiam.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod licet Christus potuerit vitare mala futura, secundum virtutem divinitatis, erant tamen ei mala inevitabilia, vel non de facili vitabilia, secundum infirmitatem carnis assumptam.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum in Christo fuerit admiratio.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit admiratio.

1. In eo in quo est admiratio, est ignorantia. Sed in Christo non est ignorantia, ut dictum est art. 3. hujus q. Ergo in Christo non fuit admiratio.

Maior prob., quia ut dicitur 1. Met. cap. 2. admiratio causatur ex hoc, quod aliquis videt effectum, et ignorat causam, et sic admirari non est nisi ignorantis.

2. In magnanimo non est admiratio. Sed Christus fuit maxime magnanimus. Ergo in Christo non fuit admiratio.

Maior prob., quia Phil. 4. Ethic. c. 3. dicit, quod magnanimus non est ad-

mirativus, et hujus rationem assignat Dam. in 2. lib. c. 15. dicens, quod «admiratio est timor ex magna imagina-«tione.»

3. In eo qui facere potest quicquid magnum est in rebus, non est admiratio. Sed Christus facere poterat quicquid magnum erat in rebus. Ergo in Christo non fuit admiratio.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Matth. 8. quod *audiens Jesus* (verba Centurionis,) *miratus est.*

*Determinatio.*

1.ª CONCLUSIO. In Christo quantum ad scientiam divinam, et scientiam beatam, vel etiam infusam, non fuit admiratio.

Prob. In eo in quo est admiratio, est aliquid novum et insolitum; sed in Christo, secundum scientiam divinam, beatam, et infusam, non poterat esse aliquid novum et insolitum. Ergo in Christo quantum ad has scientias, non poterat esse admiratio.

Maior prob., quia admiratio proprie est de aliquo novo et insolito.

Minor prob. Nam Christus quantum ad scientiam divinam et beatam, cognoscebat res in Verbo: quantum vero ad scientiam infusam, cognoscebat omnes res per species inditas. Unde non poterant Christo occurrere aliqua nova et insolita, quantum ad has scientias, de quibus posset admirari.

2.ª CONCLUSIO. In Christo quantum ad scientiam experimentalem potuit esse admiratio.

Probatur, quia secundum hanc scientiam poterant Christo quotidie aliqua nova occurrere, de quibus miraretur. Assumpsit autem Dei Filius hunc defectum admirationis ad nostram instructionem, ut scilicet doceat esse mirandum, quod ipse mirabatur. Unde dicit August. in 1. lib. cont. Manich. c. 8. «Quod mirabatur Dominus, nobis mirandum esse sig-«nificat, quibus adhuc opus est sic mo-«veri. Omnes ergo tales motus ejus, non «perturbati animi signa sunt, sed docen-«tis magistri.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob., quod admiratio non solum est ex ignorantia, sed potest etiam esse ex hoc, quod aliquid de novo occurrit. Tunc ad minorem dicitur, quod licet Christus nihil ignoraret, cum haberet scientiam divinam, beatam et infusam, quibus omnia cognoscebat; poterant tamen aliqua nova occurrere experimentali ejus scientiæ, ex quo causaretur admiratio.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod in magnanimo, quamvis non sit admiratio de aliquibus, quasi sint magna apud ipsum, potest tamen esse admiratio de his quæ sunt magna apud alios. Tunc ad minorem dicitur, quod in Christo non fuit admiratio de aliquibus, quasi essent magna respectu sui; tamen miratus est de his quæ erant magna quantum ad alios, et sic miratus est fidem Centurionis.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod Christus poterat facere omnia secundum virtutem divinam, secundum quam admiratio in eo non erat: non tamen poterat omnia facere secundum humanam virtutem; et ideo secundum ejus humanam scientiam experimentalem poterat in eo esse admiratio, ut in corpore dictum est.

## ARTICULUS IX.

*Utrum in Christo fuerit ira.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit ira.

1. In eo in quo quicquid est, ad justitiam Dei pertinet, non potest esse ira. Sed in Christo, quicquid fuit pertinuit ad justitiam Dei. Ergo in Christo non fuit ira.

Maior probat., quia dicitur Jacob. 1. quod *ira viri justitiam Dei non operatur.* Unde in eo in quo est ira, est aliquid non pertinens ad justitiam Dei.

Minor probat., quia *ipse factus est nobis justitia á Deo*, ut dicitur 1. Cor. 1.

2. In eo qui est maxime mansuetus, non est ira. Sed Christus fuit maxime mansuetus. Ergo in Christo non fuit ira.

Maior probat., quia ira mansuetudini opponitur, ut dicitur 4. Ethic. cap. 5.

3. Ille in quo est ira, habet oculum mentis excæcatum et turbatum. Sed Christus non habuit oculum excæcatum et turbatum. Ergo in Christo non fuit ira.

Maior probat., quia Gregor. dicit 5. Moral. capit. 33. quod *ira per vitium excæcat oculum mentis, ira vero per zelum ipsum turbat.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 2. dicitur de Christo fuisse impletum illud. Psalm. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.*

*Determinatio.*

*Ira quid sit.*

Ira est effectus tristitiæ, ut dictum est 1. 2. qu. 46. art. 3. ad 3. et 2. 2. qu. 158. art. 1. 2. et 3. Ex tristitia enim alicui illata consequitur in eo, cui illata est injuria, ex qua oritur tristitia, circa sensitivam partem appetitus repellendi illatam injuriam, vel sibi, vel aliis. Et sic ira est passio composita ex tristitia, et ex appetitu vindictæ, ut in citato loco 1. 2. dicitur.

*Distinctio.* Appetitus vindictæ quandoque est cum peccato, quando scilicet aliquis vindictam quærit sine ordine rationis. Quandoque vero est sine peccato, immo est laudabilis, puta cum aliquis appetit vindictam secundum ordinem justitiæ, et hæc vocatur ira per zelum.

1.ª Conclusio. In Christo non fuit ira, secundum quod importat appetitum vindictæ, absque ordine rationis.

Prabat. In Christo nullum fuit peccatum. Sed ira secundum quod est appetitus vindictæ non regulatus á ratione, est peccatum, ut dictum est supra, et 2. 2. qu. 158. artic. 2. Ergo ira secundum quod importat appetitum vindictæ non regulatum á ratione, non est in Christo.

2.ª Conclusio. Ira per zelum fuit in Christo.

Prob. In eo in quo est tristitia, et appetitus vindictæ secundum ordinem rationis, est ira per zelum. Sed in Christo fuit tristitia, ut artic. 6. dictum est, et appetitus vindictæ regulatus á ratione. Ergo in Christo fuit ira per zelum.

Maior prob., quia illa duo sunt causa iræ, ut in principio corporis dictum est.

Minor prob. ex auctoritate inducta in argumento pro affirmativa, super quam dicit Aug. super Joan. tract. 10. « Zelo " domus Dei comeditur, qui omnia quæ " ibi perversa videt, satagit emendare ; " et si emendare non potest, tolerat et " gemit. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod sicut Greg. dicit 5. Moral. cap. 33. ira dupliciter se habet in homine: quandoque enim prævenit rationem, et trahit eam secum ad operandum; et tunc proprie ira dicitur operari. Nam operatio attribuitur principali agenti; et secundum hoc intelligitur quod ira viri justitiam Dei non operatur. Quandoque vero ira sequitur rationem, et est quasi instrumentum ipsius; et tunc operatio quæ est justitiæ, non attribuitur iræ, sed rationi, et sic ira fuit in Christo.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod ira quæ transgreditur ordinem rationis, opponitur mansuetudini; non autem ira quæ est moderata, et ad medium reducta per rationem, nam mansuetudo tenet medium in ira; et sic fuit in Christo.

Ad 3. Dicitur quod maior, et ejus probatio habet quidem veritatem in nobis, non autem in Christo. In nobis enim secundum naturalem ordinem, potentiæ animæ mutuo se impediunt, ita scilicet quod cum unius potentiæ operatio fuerit intensa, alterius potentiæ operatio debilitetur. Et ex hoc procedit, quod motus iræ in nobis, etiamsi sit secundum ra-

tionem moderatus, utcumque impedit oculum animæ contemplantis. In Christo autem per moderationem divinæ virtutis, unicuique potentiæ permittebatur agere, quod erat ei proprium; ita quod una potentia ab alia non impediebatur. Et ideo sicut delectatio mentis contemplantis non impediebat tristitiam vel dolorem inferioris partis; ita etiam é converso passiones inferioris partis, in nullo impediebant actum rationis. Et propterea in Christo fuit ira per zelum absque ulla obcæcatione, aut perturbatione oculi contemplantis.

## ARTICULUS X.

*Utrum Christus simul fuerit viator et comprehensor.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fuerit simul viator et comprehensor.

1. Eidem non potest simul convenire, quod moveatur ad finem, et quod quiescat in fine. Sed viatori competit moveri ad finem, comprehensori autem convenit quiescere in fine. Ergo non potuit Christus simul esse viator et comprehensor.

2. Ille, qui secundum mentem plene Deo fruitur, etiamsi habeat corpus passibile, non est viator, sed solum comprehensor. Sed Christus, licet haberet corpus passibile, tamen secundum mentem plene Deo fruebatur. Ergo Christus non fuit viator, sed purus comprehensor.

Maior prob., quia moveri ad beatitudinem, aut eam obtinere non competit homini secundum corpus, sed secundum animam. Unde August. dicit in Epist. 56. ad Dioscorum, quod «ad inferiorem «naturam, quæ est corpus, redundat ab «anima, non beatitudo, quæ propria est «fruentis et intelligentis; sed plenitudo «sanitatis, idest incorruptionis vigor;» qui igitur plene secundum mentem Deo fruitur, est purus comprehensor.

3. Sancti, quorum animæ sunt in cœlo et corpora in sepulchris, fruuntur beatitudine secundum animam, quamvis eorum corpora morti subjaceant; tamen non dicuntur viatores, sed solum comprehensores. Ergo pari ratione licet corpus Christi fuerit mortale, quia tamen mens ejus Deo fruebatur, videtur quod fuerit purus comprehensor, et nullo modo viator.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Hierem. 14 dicitur de Christo. *Quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus fuit simul comprehensor et viator.

Prob. Ille qui habet beatitudinem quantum ad id, quod est proprium animæ, et deest ei beatitudo quantum ad alia, tendit ad beatitudinem quantum ad id, quod sibi de beatitudine deest, est simul viator et comprehensor. Sed Christus ante suam passionem habebat beatitudinem quantum ad id, quod est proprium animæ, et deerat sibi beatitudo quantum ad alia; et tendebat ad beatitudinem quantum ad id, quod sibi deerat de perfecta beatitudine. Ergo Christus fuit ante passionem suam simul viator et comprehensor.

Maior prob. Nam aliquis dicitur viator ex eo, quod tendit in beatitudinem; comprehensor autem dicitur ex hoc, quod jam beatitudinem obtinet, secundum illud 1. Cor. 9. «Sic currite ut «comprehendatis;» et ad Philip. 3. «Se«quor autem si quo modo comprehen«dam.» Hominis autem beatitudo perfecta consistit in anima, et corpore, ut dictum est 1. 2. qu. 4. art. 6. In anima quidem, quantum ad id, quod est ei proprium, secundum quod mens videt, et fruitur Deo. In corpore vero, secundum quod corpus resurget spirituale et in virtute, et in gloria, et in incorruptione, ut dicitur 1. Cor. 15. Ille igitur qui habet beatitudinem, quantum ad id, quod est proprium animæ, et deest ei beatitudo quantum ad alia, quæ ad perfectam

hominis beatitudinem requiruntur, et in eam tendit, est simul viator et comprehensor. Comprehensor quidem, quia est beatus secundum mentem; viator vero, quia tendit ad id quod sibi deest de perfecta beatitudine.

Minor prob., quia Christus ante passionem suam, secundum mentem plene videbat Deum, et sic habebat beatitudinem quantum ad id, quod est proprium animæ. Sed quantum ad alia, deerat ei beatitudo, quia et anima ejus erat passibilis, et corpus erat passibile et mortale, ut ex supradictis patet. Et ideo Christus erat comprehensor, in quantum habebat beatitudinem propriam animæ: et simul erat viator, in quantum tendebat ad beatitudinem secundum id, quod ei de beatitudine deerat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod moveri in finem, et in fine quiescere contingit dupliciter. Uno modo ut aliquis secundum idem quiescat et moveatur, et hoc est impossibile. Alio modo secundum diversa, et hoc est possibile: sicut aliquis homo est simul sciens, quantum ad ea quæ jam novit, et addiscens, quantum ad ea quæ nondum novit; et sic contingit in Christo, qui erat comprehensor, quantum ad beatitudinem propriam animæ; et viator, in quantum tendebat ad ea quæ sibi deerant de perfecta hominis beatitudine.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod beatitudo principaliter, et proprie consistit in anima, et secundum mentem. Secundario tamen et quasi instrumentaliter requiruntur ad beatitudinem etiam corporis bona. Sicut etiam Phil. dicit 1. Ethic. c. 8. quod exteriora bona organice deserviunt beatitudini. Quia igitur Christo deerat corporis beatitudo, et animæ impassibilitas, ad quæ tendebat, ideo erat viator.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de animabus sanctorum, et de Christo propter duo. Primo quidem quia anima sanctorum non sunt passibiles, sicut fuit anima Christi. Secundo quia eorum corpora non agunt aliquid per quod tendant in beatitudinem; sicut Christus secundum corporis passiones in beatitudinem tendebat, quantum ad gloriam corporis.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 15.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, hæreses *Pharisæorum* seu *Judæorum* dicentium, ut passim refertur in Evangelio: quod Jesus Nazarenus erat seductor, non custodiens sabbatum; habens dæmonium, Samaritanus, homo vorax, potator vini, amicus publicanorum, et similia. Per horum enim singula affirmare intendebant illud, quod aliquando ipsimet verbatim expresserunt *Joa.* 9. scilicet quod ille esset peccator. *Secundo* habes: quomodo per rationem et directam, et indirectam (sic semper in appendicum similibus locis intelligitur, directa vero ponitur in corpore: indirecta autem vocatur solutio argumentorum) ostendas, hæreses prædictas merito damnari a 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. *Item ab Heb.* 4. Tentatum per omnia absque peccato. Item á Joan. 8. *Quis ex vobis arguet me*, scilicet rationabiliter, *de peccato*? Ad cujus expositionem dicit B. Greg. ibi in hom. "Non dedignatur, ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. *Item á Joan.* 1. Ecce Agnus Dei:

ecce, qui tollit peccata mundi. *Pro cujus captu facit D. Chrys. in hom. super Matth.* 3. *dicens*: quia illud erat baptisma pœnitentiæ, et in accusationem peccatorum inducebat, ne quis putaret, quod et Christus tali proposito ad Jordanem veniret, Joannes præmonuit hoc, agnum certe illum, ac redemptorem vocando, ab omni immunem, quod in toto erat orbe, peccato. Qui enim cuncta humani generis poterat peccata delere, absque omni erat ipse peccati delicto. *Item ab Heb.* 7. Talis decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus á peccatoribus. *Item á Joan.* 14. Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. » Hoc est. In me non est peccatum. Tanto enim plus, et minus, in aliquo diabolus habet quicquam, quanto plus, vel minus aliquis est peccator. Signum ergo certum, quod nullum sit peccatum in aliquo, est hoc, quando scilicet diabolus in eo non habet quicquam. Item á Joan. 8. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Per hoc enim monstratur, et quod Christus, in quantum homo, semper ex obedientia ad patrem meretur, et consequenter á fortiori commonstratur, quod Christus numquam peccat. *Tertio* igitur habes: illud esse hæreticum, quod quidam *Aug. de Roma* dixit, videlicet, quod Christus quotidie peccat, et ex quo fuit Christus, semper peccavit. Quamvis autem hoc suum dictum idem Aug. tamquam defendendo asserat, se non intelligere de Christo capite ecclesiæ, sed de membris ecclesiæ, quæ cum Christo capite unum sunt: hoc, inquam defensorium suum non tollit errorem. *Quarto* consequenter habes: quomodo per rationem ostendas, hoc merito damnari á Concil. Basil. pro tempore quo erat validum, scilicet, de anno 1435. Concilium enim ipsum sess. 22. ait. "Quemdam libellum editum ab Aug. de Roma Archiepiscopo Nazareno, cujus primus tractatus de sacramento divinitatis, etc. Secundus de Christo capite, etc. Alius de charitate Christi circa electos, etc. tamquam non sanam, sed erroneam in fide doctrinam continentem cum suis defensoriis hæc sancta Synodus damnat, et reprobat, et potissimum scandalosam assertionem erroneam in fide, in ipso libello contentam, scilicet: Christus quotidie peccat, et ex quo fuit Christus, quotidie peccavit. Quamvis pro capite ecclesiæ Christo dicat, se non intelligere, sed ad membra sua, quæ cum Christo capite unum esse Christum asseruit, intelligentiam ejus esse referendam dicat.» Contra ejusdem errores in fide, et hunc, et nonnullos alios: vide etiam Cardinal. Turrecrem. in Summa de eccles. *lib.* 1. *cap.* 68. De valore, et invaliditate prædicti Concil. vide sup. q. 8. art. 3. appen. et q. 10. ar. 1. appen. maxime bullam Papæ Nicolai ibi, et citatum locum Compen. *Alb. Mag. cum schol. Quinto* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applic. doctrina præsens Angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum quod in Christo non fuit fomes peccati. Ut per illud, quod dicitur Matth. 1. *Quod in ea*, etc. ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Pro cujus captu notabis: quod fomes est aliquid, quasi effectus, sive quædam reliquia peccati originalis, et propterea conceptionem non de Spiritu Sancto, sed de semine virili præsupponens, per quam contrahitur peccatum originale, 1. 2. q. 81. art. 1 4. Cum igitur dicere, Christum esse conceptum ex semine virili, sit hæresis pessima, et dicere, ipsum conceptum de Spiritu Sancto, sit fides catholica: necessario sequitur, et quod ponere in Christo fomitem sit damnabilissima hæresis, et quod nègare fomitem in ipso fuisse, sit simpliciter de fide necessarium ad salutem. Ex tex. ergo hoc argumenti in contrarium á D. Thoma facti habes campum magnum, et latum ad ostendendum per scripturas, per symbolum fidei, per concilia, etc. intentum in principio appendicis dictum, scilicet, quod in Christo non fuit fomes peccati. Universæ siquidem scripturæ, quæ dicunt, vel Christum de Spiritu Sancto conceptum, vel etiam conceptum in virginali utero, vel etiam virginem concepisse ipsum, demonstrant per talia dicta, quod non potuit esse peccati fomes in Christo. Quod autem dico de scripturis, dicendum quoque est de symbolo fidei, de Conciliis, de summorum Pontificum, de sanctorum Doctorum dictis. Ecce, quam grandis via ad conclu-

dendum id, quod intendis. Juvat præterea videre art. 1. in tex. et append. cui vicissim ista suffragantur. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Agnoetarum* dicentium, humanitatem secundum subsistentiam Verbo unitam multa ignorare. Hoc est, pro quanto nunc hic adducitur, ignorantiam fuisse in Christo: *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á dictis q. 10. ar. 2. appen. et q. 11. ar. 1. appen. et q. 12. a. 1. appen. Item á Luc. 1. *Illuminare his, qui in tenebris, et umbra mortis sedent.* Licet enim per modum orationis ad Christum nos ex alto visitaturum hoc dicatur: tamen etiam est prophetia nobis prænuntians, quod Christus adveniens erat illuminaturus universum mundum. Illuminationem vero hanc causat ipse non solum ut Deus, sed etiam nt homo, secundum quod declaratur q. 8. ar. 4. ad 3. Cum ergo ignorantia per ignorantiam non tollatur, et Christus venerit, ut: etc. ut *in arg. cont.* Item á Joan. 16. *scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget.* Ac si aperte dictum sit. Adeo scis omnia, ut nullus te quasi aliquid nescientem, interrogare valeat, quasi tentans de ignorantia aliqua te convincere: *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod in Christo anima fuit passibilis. Ut per hoc, quod dicitur Ps. 87. *Repleta*, etc. ut cum glossa ponitur *in arg. cont. Item á Jo.* 12. Nunc anima mea turbata est. *Item á Luc.* 19. Videns civitatem flevit super illam. *Item a Marc.* 3. Circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum.

Item ab Hebr. 2. " Quia pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem. » Communicare enim carni, et sanguini est passionibus carnis, et sanguinis affici (ut patet in nobis) quod fuit in Christo, sine peccato tamen. Item apertius ad intentum art. subditur ibi. ly, debuit per omnia fratribus assimilari. Juvaberis vicissim ex q. 5. a. 4. append. et quæst. 14. art. 1. append. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Manichæi*, *Albanensium*, *Cerdonis*, *Marcitæ* (ut de hoc ultimo refert Prateolus, tit. *Lucianus*) dicentium, quod Christus non fuit vere, sed putative, seu phantastice passus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab Isai. 53. *Vere*, etc. ut *in arg. cont.* Item á Jo. 8. *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Liberavit enim per passionem, dolores, utique ad sanguinem suum, *Apocal.* 1. et consequenter, si nos vere liberati sumus (ut revera sumus) de necessitate sequitur, quod ipse Christus Dei Filius sit vere passus, et dolens usque ad sanguinem. Nam, sicut ex falso non nisi falsum (ut dicit Philosophus) ita ex activa liberatione phantastica, quod esset Christum esse phantastice passum, non nisi passiva liberatio phantastica processisset. Adhuc ergo essemus in peccatis nostris omnibus. Ergo et fides nostra merito suarum passionum in nobis á Christo plantata esset inanis. Ergo et omnes nostræ orationes virtuti passionum ipsius innixæ (ut patet ex earum terminatione, scilicet *per Christum Dominum nostrum*) essent cassæ, sive inanes. Ergo et prædicatio Apostolorum de Christi passionibus, de remissione peccatormm nostrorum per eam de sacramentorum efficacia in vi passionis ejus operantium, de fabricatione Ecclesiæ ex costa ipsius in cruce mortui, de resurrectione mortuorum á passione ejusdem originaliter procedente, de vita æterna nobis intercedentibus meritis suæ passionis danda: prædicatio, inquam, illorum de omnibus his, atque multis aliis fuisset inanis, proptereaque ipsi fuissent falsi testes, ac dixissent falsum testimonium contra Christum, prædicando hæc omnia ab eo per passionem causata, quæ veraciter causata non essent, sed fallaciter, si in Christo non vere, sed phantastice dolores, seu passiones fuissent, ut illa pessima hæresis dicebat. Hæc vero universa inde necessario procedentia, et illata, quam maxime pro inconvenienti summo singillatim sint, et habeantur ab Apostolo, vide ipsum in quodam specialiter simili diffuse loquentem, per illudque omnia præmissa secundum omnes recte sentientes detestari intendentem,

1. Cor. 15. Ubi et vide expositionem D. Thom. Item merito damnari á Joan. 14. *Ego sum veritas.* Absit enim, quod veritas aliquid per duplicitatem faciat. Alioquin, ut amplius quid addam, quomodo Christus esse, aut intelligi posset veritas, si vel minimum falsitatis, sophisticationis, aut simulationis in actionibus, passionibus suis, posset admittere? Potest quidem concretum, puta verum, compati secum aliquid sui contrarii, abstractum autem, puta veritas, minime. Alioquin abstractum non esset abstractum, sed concretum. Hæc dicta sint sistendo solum in vi hujus nominis, veritas. Quod si addatur ex Evangelista, quod veritas talis est divina: adeo firmantur prædicta de non posse admittere ullam falsitatem, ut nihil supra. Item merito damnari á Papa *Eugenio IV.* in Concil. *Flor.* " Sacrosancta Romana Ecclesla, Domini, et Salvatoris nostri voce fundata firmiter credit, profitetur, et prædicat: Dei Filium in assumpta humanitate ex virgine vere natum, vere passum, vere mortuum: anathematizat autem, execratur, et damnat omnem hæresim contraria sapientem. *Et infra.* Anathematizat Manichæum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt. » Hæc ille in const. super union. Jacobin. Manichæus ergo per suum dogma sustulit totius humanitatis Christi veritatem, idest uno verbo dixit, Christum non vere doluisse, non vere esuriisse, non vere comedisse, non vere dormiisse, non vere passum esse, nec vere mortuum, nec vere surrexisse, nec vere in cœlum ascendisse, nec vere sedere ad dexteram Patris, nec vere, etc. Et ideo Papa, dum damnat eum, damnat abundantissime hæresim in princip. append. positam. Et hoc idem intellige quoque de omnibus allis damnantibus Manichæum ipsum. Item damnari á quarta, quinta, et sexta synodis per hoc, quod dicunt: " Sequentes sanctos Patres consonanter omnes docemus, Dominum nostrum Christum perfectum in deitate, perfectum in humanitate; Deum vere, et hominem vere. » Hæc recitantur in constitut. Eugen. IV. in Concil. Florent. super union. Armenor. Item á symbolo fidei per hoc, quod dicit ly *Homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est.* In symbolo enim illo, cum sit firmissimum fidei catholicæ fundamentum, propositiones positæ sunt veræ, idest in vero sensu intelligendæ: imo non tantum veræ, sed etiam propriæ sunt, sed etiam in proprio ipsarum sensu accipiendæ (ut habetur ex D. Thom. super Ep. ad Rom. c. 1. super ly *qui prædestinatus;* et hic infra, q. 16. art. 1.) in cujus propriæ significationis indicium est, quod ibi non dicitur, Christi humanitas crucifixa, passa, mortua: sed dicitur, Christus crucifixus, passus, mortuus. Licet enim verum sit, quod humanitas est crucifixa, passa, mortua, non tamen est proprie dictum, quoniam actiones, et passiones sunt proprie suppositorum, ut habetur ex *Phil.* Christus igitur est crucifixus, passus, mortuus, est propositio propria, quia ly *Christus* dicit suppositum, et est vera, quia ipse, secundum quod homo, idest, secundum humanitatem, passus est. Unde ad denotandum, quod veritas harum propositionum sic debet intelligi, præponitur ly *homo factus est,* ad ly *crucifixus, passus, mortuus:* quasi expresse per hoc dicatur. Omnes propositiones de mysteriis humanitatis Christi sequentes intelliguntur de ipso Christo, secundum quod homo est. Maxime ergo concluditur intentum per symbolum contra hæreticos in principio dictos propter rationem de illius propositionibus dictam. Item merito damnari posse ab art. 4. append. et á q. 1. art. 1. et q. 5. art. 1. et 4. in text. et append. et q. 14. art. 1. in text. et append. Et á veritatibus aureis super totam legem veterem, Deut. 9. concl. 7. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim prædictam in artic. 5. append. pro quanto ab eis universaliter de Christi passionibus sic loquentibus applicabatur specialiter ad tristitiam, dicendo, scilicet, quod in Christo non vere, sed putative, seu phantastice fuit tristitia. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab omnibus scripturis, Papa, et Concil. ibi narratis, si (ut oportet) inflectantur speciatim ad tristitiam. Item á Matth. 26. *Tristis,* etc. ut cum D. Ambrosio ponitur *in arg. cont.* Pro cujus captu recole, quod Christus est

veritas, Joan. 14. circa quod discurre juxta viam tibi apertam in artic. 5. append. Alioquin, si ad tropos, seu figuratas, aut metaphoricas locutiones hæc, et alia multa hujusmodi pro libito verterentur in exponendo (ut *Manichæi* cum suis garriunt) tunc Evangeliorum veritas tolleretur, nec quicquam firmum eras remaneret. Contra hoc genus vitiosissimum exponendi scripturas vide Eluc. 1. p. qu. 31. art. 9. not. post arg. In hujusmodi enim veritas scripturæ est inconcusse tenenda, ut docet B. Aug. lib. 1. super Gen. c. 18. et lib. 12. confess. c. 24. 25. firmiter concludendum universaliter est, quod major est scripturæ sacræ auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas, ut docet idem lib. 2. super Genes. c. 5. hoc est, quod scriptura sacra est major corde nostro. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim prædictam in art. 5. append. pro quanto ab ipsis hæreticis universaliter loquentibus de passionibus Christi applicatur specialiter ad timorem (quandoquidem sub universali continetur speciale) dicendo, scilicet, in Christo non fuit timor. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab omnibus scripturis, Papa, et Conciliis ibib. narratis, si (ut oportet) inflectantur speciatim ad timorem. Item ab Ecclesia per hoc, quod introducit Christum de persecutoribus suis dicentem: *contumelias, et terrores passus sum ab eis.* Hæc illa in laud. *fer. 4. palmarum.* Item á Luc. 22. « Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. » Agonia enim est species timoris, 1. 2. q. 41. art. 4. Ab effectu quoque insolito, scilicet sudore sanguinis, magnam fuisse causam, idest magnum timorem, demonstratur in Christo. Pro quo notabis: quod non solum sudor sanguinis vere ibi fuit, sed in tanta copia, ut guttatim non modo descenderet, sed etiam quodam impetu actus decurreret in terram: id, quod abundantissimum timorem inferebat esse in Domino. Dixi ly *vere,* quia ly *sicut* ad hoc dicendum me constrinxit. Nam ly *sicut* importat hic quamdam emphaticam expressionem veritatis rei, quæ dicitur, idest, sanguinis guttatim decurrentis in terram: adeo, quod cum quadam vi exprimit, et sanguinem hunc fuisse verum sanguinem, et hunc per guttas decursum in terram fuisse verum decursum. Solent enim et homines ad emphatice exprimendum veritatem proprietatum regiæ dignitatis in aliquo, dicere de illo: Ambulat, sicut rex, loquitur, sicut rex, in omnibus gestis suis se habet, sicuti rex. Per quod utique dictum nullo modo intelligunt, vel parvissimam diminutionem veritatis rei, de qua loquuntur (ut patet) sed totaliter veritatem exprimere, ut diximns. Hæc bene nota pro multis scripturarum locis recte intelligendis, ut Luc. 3. *Descendit Spiritus Sanctus, sicut columba, in ipsum*: ubi ly *sicut* non tollit, sed exprimit veritatem columbæ, qu. 39. art. 7. et Matth. 17. *resplenduit facies ejus, sicut sol, et vestimenta facta sunt alba, sicut nix:* Ubi ly *sicut* non tollit, sed exprimit veritatem splendoris tanti, et tantæ albedinis, qu. 45. art. 2. Item merito damnari á Marc. 14. *cæpit*, etc. ut *in arg. cont.* Pro cujus sano captu recole, quod Christus est veritas, etc. ut supra in art. 6. append. per omnia usque ad ly *corde nostro. Tertio* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse a Scripturis insinuatum, quod admiratio fuit in Christo. Ut matth. 8. Audiens; etc. ut *in arg. contr.* In quo ly *verba Senturionis* intellige sic. Centurionis, scilicet, non per seipsum, sed per intermediam personam ad Cristum loquentis. Non enim ille personaliter accessit ad Dominum, non reputans se ad hoc dignum, sed misit ad eum amicos verba præmissa inter cætera ei dicturos, ut habetur Luc. 7. Item Matth. 15. *O mulier, magna est fides tua.* Videtur enim probabile, quod etiam hic miratus sit: sicut et ibi. Item, etc. secundum quod tu per teipsum invenies juxta not. pro lectoribus positam 2. 2. qu. 70. append. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse a scripturis insinuatum, quod ita fuit in Christo. Ut per hoc, quod dicitur Jo. 2. de eo, etc. ut *in arg. cont.* Pro quo nota, et illum esse Ps. 68. et de-

clarationem zeli allatam in corp. ex *D. Aug.* Ex quo dic, quod illa ejectio animalium hominumque irreligiosorum é templo fuit effectus iræ per zelum, qui iram ipsam fuisse in Christo manifeste scholasticos docet, dum ab effectu inferre causam didicerint ex Philosopho, Poster. 1. Item á Marc. 3. *Circumspiciens eos cum ira.* Item per hoc quod dicitur Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. «O generatio incredula atque perversa, quousque ero vobiscum? Usquoque patiar vos? Ex celo enim, sive ex ira per zelum procedunt hæ, similesque increpationes; quas plerumque habes in evangeliis, et consequenter ab his, tamquam ab effectibus demonstratur causa sua, scilicet ira. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis insinuatum, quod Christus fuit simul viator, et comprehensor. Quod quidem viator, ut per hoc, quod ad Christum secundum sanctos expositores dicitur Hierem. 14. Quasi colonus futurus es in terra, etc. ut *in arg. cont.* Quod autem comprehensor, ut per hoc, quod ad Filium Dei secundum sanctos doctores dicitur in Psal. 64. *Beatus, quem eligisti, et assumpsisti.* Hoc est. Beatus beatitudine, qua essentia Dei clare videtur, est homo, quem assumpsisti, idest, humanitas à te assumpta ad hoc, ut tu filius Dei esses personaliter homo. Vide q. 4. a. 3. ad primum. Item insinuatur à dictis quæst. 9. art. 2. et q. 10. art. 1. et 4. append. *Secundo* vides: quomodo, etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA SEXTA,

### DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUÆ CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE, ET FIERI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quæ consequuntur unionem: et primo quantum ad ea quæ conveniunt Christo secundum se; secundo de his quæ conveniunt Christo per comparationem ad Deum Patrem; tertio de his quæ conveniunt Christo per comparationem ad nos.

Circa primum duplex consideratio occurrit. Prima quidem de his quæ conveniunt Christo secundum esse, et fieri; secunda de his quæ conveniunt Christo secundum rationem unitatis.

*Circa primum quæruntur duodecim.*

Primo, utrum hæc sit vera, Deus est homo.

Secundo, utrum hæc sit vera, Homo est Deus.

Tertio, utrum Christus possit dici homo dominicus.

Quarto, utrum ea quæ conveniunt filio hominis, possint prædicari de Filio Dei et é contrario.

Quinto, utrum ea quæ conveniant Filio hominis, possint prædicari de divina natura, et de humana ea quæ conveveniunt Filio Dei.

Sexto, utrum hæc sit vera, Filius Dei factus est homo.

Septimo, utrum hæc sit vera, Homo factus est Deus.

Octavo, utrum hæc sit vera, Christus est creatura.

Nono, utrum hæc sit vera: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse, vel fuit semper.

Decimo, utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Undecimo, utrum hæc sit vera: Christus secundum quod homo, est Deus.

Duodecimo, utrum hec sit vera: Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.

### ARTICULUS I.

*Utrum hæc sit vera, Deus est homo.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod hæc non sit vera: Deus est homo.

1. Omnis propositio affirmativa in materia remota est falsa. Sed hæc propositio, Deus est homo, est affirmativa in materia remota. Ergo hæc propositio, Deus est homo, est falsa.

Minor prob., quia formæ significatæ per subjectum et prædicatum, scilicet deitas et humanitas, sunt maxime distantes.

2. In mysterio Trinitatis, una persona non prædicatur de alia: non enim dicimus, quod Pater est Filius, aut é contrario, quod Filius est Pater. Ergo multo minus humana natura potest prædicari de Deo, ut dicatur: Deus est homo.

Consequentia prob., quia magis conveniunt tres personæ divinæ ad invicem, quam humana natura et divina.

3. Hæc est falsa. Anima est caro. Ergo etiam hæc est falsa, Deus est homo.

Conseq. prob, quia Athanas. dicit in Symbolo: « sicut anima rationalis et caro « unus est homo, ita Deus et homo unus « est Christus. »

4. Si hæc esset vera, Deus est homo, sequeretur, quod tota Trinitas, et quælibet persona divina esset homo, quod est falsum.

Conseq. prob. Nomen absolutum, quod prædicatur de Deo, convenit cuilibet personæ divinæ, ut dictum est 1. par. quæst. 39. art. 3. Sed hoc nomen homo, est absolutum et non relativum. Ergo si prædicatur de Deo, ita quod sit verum dicere, quod Deus est homo, erit verum dicere, quod Trinitas, Pater, et Spiritus Sanctus sit homo.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ille qui est in forma Dei est homo. Sed Deus est, qui est in forma Dei. Ergo Deus est homo.

Maior prob., quia dicit Apostolus ad Philip. 2. «Quis» scilicet Dei Filius, «cum « in forma Dei esset, exinanivit semetip- « sum formam servi accipiens, in simili- « tudinem hominum factus, et habitu in- « ventus ut homo. » Verum est igitur dicere, quod ille qui est in forma Dei, qui est Deus, est homo.

*Determinatio.*

*Errores diversi circa sensum hujus propositionis, Deus est homo.*

Ista propositio: Deus est homo, ab omnibus christianis conceditur; non tamen ab omnibus conceditur in eodem sensu. Quidam enim dixerunt hanc propositionem esse veram, et propriam respectu subjecti, sed impropriam respectu prædicati. Quidam vero dixerunt esse veram et propriam, respectu prædicati, sed impropriam, respectu subjecti. Quidam tandem dixerunt ipsam esse veram, et propriam respectu utriusque termini, sed esse impropriam respectu modi prædicandi, quod est esse impropriam respectu copulæ.

Manichæi enim Verbum Dei dicunt esse hominem; non quidem verum hominem, sed similitudinarium, in quantum dicunt Filium Dei assumpsisse non verum corpus humanum, ac per hoc nec animam, sed corpus phantasticum. Unde secundum ipsos quando dicitur: Deus est homo, idem est ac si diceretur: Deus habet similitudinem hominis, sed tamen non est verus homo: eo modo, quo cuprum habens similitudinem hominis, dicitur homo: et in eodem sensu fatentur hanc propositionem illi, qui posuerunt in Christo animam non fuisse corpori unitam; hi enim non possunt dicere, quod Christus sit verus homo, cum ad veritatem hominis requiratur conjunctio animæ cum corpore, sed solum quod dicatur homo figurative, ratione partium; et sensus erit: Christus est homo, idest habet humanam animam et corpus.

*Reprobatio.*

Sed ambo isti errores reprobati sunt superius, quæst. 5. art. 1. et 2.

Alii vero é converso ponunt veritatem ex parte prædicati, scilicet hominis; negant tamen veritatem ex parte subjecti, scilicet Dei. Dicunt enim Christum, qui

est Deus et homo, esse Deum, non naturaliter, sed participative, scilicet per gratiam, sicut et omnes sancti viri dicuntur Dii: excellentius tamen Christus præ aliis dicitur Deus propter gratiam abundantiorem. Et secundum hoc, cum dicitur: Deus est homo, ly Deus, non supponit verum et naturalem Deum. Unde secundum eos, hæc propositio, Deus est homo, non est propria ex parte subjecti. Et hæc est hæresis Photini, quæ superius quæst. 2. art. 6. reprobata fuit.

Alii denique concedunt hanc propositionem cum veritate utriusque termini, ponentes Christum verum esse Deum et verum hominem; sed tamen veritatem prædicationis non salvant. Dicunt enim quod homo prædicatur de Deo per quamdam conjunctionem vel dignitatis, vel auctoritatis, vel etiam affectionis, aut inhabitationis: et sic posuit Nestorius Deum hominem esse, ut per hoc nihil aliud significetur, quam quod Deus est homini conjunctus tali conjunctione, quod homo inhabitetur á Deo, et uniatur ei secundum affectum, et secundum participationem auctoritatis et honoris divini. Et in similem errorem incidunt quicumque ponunt duas hypostases, vel duo supposita in Christo. Quia non est possibile intelligi quod duorum quæ sunt secundum suppositum, vel hypostasim distincta, unum proprie prædicetur de alio, sed solum secundum quamdam figurativam locutionem, in quantum in aliquo conjunguntur, puta si dicamus Petrum esse Joannem, quia habent quamdam conjunctionem ad invicem, et hæ omnes opiniones, sive hæreses superius qu. 2. art. 6. fuerunt diffuse improbatæ.

*Vera sententia.*

Conclusio. Hæc propositio, Deus est homo, est vera, non solum propter veritatem terminorum, sed etiam propter veritatem prædicationis.

Quo ad primam partem, scilicet quod sit vera propter veritatem, et proprietatem terminorum, patet supponendo, secundum veritatem catholicæ fidei, quod vera natura divina unita est cum vera natura humana, non solum in persona, sed etiam in supposito vel hypostasi; ex quo sequitur quod Christus sit verus Deus, quia habet naturam divinam, et verus homo habens veram naturam humanam; unde supposita veritate catholicæ fidei, propositio hæc est vera propter veritatem et proprietatem terminorum.

Quoad aliam partem autem, scilicet quod sit etiam vera secundum veritatem et proprietatem prædicationis, sic ostenditur.

Propositio in qua natura in concreto significata, prædicatur de suo supposito, est vera et propria. Sed in hac propositione, Deus est homo, natura humana in concreto significata, prædicatur de supposito humanæ naturæ. Ergo hæc propositio, Deus est homo, est vera et propria.

Maior probat. Quia nomen significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi: sicut hoc nomen, homo, potest supponere pro quolibet singulari homine, et hoc nomen Deus, ex ipso modo suæ significationis potest supponere pro persona Filii Dei, ut in 1. p. qu. 39. art. 4. ad 3. habitum est. Propositio igitur illa, in qua natura in concreto significata prædicatur de suo supposito, est vera et propria. Quia scilicet quælibet natura in concreto significata supponere potest pro quolibet suo supposito, sicut hoc nomen, homo, supponit pro quolibet singulari homine; ac per hoc de quolibet singulari homine vere et proprie prædicatur.

Minor ostenditur, quia Filius Dei pro quo supponit hoc nomen, Deus, in hac propositione est suppositum humanæ naturæ. Natura enim humana in Christo est unita supposito Filii Dei, ut pluries dictum est supra. Igitur natura humana in concreto significata, vere et

proprie prædicatur de supposito Filii Dei, quod est suppositum divinæ et humanæ naturæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod ad hoc ut propositio sit in materia remota, non solum requiritur quod formæ sint maxime distantes; sed cum hoc requiritur quod non possint convenire in unum suppositum. Quando enim duæ formæ sunt taliter distantes quod non possunt convenire in uno et eodem supposito, propositio erit in materia remota, si una harum formarum affirmative prædicetur de altera. Sicut est ista, lapis est homo, vel cœlum est terra. Si autem aliquæ duæ formæ possint in eodem supposito convenire; si affirmative una de altera prædicetur, non erit propositio in materia remota, sed erit in materia contingenti vel naturali: erit inquam in materia contingenti, si illæ duæ formæ sint in eodem subjecto contingenter, ut quando dicitur: album est musicum, quia enim musica, et albedo accidentaliter insunt eidem homini, dicendo, album est musicum, est propositio in materia contingenti. Si vero duæ formæ maxime distantes per se sint unitæ in aliquo uno supposito, erit in materia naturali. Quia igitur natura divina et humana, quamvis sint maxime distantes, tamen conveniunt per incarnationis mysterium in uno supposito, cui neutra illarum inest per accidens, sed per se, ideo hæc propositio, Deus est homo, non est in materia remota, neque in materia contingenti, sed est in materia naturali, et prædicatur homo de Deo, non per accidens, sed per se; non quidem ratione formæ significatæ per hoc nomen Deus, sed ratione suppositi quod est hypostasis humanæ naturæ.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod personæ divinæ conveniunt quidem in natura; disguuntur tamen in supposito, et ideo divinæ personæ non prædicantur de invicem. In mysterio autem incarnationis, naturæ quidem, quia distinctæ sunt, de invicem non prædicantur, secundum quod significantur in abstracto, (non enim dicimus: natura divina est natura humana,) sed quia conveniunt in supposito, prædicantur de se invicem in concreto

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod illa similitudo Athanasii est vera quantum ad unitatem, non autem quantum ad prædicationem: est vera quantum ad unitatem, quia sicut anima et caro faciunt unum hominem, ita Deus et homo faciunt unum Christum. Non est autem vera quantum ad prædicationem, quia anima et caro accipiuntur in abstracto; duæ autem res in abstacto acceptæ non possunt prædicari de invicem; et ideo non potest dici quod caro sit anima, nec quod anima sit caro. Si autem acciperentur in concreto, de invicem prædicarentur, ut dicendo: animatum est corporeum, et corporeum est animatum. Deus vero, et homo in hac propositione accipiuntur in concreto, et ideo de invicem prædicantur, quod non esset, si acciperentur in abstracto; deitas enim non est humanitas, nec humanitas Deus.

Ad 4. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod maior est vera, quando nomen absolutum prædicatur de Deo, non per aliquam relationem quæ sit ratio quod tale nomen de Deo prædicetur: quia enim hoc nomen, creator, prædicatur de Deo, non ratione alicujus mediæ relationis, sed mediante actione, qua res in esse produxit, hoc nomen dicitur de tota Trinitate, et de singulis personis: si autem aliquod nomen absolutum prædicetur de Deo ratione alicujus relationis, non oportet quod prædicetur nisi de persona, ad quam relatio illa terminatur. Hoc nomen, homo, est quidem nomen absolutum; tamen prædicatur de Deo ratione unionis, quæ est quoddam relativum, et

quia unio cum humanitate terminata est tantum ad personam Filii, ideo homo tantum de persona Filii prædicatur.

## ARTICULUS II.

*Utrum hæc sit vera: homo est Deus.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod hæc non sit vera, homo est Deus.

1. Nomen Dei non potest prædicari de lignis, et lapidibus. Ergo eadem ratione nomen Dei non potest prædicari de homine, ut possit dici: homo est Deus.

Anteced probat., quia Sap. 13. reprehenduntur idololatræ de hoc quod hoc nomen, Deus, quod est incommunicabile, lignis et lapidibus imposuerunt.

2. Si esset verum dicere quod homo est Deus, sequeretur quod esset etiam verum quod homo est trinitas, Pater et Spiritus Sanctus: quod est falsum.

Conseq. prob., quia de subjecto, de quo prædicatur aliquod prædicatum, debet etiam prædicari prædicatum illius prædicati. Sicut quia de homine prædicatur animal, dum dicitur: homo est animal, de homine prædicatur etiam sensibile, quod prædicatur de animali. Si igitur de homine prædicatur Deus, debet etiam de eodem homine prædicari id quod de Deo prædicatur. Et quia de Deo prædicatur pater: hæc enim est vera, Deus est Pater, sequitur quod etiam pater possit prædicari de homine, et sit verum dicere quod homo est Pater.

3. In Psal. 80. dicitur: *non erit in te Deus recens.* Ergo non est verum quod homo sit Deus.

Prob. conseq. quia si homo esset Deus, esset Deus recens; quia hmo non semper fuit Deus, cum non semper Filius Dei fuerit homo, sed in tempore.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus est Deus. Ergo homo est Deus.

Anteced. prob., quia dicitur Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et sic Christus est Deus.

Conseq. prob., quia Christus secundum carnem est homo.

*Determinatio.*

Conclusio. Hæc propositio, homo est Deus, est vera et propria.

Prob. Nam supposito quod in Christo sit vera natura divina, et vera natura humana, et quod unio harum naturarum sit facta in persona et hypostasi, sicut et superius probata fuerunt; sequitur quod suppositum quod est in Christo, sit suppositum naturæ divinæ et naturæ humanæ: unde ly homo poterit supponere pro supposito Filii Dei, quod est Deus: et propterea sicut hæc est vera: Deus est homo, quia, ly Deus supponit pro persona Verbi, quæ carnem assumpsit, ita hæc erit vera et propria: homo, idest Filius Dei, qui est suppositum naturæ humanæ, est Deus.

In forma sic probat. Filius Dei vere et proprie est Deus. Sed homo Christus est Filius Dei. Ergo homo est Deus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. consequentia. Non enim nos dicimus hominem esse Deum, sicut idololatræ dicebant ligna et lapides esse Deum. Idololatræ enim attribuebant nomen deitatis lapidibus et lignis, secundum quod in sua natura considerantur, quia putabant in illis aliquid numinis esse: nos autem non attribuimus nomen deitatis Christo secundum humanam naturam, sed secundum suppositum æternum, quod per unionem incarnationis est etiam suppositum humanæ naturæ, ut dictum est.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod est vera de prædicatione per se, non autem de prædicatione quasi per accidens. Si enim de prædicato quod prædicatur de aliquo subjecto, prædicetur aliquid per se, illud prædicatum prædicatur etiam de subjecto illo: sicut in exemplo inducto in arguendo, quia animal per se prædicatur de homine, et sensibile prædicatur per se de animali; hinc optime sequitur quod etiam sensi-

bile prædicetur de homine. Si vero de animali prædicetur aliquid prædicatione per accidens, non oportet quod illud prædicatum prædicetur de homine. Si enim dicamus: homo est animal et animal est equus, non sequitur: ergo homo est equus, quia prædicatio equi de animali non est per se. Sic in proposito verum est dicere quod homo est Deus. Unde quicquid per se prædicatur de Deo, prædicabitur de homine Christo. Unde verum erit dicere quod homo Christus est infinitus, immensus, etc. Quando autem pater prædicatur de Deo, secundum quod Deus significat habentem deitatem in communi, non est prædicatio per se, sed quasi per accidens, in qua inferius prædicatur de superiori. Unde si hæc prædicatio debeat esse per se, ly Deus debet supponere pro persona Patris: et tunc sicut non est verum dicere quod Pater sit filius, ita non erit verum dicere quod homo sit Pater: quia scilicet ly homo, supponit pro persona Filii, de qua prædicatur Deus per se, et propterea potest dici quod homo, idest Filius Dei, qui factus est homo, est Deus; non autem potest dici quod homo sit Pater: quia pater non per se prædicatur de Deo nisi ut ly Deus supponit pro persona Patris, ut dictum est.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod licet natura humana in Christo sit quoddam recens, tamen suppositum humanæ naturæ non est recens, sed æternum. Et quia hoc nomen Deus non prædicatur de homine, ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi, non sequitur quod ponamus Deum recentem. Sequeretur autem, si poneremus quod homo supponat pro supposito creato, secundum quod oportet dicere eos, qui in Christo ponunt duo supposita.

## ARTICULUS III.

### *Utrum Christus possit dici homo dominicus.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus possit dici homo dominicus.

1. Aug. in lib. 83. Qq. q. 36. loquens de Christo dicit: *monendum est ut illa bona expectentur, quæ fuerunt in illo homine dominico.* Ergo videtur quod Christus sit homo dominicus.

2. Deus dicitur humanatus, ut patet per Dam. lib. 3. orthod. fid. cap. 11. ubi dicit quod *humanatio eam, quæ ad hominem, copulationem demonstrat.* Ergo pari ratione potest dici denominative quod homo ille sit dominicus.

Conseq. prob., quia sicut dominium convenit Christo ratione naturæ divinæ, ita humanitas pertinet ad humanam naturam. Unde sicut Deus potest denominari humanatus, ita homo ille poterit denominari dominicus.

3. Dion. 4. cap. Eccles. Hierar. nominat Christum *divinissimum Jesum.* Ergo pari ratione potest dici quod Christus sit homo dominicus.

Conseq. prob., quia sicut dominicus denominative dicitur á domino, ita divinus denominative dicitur á Deo.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in lib. 1. retract. cap. 19. *Non video, utrum recte dicatur homo dominicus Jesus Christus, cum sit utique dominus.*

*Determinatio.*

Conclusio. Non potest vere et proprie dici quod homo ille Christus Jesus sit homo dominicus.

Prob. Ille qui est essentialiter dominus, non potest vere et proprie dici homo dominicus. Sed Christus est essentialiter dominus. Ergo Christus non vere et proprie dicitur homo dominicus.

Maior prob., quia dominicus dicitur denominative dominus: unde homo dominicus significat hominem domini, et non dominum essentialiter. Unde ille qui est essentialiter dominus, non dicitur proprie dominicus denominative, sed debet dici dominus.

Minor prob., quia cum dicitur, Christus Jesus, designatur suppositum æter-

num, ut dictum est artic. præced. quod suppositum est persona Filii Dei, propter hoc quod est unum suppositum utriusque naturæ, de persona autem Filii Dei prædicatur Deus, et dominus essentialiter, et ideo non debet prædicari denominative, quia hoc derogat veritati unionis.

Et confirmatur conclusio, et ratio ex opposito. Nam si in Christo essent duo supposita distincta, scilicet humanum et divinum, posset dici Christus homo dominicus, quia illud humanum suppositum non esset essentialiter dominus, sed solum denominative, in quantum fuisset assumptum ad participationem honoris divini, sicut nestoriani posuerunt. Unde cum in Christo sit tantum divinum suppositum, quod est essentialiter dominus, non debet dici Christus homo dominicus.

Confirmatur secundo á simili. Nam natura humana in Christo non dicitur essentialiter dea; sed solum denominative deificata, non quidem per conversionem ipsius in divinam naturam, sed per conjunctionem ad divinam naturam in una hypostasi, ut patet per Dam. in 3. lib. ortod. cap. 11. Unde sicut si in Christo esset solum natura divina, illa natura non diceretur deificata, sed Deus; ita quia in Christo est tantum persona, non dicitur homo dominicus, sed dominus, quia persona Christi est essentialiter domina.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod August. verba illa, et similia retractat lib. 1. retract. cap. 19. Unde post verba præmissa in lib. retract. subdit *ubicumque hoc dixi*, scilicet quod Christus Jesus sit homo dominicus, *dixisse me nollem; postea quippe vidi non esse dicendum; quamvis aliqua ratione possit hoc dictum defendi*, docendo quod Christus dicitur homo dominicus ratione humanæ naturæ, quam hoc nomen, homo, significat, non autem ratione suppositi.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod illud unum suppositum quod est divinæ, et humanæ naturæ, primo quidem fuit suppositum divinæ naturæ, scilicet ab æterno; postea autem ex tempore per incarnationem factum est suppositum humanæ naturæ, et hac ratione dicitur humanatum; non quia assumpserit hominem, sed quia assumpsit humanam naturam. Non autem suppositum humanæ naturæ in Christo fuit prius humanæ naturæ, et postea assumpsit naturam divinam: et ideo non non potest Christus dici deificatus homo, vel dominicus.

Ad 3. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio dicendi Christum divinum et dominicum. Hoc enim nomen divinum consuevit prædicari etiam de his, de quibus prædicatur essentialiter hoc nomen, Deus: dicimus enim quod divina essentia est Deus ratione identitatis, et quod essentia est Dei, sive divina, propter diversum modum significandi; et Verbum dicitur divinum, cum tamen sit Deus. Et similiter dicimus personam divinam, sicut et personam Platonis, quamvis persona divina sit Deus, et persona Platonis sit Plato; et hoc propter diversum modum significandi. Dominicus autem non dicitur de his, de quibus Dominus prædicatur: non enim consuevit dici, quod aliquis homo, qui est dominus, sit dominicus. Sed illud dicitur dominicum, quod qualitercumque est domini; sicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, cum sit dominus, dominicus non dicitur; sed potest caro ejus dici caro dominica, et passio ejus dicitur passio dominica. Dicitur ergo Jesus homo divinus, quamvis sit Deus, quia divinum prædicatur etiam de eo, qui est essentialiter Deus. Non autem dicitur dominicus, quia dominicum non consuevit dici de eo, qui est essentialiter dominus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum ea quæ conveniunt Filio hominis, possint prædicari de Filio Dei et é converso.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod ea quæ sunt naturæ humanæ, non possint dici de Deo, nec é converso.

1. Ea quæ sunt contraria his, quæ sunt Dei propria, non possunt dici de Deo. Sed ea quæ sunt humanæ naturæ, sunt contraria his, quæ sunt Dei propria. Ergo ea quæ sunt humanæ naturæ, non possunt dici de Deo.

Maior prob., quia impossibile est opposita de eodem prædicari.

Minor prob., quia Deus est increatus, immutabilis, et æternus. Ad humanam vero naturam pertinet ut sit creata, temporalis, et mutabilis.

2. Ea quæ continent defectum, non possunt prædicari de Deo. Sed ea quæ sunt humanæ naturæ, continent defectum. Ergo ea quæ sunt humanæ naturæ, non possunt dici de Deo.

Maior prob., quia attribuere Deo ea quæ ad defectum pertinent, videtur derogare divino honori, et ad blasphemiam pertinere.

Minor prob., quia ad naturam humanam pertinent pati, moti, et hujusmodi, quæ defectum continent.

3. Assumi convenit humanæ naturæ. Sed assumi non convenit Deo. Ergo ea quæ conveniunt humanæ naturæ, non possunt dici de Deo.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. c. 6. quod *Deus suscepit ea, quæ sunt carnis idiomata*, idest proprietates, *dum Deus passibilis nominatur, et Deus gloriæ crucifixus est.*

*Determinatio.*

*Nestorianorum positio.*

Circa hanc quæstionem diversitas fuit inter nestorianos, et catholicos. Nestoriani enim voces, quæ dicuntur de Christo, dividere volebant hoc modo, quod nomina, quæ dicuntur de Christo, sunt in triplici differentia: quædam conveniunt naturæ divinæ, ut esse Deum, æternum, immensum, et alia hujusmodi; quædam conveniunt naturæ humanæ, ut pati, mori, et similia; quædam vero poterant pertinere ad utramque naturam, ut hoc nomen Christus, vel dominus. Dicebant igitur, quod nomina quæ pertinebant ad humanam naturam, non dicebantur de Deo; nec ea quæ pertinent ad divinam naturam, dicebantur de homine. Unde Nestorius dixit: *Si quis Dei Verbo passiones tribuere tentat, anathema sit.* Nomina vero quæ pertinere possunt ad utramque naturam, prædicabant ea quæ sunt utriusque naturæ. Unde concedebant Christum esse natum de Virgine, et fuisse ab æterno; non tamen dicebant Deum natum de Virgine, vel hominem ab æterno fuisse.

*Catholicorum sententia.*

Catholici vero posuerunt hujusmodi quæ dicuntur de Christo, sive secundum divinam naturam, sive secundum humanam, dici posse tam de Deo, quam de homine. Unde Cyrillus dicit in Concil. Ephes. 1. can. 4. « Si quis duabus per« sonis, seu substantiis » (idest hypostasibus,) «eas, quæ in evangelicis, et apos« tolicis conscriptionibus sunt, dividit « voces, vel ea quæ de Christo á sanctis « dicuntur, vel ab ipso Christo de seme« ipso, et aliquas quidem ex his homini « applicandas crediderit, aliquas vero soli « Verbo deputaverit, anathema sit.» Et juxta hanc catholicorum veram positionem respondetur ad quæsitum hac conclusione.

Conclusio. Ea quæ conveniunt Filio hominis, possunt prædicari de Filio Dei, et ea quæ conveniunt Filio Dei, possunt dici de Filio hominis.

Probatur, deinde declaratur. Prob. hac ratione. Eadem est hypostasis utriusque naturæ in Christo, scilicet persona Verbi quæ est hypostasis divinæ, et humanæ naturæ. Ergo ea quæ conveniunt

Filio hominis, possunt prædicari de Filio Dei: et quæ conveniunt Filio Dei, possunt prædicari de Filio hominis.

Probatur consequentia. Ex hoc enim, quod una est hypostasis utriusque naturæ sequitur, quod eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ in concreto significatæ: sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis humanæ et divinæ naturæ. Unde cum dicitur: Deus est passus, ly Deus supponit pro supposito humanæ naturæ: et cum dicitur: homo est creator, ly homo, supponit pro supposito Filii Dei, quæ non sunt duo supposita, sed unum in Christo: et propterea, ea quæ dicuntur de Filio Dei, dicuntur etiam de Filio hominis, et quæ dicuntur de Filio hominis, dicuntur etiam de Filio Dei, et propterea dicimus, quod Filius Dei est natus, passus, et mortuus, et quod Filius hominis est immensus, æternus, creator, omnipotens et Deus.

Declaratur. Pro quo est sciendum, quod in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solum attenditur quid sit illud de quo prædicatur prædicatum, sed etiam secundum quid de illo prædicetur: idest non solum attenditur subjectum, cui attribuitur prædicatum, sed debet etiam attendi ratio, qua attribuitur ei tale prædicatum. Homini enim attribuitur sentire et intelligere; diversa tamen ratione: sentit enim secundum potentiam sensitivam; intelligit vero secundum intellectivam, quæ tamen sunt in eadem anima humana. Quamvis ergo non distinguantur ea quæ prædicantur de Christo; distinguuntur tamen secundum quod utrumque prædicatur: nam ea quæ sunt divinæ naturæ, prædicantur de Christo secundum divinam naturam; et ea quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundum humanam naturam. Est enim Christus omnipotens, æternus, et immortalis secundum divinam naturam; et passus et mortuus, secundum naturam humanam. Unde August. dicit in 1. Trin. cap. 11. « Distinguamus quid in scripturis sonet « secundum formam Dei, in qua æqualis « est Patri, et quid secundum formam « servi, quam accepit, in qua minor est « Patre. » Et infra: « quid, propter « quid, et quid secundum quid dicatur, « prudens, et diligens, et pius lector in- « telliget. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod opposita prædicari de eodem secundum idem, est impossibile; sed secundum diversa, nihil prohibet. Opposita prædicantur de Christo non secundum idem, sed secundum diversas naturas, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod si ea quæ ad defectum pertinent, attribuerentur Deo secundum divinam naturam, esset blasphemia, quasi pertinens ad diminutionem honoris ipsius. Non autem pertinens ad Dei injuriam, si attribuantur ei secundum naturam assumptam. Unde in quodam sermone Ephesini Concilii dicitur. « Nihil « putat Deus injuriam, quod est occasio « salutis hominibus: nihil enim abjectorum « quæ elegit propter nos, injuriam facit « illi naturæ quæ non potest esse sub- « jecta injuriis; propria vero facit infe- « riora, ut salvet naturam nostram. « Quando ergo quæ abjecta et vilia sunt, « divinam naturam non injuriantur, sed « salutem hominibus operantur, quomo- « do dicis, ea quæ causa nostræ salutis « sunt, injuriæ occasionem Deo fuisse? »

Ad 3. Dicitur, quod ea quæ conveniunt humanæ naturæ, sunt duplicia: quædam conveniunt ei non ratione suppositi, sed ratione sui ipsius, sicut esse speciem communem pluribus individuis, et his similia. Quædam vero ei conveniunt ratione suppositi, ut pati, mori et hujusmodi. Ea quæ conveniunt naturæ ratione sui, non omnia attribuuntur Deo. Sed ea quæ ei conveniunt ratione suppositi, Deo attribui possunt. Assumi

convenit naturæ ratione sui, non ratione suppositi.

## ARTICULUS V.

*Utrum ea quæ conveniunt Filio hominis, possint prædicari de divina natura, et quæ conveniunt Filio Dei, possint prædicari de natura humana: an scilicet possit dici: divinitas est passa, et humanitas est æterna, vel Deus.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod ea quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de natura divina.

1. Ea quæ prædicantur de Filio Dei, prædicantur de divina natura. Sed ea quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de Filio Dei, et de Deo. Ergo ea quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de natura divina.

Maior prob., quia Filius Dei, et Deus est sua natura.

Minor patet, quia dicimus Deum passum, et mortuum.

2. «Dicimus naturam Verbi incarnatam «esse, secundum Beatos Athanasium et «Cyrillum,» ut dicit Dam. lib. 3. orthod. fid. c. 6. Ergo videtur, quod pari ratione ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de divina natura.

Conseq. prob., quia caro pertinet ad naturam humanam: unde sicut dicimus naturam Verbi incarnatam, videtur, quod possimus dicere divinam naturam passam, vel mortuam.

3. Ea quæ sunt divinæ naturæ, conveniunt humanæ naturæ in Christo, sicut cognoscere futura, et habere salutiferam virtutem. Ergo videtur, quod pari ratione quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de divina natura.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. cap. 4. «deita«tem quidem dicentes, non nominamus «de ea quæ humanitatis idiomata sunt,» idest proprietates: «non enim dicimus «deitatem passibilem vel creabilem.» Ergo ea quæ sunt humanæ naturæ propria, non possunt dici de divina natura.

Conseq. prob., quia deitas est divina natura.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Natura humana et divina possunt dupliciter significari. Uno modo in abstracto, ut cum dicitur: deitas et humanitas; alio modo in concreto ut dicendo: Deus vel homo.

1.ª Conclusio. Ea quæ sunt propria humanæ naturæ, non possunt dici de natura divina in abstracto significata.

Prob. Ea quæ sunt propria unius, non possunt vere de alio prædicari, nisi de eo quod est idem illi. Sicut risibile non convenit nisi ei, quod est homo. Sed in mysterio incarnationis non est eadem natura divina et humana, si abstracte significentur. Ergo ea quæ sunt propria naturæ humanæ, non possunt de natura divina in abstracto significata prædicari.

2.ª Conclusio. Ea quæ sunt propria humanæ naturæ, possunt dici de natura divina in concreto significata.

Prob. De his quæ significant suppositum in mysterio incarnationis, possunt dici ea quæ sunt propria utriusque naturæ; dicimus enim Deum passum, et hominem creatorem. Sed nomina divinæ naturæ vel humanæ, in concreto supponunt pro hypostasi naturæ, quæ est persona divina subsistens, etiam in natura humana. Ergo indifferenter prædicari possunt ea quæ ad utramque naturam pertinent de nominibus concretis, sive illud nomen, de quo dicuntur, det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen, Christus, in quo intelligitur divinitas ungens, et humanitas uncta; sive solum divinam naturam, sicut hoc nomen Deus, vel Filius Dei; sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen, homo, vel Jesus. Unde possumus dicere, quod Christus Filius Dei, Deus et Jesus, est passus, et æternus et creator.

Et confirmatur conclusio, quia Leo Papa dicit in Epist. ad Palæstinos, et est

Epist. 83. « Non interest ex qua Chris-« tus substantia nominetur, cum insepa-« rabiliter, manente unitate personæ, « idem sit et totus hominis filius propter « carnem, et totus Dei Filius propter « unam cum Patre deitatem. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior; non enim est universaliter vera: dicimus enim Dei Filium genitum, et non dicimus naturam divinam genitam, ut 1. p. q. 39. art. 5. dictum est. Ad prob. dicitur, quod in divinis persona est idem realiter cum natura, et ratione hujus identitatis, natura divina prædicatur de Filio Dei. Non tamen est idem modus significandi, et propter hoc quædam dicuntur de Filio Dei, quæ non dicuntur de divina natura, ut dictum est. Et ideo in mysterio incarnationis dicimus, quod Filius Dei est passus; non autem dicimus, quod natura divina sit passa.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod incarnatio magis importat unionem ad carnem, quam carnis proprietatem, et quia utraque natura in Christo est alteri unita in persona; ratione hujus unionis, et divina natura dicitur incarnata, et humana natura dicitur deificata, ut quæst. 3. art. 2. dictum est. Unde per hoc quod natura Verbi dicitur incarnata, non prædicatur aliqua proprietas carnis de natura divina; sed solum significatur unio ejus ad carnem in persona Verbi.

Ad 3. Dicitur ad antecedens quod ea, quæ sunt divinæ naturæ, dicuntur de humana natura non essentialiter, sed participative ad ipsam derivantur. Unde ea quæ participari non possunt á natura humana, sicut esse increatum, aut omnipotentem, nullo modo de humana natura dicuntur. Tunc negatur conseq. Nam aliqua pertinentia ad naturam divinam dicuntur de humana, quia humana natura participat aliquid á divina; ea autem quæ sunt propria naturæ humanæ, non dicuntur de natura divina, quia natura divina nihil ab humana participare potest. Unde dicimus naturam humanam habere salutiferam virtutem, non autem dicimus divinam naturam passibilem.

## ARTICULUS VI.

*Utrum hæc sit vera: Deus factus est homo.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod hæc non sit vera: Deus factus est homo.

1. Hæc est falsa: Deus factus est simpliciter. Ergo et hæc est falsa: Deus factus est homo.

Conseq. prob., quia cum homo significet substantiam, fieri hominem, est fieri simpliciter.

2. Deus non potest esse subjectum mutationis, juxta illud Malac. 3. *Ego Dominus, et non mutor.* Ergo videtur quod hæc sit falsa: Deus factus est homo.

Conseq. prob., quia fieri hominem est mutari.

3. Hæc est falsa: Deus factus est persona Filii Dei. Ergo et hæc est falsa: Deus factus est homo.

Conseq. prob., quia homo secundum quod de Christo dicitur, supponit pro persona Filii Dei. Unde dicere: Deus est factus homo, est dicere: Deus factus est persona Fili Dei.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Jo. 1. dicitur: *Verbum caro factum est.* Et sicut Athanas. dicit in Epist. ad Epitectum, *quod dixit: Verbum caro factum est, simile est ac si diceretur, quod Deus homo factus est.*

*Determinatio.*

Conclusio. Hæc est vera: Deus factus est homo.

Prob. Illud quod de novo incipit prædicari de aliquo, dicitur esse factum. Sed esse hominem prædicatur de Deo non ab æterno, sed in tempore per assumptionem humanæ naturæ. Ergo hæc est vera: Deus factus est homo.

*De vario sensu dictæ propositionis.*

Et quamvis hanc propositionem, Deus factus est homo, omnes christiani concedant; diversimode tamen á catholicis, et ab hæreticis fuit interpretata, ut de hac, Deus est homo, in primo art. dictum fuit. Aliqui enim dixerunt ipsam esse impropriam ex parte prædicati, dicentes Deum non fuisse factum verum hominem, sed phantasticum; et sic intellexerunt ipsam manichæi, et illi qui posuerunt animam, et corpus in Christo non esse unita. Alii vero dixerunt ipsam esse impropriam ex parte subjecti, ponentes non verum Deum, sed Deum per gratiam esse hominem factum; et sic eam intellexit Photinus. Alii tandem dixerunt ipsam esse impropriam ex parte modi prædicandi, dicentes Deum esse factum hominem per inhabitationem; et sic eam intellexit Nestorius, et illi, qui posuerunt in Christo duas hypostases. Catholici vero dicunt ipsam esse veram, et propriam ex parte prædicati, ex partes objecti, et ex parte modi prædicandi, de quibus omnibus abunde dictum est art. 1. hujus quæst.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. consequentia. Ad prob. dicitur quod fieri hominem, est fieri simpliciter, quando natura humana incipit esse in supposito de novo creato, ut communiter fit in omnibus puris hominibus. Si autem natura humana incipiat esse in supposito præexistente, fieri hominem non est simpliciter fieri. Deus dicitur factus homo, non per hoc quod natura humana inceperit esse in supposito de novo creato, sed per hoc quod humana natura incepit esse in supposito præexistente ab æterno. Et ideo Deus factus est homo, et non est factus simpliciter.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod (sicut in corpore dictum est) fieri importat quod aliquid prædicetur de novo de altero: quod autem aliquid prædicetur de novo de aliquo contingit dupliciter: uno modo cum mutatione ejus, de quo prædicatur; et hoc contingit in omnibus quæ absolute dicuntur, non enim potest albedo, aut nigredo de novo advenire alicui, nisi per hoc quod illud de novo mutatur ad albedinem, vel ad nigredinem: alio modo potest aliquid de aliquo prædicari sine mutatione ejus, de quo prædicatur, et hoc contingit in his quæ relative prædicantur, quæ enim relative dicuntur, possunt de novo prædicari de aliquo absque ejus mutatione, sicut homo de novo fit dexter, vel sinister absque ejus mutatione per motum illius, qui fit ei dexter, vel sinister. Unde in talibus non oportet omne quod dicitur fieri, esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius. Et per hunc modum ad Deum dicimus: *Domine refugium factus es nobis.* Et quia esse hominem convenit Deo ratione unionis, quæ relationem quamdam importat, ut dictum est art. 1. ad quartum; ideo esse hominem, prædicatur de Deo de novo, absque Dei mutatione, per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in divinam personam, in qua assumptione humana natura est mutata, quia acquisivit divinum esse; non est mutata persona, quia non acquisivit aliquod novum esse. Et ideo Deum fieri hominem non est Deum mutari; sed factus est homo sine aliqua sui mutatione, per mutationem solius naturæ assumptæ.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod homo, secundum quod de Christo dicitur, supponit quidem pro persona Filii Dei, non nuda, sed prout subsistit in humana natura. Et ideo quamvis hæc sit falsa: Deus factus est persona Filii Dei, quia in hac, ly Deus supponit nude pro persona Filii; tamen hæc est vera, Deus factus est homo, ex eo quod ly Deus supponit pro persona Filii Dei, secundum quod est unita humanæ naturæ.

## ARTICULUS VII.

*Utrum hæc sit vera, homo factus est Deus.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod hæc sit vera, homo factus est Deus.

1. Ad Rom. 1. dicitur: *quod ante promisserat per prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui* scilicet filius *factus est ei*, idest Patri, *ex semine David secundum carnem:* ac si diceret, Filius Dei secundum carnem, idest homo factus est Patri. Ergo hæc est vera, homo factus est Deus.

2. Aug. dicit lib. 1. de Trin. c. 13. *Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum.* Ergo sicut ratione susceptionis humanæ naturæ hæc est vera, Deus factus est homo, ita hæc erit vera, homo factus est Deus.

3. Greg. Nazian. dicit in Epist. ad Cledonium, et est Epist. 1. *Deus quidem humanatus est, homo autem deificatus est, vel quomodolibet aliter nominaverit.* Sed Deus dicitur humanatus, quia factus est homo. Ergo homo dicitur deificatus, quia factus est Deus. Et ita verum erit dicere: homo factus est Deus.

4. Cum dicitur: Deus factus est homo, subjectum factionis non est Deus, sed humana natura, quam significat hoc nomen, homo. Ergo magis erit vera ista: homo factus est Deus, quam illa: Deus factus est homo; quia scilicet in secunda ponitur subjectum quod est factum, subjectum propositionis; non enim est ille, qui factus est, Deus, sed homo.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. c. 2. *non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum.* Ex quo sic arguitur. Hæc est falsa, homo Christus est deificatus. Ergo et hæc erit falsa, homo factus est Deus.

Conseq. prob. Idem est hominem deificari, quod hominem fieri Deum.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Ista propositio, homo factus est Deus, tripliciter potest intelligi. Uno modo sic quod participium (factus) determinet absolute subjectum vel prædicatum, ut sit sensus quod Deus, vel homo sit factus. Et in hoc sensu est falsa. Quia neque homo ille de quo Deus prædicatur, est factus, neque Deus est factus, ut dicetur art. 8. et 9. Et in hoc sensu est etiam falsa illa, Deus factus est homo, quia neque Deus est factus, neque homo, qui de Deo prædicatur. Alio modo potest intelligi, ut ly factus determinet compositionem, ut sit sensus, homo factus est Deus, idest factum est ut homo sit Deus. Et sub hoc sensu utraque est vera, et homo factus est Deus, et Deus factus est homo; per incarnationem enim utrumque horum factum est. Sed hic non est proprius sensus harum locutionum; nisi forte intelligatur secundum quod ly homo, non habet personalem suppositionem, sed simplicem, ut scilicet supponit non pro persona Filii Dei, sed pro homine simpliciter. Licet enim hic homo non sit factus Deus, quia hoc suppositum, scilicet persona Filii Dei, ab æterno fuit Deus; tamen homo communiter loquendo non semper fuit Deus. Unde factum est quod homo sit Deus, non autem quod aliquis singularis homo sit Deus. Tertio modo intelligitur hæc propositio proprie, secundum quod hoc participium (factus) ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis, et sensus erit: homo effectus est Deus, sicut si diceretur: aër factus est ignis. Et sub aliis verbis sensus esset quod aliquis homo, qui prius non erat Deus, incepit esse Deus; et hic est proprius sensus hujus propositionis, homo factus est Deus.

Conclusio. Hæc propositio: homo factus est Deus, in proprio sensu est falsa.

Prob. supponendo ut probatum est quæst. 2. art. 3. quod in Christo sit eadem persona, hypostasis, et suppositum Dei et hominis. Quo supposito, cum dicitur homo factus est Deus, ly homo,

habet personalem suppositionem, non enim esse Deum verificaretur de homine ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi sui; suppositum autem illud humanæ naturæ, de quo verificatur esse Deum, est idem quod hypostasis, seu persona Filii Dei, quæ semper fuit Deus; unde non potest dici quod iste homo incepit esse Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus sit Deus. In forma sic prob. Quod suppositum Filii Dei sit factus Deus, est falsum. Sed dicere quod homo sit factus Deus, est dicere quod suppositum Filii Dei sit factum Deus. Ergo dicere quod homo sit factus Deus, est dicere falsum.

Maior prob., quia suppositum Flii Dei semper fuit Deus, et numquam incepit esse Deus.

Minor prob., quia cum dicitur homo factus Deus, ly homo non potest habere suppositionem simplicem, quia homo non est Deus ratione humanæ naturæ, sed ratione divini suppositi. Igitur ly homo, supponit pro supposito Filii Dei secundum quod in natura humana subsistit, ac per hoc homo, idest, hoc suppositum divinum quod subsistit in natura humana, non est factus Deus, sed semper fuit Deus.

Et confirmatur conclusio ab opposito. Nam si esset alia persona Dei, et hominis in Christo, ita quod esse Deum prædicaretur de homine, et é converso per quamdam conjunctionem suppositorum, vel dignitatis personalis, vel affectionis, vel inhabitationis, ut nestoriani, dixerunt; tunc posset dici quod homo factus est Deus, idest conjunctus est Deo, sicut quod Deus factus est homo, idest conjunctus homini: quia vero una est tantum persona in Christo, verum est quod Deus factus est homo, sed falsum est quod homo sit factus Deus, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod in verbis illis Apostoli, hoc relativum (qui) quod refert personam Filii Dei, non debet intelligi ex parte prædicati, quasi aliquis existens ex semine David, secundum carnem, sit factus Filius Dei. In hoc enim sensu procedit objectio; posset enim tunc dici quod homo ille, qui existit ex semine David, fuerit factus Deus. Sed debet intelligi ex parte subjecti, ut sit sensus quod Filius Dei factus est Patri, idest ad honorem Patris, secundum carnem, idest homo ex semine David: vel sub aliis verbis, Filius Dei factus est homo, assumens naturam humanam ex semine David, et hoc ad honorem Patris, vel Filius Dei factus est habens carnem humanam ex semine David, ad honorem Patris, juxta quem sensum non oportet quod sit vera illa, homo factus est Deus, sed tantum ista, Deus factus est homo.

Ad 2. Dicitur quod verbum Aug. intelligendum est in secundo sensu citato in corpore, scilicet quod ly factus, determinat compositionem; qui sensus est: homo factus est Deus, idest factum est quod homo sit Deus; et hoc est verum, ut dictum est.

Ad 3. Similiter dicitur, quod homo est deificatus, idest factum est quod homo sit Deus; deificari enim idem est quod fieri Deum.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod cum dicitur: Deus factus est homo, ly Deus supponit pro supposito Filii Dei, et homo pro natura humana, ad quam terminata est unio; unde hæc est vera, Deus factus est homo, quia vere persona Filii Dei unita est naturæ humanæ. Cum vero dicitur, homo factus est Deus, ly homo supponit pro persona divina, quæ non potest esse subjectum factionis: ly Deus supponit pro natura divina, quæ nec est subjectum factionis, nec terminus factionis vel unionis, quæ in incarnatione facta est; unde non potest esse vera. Negatur igitur consequentia; ex hoc enim quod illa est vera, non sequitur quod ista sit vera. Et ad probationem dicitur quod ly homo, in hac propositione, homo est Deus, non potest esse

subjectum factionis, quia supponit pro supposito divino, quod non est subjectum factionis. Et ut magis appareat ratio negationis consequentiæ, manifestatur exemplariter. Nam si sortes, qui prius non erat albus, hodie fiat albus, verum erit dicere: sortes hodie factus est albus, et tamen non erit verum dicere: hodie hoc album (demonstrato sorte) factum est homo. Sic in proposito verum est dicere, Deus factus est homo, quia vere Deus univit sibi personaliter naturam humanam, cui prius non erat unitus; et falsum est quod hic homo, qui est Christus, factus sit Deus, quia illud suppositum pro quo supponit (homo) semper fuit Deus; si tamen in hac propositione, homo factus est Deus, poneretur aliquod nomen significans naturam humanam in abstracto, posset hoc modo significari, ut subjectum factionis, puta si dicatur quod natura humana facta est Filii Dei, tunc enim erit vera propositio, ut de se patet.

## ARTICULUS VIII.

### *Utrum hæc sit vera: Christus est creatura.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod hæc sit vera: Christus est creatura.

1. Filius Dei per incarnationem factus est creatura. Ergo Christus potest dici creatura, ac per hoc hæc erit vera, Christus est creatura.

Anteced. prob., quia Leo Papa dicit. *Nova et inaudita conventio: Deus, qui est, et erat, fit creatura.*

Conseq. prob., quia illud quod Filius Dei factus est per incarnationem, potest prædicari de Christo; sicut quia Filius Dei per incarnationem factus est homo, vere dicimus, Christus est homo; quia Filius Dei factus est passibilis, vere dicimus Christus est passus, et sic de aliis.

Aliter. Omne id, quod Filius Dei factus est per incarnationem, potest vere prædicari de Christo. Sed Filius factus est creatura per incarnationem, ut Leo Papa dicit. Ergo Christus potest dici creatura. Præmissæ patent ex alia forma.

2. Proprietas humanæ naturæ potest vere prædicari de Christo. Sed esse creaturam est proprietas humanæ naturæ, sicut proprietas divinæ naturæ est esse creatorem. Ergo esse creaturam vere potest prædicari de Christo; ac per hoc erit verum dicere, quod Christus est creatura, sicut verum est dicere, quod Christus sit creator.

Maior prob., quia ut dictum est art. 5. proprietates utriusque naturæ possunt prædicari de supposito communi utrique naturæ, quocumque nomine significetur. Unde potest dici, quod Christus et Filius Dei est opperans æternus, et immortalis, quia hæ sunt proprietates divinæ naturæ; et similiter potest dici, quod Christus est rationalis, risibilis, mortalis, et passibilis, quia hæc conveniunt naturæ humanæ.

3. Christus ratione corporis, quod traxit de Virgine, dicitur esse simpliciter natus de Virgine. Ergo ratione animæ, quæ est creata á Deo, debet simpliciter Christus dici creatura.

Conseq. prob., quia principalior pars hominis est anima, quam corpus.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ambros. Dicit lib. 1. de fide cap. 7. «Numquid dicto factus est Christus?» (eo scilicet, quod Deus dixit, et facta sunt) «Numquid mandato creatus est «Christus?» quasi dicat, Non. Unde subdit; «quomodo autem creatura in Deo «esse potest? Etenim Deus naturæ sim«plicis est, non conjunctæ.» Ergo hæc non est concedenda: Christus est creatura.

Conclusio. Non est absolute dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre; sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam.

Prob. dupliciter: primo, arriani hæretici dixerunt absolute Christum esse

minorem Patre, et creaturam, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione personæ. Ergo non est catholice absolute dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre; sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam.

Conseq. prob., quia « ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. » ut Hieron. dicit, et refertur in 4. sent. d. 15. Unde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia.

Secundo prob. conclusio. Ea quæ conveniunt humanæ naturæ, de quibus tamen, cum Christo attribuuntur, potest suspicari, quod conveniant divinæ personæ secundum seipsam, non sunt attribuenda Christo absolute, sed cum determinatione, scilicet ratione humanæ naturæ. Sed hoc, quod est esse creaturam, convenit humanæ naturæ; et quando attribuitur Christo, potest suspicari, quod conveniat divinæ personæ secundum se. Ergo non est dicendum, quod Christus sit creatura, nisi cum determinatione, *in quantum homo*.

Maior manifest. Nam in humanis, quia esse album potest convenire homini, non solum secundum unam corporis partem, sed secundum omnes; ideo si aliquis sit albus secundum unam partem tantum, non dicimus absolute, quod sit albus, sed cum determinatione, secundum illam partem; unde dicimus, quod æthiops est albus secundum dentes. Quia vero esse crispum convenit homini tantum secundum capillos; ideo absolute dicimus, quod homo est crispus: intelligitur semper, quod sit crispus secundum capillos, quia secundum illos tantum contingit hominem esse crispum. Sic in proposito dicimus absolute Christum passum, mortuum, et sepultum, quia nullus suspicatus est, quod hæc conveniant Christo, nisi ratione humanæ naturæ. Quia vero de hoc, quod est esse creaturam, potest aliquis suspicari, quod conveniat Christo ratione personæ, quemadmodum arriani suspicati sunt, immo hoc docuerunt; propterea non debemus absolute dicere, Christum esse creaturam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. anteced. vel minor secundæ formæ. Non enim Filius Dei factus est creatura, nisi ratione humanæ naturæ. Ad prob. dicitur, quod aliquando Sancti Doctores causa brevitatis, determinatione omissa, nomine creaturæ utuntur circa Christum; est tamen in eorum dictis intelligenda determinatio, in quantum homo.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod omnes proprietates humanæ naturæ, sicut et divinæ possunt aliqualiter dici de Christo. Unde et Dam. dicit in 3. lib. c. 4. quod Christus, qui "Deus est, et "homo, dicitur creatus et increatus, "passibilis et impassibilis." Sed tamen illa quæ dubitationem habent circa alterutram naturam, non sunt dicenda absque determinatione: unde postea ipse alibi subdit, scilicet lib. 4. cap. 5. "Ipsa una hypostasis," scilicet Christi "et increata est deitate, et creata est "humanitate." Sicut é converso non esset dicendum absque determinatione, "Christus est incorporeus, vel impassi-"bilis," ad evitandum errorem Manichæi, qui posuit Christum non habuisse verum corpus, nec vere passum esse; sed dicendum est cum determinatione, quod Christus secundum deitatem est incorporeus et impassibilis.

Ad 3. Neg. conseq. Nam de nativitate ex Virgine nulla est dubitatio, quod conveniat personæ Filii Dei, sicut potest esse de creatione: et ideo non est similis ratio de hoc, quod est esse natum, et de hoc quod est esse creaturam.

## ARTICULUS IX.

*Utrum hæc sit vera: iste homo (demonstrato Christo) incepit esse.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod ille homo, demonstrato Christo, inceperit esse.

1. Ille qui non fuit semper, incepit esse. Sed ille homo, demonstrato Christo, non fuit semper. Ergo ille homo, demonstrato Christo, incepit esse.

Maior prob., quia illud, quod non fuit semper, incepit esse.

Minor prob., quia Aug. dicit super Joan. tract. 105. "Priusquam mundus "esset, nec nos eramus, nec ipse me- "diator Dei, et hominum homo Jesus "Christus."

2. Christus incepit esse homo. Ergo ille homo incepit esse simpliciter, et sic verum est illum hominem incepisse esse.

Conseq. prob. Esse hominem, est esse simpliciter.

3. Christus non semper fuit suppositum humanæ naturæ. Ergo ille homo incepit esse.

Conseq. prob., quia homo importat suppositum humanæ naturæ.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad Heb. ult. dicitur: *Jesus Christus hæri, et hodie, ipse et in sæcula.*

*Determinatio.*

Conclusio. Hæc est falsa: hic homo (demonstrato Christo) incepit esse.

Probatur duplici ratione. Prima: dum dicitur hic homo, demonstrato Christo, designatur suppositum æternum. Ergo non est dicendum: ille homo, demonstrato Christo, incepit esse, si nihil addatur.

Anteced. prob., quia secundum sententiam catholicæ fidei in Christo est tantum una hypostasis, sicut et una persona. Unde secundum catholicam fidem, dicendo: ille homo, demonstrato Christo, non potest designari, nisi suppositum divinum.

Conseq. prob., quia suppositum divinum est æternum, cui repugnat incipere esse.

Aliter formatur hæc ratio. Locutio in qua attribuitur divino supposito, quod inceperit esse, est simpliciter falsa; sed in hac locutione, ille homo, demonstrato Christo, incepit esse, attribuitur supposito divino, quod inceperit esse. Ergo hæc locutio: ille homo, Christus incepit esse, est falsa, si nihil addatur, scilicet ratione humanitatis, sive in quantum homo.

Maior prob., quia suppositum divinum est æternum, cui repugnat incipere esse.

Minor prob., quia catholica fides in illo homine Christo ponit solum suppositum divinum.

*Objectio.*

Sed posset huic rationi aliquis respondere, quod etsi incipere esse repugnet supposito divino; convenit tamen humanæ naturæ, quæ significatur per hoc nomen, homo.

*Solutio.*

Sed hoc nihil est: nam terminus ille positus in subjecto dictæ propositionis, scilicet ille homo, non tenetur formaliter pro natura, quia illa natura non est hic homo; sed tenetur materialiter pro supposito, ut art. 7. ad 3. dictum est. Unde cum dicitur, ille homo, intelligitur supositum divinum in humanitate subsistens, quod non incepit esse.

Secunda ratio ad conclusionem est: quia etiamsi esset vera hæc propositio, non tamen esset ea utendum absque determinatione, ad evitandum hæresim Arrii; quia sicut ipse attribuit personæ Filii Dei, quod esset creatura, et minor Patre, ita attribuit ei, quod inceperit esse, dicens quod erat, quando non erat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ille enim homo, demonstrato Christo, significat suppositum divinum, quod semper fuit. Ad prob. dicitur, quod auctoritas ista intelligenda est cum determinatione, ut scilicet dicamus, quod homo Jesus Christus non fuit antequam mundus esset, secundum humanitatem, cum quo stat, quod semper fuerit simpliciter.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod cum hoc verbo, incipit, non sequitur consequentia ab infe-

riori ad superius: non enim sequitur: hoc incipit esse album: ergo hoc incipit esse coloratum: et hoc ideo, quia incipere importat nunc esse, et non prius. Non autem sequitur: hoc non erat prius album: ergo non erat coloratum. Et quia esse simpliciter, est superius ad esse hominem, non sequitur, quod si Christus incepit esse homo, simpliciter inceperit esse.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod hoc nomen, homo, secundum quod accipitur pro Christo, licet significet humanam naturam, quæ incepit esse, supponit tamen pro supposito æterno, quod esse non incepit. Et ideo secundum quod hoc nomen, homo, ponitur subjectum alicujus propositionis, tenetur pro supposito, secundum autem quod ponitur in prædicato, ad naturam refertur: et cum in hac propositione, hic homo incepit esse, sit subjectum, supponit pro divino supposito, quod non incepit esse, et ideo hæc est falsa, Christus incepit esse; et hæc est vera, Christus incepit esse homo.

## ARTICULUS X.

*Utrum hæc sit vera: Christus in quantum homo est creatura.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod hæc non sit vera: Christus secundum quod homo est creatura, vel incepit esse.

1. Hæc est falsa: Christus in quantum homo, est natura humana. Ergo etiam hæc est falsa: Christus, secundum quod homo est creatura.

Probatur consequentia, quia nihil est in Christo creatum, nisi natura humana. Unde si Christus non est natura humana, non erit creatura in quantum homo.

2. Hæc non est absolute concedenda, homo Christus est creatura, ut ar. præced. dictum est. Ergo hæc etiam est falsa: Christus secundum quod homo est creatura.

Conseq. probatur, quia prædicatum magis prædicatur de termino in reduplicatione posito, quam de subjecto propositionis. Sicut si dicamus, corpus in quantum coloratum, est visibile, magis ly visibile prædicatur de colorato, quod ponitur in reduplicatione, quam de corpore: et propterea potest simpliciter concedi, quod coloratum corpus sit visibile. Si autem non esset vera ista, coloratum corpus est visibile, nec esset vera ista, corpus in quantum coloratum est visibile. Sic in proposito ly creatura si prædicaretur de homine posito in reduplicatione, in hac propositione, Christus in quantum homo est creatura, deberet etiam prædicari de homine Christo: unde si falsa est ista absolute, homo Christus est creatura; erit etiam hæc falsa, Christus, in quantum homo, est creatura.

3. Hæc est falsa: Christus est per se, et simpliciter creatura. Ergo etiam hæc est falsa: Christus secundum quod homo, est creatura.

Conseq. prob., quia quicquid prædicatur de quocumque homine, secundum quod homo, prædicatur de eo per se et simpliciter, idem enim est per se, et secundum quod ipsum, ut dicitur 5. Met. t. 28. Dicere autem in quantum homo, est dicere secundum quod ipsum. Unde si Christus in quantum homo posset dici creatura, esset creatura per se simpliciter, et secundum quod ipsum; quod est falsum, ut dictum est artic præced. Ergo falsum etiam est, quod Christus, ut homo, sit creatura.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Omne, quod est, vel est creator, vel est creatura. Sed hæc est falsa: Christus secundum quod homo, est creator. Ergo hæc est vera, Christus secundum quod homo, est creatura.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Cum dicitur, Christus secundum quod homo, hoc nomen homo potest resumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Si

resumatur in ratione suppositi, erit sensus: illud suppositum, quod est homo, sive Christus, qui est homo, est creatura. Si resumatur in ratione naturæ, erit sensus: Christus ratione humanitatis, vel secundum humanitatem est creatura.

1.ª Conclusio. Si ly homo reduplicet in ratione suppositi, hæc propositio, Christus secundum quod homo, est creatura, est falsa.

Prob. quia cum suppositum humanæ naturæ in Christo sit æternum et increatum, ei repugnat creari, et dici creatura, ut etiam art. 8. dictum est. Unde si ly homo reduplicet suppositum, erit falsa propositio, quod Christus sit creatura in quantum homo.

2.ª Conclusio. Si ly homo, ponatur ad reduplicandum naturam, hæc propositio, Christus in quantum homo, est creatura, est vera et concedenda.

Prob. quia humanæ naturæ convenit esse creatura.

3.ª Conclusio. Hæc propositio, Christus secundum quod est homo, est creatura, magis est concedenda quam neganda.

Manifestatur, quia hoc nomen, homo, resumptum in reduplicatione, magis proprie se tenet pro natura, quam pro supposito; resumitur enim in vi prædicati, quod tenetur formaliter. Idem enim est dictu, Christus, secundum quod homo, ac si diceretur, Christus, qui est homo, in quantum est homo, est creatura.

4.ª Conclusio. Si in hac propositione, Christus secundum quod homo, est creatura, adderetur aliquid trahens reduplicationem ad suppositum, magis esset neganda, quam concedenda.

Probatur eadem ratione, qua probata fuit prima conclusio. Quia scilicet suppositum est divinum et increatum in Christo: unde si diceretur Christus secundum quod est hic homo, est creatura, esset neganda propositio, quia ille terminus, hic, trahit ly homo, ad supponendum pro persona Christi, quæ est divina, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod licet Christus non sit natura humana, est tamen habens naturam humam: et quia nomen creaturæ potest prædicari non solum de concretis, sed etiam de abstractis; dicimus enim quod homo est creatura, et quod humanitas est creatura, ideo etsi in Christo non sit suppositum humanum, quia tamen est habens humanitatem, ratione humanitatis potest dici creatura, quia scilicet humanitas quæ est in Christo, creatura est et dici potest.

Ad 2. Neg. conseq. Nam cum dicitur homo Christus, ly homo ponitur subjectum propositionis, subjectum autem se tenet materialiter, et denotat suppositum; unde cum dicitur homo Christus, est dicere illud suppositum, sive illam personam Christi quæ habet humanitatem; ideo hæc est falsa, homo Christus est creatura, quia suppositum illud non est creatura, sed creator. Quando vero ly homo ponitur in reduplicatione, se tenet ex parte prædicati, et formaliter, et quia prædicatum est ipsa natura humana quæ est creatura, ideo hæc est vera: Christus, secundum quod est homo, est creatura. Ad probationem consequentiæ facile dicitur, quod supponit unum falsum, scilicet quod cum dicitur homo Christus, ly homo stet pro natura humana; si enim sic esset, profecto de eo prædicaretur creatura; sed quia stat pro supposito in hac propositione: homo Christus, et in alia stat pro natura, ideo illa est falsa, et hæc est vera.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod est vera de homine qui est solum suppositum humanæ naturæ, non autem de Christo. Cuilibet enim homini qui est suppositum solius naturæ humanæ competit quod non habeat esse, nisi secundum humanam naturam, et ideo de quolibet tali supposito sequitur, si secundum quod homo, est creatura, quod simpliciter sit

creatura. Christus autem non solum est suppositum humanæ naturæ, sed etiam divinæ secundum quam habet esse increatum; et ideo non sequitur, si secundum quod homo est creatura, quod simpliciter sit creatura.

## ARTICULUS XI.

*Utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est Deus.*

*Pro affirmativa.* = Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit Deus.

1. Christus secundum quod homo, habet gratiam unionis. Ergo Christus secundum quod homo, est Deus.

Conseq. prob., quia Christus est Deus per gratiam unionis.

2. Christus secundum quod homo, dimittit peccata. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

Anteced. prob., quia Matth. 9. dicitur: *ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, etc.

Conseq. prob., quia dimittere peccata est proprium Dei, secundum illud Isaiæ 43. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.*

3. Christus secundum quod est, est iste homo, et Deus. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

Anteced. prob., quia in isto homine designatur suppositum æternum quod naturaliter est Deus.

Conseq. prob., quia Christus non est homo communis, sed est iste homo particularis. Unde si Christus est Deus, ut est iste homo, est Deus secundum quod est homo; quia scilicet est tantum iste homo, et non communis homo.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud quod convenit Christo, secundum quod homo, convenit cuilibet homini. Sed esse Deum non convenit cuilibet homini, sed soli Christo. Ergo esse Deum non convenit Christo in quantum homo.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Iste terminus, homo, qui ponitur in reduplicatione hujus propositionis, Christus in quantum homo est Deus, potest accipi dupliciter: uno modo quantum ad naturam; alio modo ratione suppositi. Sensus primi erit: Christus secundum naturam humanam est Deus. Sensus secundi est: Christus secundum suppositum, quod in natura humana subsistit, est Deus.

1.ª Conclusio. Hæc propositio: Christus secundum quod homo est Deus, si ly secundum quod homo, reduplicet naturam, est falsa.

Manifestatur quia natura humana in Christo existens est distincta á natura divina, secundum quam Christus est Deus: unde falsum est quod Christus ratione humanæ naturæ sit Deus.

2.ª Conclusio. Sy ly homo, accipiatur in dicta propositione in ratione suppositi, est vera.

Manifestatur. Quia cum suppositum naturæ humanæ in Christo sit persona Filii Dei, cui per se convenit esse Deum, verum est quod Christus, secundum quod homo, idest ratione humani suppositi, est Deus.

3.ª Conclusio. Ista propositio: Christus, secundum quod homo, est Deus, simpliciter magis est neganda, quàm concedenda.

Manifestatur quia terminus positus in reduplicatione, scilicet, homo, magis proprie se tenet pro natura, quam pro supposito, ut dictum est art. præced. in corp. et ad 2.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non secundum idem convenit alicui esse aliquid, et moveri ad illud. Nam moveri ad aliquid convenit alicui ratione materiæ, et esse illud convenit ei ratione formæ. Christo non convenit esse Deum, et ordinari ad hoc, quod sit Deus per gratiam unionis. Esse Deum convenit Christo secundum divinam naturam;

ordinari vero ad hoc, quod sit Deus, convenit sibi ratione humanæ naturæ. Gratia igitur unionis non facit quod Christus, secundum quod homo, sit Deus; sed quod homo sit Deus, sive quod natura humana sit assumpta ad personalitatem divinam, ut possit dici, quod homo est Deus. Est ergo verum quod Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis, per quam scilicet humana natura assumpta est ad divinam personalitatem, et per quam factum est ut homo esset Deus: non est autem verum quod Christus in quantum homo sit Deus, quia Christus non habet á natura humana quod sit Deus, cum Christus sit Deus secundum divinam naturam.

Ad 2. Negatur antecedens: Christus enim qui est filius hominis, habet potestatem dimittendi peccata; sed non in quantum filius hominis, nec in quantum homo, idest non virtute humanæ naturæ, sed virtute divinæ naturæ, in qua quidem natura divina residet potestas dimittendi peccata per auctoritatem; in humana vero natura est potestas dimittendi peccata instrumentaliter, et per ministerium. Unde Chrisost. Homil. 30. in Matth. hoc exponens dicit: «Signanster dicit, in terra dimittendi peccata, «ut ostenderet quod humanæ naturæ po«testatem divinitatis univit indivisibili «unione; quia etsi factus est homo, ta«men Dei Verbum permansit.»

Ad 3. Negatur consequentia. Cum enim dicitur, iste homo, pronomen demonstrativum, iste, trahit hoc nomen homo, ad suppositum; reduplicatio vero (secundum quod) trahit ipsum nomen (homo) ad standum pro humana natura indistincte, et communiter. Et quia suppositum secundum se est Deus, homo vero non est Deus, nisi ratione suppositi divini; ideo magis est vera hæc. Christus, secundum quod est hic homo est Deus, quam ista, Christus secundum quod homo, est Deus.

## ARTICULUS XII.

*Utrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.*

*Pro affirmativa.* = Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit hypostasis, vel persona.

1. Illud quod convenit cuilibet homini, convenit Christo, secundum quod est homo. Sed esse hypostasim, vel personam, convenit cuilibet homini. Ergo esse hypostasim, vel personam, convenit Christo in quantum homo.

Maior prob., quia Christus, secundum quod homo, est aliis hominibus similis, secundum illud ad Philos. 2. *In similitudinem hominum factus.*

2. Christus secundum quod homo, est substantia rationalis naturæ non universalis, sed individua. Ergo Christus secundum quod homo, est persona.

Conseq. probat., quia persona nihil aliud est quam *rationalis naturæ individua substantia*, ut dicit Boët. in lib. de duabus naturis.

3. Christus secundum quod homo, est res humanæ naturæ, et suppositum, et hypostasis ejusdem naturæ. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Consequentia prob., quia omnis hypostasis, et suppositum, et res humanæ naturæ est persona.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Si Christus secundum quod homo, esset persona, sequeretur quod in Christo essent duæ personæ, una æterna, et alia temporalis, quod est erroneum, ut dictum est quæst. 2. art. 2. et 6.

Conseq. prob., quia Christus, secundum quod homo non est persona æterna, ut patet. Ergo si Christus secundum quod homo esset persona, sequeretur quod in eo, præter personam Verbi æternam, esset persona alia temporalis.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Iste terminus (homo) positus in reduplicatione, in dicta propo-

sitione potest accipi dupliciter, ut art. 10. et 11. dictum est: uno modo ratione suppositi; alio modo ratione naturæ. Si accipiatur ratione suppositi, sensus est: Christus est suppositum humanæ naturæ: si vero accipiatur ratione naturæ, dupliciter potest intelligi; uno modo quod naturæ humanæ in Christo competat esse in aliquo supposito, sive in aliqua persona. Alio modo quod naturæ humanæ in Christo competat habere propriam personalitatem ex principiis naturæ causatam.

1.ª Conclusio. Hæc propositio, Christus in quantum homo est persona, est vera, si ly, in quatum homo, reduplicetur ratione suppositi.

Manifestatur, quia in Christo est suppositum humanæ naturæ, quod est ipsa Verbi persona.

2.ª Conclusio. Hæc propositio est vera; si ly homo, ponatur in reduplicatione ratione humanæ naturæ, quod debeat esse in aliquo supposito.

Manifestatur. Quia vere natura humana in Christo debet in aliquo supposito subsistere.

3.ª Conclusio. In Christo non est persona naturæ humanæ proveniens ex ipsius naturæ principiis.

Manifestatur quia natura humana in Christo, non est per se seorsum subsistens á natura divina, quod requiritur ad rationem personæ; sed subsistit in divina persona.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod omni homini convenit esse persona, quatenus omne subsistens in humana natura est persona. Cuilibet igitur homini convenit hoc, quod illud quod est subsistens in eo, sit persona. Differenter tamen hoc quod subsistit in homine invenitur in Christo, et in aliis hominibus. In aliis enim hominibus persona est ex principiis humanæ naturæ, ex qua persona emanat. Persona vero in Christo non est causata ex principiis naturæ humanæ ejus; sed est persona divinæ naturæ. Unde persona Christi est persona ejus, secundum quod homo, quatenus in natura humana subsistit, et non est ejus, in quantum homo, quia non est causata á principiis humanæ naturæ.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod ad hoc quod aliquid dicatur persona, non sufficit quod sit substantia individua; sed cum hoc requiritur quod sit substantia per se subsistens separative ab aliis; alioquin manus hominis posset dici persona, cum sit substantia individua. Quia tamen est substantia individua in alio existens non separatim, non potest dici persona. Et sic intelligenda est diffinitio Boët. quam tradit de persona. Natura igitur humana in Christo est substantia, et individua: sed quia est in alio existens, scilicet in supposito divino, ideo natura humana Christi non est persona, sed in persona existens.

Ad 3. Negatur antecedens; sicut enim persona significat aliquod completum, et per se subsistens in natura rationali, ita hypostasis, suppositum, et res naturæ significant aliquid completum in genere substantiæ. Unde sicut natura humana non est persona seorsum á persona Filii Dei, ita non debet dici hypostasis, suppositum, aut res naturæ; et ideo sicut negatur ista, Christus in quantum homo est persona, ita debent negari istæ: Christus in quantum homo est hypostasis, suppositum, et res naturæ. Ad probationem dicitur quod hypostasis, suppositum, et res naturæ est persona in natura humana, vel ab ipsa natura humana emanans, ut in aliis hominibus, vel in qua natura humana subsistit, ut est in Christo, in quo humana natura personatur personalitate divina, ut pluries dictum est.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 16.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et á Concil. quod hæc propositio: Deus est homo, est vera proprie. A scripturis quidem per id, quod dicitur Philip. 2. *Cum in forma,* ut cum applicatione est *in arg. cont.* Item á Jo. 1. *Verbum caro factum est.* Constat enim quod id, quod est factum aliquid, est illud. Evangelista ergo per hoc, quod dixit, *Verbum caro factum est,* dicere in proposito voluit, Verbum caro est: et, cum Verbum sit Deus, et caro hic sit idem, quod homo, per illud dixit: Deus est homo. Cum etiam Verbum sit Deus, non per participationem, sed verus est, juxta illud 1. Jo. 5. " Ut simus in vero filio ejus, hic est verus Deus; » caro item sit vera juxta id Ecclesiæ in Can. Missæ de Epiph. " in veritate nostræ carnis visibiliter apparuit; *sequitur, quod ly* Verbum caro factum est *sit idem, quod ly* Deus verus est verus homo. » Sic ergo et intellige illud in symbolo fidei: " Qui incarnatus, homo factus est. » A concilio autem quarto, quinto, sexto insinuatur idem per hoc quod dicunt. " Sequentes sanctos patres consonanter omnes docemus, Dominum nostrum Jesum Christum eumdem perfectum in deitate, eumdem perfectum in humanitate, Deum vere, et hominem vere. » Hæc recitantur á Papa *Eugenio IV.* in Concilio *Florentino,* in constitutione super unione Armenorum. Qui et in Concilio eodem, in constitutione super unione Jacobinorum ait. " Sacrosancta Romana Ecclesia Domini Salvatoris nostri voce fundata firmiter credit, profitetur, et prædicat; unam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei filium veram hominis, integramque naturam assumpsisse, et sibi in unitate personæ copulasse tanta unitate, ut, quicquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum, et quicquid est hominis non sit á deitate divisum. Atque unus, et idem, indivisus, utraque natura in suis proprietatibus, permanente, Deus, et homo, Dei filius, et hominis filius. » Ex prædictis enim omnibus aperte scholasticis acutis concludendum relinquitur intentum, scilicet quod propositio hæc: Deus est homo; est vera, et propria. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Conciliis, et Augustino insinuatum, quod homo post incarnationem est Deus vere, et proprie, secundum subsistentiam tamen: hoc est, quod ista propositio: homo est Deus, est vera, et propria, attento supposito humanitatis post unionem. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Rom. 9. *ex quibus,* etc. ut *in arg. cont.* A conciliis vero ut in artic. 1. append. Ex simili enim radice procedit, quod sit vera hæc: homo est Deus, ex qua processit, quod vera sit illa: Deus, est homo: ut patet ex corp. Unde fit, quod concilia ipsa verbis illis, quibus unum istorum demonstrant, iisdem et aliud demonstrare intelligantur. Vide ergo tu ibi, et vigili mente considera. A B. Aug. autem insinuatur idipsum per hoc, quod in hom. super Joan. 3 dicit. " Notandum, quod eadem de Filio Dei unigenito replicat, quæ de Filio hominis in cruce exaltato præmiserat dicens; ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Profecto idem conditor, et redemptor noster Filius Dei ante sæcula existens, Filius hominis factus est in fine sæculorum, ut, qui per divinitatis suæ potentiam nos creaverat ad perfruendam vitæ perennis beatitudinem, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret ad recipiendam, quam perdidimus, vitam. » Deus ergo secundum Augustinum est homo, qui nos ad vitam illam restaurat, et idem ipse homo est Deus, qui nos ad perennem vitæ ipsius beatitudinem creavit. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus non est homo dominicus. Ut per illud, quod dicitur Jo. 13. " Vos vocatis me magister, et domine, et bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros dominus, et magister. » Patet enim ex lotione pedum, quod ibi Christus loquitur de se homine. Ipse igitur dicit ibi, se hominem esse essentialiter dominum: et consequenter affirmat, se non esse denominative dominicum. Minora-

tur siquidem aliquis plene dominus, si vocetur denominative, idest, quasi per participationem dominicus, ut patet; vide hic, et art. 2. ad 3. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, et Papa insinuatum, quod in Christo ea, quæ conveniunt filio hominis, possunt prædicari de Filio Dei, et quæ conveniunt Filio Dei, possunt dici de filio hominis. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur 1. Cor. 2. *Numquam dominum gloriæ crucifixissent.* Ecce, quod crucifixio, quæ convenit filio hominis, prædicatur de domino gloriæ, qui est Filius Dei. Sic enim, tamquam exponens ly *dominum gloriæ*, symbolum fidei dicit, quod "Filius Dei, Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri, per quem omnia facta sunt, *factus homo, est crucifixus. Item per dictum Luc.* 5. ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralitico, surge, » etc. Ecce, quod probatur evidenter per miraculum; quod dimittere peccata, quod convenit Filio Dei, prædicatur de filio hominis, dum filium hominis habere hanc potestatem affirmatur. A Papa autem *Eugenio IV.* in Concilio Florentino. "Unus, et indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus, et homo: Dei Filius, et hominis filius: æqualis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem, immortalis, et æternus ex natura divinitatis, passibilis, et temporalis ex conditione assumptæ humanitatis.» Hæc ille in constitut. super unione Jacobinorum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses *Eutychetis*, *Dioscori*, *Acephalorum* dicentium, quod Christi natura divina est passa, est crucifixa; et *Apollinaris* dicentis, Christum passionem in divinitate sua sustinuisse, ac suscepisse, ita ut divinitas cum humanitate mortua fuerit, et resuscitata; et cujusdam *Augustini de Roma* (ut refert Concilium *Basileense* sess. 22.) dicentis, quod humana natura in Christo vere est Christus, et eadem est persona Christi. Item dicentis, quod natura humana in Christo est persona Verbi. Item dicentis, quod humana natura assumpta á Verbo in unione personali est veraciter Deus naturalis, et proprius. Præsens enim articulus per hoc, quod demonstrat, ea, quæ sunt humanæ naturæ, non posse dici de divina, subvertit radicitus prædictas illius Augustini phantasias, ut patet consideranti. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari ab eodem Concilio sess. ead. De qua damnatione, et ejus Concilii valore, quamvis in multis non sit validum, vide quæst. 15. art. 1. append. Item á Malach. 4. *Ego Deus, et non mutor.* Si enim non mutatur natura divina, oportet omnino dicere unum de duobus, quod scilicet aut semper patiatur, aut numquam patiatur. Primum cum sit summa miseria, nec Philosophus concipere de Deo potest; immo totum contrarium, scilicet quod Deus vita gaudeat felicissima, ipse in 12. Metaph. efficacissime docet. Secundum ergo, scilicet quod numquam patiatur et verum est, et per illam auctoritatem subindicatur. Item a. 2. Corinth. 13. *Crucifixus est ex infirmitate*, scilicet, carnis, ad differentiam divinæ naturæ. Item a. 1. Petr. 4. *Christo igitur passo in carne.* Ad eamdem enim differentiam ponit ly *in carne.* Item ab Ecclesia in hymmo primo Dominicæ de Passio. "Fulget crucis mysterium, quo carne carnis conditor suspensus est patibulo.» Item ab Eugenio IV. in Concilio Florent. ut patet art. 4. append. Item á Concilio Ephes. 1. cap. 13. "sic illum dicimus passum non quia Deus Verbum in sua natura passus sit aut plagas, aut clavos, et transfixiones, aut alia vulnera susceperit (Deus namque incorporalis, et extra passionem est) sed, quia corpus illud, quod ipsi proprium factum est, hoc sustinuit. Ideo hæc omnia pro nobisipsis dicitur passus: inerat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat.» Item á Concilio *Hispalensi* 2. cap. 13. "Sicut immaculata fides, et sancta Ecclesia docet, confitemur, Dominum nostrum Jesum Christum intemporaliter ex Patre Deum natum, temporaliter ex utero gloriosæ Virginis Mariæ hominem editum, et ob hoc in una existente persona duas naturas habentem: deitatis, qua ante sæcula genitus, humanitatis, qua diebus ultimis editus est. In illa secundum formam Dei, in ista secundum formam servi consistens. In illa Patri ma-

nens æqualis, in ista sine peccato similis nostræ conditioni. In illa inviolabilis, in ista passibilis. In illa, ex qua mori non potuit; in ista, ex qua mortem suscepit. » Ex prædictis ergo omnibus patet intentum articuli in principio appendicis dictum. Pro tanto enim adductæ sunt illæ hæreses, et ipsarum condemnationes, pro quanto solum contrariantur articulo, vel ei suffragantur. Quod etiam alibi semper advertendum est; ad quem scilicet finem ibi adducta adducantur, ne fiat confusio articulorum. Item à veritatibus aureis super legem veterem, Deuter. 37. concl. 7. Item á qu. 2. qu. 13. art. 1. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et symbolo fidei, quod hæc propositio: Deus factus est homo, vera est. A scripturis quidem per hoc, quod de Christo dicitur Philipp. 2. " Qui, cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus. » In similitudinem enim specificam hominum fieri est fieri hominem. Habens ergo formam Dei idest Deus, exinanivit semetipsum per hoc, quod accepit formam servi, idest naturam ejusdem speciei cum hominibus, idest naturam humanam. Hæc vocatur forma totius á philosophis, et per hoc, Deus factus est homo. En, quam clare ab Apostolo habetur intentum. A symbolo autem fidei insinuatur idipsum dicente ly *Qui*, scilicet *Deus verus de Deo vero, homo factus est. Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Damasceno insinuatum, quod propositio hæc: Homo factus est Deus, est falsa. A Damasceno quidem, ut *in arg. cont.* Ubi adverte, quod ly *non hominem deificatum* sumitur aliter à Damasceno, quam sumebatur á Greg. Nazianzeno in arg. 3. Ut enim ibi ex responso habitum fuit, Greg. loquebatur improprie: hic vero Damascenus loquitur proprie. A scripturis autem per hoc, quod dicitur Joan. 8. *Tu quis es?* Respondit. *Principium, qui et loquor vobis.* Patet enim quod ly *quis* secundum se quærit de persona, et secundum intentionem judæorum quærit de persona humanitatis, quoniam judæi, cum Christi divinitatem nec cognoscerent, nec cognoscere vellent, immo eam pro suo posse negarent, non intendebant per ly *quis* interrogare, nisi de persona humanæ naturæ, quam oculis corporalibus videbant. Christus igitur respondendo ad interrogata per ly *principium* intendit designare personam humanitatis. Constat vero tum ex 1. q. 44. ar. 1. et q. 45. ar. 5. quod omne creatum est principiatum á Deo; tum ex qu. 2. ar. 5. quod persona creata consequitur ad unionem animæ cum corpore, tamquam aliquid inde principiatum; quocirca fit, ut persona creata sit duplici jure vocanda principiatum, scilicet á Deo et ab unione corporis, et animæ. Non ergo de persona humanitatis suæ respondisset Christus ly *ego principium*, nisi humanitatis suæ persona esset increata, et ab unione animæ cum corpore independens. Idem ergo est, ac si respondens Christus per ly *ego principium*, apertius dixisset: Persona humanitatis meæ est Deus, seu persona divina. Cum igitur in Christo ly *homo* dicat personam humanitatis divinam; et personam divinam fieri Deum, sit impossibile; relinquitur ab ipsa scriptura scholasticis theologis procul dubio concludendum, quod propositio ista: Homo factus est Deus, sit impossibilis. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 8. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice, interimas hæresim *Ebionis, Cerinthi, Carpocratis, Photini, Arrii, Artemonis, Nestorii* dicentium, quod Christus non est natura Deus. Item hæresim *Agarenorum* dicentium, quod Christus est solum excelsa quædam creatura omnes alias creaturas excellens. Et hæresim *Asterii* dicentis, quod Christus est Dei virtus: creatura tamen et merus homo. Omnes enim prædicti conveniunt in hoc, quod propositio ista: Christus simpliciter est creatura, contra quam præsens articulus directe pugnat, eamque efficaciter expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas omnes, et ex consequenti illud, in quo conveniunt, merito damnari á Papa *Eugenio IV.* in Concilio Florentin. " Sacrosancta Romana Ecclesia damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum

Samosathenum, Photinum, omnesque similiter blasphemantes, qui non valentes percipere unionem personalem humanitatis ad Verbum, negaverunt, Christum Jesum Dominum nostrum esse verum Deum, ipsum purum hominem confitentes, qui divinæ gratiæ participatione majori, quam sanctioris vitæ merito suscepisset, divinus homo diceretur.» Hæc ille in constitutione super unione Jacobinorum. Item á dictis qu. 2. art. 1. append. et qu. 6. art. 6. append. Item á Joan. 8. *Ego principium*, etc. ut cum expositione ponitur in art. 7. append. Item á Conciliis multis supra in multorum articulorum appendicibus recitatis. Item á Philipp. 2. *Qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Hoc est. Qui vere per naturam, non false per rapinam, ut appetiit Lucifer, est æqualis Deo. Item á Joan. 10. *Ego, et Pater unum sumus*, et cap. 1. *Deus erat Verbum.* Item a. 1. Joann. 1. "Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, et apparuit nobis.» Ecce Christus, si non fuisset homo, neque videretur oculis humanis corporaliter, neque sic auribus audiretur, neque sic manibus contrectaretur, et tamen, horum veritate stante, ipsemet dicitur hic non creatura, sed *quod fuit ab initio*, sed *vita æterna*, sed *qui erat apud Patrem.* Ac si apertissime dicatur. Christus etiam, quod habeat humanitatem, seu etiam, quod sit verus homo, neque simpliciter est, neque simpliciter dicendus est creatura. Naturam enim divinam simul habet, quæ vita æterna vocatur, et suppositum, quod fuit ab initio, est etiam suppositum humanitatis, q. 2. art. 2. Item merito damnari ab eodem in capit. 5. "Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo; Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.» Hoc est. Hi tres sunt numeraliter unum, idest, una res substantiva, idest, una substantia. Hæc autem est essentia divina. Sunt ergo unum, idest unus Deus. Item à contextu circa finem ejusdem cap. "Filius Dei venit, et dedit nobis sensum; ut cognoscamus Deum verum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.» Ecce. Verus Dei Filius, qui ad nos venit per carnis assumptionem, est verus Deus, et vita æterna absolute dicendus secundum scripturam hanc: tantum abest, ut possit absolute, idest, nulla cum limitatione, vocari creatura. Item á symbolo fidei dicente. *Qui*, scilicet Deus verus de Deo vero, *factus homo est, pro nobis crucifixus, mortuus, sepultus.* Vide hic á fortiori. Magis quippe videtur, si Christus absolute vocari posset creatura, quod tunc sic vocandus esset, quando dicitur *crucifixus*, etc. quia crucifixus, mortuus, et sepultus est ex infirmitate, 2. Cor. 13. Per hoc ergo, quod tunc non vocatur creatura, datur intelligi á symbolo, quod numquam dicendus est simpliciter, idest sine limitatione, creatura; juxta regulam illam logicalem, si, de quo magis videtur inesse, non inest, ergo nec, de quo minus videtur, inerit, ut patet applicanti. Item á Papa *Paulo IV.* cujus bulla, quoniam ad multa alia etiam servit, ideo hic, ut pro necessitate aliorum locorum istius summæ, pro quibus facit, habeatur, prolixius quam hic solum oportet, adducetur ad literam. Dicit ergo sic. "Cum quorumdam hominum pravitas, atque iniquitas eo usque nostris temporibus processerit, ut ex iis, qui á catholica fide aberrant, et desciscunt, plurimi quidem non solum diversas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumant, etc. Omnes, et singulos, qui hactenus asseruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt, Deum omnipotentem non esse trinum in personis, et incomposita omnino, indivisaque unitate substantiæ unum unamet simplici divinitatis essentia; aut Dominum nostrum Jesum Christum non esse verum Deum, ejusdem substantiæ per omnia cum Patre, et Spiritu Sancto: aut eumdem secundum carnem non esse conceptum in utero Beatissimæ, semperque Virginis Mariæ de Spiritu Sancto, sed, sicut cæteros homines, ex semine Joseph; aut eumdem Dominum, ac Deum nostrum Jesum Christum non subiisse acerbissimam Crucis mortem, ut nos á peccatis, et ab æterna morte redimeret et Patri ad vitam æternam reconciliaret; aut eamdem beatissimam Virginem Mariam non essse veram Dei matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, et perpetuo post partum, etc. Insuper, cum errores, quos

supra narravimus, ita graves, et nefandi sint, ut illi, qui in eos decidunt, excusationem non habeant, sed subversi potius, atque immanes, quam hæretici, merito dici possint, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, quod tam illi, qui hactenus in ipsos errores, vel eorum aliquem lapsi sunt, et infra supradictum terminum non resipuerint, et ea, quæ supradiximus, non adimpleverint, quam omnes, et singuli alii, qui in futurum in illos, vel illorum aliquem quomodolibet prolabentur, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, pro subversis, et relapsis in hæresim haberi, et, ut relapsi Curiæ sæculari tradi, et per ipsam Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possint in omnibus, et per omnia, perinde ac, si vere, et realiter in hæresim relapsi essent, et eos relapsos esse constaret. Non obstantibus contrariis quibuscumque, » etc. Ex his patet, quanti periculi sit dicere simpliciter, quod Christus est creatura. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas hæresim *Berylli* dicentis, quod Christus quoad divinitatem non fuit ante Mariam. Item hæresim *Cosmianorum* dicentium, quod Christus, et Deus et mediator, et imago Dei non fuit ante sæcula. Dixi ly *á fortiori*, quia per hoc, quod artic. præsens determinat, quod homo Christus non incœpit esse, multo magis ostendere cointelligitur, quod idem Christus Deus quoad divinitatem non incœpit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari ab Hebr. ult. *Jesus Christus*, etc. ut *in arg. cont.* Ac si apertius dixerit. Christus homo (nam ly *Jesus* est nomen naturæ humanæ solum, art. 5. corp.) numquam incœpit esse: sed et ab æterno est, et in æternum durabit. Item á Joann. 8. *Ego principium, qui et loquor vobis.* Hoc est. Ego, qui loquor, sum principium. Patet enim, et quod ille, qui eis tunc loquebatur, erat homo; nam Christus, ut Deus, non loquitur voce exterius sensibili, et consequenter, quod de persona suæ humanitatis intendit, cum dicit ly *ego principium.* Quia igitur principium, de quo ibi, non incœpit esse: dicere voluit, quod ipse, ut homo, secundum suam personam non incœpit esse: vide fusiorem auctoritatis prædictæ declarationem art. 7. appen. Item ab eodem ibid. *antequam Abraham fieret, ego sum.* Loquebatur enim de se homine, quoniam judæis solum hominem videntibus respondebat: et ly *ego* (ut manifestum est) dicit personam. Hic itaque dicit personam humanitatis suæ, ita quod persona illa vocatur *ego sum.* Nomen autem proprium Dei est ly *ego sum*, ut patet Exod. 3. immo et maxime proprium, 1. q. 13. art 11. Deus vero numquam incœpit, sed est æternus, 1. qu. 10. art. 3. Idem ergo est, ac si dixisset ibi: Abraham incœpit esse; ego autem, idest, persona meæ humanitatis non incœpit esse. Item ab eodem Jo. cap. 1. *In principio erat Verbum: et Verbum caro factum est.* Constat enim, quod Verbum fuisse in principio est ipsum fuisse ante sæcula, idest ab æterno: alioquin illud Verbum non esset Deus, ut notat contextus per ly *et Deus erat Verbum.* Ex eo igitur, quod hoc Verbum factum est caro, non per conversionem in carnem, cum Deus sit omnino immutabilis, 1. q. 9. art. 1. sed per unionem carnis ad suam ipsius Verbi subsistentiam, q. 2. a. 2. relinquitur ab Evangelista Theologis Scholasticis indubie concludendum, quod Verbum est persona carnis, idest humanitatis ab ipso assumptæ: et consequenter, quod Christus homo, et á fortiori, quod Christus Deus non incœpit esse. Vide art. 8. append. bullam Pauli IV. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 10. habes *primo:* quomodo per rationem radicitus interimas hæresim *Augustini de Roma* dicentis: quod natura humana in Christo est persona Verbi, et veraciter Deus naturalis, et proprius. Item hæresim *Metamorphistarum* dicentium: quod corpus Christi, cum ascendit in cœlum, plane factum est Deus, et ipsum corpus esse Deum, omnino proprie dici debere. Item *Eutychetis* dicentis: quod in incarnationis momento caro in divinitatem conversa est. Articulus enim præsens per hoc, quod Christum, secundum quod homo, dicit creaturam, pugnat radicaliter contra omnes illas hæreses: in quantum ipsæ aliquo modo ponunt, quod natura humana Christi est divina, seu Deus. Nam secundum istam eorum phantasiam Christus, etiam secun-

dum quod homo, idest, secundum humanitatem, non esset creatura, neque incæpisset esse ; sed esset creator, et æternus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Concil. *Basileensi*, á quo et ipsa Augustini de Roma recitantur. sess. 22. De hac ejus damnatione, et de hujus Concilii valore (nam in multis non est validum, quamvis hic valeat) vide q. 15. ar. 1. append. cum locis ibi citatis. Item merito damnari á q. 2. art. 2. et qu. 13. art. 1. et qu. hac art. 5. cum Eluc. Item á dictis in 1. q. 14. art. 16. et qu. 75. art. 7. cum Eluc. Item ab Addit. art. n. 389. Item á Conc. Chalced. in actionibus multis. Nam celebratum est præsentibus 630 Patribus contra *Eutychem* prædictum, qui asserebat Christum post humanitatis assumptionem non ex duabus naturis existere: sed solum in eo divinam naturam permanere: et contra *Dioscorum* defensorem ejusdem. Unde in fine Concilii tot, tantique patres veritatem contra istos ita concludunt. " Consentientes sanctis patribus, unum, eumdemque Filium confiteri Dominum nostrum Jesum Christum consona voce edocemus: pariter perfectum eumdem in deitate Deum, et hominem eumdem ex anima rationali, et corpore: secundum divinitatem unius cum Patre naturæ, secundum humanitatem unius naturæ nobiscum. Hunc unum, eumdemque Christum Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter cognoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem: magis autem salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam, atque subsistentiam concurrente: non in duas personas partitum, sive divisum : sed unum, et eumdem Filium unigenitum, Deum verum, Dominum nostrum Jesum Christum; sicut ante prophetæ de eo, et ipse Christus nos erudivit, et Sanctorum Patrum nobis tradidit symbolum. » *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 11. habes *primo*: quomodo per rationem, tamquam in radice, interimas hæreses *Augustini de Roma*, et *Metamorphistarum* quæ ponuntur in art. 10. app. Secundum enim illas hæreses Christus, secundum quod homo, idest, secundum humanam naturam, esset Deus, cujus omnino contrarium articulus hic demonstrat, et ideo prædictas hæreses impugnat, et expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eas merito damnari á dictis et relatis ibid. art. 10. *Tertio* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 12. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice interimas hæresim *Felicis* dicentis, quod in Christo insunt duæ hypostases. Et hæresim *Chanzinzariorum* dicentium, in Christo duas fuisse personas, alteram passam, alteram non passam. Et hæresim *Nestorii* dicentis, Christum habuisse duas personas, alteram divinitatis, alteram humanitatis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á dictis qu. 2. art. 2. 3. append. et qu. 4. art. 2. append. Item á dictis qu. hac art. 7. 8. 9. 10. append. Item á Concilio *Ephesino* 1. habito contra *Nestorium*, qui purum hominem ex sancta Virgine Maria natum asseruit: ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, nec unum Christum in Verbo Dei, et carne sentiret, sed separatim, atque sejunctim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicaret. Hoc ergo Concilium capit. 2. ait. " Si quis non confitetur, carni secundum subsistentiam unitum Dei Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eumdem scilicet Deum simul, et hominem: anathema sit. Et c. 3. Si quis in uno Christo dividit subsistentias post unionem, sola eas connexione conjungens: anathema sit. Et c. 6. Si quis non confitetur eumdem ipsum Christum , Deum simul, et hominem, propterea quod Verbum caro factum est, secundum scripturas: anathema sit. » Pro cujus scripturæ sana intelligentia subdit c. 13 " Hæc nos sequi verba debemus considerantes, quid sit incarnatum esse, et hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quod Dei natura conversa, vel immutata facta sit caro, nec, quod in totum hominem, qui est ex anima, et corpore, transformata sit: sed, quod carnem animatam anima rationali sibi copulaverit, Verbumque substantialiter, ineffabiliter, et incomprehensibiliter factum sit homo: et nuncupatum sit etiam Filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione personæ, sed, quod duæ diversæ

naturæ in unum convenerint ex quibus ambabus unus est Christus. » Item ab Eug. IV. Papa in Conc. Flor. " Sacros. Rom. Eccl. anathematizat Theodorum Mopsuestenum, atque Nestorium asserentes, in Christo duas esse personas, sicut duas fatentur esse naturas: cum intelligere non valerent unionem humanitatis ad Verbum hypostaticam extitisse, et propterea negarent Verbi subsistentiam accepisse. » Hæc ille in constitutio. super unione Jacobin. *Tertio* vides: etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA,

### DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quæ pertinent ad unitatem in Christo in communi. Nam de his quæ pertinent ad unitatem, vel pluralitatem in speciali, suis locis determinandum est; sicut supra determinatum est (quæst. IX.) quod in Christo non est una tantum scientia, et infra determinabitur (qu. XXXV.) quod in Christo non est una tantum nativitas.

Considerandum est ergo primo de unitate Christi quantum ad esse. Secundo quantum ad velle. Tertio quantum ad operari.

*Circa primum quæruntur duo.*

Primo, utrum Christus sit unum, vel duo.

Secundo, utrum in Christo sit tantum unum esse.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus sit unum, vel duo.*

*Quod sit duo.* = Videtur quod Christus sit duo.

1. Dum de Christo loquimur, possumus uti hoc termino (utrumque.) Ergo Christus est duo.

Conseq. prob., quia utrumque dici non potest, nisi ubi sunt duo.

Anteced. prob., quia Aug. dicit in 1. de Trin. cap. 7. « Quia forma Dei ac« cepit formam servi, utrumque Deus « propter accipientem Deum; utrumque « autem homo propter acceptum homi« nem. »

2. Ubicumque est aliud et aliud, ibi sunt duo. Sed Christus est aliud et aliud. Ergo Christus est duo.

Minor patet, quia dicit Aug. in Ench. cap. 35. « Cum in forma Dei esset, for« mam servi accepit, utrumque unus, sed « aliud propter Verbum, aliud propter « hominem. »

3. Christus non est tantum homo. Ergo est aliquid aliud quam homo. Ergo Christus est duo.

Anteced. prob., quia si Christus esset tantum homo, esset purus homo, quod est falsum.

4. Ille qui est aliquid et aliquid, est duo. Sed Christus est aliquid et aliquid. Ergo Christus est duo.

Minor prob., quia Christus est aliquid, quod est Pater; et est aliquid quod non est Pater. Ergo Christus est aliquid et aliquid.

5. In mysterio trinitatis propter unitatem naturæ, non obstante distinctione personarum, Pater, et Filius sunt unum, secundum illud Joan. 10. *Ego, et Pater unum sumus.* Ergo etiam in mysterio incarnationis propter diversitatem naturarum, non obstante unitate personæ, Christus non est unum, sed duo.

Conseq. prob., quia sicut in mysterio trinitatis sunt tres personæ in una natura, ita in mysterio incarnationis sunt duæ naturæ in una persona.

6. Ille qui habet dualitatem potest dici duo. Sed Christus habet dualitatem naturarum. Ergo Christus est duo.

Maior prob., quia dicitur 3. Phis. tex. 18. quod unum, et duo dicuntur denominative: unum enim denominat habens unitatem, et duo denominat habens dualitatem. Qui igitur habet dualitatem, debet denominari duo.

7. Ille in quo sunt duæ naturæ substantiales, est duo. Sed in Christo sunt duæ naturæ substantiales. Ergo Christus est duo.

Maior prob., quia sicut forma accidentalis facit alterum, ita forma substantialis facit aliud, ut Porphyrius dicit in prædicabilibus, cap. de differentia. Unde in eo, in quo sunt duæ naturæ substantiales, erit aliud et aliud; et per consequens erit duo.

Minor prob., quia in Christo est natura humana, et divina, ut pluries supra dictum est.

*Quod sit unum.*

*Omne quod est, in quantum est, unum est*, Boët dicit in lib. de duabus naturis. Sed Christum confitemur esse. Ergo Christus est unum.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus est unus, et unum.

Probatur. In Christo est tantum unum suppositum, et una persona quæ est eadem cum supposito; et duæ naturæ, quæ tamen non prædicantur de ipso ambæ in abstracto, sed per modum suppositi. Ergo Christus est unus, et unum.

Antecedens quoad primam partem, scilicet quod in Christo sit unum tantum suppositum, quod est sua persona, probatum est supra, quæst. 2. art. 2. et 6.

Quoad aliam partem vero, scilicet quod in Christo sint duæ naturæ, patet, quia in Christo est natura divina, et humana, ut ex dictis patet.

Quoad ultimam partem, scilicet quod duæ naturæ in Christo non prædicentur ambæ in abstracto, sed per modum suppositi, declaratur. Pro quo est sciendum quod natura secundum se considerata, prout in abstracto significatur, non vere potest prædicari de supposito, seu persona nisi in Deo; et hoc quia in solo Deo idem est quo est, et quod est, ut dictum est 1. p. quæst. 3. art. 3. et 4. In Christo igitur in quo duæ naturæ sunt, altera ipsarum, scilicet divina, poterit de eo prædicari in abstracto, et in concreto. Dicimus enim quod Filius Dei qui supponitur in hoc nomine, Christus, est divina natura, et est Deus. Humana vero natura non potest secundum se in abstracto prædicari de Christo, sed solum in concreto; non enim vere potest dici quod Christus sit humana natura, quia natura humana in abstracto non est nata prædicari de suo supposito. Dicitur autem quod Christus est homo sicut quod Christus est Deus, quia homo significat habentem humanitatem, sicut Deus significat habentem deitatem. Est tamen considerandum quod etsi tam homo, quam hic homo, puta Petrus, vel Jesus importent habentem humanitatem; aliter tamen hoc importat homo, et aliter Petrus. Nam homo importat habentem humanitatem indistincte; Petrus vero, vel Jesus important habentem humanitatem distincte, scilicet sub determinatis individualibus proprietatibus. Sicut etiam in divinis tam Deus, quam Filius Dei, vel Pater, important habentem deitatem: tamen Deus importat habentem deitatem indistincte; Pater vero, vel Filius Dei important habentem deitatem distincte sub determinata proprietate personali. Et hinc fit quod utraque natura prædicetur de Christo, prout significantur in supposito distincte. Christus igitur est Deus, et homo; non autem est natura humana: ac per hoc remanet manifestatum antecedens, quoad omnes suas partes.

Consequentia ostenditur. Nam quidam posuerunt in Christo duo supposita, sed unam personam: quæ quidem videtur se habere, secundum eorum opinionem, tamquam suppositum completum ulti-

ma perfectione, et hi dicebant Christum esse duo neutre, et unus masculine. Duo neutre, propter dualitatem suppositorum quasi informium, genus enim neutrum quiddam informe, et imperfectum designat: unus vero propter unitatem personæ; genus enim masculinum designat quiddam formatum, et perfectum. Nestoriani vero posuerunt in Christo non solum duo supposita, sed etiam duas personas: unde ipsi dicebant, Christum esse duo non solum neutraliter, sed etiam masculine. Et iterum si utraque natura prædicaretur in Christo, in abstracto, et per modum naturæ, Christus esset duo, sicut sunt duæ naturæ. Quia igitur in Christo ponimus tantum unum suppositum, et unam personam cum supposito identificatam; et iterum, quia duæ naturæ in Christo non prædicantur ambæ in abstracto, sed una ipsarum, scilicet natura humana prædicatur solum in concreto; ideo Christus est unum, et unus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod ly utrumque, cum dicitur de aliquo, potest se tenere, vel ex parte prædicati, vel ex parte subjecti. Ex parte prædicati se tenet, quando, ly utrumque, est prædicatum: puta si habeatur sermo de calido et lucido, et dicatur quod sol facit utrumque; vel si sit sermo de tractu navis à duobus, et dicatur quod navis trahitur ab utroque, puta á Petro, et Paulo. Ex parte vero subjecti se tenet, quando, ly utrumque, ponit dualitatem in subjecto; sicut si dicatur de duobus currentibus, quod uterque currit. Quando igitur, utrumque, dicitur de Christo, non se tenet ex parte prædicati, quasi dicatur quod Christus est utrumque, idest quod Christus sit duo; sed se tenet ex parte subjecti, et denotat non dualitatem suppositorum, sed dualitatem naturarum in uno supposito: et sensus est quod Christus est Deus, et homo, et hic est sensus verborum Aug. Unde bene dicere possumus, quod Christus sit Deus et homo: Deus propter accipientem Deum, et utrumque, scilicet Deus et homo, propter acceptum hominem.

Potest hoc argumentum aliter formari, et clarius, et brevius responderi hoc modo.

Ille de quo dicitur (utrumque) est duo. Sed de Christo dicitur (utrumque). Ergo Christus est duo.

Maior prob., sicut probata fuit consequentia; et minor, sicut probatum fuit antecedens alterius formæ.

Tunc respondetur, quod utrumque potest dici de aliquo dupliciter: uno modo ad denotandam pluralitatem suppositorum, ut si dicatur de Petro, et Andrea, uterque est homo: alio modo ad significandam dualitatem naturæ in uno supposito, vel subjecto; ut si dicatur, Petrus est utrumque, scilicet sensitivus, et intellectivus; pomum est album, et dulce, et sic de aliis: puta etiam si dicatur de militia, et doctoratu, Petrus est utrumque, et de duobus pomis dicatur, utrumque est dulce. Ad maiorem dicitur, quod si ly utrumque denotet supposita, verum est quod id, de quo dicitur utrumque, est duo: si denotet naturas in eodem, vel accidentia, non oportet quod sint duo, sed unum, in quo sint duo. Tunc ad minorem dicitur, quod quando dicitur, Christus est utrumque, non denotatur dualitas suppositi, sed dualitas naturæ in uno supposito,

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod ubi est aliud, et aliud suppositum, ibi sunt duo; non autem ubi est alia, et alia natura tantum. Tunc ad minorem dicitur, quod cum dicitur: Christus est aliud et aliud, locutio est exponenda, ut sit sensus, *habens aliam, et aliam naturam.* Et hoc modo exponit August. in lib. contra Felic. capit. 11. ubi cum dixisset "in "mediatore Dei et hominum, aliud Dei "Filius, aliud hominis Filius," subdit: "Aliud, inquam, pro discretione subs-

"tantiæ, non aliud pro unitate perso-
"næ." Unde Gregor. Nazianzenus in Epist. ad Cledonium, et est prima, dicit. "Si oportet compendiose dicere, aliud "quidem, et aliud ea, ex quibus Salva-"tor est, siquidem non idem est invisi-"bile visibili, et quod absque tempore, "ei quod sub tempore; non autem alius, "et alius: absit: hæc enim ambo unum."

Ad 3. Negatur consequentia. Hæc enim est falsa: Christus est tantum homo, quia ly tantum, non excludit aliud suppositum; sic enim esset sensus quod Christus non est aliud suppositum, quam illud quod est homo, et esset vera: sed excludit aliam naturam, eo quod termini qui ponuntur in prædicato, formaliter teneantur. Unde cum dicitur: Christus est tantum homo, ly tantum, excludit omnem aliam naturam, præter humanam. Et est sensus: in Christo non est nisi natura humana, quod est falsum; si tamen poneretur aliquis terminus trahens hanc exclusivam ad suppositum, esset vera: puta si diceretur: Christus est tantum id quod est homo, esset vera locutio. Non tamen sequitur, quod sit aliquid aliud quam homo: quia ly aliud, cum sit relativum diversitatis substantiæ, proprie refertur ad suppositum. Ex hoc igitur, quod Christus non est tantum homo, non sequitur quod Christus sit duo; sed solum quod in Christo sit alia natura præter humanam, quod est verum, ut dictum est.

Ad 4. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod cum dicitur, Christus est aliquid quod est Pater, ly aliquid, tenetur pro natura divina quæ dicitur aliquid, quia prædicatur de Patre etiam in abstracto, ut in corpore dictum est. Sed cum dicitur: Christus est aliquid quod non est Pater, ly aliquid non potest se tenere pro natura humana, secundum quod significatur in abstracto, quia hoc modo non prædicatur de Christo, ita ut possit dici: Christus est humanitas; sed se tenet pro natura humana, prout significatur in concreto: non quidem secundum suppositum distinctum, sed secundum suppositum indistinctum, prout scilicet substat naturæ, non prout substat proprietatibus individuantibus: et quia suppositum humanæ naturæ in Christo, non est aliud quam persona Filii Dei: et ideo non ponit in numerum cum natura divina quæ prædicatur de Patre, et Filio. Cum ergo dicitur: Christus est aliquid quod non est Pater, sensus est quod Christus habet aliam naturam, quam non habet Pater, quæ tamen natura, cum non prædicetur de Christo in abstacto, non facit quod Christus sit aliud, et aliud, sed solum quod Christus sit suppositum naturæ humanæ et divinæ: et quia natura divina prædicatur de ipso in abstracto, potest dici quod est aliquid quod est Pater, et quia humana non prædicatur in abstracto de Christo, non potest dici quod Christus sit aliquid quod non est Pater; nisi ly aliquid stet pro supposito quod est aliud á persona Patris: sed ex hoc non sequitur quod Christus sit aliud, et aliud.

Ad formam igitur negatur maior: potest enim aliquo modo aliquid esse aliquid, et aliquid, et tamen non esse duo. Et in proposito: Christus est aliquid quod est Pater, quia habet eamdem naturam cum Patre, et aliquid quod non est Pater, scilicet suppositum substans naturæ humanæ: quod suppositum non est Pater, et tamen Christus est tantum unum suppositum, et una persona Filii Dei.

Ad 5. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio in proposito de mysterio trinitatis, et incarnationis. In mysterio enim trinitatis natura prædicatur de omnibus personis in abstracto: et ideo potest dici absolute quod tres personæ sunt unum. In mysterio autem incarnationis, licet sint duæ naturæ in una persona, tamen non prædicantur ambæ de

persona in abstracto; tunc enim Christus esset duo: sed sola divina prædicatur in abstracto; humana autem nonnisi in concreto, et secundum quod est in supposito, et ideo non facit dualitas naturæ dualitatem suppositi in Christo, ut possit dici duo.

Ad 6. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod dualitas potest prædicari dupliciter: uno modo de supposito; alio modo de existentibus in supposito: si prædicetur de suppositis, puta de Petro, et de Joanne, illa non solum dicuntur habere dualitatem, sed dicuntur duo. Si vero prædicetur de existentibus in aliquo uno supposito, non est necesse quod suppositum sit duo, sicut in pomo sunt duæ qualitates, puta albedo, et dulcedo, non tamen sequitur quod pomum sit duo. Christus igitur habet dualitatem, non suppositorum, sed naturarum; et ideo non dicitur Christus duo, sed unus, et unum habens duas naturas.

Ad 7. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de natura accidentali, per respectum ad hoc quod est facere alterum. Natura enim accidentalis simpliciter facit alterum, quia alterum importat tantum diversitatem accidentis: unde posita diversitate accidentis inter aliqua duo, illa dicuntur alterum. Aliud autem importat diversitatem substantiæ: et quia substantia non dicitur solum natura substantialis, sed etiam suppositum naturæ, ut dicitur 5. Met. textu 15. ideo ad hoc quod aliquid simpliciter dicatur aliud, non sufficit diversitas naturæ, sed cum hoc requiritur etiam diversitas suppositi: diversitas autem naturæ tantum facit aliud, non simpliciter, sed secundum quid. Et quia in Christo est dualitas naturæ in unitate suppositi; ideo Christus non potest simpliciter dici aliud, et aliud; et non potest dici duo, cum sit tantum unum suppositum.

## ARTICULUS II.

*Utrum in Christo sit tantum unum esse.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non sit tantum unum esse.

1. Ea quæ consequuntur naturam, duplicantur in Christo, ut dicit Dam. in 3. lib. capit. 13. Sed esse consequitur naturam; esse enim est forma. Ergo in Christo non est tantum unum esse.

2. Esse Filii Dei, est ipsa natura divina, et est æternum; esse autem hominis Christi non est divina natura, sed est esse temporale. Ergo in Christo non est tantum unum esse.

3. In Trinitate, etsi sint tres personæ, est tamen tantum unum esse propter unitatem naturæ. Ergo in Christo, in quo sunt duæ naturæ, non est tantum unum esse, sed duo esse, secundum dualitatem naturæ.

4. In Christo anima dat aliquod esse corpori, et non dat esse divinum. Ergo in Christo est aliud esse præter esse divinum: et sic non est in Christo unum esse tantum.

Antecedens prob., et quod anima det aliquod esse corpori prob. quia anima est forma ejus: quod vero hoc esse non sit divinum, prob., quia corpus est quid creatum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Si in Christo non esset tantum unum esse, sed duo esse, sequeretur quod Christus non esset unum, sed duo.

Consequentia prob. Quia unumquodque secundum hoc dicitur ens, secundum quod dicitur unum. Et hoc, quia unum et ens convertuntur.

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo est tantum unum esse personale.

Probat. In eo cui advenit aliqua natura, non accidentaliter, sed hypostatice, vel personaliter, est tantum unum esse personale. Sed Filio Dei in Christo advenit natura humana non accidentaliter, sed hypostatice, et personaliter, ut dictum est

q. 2. art. 6. Ergo in Christo est tantum unum esse personale.

Maior manifestatur præmittendo: primo, quod si in aliquo sit una hypostasis, et duæ naturæ, necesse est quod ea quæ pertinent ad hypostasim, sint unum; quæ vero pertinent ad naturas, multiplicentur secundum multiplicationem naturarum. Secundo præmittendum est, quod esse pertinet ad hypostasim, et ad naturam; diverso tamen modo. Ad hypostasim quidem sicut ad id, quod habet esse; ad naturam vero, sicut ad id, quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formæ quæ dicitur ens ex eo, quod ea aliquid est, sicut albedine est aliquid album, et humanitate est aliquis homo. Præmittendum est tertio, quod si est aliqua forma, vel natura quæ non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, esse proveniens á tali forma non dicitur esse illius personæ simpliciter, sed tantum secundum quid; sicut esse album, est esse sortis, non in quantum est sortes, sed in quantum est albus. Ex quo sequitur, quod in aliquo subsistente, puta Petro, possit inveniri duplex esse, scilicet esse personale, quod est esse simpliciter; et esse non personale, quod est esse secundum quid. Inter quæ hæc est in proposito differentia, quod esse secundum quid nihil prohibet multiplicari in una hypostasi, vel persona; aliud est enim esse, quo sortes est albus, et quo sortes est musicus. Esse vero, quod pertinet ad ipsam hypostasim, vel personam, secundum se, impossibile est in una persona vel hypostasi multiplicari, quia impossibile est, quod unius rei non sit unum esse pertinens ad hypostasim, vel personam. Si igitur alicui subsistenti adveniat aliqua natura, præter propriam, accidentaliter, in tali subsistenti erunt duo esse. Unum quod erit á propria natura, et hoc erit esse pertinens ad ejus hypostasim; alterum vero erit esse secundum quid ipsius hypostasis præexistentis. Si vero natura, vel forma superveniat hypostasi, seu personæ jam præexistenti, in unione hypostastaci, seu personæ jam præexistenti, in unione hyponatica non multiplicabitur hypostaticum esse; sed nathypostasis. Sicut in sorte ponitur aliud esse quo est homo, et aliud quo est albus; quia esse album non pertinet ad esse personale sortis: esse autem capitatum, corporeum, et animatum, totum pertinet ad unam personam sortis; et ideo ex omnibus his, non fit nisi unum esse personale in sorte. Et si contingeret, quod post constitutionem personæ sortis, manus, vel pedes, vel oculi (ut accidit in cæco nato) advenirent, ex his non accresceret sorti aliud esse, sed solum quædam relatio prioris esse ad hujusmodi quæ de novo superveniunt: quia scilicet diceretur sortes esse, non solum secundum ea quæ prius habebat, sed etiam secundum ea, quæ ei postmodum advenerunt. Ex quibus omnibus manifeste patet, quod in eo cui advenit aliqua natura, non accidenteliter, sed hypostatice non est nisi unum esse personale, seu hypostaticum. Tale enim esse non est multiplicabile in eodem supposito: et si in supposito multiplicetur esse, non est á natura hypostatice adveniente, nec est esse hypostaticum, sed esse accidentale, et secundum quid, ut dictum est. Cum igitur in Christo natura humana adveniat, et uniatur personæ divinæ hypostatice, non erit in Christo aliud esse humanum, et aliud divinum, ita ut natura humana superveniens det aliud esse, quam divinum; sed solum hoc fit, quod humana natura existat existentia divina, sicut partes corporis de novo supervenientes existunt ad existentiam totius.

Et ex hoc sequitur, quod si in Christo natura humana adveniret accidentaliter, ut quidam falso asseruerunt, ut dictum est art. 6. 2. quæst. oporteret ponere in Christo duo esse; unum quidem secundum quod est Deus; aliud autem secun-

dum quod est homo: et cum hoc fuerit loco citato reprobatum, remanet confirmata conclusio, quod in Christo sit tantum unum esse personale.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliquid potest consequi naturam dupliciter: uno modo ut quo; alio modo ut quod. Ad maiorem dicitur, quod illud quod sequitur naturam, ut quod, multiplicatur in Christo sicut naturæ ipsæ in eo multiplicantur. Si autem aliquid consequatur naturam tantum, ut quo, et suppositum, ut quod, non multiplicabitur in eodem supposito. Tunc ad minorem dicitur, quod esse consequitur naturam tantum, ut quo, ut dictum est in corpore; et suppositum, ut quod: et ideo esse in Christo magis retinet unitatem secundum hypostasim unam, quam habeat multiplicitatem ex multiplicatione naturarum.

Ad 2. Negatur antecedens: nam in Christo, esse Filii Dei, quod est æternum, et divina natura, fit esse hominis in quantum humana natura assumitur á Filio Dei in unitatem personæ: unde esse hominis in Christo, est æternum, et divinum.

Ad 3. Negatur consequentia. In trinitate enim est unum esse trium personarum; quia in eis non est aliud esse naturæ et aliud personæ, cum persona divina sit idem cum natura: quod si aliud esse esset personæ, et aliud esse naturæ, esset in trinitate triplex esse: sicut est triplex persona. In Christo autem etsi sint duæ naturæ; quia tamen uniuntur in una persona, non multiplicatur esse hypostaticum; sed natura humana assumpta existit existentia divina, ut dictum est.

Ad 4. Negatur consequentia Anima enim in Christo dat esse corpori, in quantum facit ipsum actu animatum: quod est dare ei complementum naturæ, et speciei. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrumque, hoc totum compositum ex anima et corpore (prout significatum nomine humanitatis) non significatur, ut quod est, sed ut quo aliquid est. Et ideo ipsum esse est personæ subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam: cujus habitudinis causa est anima, in quantum perficit humanam naturam informando corpus: esse igitur, quod dat anima corpori, non est esse hypostaticum, ac per hoc non sequitur quod in Christo sint duo esse.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 17.ª QUÆSTIONE.

Ex artic. 1. habes *primo*: quomodo interimas hæresim *Elceseorum* dicentium: Christum non unum, sed plures fuisse. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á dictis, quæstione 4. artic. 2. append. Item á symbolo sancti Athanasii dicente. "Qui, licet Deus sit, et homo: non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam, sicut anima rationalis, et caro unus est homo, ita Deus, et homo unus est Christus." Quantæ autem auctoritatis sit prædictum symbolum, demonstrat Papa *Eugenius IV.* per hoc, quod, sacro approbante Concilio *Florent.* ipsum vocat compendiosam regulam fidei, ut patet in sua constitutione super unione Armenorum. Item merito damnari á Matthæi 13. *Magister vester unus est Christus.* Non solum enim dictum hoc exponitur sic: vester magister est unus, qui est Chris-

tus: sed etiam sic, vester magister est Christus, qui est unus. Et ideo (ut ibi dicitur) *ne vocemini magistri*: hoc est, juxta hunc sensum; ne habeatis plures magistros. Item a. 1. Corinth. 1. *Divisus est Christus*? Quasi dicat. Absit. Pro maximo enim inconvenienti se habere declarat Apostolus, quod vel in speciem detur occasio cogitandi, quod Christus sit divisus, idest, quod sit plures, dum Corinthios sic acriter redarguendo corripit, ac si ex ipso modo interrogandi dixerit. Manifestum et est, et vobis esse debet, ideoque mirum est, si vobis non sit manifestum, quod Christus non est divisus, idest quod Christus non plures, sed unus est. Item á Conciliis *Constantinopolitano* 5. et *Ephesino* 1. ut prudens lector applicabit ex qu. 2 ar. 2. 3. cum Elucid. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Nestorii* dicentis, quod Christus non unus in divinitate et humanitate fuit, sed separatim alter Filius Dei, alter Filius hominis. Item hæresim *Severi Antiocheni* dicentis: in Christo fuisse unionem non personalem in duabus naturis vere subsistentem: sed tantum habitualem, idest, secundum habitum, proprietatem, conditionemque quamdam divinam, qua, cum solus esset homo, divina tamen assistente per quamdam participationem virtute, miracula operaretur. Per has enim hæreses, ut patet intelligenti, ponebantur in Christo duo esse, scilicet, æternum, et temporale: ac pro tanto et hic adducuntur, et á præsenti articulo confunduntur, et ab infra dicendis condemnari pro nunc intelligentur. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, illas damnari á dictis ar. 1. app. Item á q. 16. art. 11. app. cum ibi citatis. Quæcumque enim sunt distincta secundum esse, sunt et supposito distincta, ut dicit Doctor sanctus in quolib. 9. artic. 3. ideoque cum in locis allegatis monstretur, quod in Christo est tantum unum suppositum, commonstratum fuisse tenendum est, quod in Christo est solum unum esse. Item á dictis qu. 6. art. 6. append. Item á Concilio Constantinopolitano 5. capit. 3. "Si quis dicit, alium esse Verbum, qui miracula fecit, et alium Christum, qui passus est; vel Deum Verbum cum Christo esse dicit, quando ex muliere nascebatur, vel in ipso esse, ut alterum in altero, et non unum, eumdemque Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Verbum incarnatum, et hominem factum; atque ejusdem miracula, et passiones, quas sponte passus est carne, talis anathema sit.» Item merito damnari á Papa *Felice* per hoc, quod damnat hæresim *Petri* cujusdam Antiochiæ Episcopi, qua Trisagio addiderat ly *qui crucifixus es*, quasi Filium Dei, inibi nomine fortis designatum, distinguens ab illo, qui crucifixus est. Contra prædictum enim Petrum dicit Papa. "Erroris venena fidelium auribus infudisti, traditamque ab Angelis sanctissimam laudationis formam corrupisti inserens illi, qui crucifixus es pro nobis. Ergo ne non advertisti, quod Paulum Samosatenum, Photinumque, et Artemium impietate trascendis, qui duos Dei filios posuerunt, unum quidem ante sæcula, alterum vero noviter natum, cum ipse quoque Trinitati invexeris pluralitatem, duos Dei filios dicens, unum fortem, alterum crucifixum?» Hæc ille in epistola ad ipsum Petrum monitoria, quod non debet addi in Trisagio *qui crucifixus es*. Pro præmissorum captu adverte, quod Trisagium appellant græci hymnum, in quo Deus ter sanctus nominatur: ut ly *sancte Deus*, *sancte fortis*, *sancte et immortalis*. Erroneo autem ausu Petrus ille dicebat, *sancte fortis*, *qui crucifixus es:* intelligentiam dividendi fortem á crucifixo in hac additione habens, ideoque in fide committens errorem. Christum enim duo esse habere per hoc fatebatur: id, quod ipse Papa tamquam unum esse in eo tantum revera contestans (ut audivimus) reprobat omnino. Quod si absque illa erronea intelligentia post ly *fortis* adderet quis ly *qui crucifixus es pro nobis*, intendens, quod ipse unus, et idem Filius fortis fuit carne crucifixus pro nobis, et ad nullam aliam personam refert crucifixionem talem, talis neque á Papa, neque ab aliquo sapiente esset de hoc reprehendendus, quasi errans in fide: sed forte de hoc, quod hymno illi addidit publice id, quod communis usus tacuerat, et tacet. Vide quæst. 46. artic. 12. append. *Tertio* vides: quomodo etc.

## QUÆSTIO DECIMA OCTAVA,

### DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unitate quantum ad voluntatem.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum in Christo sit alia voluntas divina, et alia humana.

Secundo, utrum in humana natura Christi sit alia voluntas sensualitatis, et alia rationis.

Tertio, utrum ex parte rationis fuerint in Christo plures voluntates.

Quarto, utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.

Quinto, utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volito.

Sexto, utrum in Christo fuerit aliqua contrarietas voluntatum.

### ARTICULUS I.

*Utrum in Christo sint duæ voluntates.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod in Christo non sint duæ voluntates, una divina, et alia humana.

1. In eo in quo voluntas divina fuit primum movens, non sunt duæ voluntates, sed una tantum, scilicet voluntas divina. Sed in Christo primum movens fuit voluntas divina. Ergo in Christo non fuerunt duæ voluntates, sed una tantum, scilicet divina.

Maior prob., quia voluntas est primum movens et imperans in unoquoque volente. Unde in eo, in quo voluntas divina est primum movens, et imperans, non est nisi divina voluntas.

Minor prob., quia omnia humana in Christo movebantur secundum voluntatem divinam.

2. In eo, quod movetur tamquam instrumentum, non debet poni propria voluntas. Sed humanitas Christi fuit, sicut instrumentum divinitatis ejus. Ergo in Christo non est ponenda aliqua humana voluntas, sed solum divina.

Maior prob., quia instrumentum non movetur propria voluntate, sed voluntate moventis.

3. Illud solum multiplicatur in Christo, quod pertinet ad naturam, ut art. præced. dictum est. Sed voluntas non videtur pertinere ad naturam. Ergo voluntas in Christo non debet multiplicari.

Minor prob. Quod pertinet ad naturam, est necessarium. Sed voluntas non est necessaria; voluntaria enim necessaria non sunt. Ergo voluntas non pertinet ad naturam.

4. In eo in quo est tantum una persona, est tantum una voluntas. Sed in Christo est tantum una persona. Ergo in Christo est tantum una voluntas.

Maior prob., quia Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. cap. 14. quod *aliqualiter velle, non est naturæ, sed nostræ intelligentiæ*, scilicet personalis. Et cum aliqualis voluntas sit voluntas, non enim est aliquid in genere, quin sit in aliqua ejus specie; sequitur, quod omnis voluntas sit pertinens ad personam.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus dicit Luc. 22. *Pater, si vis, transfer calicem istum á me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quod inducens Ambr. ad Gratianum imperatorem lib. 2. de fide c. 3. dicit: « sicut susce-« perat voluntatem meam, suscepit tris-« titiam meam. » Et lib. 10. in Luc. dicit: « voluntatem suam ad hominem retu-« lit, Patris ad divinitatem: voluntas enim «hominis est temporalis, voluntas divini-« tatis æterna. »

*Determinatio.*

*Errores diversorum.*

Quidam posuerunt in Christo unam solam voluntatem: sed ad hoc ponendum diversimode moti esse videntur. Apollinarius enim non posuit animam intellectualem in Christo, sed quod Verbum esset loco animæ, vel etiam loco intellectus. Unde cum voluntas sit in ratione, ut dicitur 3. de Anima textu 42. sequeba-

tur, quod in Christo non esset voluntas humana, et ita in eo non esset nisi una voluntas, scilicet divina. Et ad hoc ponendum cogebantur etiam omnes, qui posuerunt in Christo unam naturam compositam ex humana et divina. Nestorius etiam, quia posuit unionem Dei et hominis esse factam solum secundum affectum, et voluntatem, posuit unam voluntatem in Christo.

Postmodum vero Macharius Antiochenus Patriarca, et Cyprus Alexandrinus, et Sergius Constantinopolitanus, et quidam eorum sequaces, posuerunt in Christo unam voluntatem: quamvis in eo ponerent duas naturas, secundum hypostasim unitas, quia opinabantur, quod humana natura in Christo numquam movebatur proprio motu, sed solum secundum quod erat mota á divinitate: ut patet ex Epistola Synodica Agathonis Papæ recepta in sexta Synodo act. 8. Omnes igitur prædicti conveniunt in positione, sed differunt in ratione positionis. Primi ponunt in Christo voluntatem divinam tantum, quia non ponunt in Christo animam rationalem. Secundi ponunt in Christo solum voluntatem humanam, quia non credebant Deum esse vere unitum secundum hypostasim cum natura humana. Alii tandem posuerunt in Christo tantum divinam voluntatem, quia crediderunt humanitatem Christi numquam fuisse motam proprio suo motu, ac per hoc superflua fuisset in Christo humana voluntas.

Errores Apollinarii et Nestorii reprobati fuerunt supra in quæstione secunda. Macharii vero, et sequacium erroris levitas, patebit in solutione primi argumenti.

*Vera sententia.*

Conclusio. In Christo sunt duæ voluntates. Una scilicet divina, et altera humana.

Prob. dupliciter: auctoritate, et ratione. Auctoritas est ex sexta Synodo desumpta, apud Constantinopolim celebrata, in qua determinatum est oportere dici, quod in Christo sunt duæ voluntates: ubi hic legitur in Epistola Agathonis Papæ, quæ lecta fuit actione 4. « Juxta, « quod olim Prophetæ de Christo, et ipse non erudivit, et sanctorum Patrum « nobis tradidit Symbolum, duas naturales voluntates in eo, et duas naturales « operationes prædicamus. »

Ratio autem hæc est. In eo in quo perfecte invenitur natura divina et humana, sunt duæ voluntates, scilicet divina et humana. Sed in Christo inveniuntur perfecte natura divina et humana. Ergo in Christo inveniuntur duæ voluntates, scilicet divina et humana.

Maior prob., quia divinæ naturæ competit habere voluntatem, ut dictum est 1. par. quæst. 19. art. 1. Et etiam ad perfectionem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ est ejus naturalis potentia, ut patet in 1. par. quæst. 79. et 80. Unde in eo in quo est utraque natura perfecte est utraque voluntas.

Minor de divina natura patet, quia per assumptionem humanæ naturæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his quæ pertinent ad divinam naturam. De humana vero; quia Filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam, ut quæst. 2. dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: est enim in unoquoque voluntas divina primum movens, et tamen non per hoc excluditur propria uniuscujusque voluntas. Et ad probationem dicitur, quod voluntas creata non potest moveri interius ab aliqua creatura, et ideo respectu moventis creati in unoquoque est primum movens: tamen potest interius moveri á Deo, ut dictum est 1. par. quæst. 105. art. 4. Unde respectu voluntatis divinæ est movens motum. Potest igitur aliquis moveri á voluntate divina; et tamen non per hoc excluditur voluntas propria. Unde et in sanctis piæ eorum voluntates moventur secundum voluntatem Dei, qui

operatur in nobis velle et perficere, ut dicitur ad Phil. 2. et ad minorem dicitur, quod ex hoc quod quicquid erat in humanitate Christi, movebatur nutu voluntatis divinæ, non sequitur quod in Christo non fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ, ut Macharius, et sequaces dixerunt. Nam Christus, secundum voluntatem humanam quæ in eo erat, sequebatur voluntatem divinam, secundum illud Psal. 39. « Ut facerem vo- « luntatem tuam, Deus meus, volui.» Unde Aug. dicit contra Maximinum lib. 3. cap. 20. « Ubi dixit Filius Patri, non « quod ego volo, sed quod tu vis: quid te « adjuvat, quod tua verba subjungis, et « dicis: ostendit vere suam voluntatem « subjectam suo genitori: quasi nos nege- « mus, hominis voluntatem voluntati Dei « debere esse subjectam.» Fuit igitur in Christo, et voluntas divina movens, et humana voluntas mota à divina voluntate, et movens, secundum regulam divinæ voluntatis.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod proprium est instrumenti, ut moveatur á principali agente; diversimode tamen secundum diversam proprietatem diversorum quæ moventur, ut instrumenta. Nam instrumentum est triplex: quiddam est inanimatum, ut sunt securis, et serra; et hoc movetur ab artifice tantum, secundum corporalem motum. Quoddam vero est animatum anima sensitiva, et hoc movetur per appetitum sensitivum, sicut equus á sessore. Quoddam vero est instrumentum animatum anima rationali, et hoc instrumentum movetur á principali agente per voluntatem ipsius instrumenti. Sicut per imperium domini movetur servus ad aliquid agendum, qui quidem servus est, sicut instrumentum animatum, ut Phil. dicit 1. Polit. cap. 3. et 4. Sic ergo humana natura in Christo fuit sicut instrumentum divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem.

Ad 3. Negatur minor. Ad minorem probationis dicitur, quod ipsa potentia voluntatis est naturalis, et consequitur naturam ex necessitate. Sed motus, vel actus hujus potentiæ, qui etiam voluntas dicitur, quandoque quidem est naturalis, et necessarius, puta respectu felicitatis; quandoque autem ex libero arbitrio rationis proveniens, et non necessarius, neque naturalis; sicut patet ex his quæ in 1. par. quæst. 82. art. 1. et 2. et 1. 2. quæst. 5. art. 8. et quæst. 6. art. 1. dicta sunt. Et tamen etiam ipsa ratio quæ est principium hujus motus, est naturalis; et ideo præter voluntatem divinam oportet in Christo ponere voluntatem humanam, non solum prout est potentia naturalis, aut prout est motus naturalis, sed etiam prout est motus rationalis; cum ipsa ratio ad humanam naturam pertineat, ut dictum est.

Ad 4. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod per illud verbum, aliqualiter, Dam. significat determinatum modum volendi; determinatus autem modus ponitur circa rem, cujus est modus. Unde cum voluntas pertineat ad naturam, ut in præced. responsione dictum est, ipsum etiam quod est aliqualiter velle, pertinet ad naturam non secundum quod est absolute considerata, sed secundum quod est in tali hypostasi. Sententia ergo Damas. intelligenda est sic, quod aliqualiter velle, scilicet determinatus volendi modus pertinet ad nostram intelligentiam, idest ad naturam, secundum quod in hypostasi consideratur. Unde etiam voluntas humana Christi habuit quemdam determinatum motum ex eo, quod fuit in hypostasi divina, ut scilicet moveretur semper secundum motum divinæ voluntatis.

## ARTICULUS II.

### *Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis præter voluntatem rationis.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod in Christo non fuerit aliqua voluntas sensualitatis præter voluntatem rationis.

1. In appetitu sensitivo non est volun-

tas. Sed sensualitas significat appetitum sensitivum. Ergo in sensualitate non est voluntas, ac per hoc in Christo non potest esse aliqua voluntas sensualitatis.

Maior prob., quia dicitur 3. de Ani. tex. 42. quod voluntas in ratione est; in sensitivo autem appetitu est irascibilis, et concupiscibilis.

2. In eo, in quo est voluntas sensualitatis, est aliquid serpentinum. Sed in Christo non fuit aliquid serpentinum. Ergo in Christo non fuit aliqua voluntas sensualitatis.

Maior prob., quia sensualitas significatur per serpentem, qui Evam tentavit, ut dicit August. 12. de Trin. c. 13.

Minor prob., quia Christus habuit similitudinem animalis venenosi sine veneno, ut August. dicit super illud Joan. 3. *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto.*

3. In Christo non fuit nisi una natura præter divinam. Ergo in Christo non fuit alia voluntas nisi humana præter voluntatem divinam.

Conseq. prob., quia voluntas sequitur naturam, ut art. præced. dictum est.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In quo fuit tristitia, fuit aliqua voluntas sensualitatis. Sed in Christo fuit tristitia. Ergo in Christo fuit aliqua voluntas sensualitatis.

Maior prob., quia tristitia pertinet ad sensualitatem, ut dictum est in 2. p. q. 23. art. 1. et 3.

Minor prob., quia Amb. dicit libro 2. de fide ad Gratianum cap. 3. *Mea est voluntas, quam suam dixit* (scilicet Christus, dum dixit Patri, non mea voluntas, sed tua fiat,) *quia ut homo, suscepit tristitiam meam.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod in Christo fuerit tristitia, et quod tristitia pertineat ad humanam ejus voluntatem, ac per hoc ad sensualitatem.

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo, præter voluntatem rationis, fuit appetitus sensitivus, sive sensualitas, quæ dicitur voluntas per participationem.

Prob. quoad priorem partem. In eo, qui assumpsit naturam humanam cum omnibus, quæ pertinent ad perfectionem ipsius humanæ naturæ, est etiam sensualitas. Sed Filius Dei assumpsit humanam naturam cum omnibus, quæ pertinent ad perfectionem ipsius humanæ naturæ, ut art. præced. dictum est. Ergo in Christo fuit appetitus sensitivus, qui et sensualitas dicitur.

Maior prob., quia sensualitas pertinet ad naturam animalem, in qua includitur humana natura, sicut species in genere. Unde sensualitas erit etiam perfectio pertinens ad humanam naturam. In quo igitur est natura humana cum omnibus pertinentibus ad ejus perfectionem, necesse est ut sit sensualitas.

Altera pars conclusionis, scilicet quod sensualitas sit voluntas per participationem, ostenditur. Nam sensualitas, sive sensualis appetitus, in quantum natus est obedire rationi, dicitur rationale per participationem, ut patet per Phil. 1. Ethic. cap. ult. et quia voluntas est in ratione, ut artic. præced. dictum est, pari ratione potest dici, quod sensualitas sit voluntas per participationem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod in appetitu sensitivo non est voluntas per essentiam, de qua Phil. loquitur: potest tamen in appetitu sensitivo esse voluntas per participationem dicta, in quantum sensualitas obedit rationi.

Ad 2. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod sensualitas significatur per serpentem, non quantum ad naturam sensualitatis, quam Christus assumpsit, sed quantum ad corruptionem fomitis, quæ corruptio in Christo non fuit.

Ad 3. Dicitur, quod ubi est unum propter alterum, ibi unum tantum esse videtur; sicut superficies, quæ est visibilis propter colorem, est unum visibile cum colore. Et quia sensualitas non dici-

tur voluntas, nisi quatenus participat voluntatem rationis, sicut est una natura humana in Christo, ita ponitur in eo una humana voluntas. Concluditigitur argumentum, quod in Christo non sint plures humanæ voluntates, non autem quod in Christo non sit sensualis voluntas, quæ non ponit in numero cum voluntate rationis, ut dictum est.

## ARTICULUS III.

*Utrum in Christo fuerint duæ voluntates quantum ad rationem.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod in Christo fuerint duæ voluntates quantum ad rationem.

1. Dam. dicit in 2. lib. cap. 22. quod duplex est hominis voluntas, scilicet naturalis, quæ vocatur thelisis, et voluntas rationalis, quæ vocatur bulisis. Ergo in Christo fuerunt duæ voluntates quantum ad rationem.

Consequentia prob., quia Christus in humana natura habuit quicquid ad perfectionem humanæ naturæ pertinet.

2. In Christo fuit duplex vis apprehensiva, scilicet intellectus, et ratio. Erno in Christo fuit duplex voluntas quantum ad rationem, scilicet una correspondens intellectui, et altera rationi.

Anteced. prob., quia quantum ad apprehensionem hominis ponitur differentia rationis, et intellectus: unde, et in Christo utrumque esse debuit.

Consequentia prob., quia vis appetitiva diversificatur in homine secundum diversitatem virtutis apprehensivæ. Et ideo secundum differentiam sensus, et intellectus diversificatur in homine appetitus sensitivus, et intellectivus. Ergo pari ratione, secundum diversitatem virtutis apprehensivæ in parte superiori debet etiam diversificari appetitus rationalis.

3. A quibusdam ponitur in Christo voluntas pietatis. Ergo in Christo ex parte rationis sunt plures voluntates.

Consequentia prob., quia voluntas pietatis non ponitur nisi ex parte rationis.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In uno homine est tantum una voluntas humana proprie dicta. Sed Christus est unus homo. Ergo in Christo fuit tantum una voluntas humana proprie dicta.

Maior prob. In quolibet ordine est tantum unum primum movens. Sed voluntas est primum movens in genere humanorum actuum. Ergo in uno homine est solum una voluntas proprie dicta.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Voluntas accipitur dupliciter, ut dictum est art. 1. ad 3. Quandoque accipitur pro potentia, et quandoque pro actu.

1.ª Conclusio. Si voluntas accipiatur pro actu, oportet ponere in Christo ex parte rationis duas voluntates, idest duas species actus voluntatis.

Prob. Voluntas est finis, et eorum quæ sunt ad finem, ut dictum est 1. 2. quæst. 8. art. 2. et 3. et diverso modo fertur in finem, et in ea quæ sunt ad finem. Ergo in Christo, in quo humana voluntas fuit, oportet ponere duas voluntates, idest duas species actuum voluntatis.

Manifestatur simul antecedens ostendendo diversum modum, quo voluntas tendat in finem, et in ea quæ sunt ad finem, et consequentia, ostendendo quod duobus actibus voluntas tendat in finem, et in ea, quæ sunt ad finem. Nam voluntas fertur in finem simpliciter, et absolute, sicut in id, quod est secundum se bonum. In id autem, quod est ad finem, fertur cum quadam comparatione secundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud; ex hac autem diversitate modi, quo voluntas tendit finem, et in ea quæ sunt ad finem, nascitur diversitas actuum. Alterius enim rationis est actus, quo voluntas tendit in finem, ab actu, quo tendit in ea, quæ sunt ad finem: nam voluntas tendit in finem, ut in id, quod est secundum se volitum, ut quando voluntas fertur in sanitatem, et hic actus vocatur

á Dam. Thelisis, idest simplex voluntas, et á magistris vocatur voluntas, ut natura: fertur vero voluntas in ea quæ sunt ad finem, ut in id quod est volitum in ordine ad alterum, sicut cum vult sumere medicinam; et hunc voluntatis actum Dam. vocat, bulisim, idest consiliativam voluntatem, á magistris vero vocatur voluntas, ut ratio: tendere autem in id, quod est secundum se volitum, et in id quod est volitum in ordine ad alterum, facit diversitatem actuum; et ideo voluntas rationis accepta pro actu dividitur in duas voluntates, idest in duos actus distinctos secundum diversam rationem. Quæ actuum voluntatis diversitas, cum consequatur humanam voluntatem, ponendi sunt etiam in Christo, in quo humana voluntas fuit.

2.ª Conclusio. In Christo non fuit nisi una voluntas ex parte rationis, si voluntas pro volitiva potentia accipiatur.

Manifestatur. Quia supradicta actuum diversitas non diversificat potentiam volitivam, quia uterque actus tendit in suum objectum sub communi ratione boni, quod est objectum voluntatis: unde sunt duo actus ejusdem potentiæ, sicut visio lucis et coloris sunt duo actus ejusdem visivæ potentiæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad sententiam Dam. quod illæ duæ voluntates non diversificantur secundum potentiam, sed solum secundum differentiam actus, ut dictum est. Unde illud argumentum probat solum, quod in Christo ponantur illi duo actus voluntatis.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod intellectus, et ratio non sunt duæ potentiæ, ut in 1. p. dictum est q. 79. ar. 8. sed sunt duo actus ejusdem potentiæ, quibus correspondent duo actus voluntatis. Intellectui enim respondet volitio finis, et rationi respondet volitio eorum quæ sunt ad finem.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod voluntas pietatis non videtur esse aliud, quam voluntas ut natura, in quantum scilicet refugit alienum malum absolute consideratum.

## ARTICULUS IV.

*Utrum in Christo sit liberum arbitrium.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod in Christo non fuerit liberum arbitrium.

1. In eo, in quo est liberum arbitrium, est electio. Sed in Christo non est electio. Ergo in Christo non est liberum arbitrium.

Maior prob., quia electio est actus liberi arbitrii.

Minor prob., quia Dam. dicit in 3. lib. cap. 14. *Gnomen* autem, idest sententiam, vel mentem, vel excogitationem, et *prohæresim*, idest electionem, *in Domino dicere impossibile est*, si proprie loqui volumus; ut facere debemus in rebus fidei.

2. Et est altera probatio minoris præcedentis argumenti. In eo, in quo est electio, est consilium. Sed in Christo non fuit consilium. Ergo in Christo non fuit electio, nec liberum arbitrium, cujus actus est electio.

Maior prob., quia *electio est appetitus præconsiliati*, ut dicitur 3. Ethic. cap. 3: unde ubi est electio, est etiam consilium.

Minor prob. In eo, qui de omnibus certitudinem habet, non est consilium; non enim de his, de quibus certi sumus, consiliamur. Sed Christus de omnibus certitudinem habuit. Ergo in Christo non fuit consilium.

3. In eo, cujus voluntas est determinata ad unum, non est liberum arbitrium. Sed voluntas Christi fuit determinata ad unum. Ergo in Christo non fuit liberum arbitrium.

Maior prob., quia liberum arbitrium se habet ad utrumque.

Minor prob., quia voluntas Christi fuit determinata ad bonum, quia non potuit peccare, ut dictum est quæst. 15. ar. 1. et 2.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo qui potest reprobare malum, et eligere bonum, est liberum arbitrium. Sed Christus poterat reprobare malum, et eligere bonum. Ergo in Christo fuit liberum arbitrium.

Maior prob., quia eligere, et reprobare pertinent ad liberum arbitrium.

Minor prob., quia dicitur Isaiæ 7. « Butyrum, et mel comedet » scilicet Christus, « ut sciat reprobare malum, et « eligere bonum. »

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo fuit liberum arbitrium.

Prob. In eo in quo ponitur voluntas, ut ratio, est liberum arbitrium. Sed in Christo fuit voluntas, ut ratio. Ergo in Christo fuit liberum arbitrium.

Maior prob., quia voluntas ut ratio est proprius actus liberi arbitrii, ut dictum est 1. p. q. 83. art. 3. et 4.

Minor prob. Nam in Christo fuit duplex actus voluntatis, ut dictum est ar. 1. ad 3. et art. præced. Unus quidem, quo ejus voluntas ferebatur in aliquid, sicut secundum se volitum, quod pertinet ad rationem finis; alius autem, secundum quem ejus voluntas ferebatur in aliquid per ordinem ad aliud, quod pertinet ad rationem ejus, quod est ad finem: differt autem, ut Phil. dicit 3. Ethic. cap. 2. electio á voluntate in hoc quod voluntas, per se loquendo, est ipsius finis; electio autem eorum quæ sunt ad finem: et sic voluntas simpliciter est idem quod voluntas, ut natura; electio autem est idem quod voluntas, ut ratio. Ex quibus patet ratio maioris propositionis, scilicet quod voluntas, ut ratio sit actus liberi arbitrii, quia, inquam, voluntas, ut ratio, idem est quod electio, quæ est actus liberi arbitrii. Patet etiam minor: quia in articulo præcedenti probatum est, quod in Christo est actus, quo voluntas fertur in ea, quæ sunt ad finem, qui actus est idem, quod voluntas; ut ratio est idem quod electio, quæ ad liberum arbitrium pertinet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod Damas. excludit á Christo electionem, secundum quod intelligit in nomine electionis importari dubitationem: hæc tamen dubitatio non est de necessitate electionis, quia etiam Deo in quo nulla potest esse dubitatio, convenit eligere: secundum illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso*, etc. Accidit tamen dubitatio electioni, in quantum electio est in natura ignorante, quæ non erat in Christo: et idem dicendum est de aliis, de quibus fit mentio in dicta auctoritate; non enim illa ponuntur in Christo, secundum quod implicant ignorantiam, vel dubitationem, qualiter hæc sunt in puris hominibus.

Ad 2. Dicitur, quod consilium potest considerari quoad duo: primo secundum quod significat inquisitionem cum dubitatione; alio modo quantum ad certum judicium, ad quod consilium terminatur. Si consideretur quantum ad primum, non fuit in Christo, quantum vero ad secundum, est in Christo, et etiam in Deo, ut dictum est 1. 2. q. 13. art. 1. ad 2. Ad formam igitur, negatur minor; fuit enim in Christo consilium. Ad maiorem probationis dicitur, quod qui est certus, non consiliatur, secundum quod consilium habet dubitationem; est tamen in eo consilium ratione certi judicii, et hoc modo ex consilio sequitur electio: unde incertitudo, et dubitatio non pertinent ad consilium; sed accidunt ei, quatenus est in natura ignorante.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod voluntas Christi est determinata ad bonum in communi, non autem ad hoc, vel ad illud bonum; et ideo ad Christum pertinet liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad beatos.

## ARTICULUS V.

*Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volito.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod voluntas humana in Christo, fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volito, ita quod non voluerit aliud, quam Deus vult.

1. Qui vult facere voluntatem Dei, habet voluntatem propriam omnino conformem divinæ voluntati in volito. Sed Christus secundum humanam voluntatem voluit facere voluntatem Dei. Ergo voluntas humana Christi fuit conformis divinæ voluntati in volito.

Maior patet. Quia ille, qui vult voluntatem alicujus facere, vult quod ille vult.

Minor prob., quia in Psal. 39. ex persona Christi dicitur: *ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.*

2. Voluntas ejus in quo fuit perfectissima charitas, conformatur divinæ voluntati in volito. Sed anima Christi habuit perfectissimam charitatem, quæ comprehensionem nostræ scientiæ excedit, secundum illud ad Ephes. 3. *Supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Ergo voluntas Christi conformatur omnino divinæ voluntati in volito.

Maior prob., quia charitatis est facere, quod homo idem velit quod Deus. Unde et Phil. 9. Ethic. cap. 4. dicit, quod unum de amicabilibus est, eadem velle, et eligere.

3. Voluntas ejus, qui fuit verus comprehensor, conformatur cum divina voluntate in volito. Sed Christus fuit verus comprehensor. Ergo voluntas Christi erat conformis divinæ voluntati in volito.

Minor prob., quia sancti, qui sunt comprehensores in patria, nihil aliud volunt quam quod Deus vult: alioquin non essent beati, quia non haberent quicquid vellent: *Beatus enim est, qui habet quæcumque vult, et nihil male vult,* ut Aug. dicit in lib. 13. de Trin. cap. 5.

## ARTIC. V.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit lib. 3. contra Maximinum cap. 20. « In hoc, quod Christus ait, Non « quod ego volo, sed quod tu, aliud se « ostendit voluisse, quam Pater; quod « nisi humano corde non posset, cum in- « firmitatem nostram in suum non divi- « num, sed humanum transfiguraret af- « fectum. » Ergo voluntas humana Christi non fuit omnino conformis divinæ voluntati in volito.

*Determinatio.*

*Distinctio.* In Christo secundum humanam naturam ponitur duplex voluntas, ut dictum est art. 1. 2. et 3. hujus quæst. scilicet voluntas sensualitatis, quæ participative dicitur voluntas, et voluntas rationalis, quæ consideratur, vel per modum naturæ, vel per modum rationis: prout enim fertur in finem, consideratur per modum naturæ, et prout fertur in ea quæ sunt ad finem, consideratur per modum rationis.

1.ª Conclusio. Christus secundum voluntatem sensualitatis et secundum voluntatem rationis, secundum quod consideratur per modum naturæ, poterat aliud velle, quam Deus.

Et sub aliis verbis: Christus secundum voluntatem sensualitatis, et secundum voluntatem rationalem, per modum naturæ, potuit non conformari divinæ voluntati in volito.

Prob. Voluntas sensualitatis naturaliter refugit dolores sensibiles, et corporis læsionem: et similtter voluntas ut natura, repudiat ea quæ sunt naturæ contraria, et quæ sunt secundum se mala, puta mortem, et alia hujusmodi. Voluntas autem Dei erat, ut Christus dolores, et passiones, et mortem pateretur. Ergo Christus secundum voluntatem sensualitatis, et secundum voluntatem rationis, per modum naturæ consideratam, aliud poterat velle, quam Deus vult, ac per hoc non conformari cum voluntate divina in volito.

Conseq. prob. Nam dictum est supra quæst. 14. art. 1. ad 2. quod ex quadam dispensatione Filius Dei ante suam passionem permittebat carni agere, et pati, quæ sunt ei propria; et similiter etiam permittebat omnibus viribus animæ agere, et pati quæ propria. Unde cum proprium sit sensualitatis, et voluntatis, ut est natura, refugere mala supradicta, sequitur quod etiam in Christo hujusmodi potentiæ dolores, et mortem refugerent.

2.° Conclusio. Christus secundum voluntatem, quæ est per modum rationis, semper idem volebat quod Deus.

Manifestatur. Nam ea, quæ voluntas sensualitatis, et voluntas rationalis per modum naturæ considerata naturaliter refugiunt, potest voluntas rationalis per modum rationis velle non quidem secundum quod illa considerantur secundum se; sed secundum quod habent ordinem ad aliquem convenientem finem. Sicut in aliquo puro homine, sensualitas ejus, et etiam voluntas absolute considerata refugit ustionem, quam tamen voluntas, secundum rationem, eligit propter finem sanitatis. Deus igitur volebat Christum pati, et mori, non quasi hæc essent secundum se volibilia, et bona, sed illa volebat propter humanam salutem; et hoc modo hæc omnia voluit Christus, secundum voluntatem humanam rationalem per modum rationis consideratam. Unde secundum hanc voluntatem Christus semper fuit conformis divinæ voluntati in volito.

Et confirmatur utraque conclusio, ex illis verbis Domini: *non sicut ego volo, sed sicut tu*: volebat enim secundum rationem, voluntatem divinam impleri, quamvis aliud dicat se velle secundum quamdam aliam ejus voluntatem, scilicet secundum voluntatem sensualitatis, et secundum voluntatem rationalem per modum naturæ.

Quomodo autem possit rectitudo voluntatis stare, etiamsi non conformetur divinæ voluntati in volito, dictum est 1. 2. quæst. 19. art. nono et decimo, quæ ad pleniorem intelligentiam eorum, quæ hic dicuntur, erunt videnda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Christus per voluntatem rationalem voluit ut divina voluntas impleretur; non autem hoc voluit per voluntatem sensualitatis, cujus motus non se extendit usque ad voluntatem Dei, neque per voluntatem rationalem, ut consideratur per modum naturæ, quæ fertur in aliqua objecta absolute considerata, et non in ordine ad divinam voluntatem.

Ad 2. Dicitur ad maiorem et ad ejus probationem, quod conformitas voluntatis humanæ ad voluntatem divinam attenditur, secundum voluntatem rationis, secundum quam etiam voluntates amicorum concordant, in quantum scilicet ratio considerat aliquod volitum in ordine ad voluntatem amici. Ille ergo, qui habet perfectissimam charitatem, qualem habuit Christus, debet conformari maxime voluntati divinæ, non secundum quamcumque voluntatem, sed secundum voluntatem rationis, et sic voluntas Christi maxime fuit conformis divinæ voluntati, ut in corpore dictum est.

Ad 3. Dicitur, quod maior est vera de eo qui est purus comprehensor: in puro enim comprehensore nihil potest accidere, quod repugnet naturali voluntati; et ideo semper, et in omnibus conformatur divinæ voluntati: non autem est vera de eo, qui est etiam viator; et quia Christus fuit viator, et comprehensor, viator quidem quia habebat carnem passibilem, comprehensor autem quia mente fruebatur Deo; ideo in quantum viator, ei poterant accidere ea, que repugnabant naturali ejus voluntati, ut dictum est.

## ARTICULUS VI.

*Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod

in Christo fuerit contrarietas voluntatum.

1. In eo, qui vult contraria objecta, est contrarietas voluntatum. Sed Christus voluit contraria objecta. Ergo in Christo fuit contrarietas voluntatum.

Maior prob., quia contrarietas voluntatum attenditur secundum contrarietatem objectorum, sicut etiam contrarietas motuum attenditur secundum contrarietatem terminorum, ut dicitur 3. Phis. tex. 49.

Minor prob., quia Christus secundum voluntatem divinam volebat mortem, quam refugiebat secundum voluntatem humanam. Unde Athanasius dicit in lib. adversus Apollinarium. « Quando Christus « dicit, Pater, si possibile est, transeat á « me calix iste, et tamen non mea, sed « tua voluntas fiat: et iterum, Spiritus « promptus est, caro autem infirma, duas « voluntates hic ostendit, humanam, quæ « propter infirmitatem carnis refugiebat « passionem, et divinam ejus promptam « ad passionem. »

2. In eo, in quo spiritus concupiscit adversus carnem, et caro adversus spiritum, est contrarietas voluntatum. Sed in Christo spiritus concupivit adversus carnem, et caro adversus spiritum. Ergo in Christo fuit contrarietas voluntatum.

Maior prob., quia ad Gal. 5. dicitur: « caro concupiscit adversus spiritum, et « spiritus adversus carnem, » hæc enim sibi invicem adversantur. Est igitur contrarietas voluntatum, quando spiritus concupivit unum, et caro aliud.

Minor prob. Nam Christus per voluntatem charitatis, quam Spiritus Sanctus in ejus mente faciebat, volebat passionem, secundum illud Isaiæ 53. «oblatus est, quia voluit;» secundum carnem autem passionem refugiebat; unde dicebat: « transeat á me calix iste. »

3. Lucæ 22. dicitur, quod Christus «factus in agonia, prolixius orabat.» Ergo videtur, quod in Christo fuerit contrarietas voluntatum.

Consequentia prob., quia agonia videtur importare quamdam compugnationem animi in contraria tendentis.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In determinatione sextæ Synodi dicitur: « prædicamus duas naturales volun- « tates, non contrarias, juxta quod im- « pii asserunt hæretici, sed sequentem « ejus humanam voluntatem, et non re- « sistentem, vel reluctantem, sed potius « subjectam divinæ ejus, atque omnipo- « tenti voluntati. »

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo nulla fuit repugnantia vel contrarietas voluntatum.

Prob. In eo in quo est contrarietas voluntatum, diversæ voluntates volunt aliud, et aliud, et una repudiat id quod vult alia, vel una retardat aliam á suo actu, aut ab ea retardatur. Sed in Christo diversæ voluntates volunt quidem aliud, et aliud: tamen una non repudiabat quod alia volebat; nec una retardabat aliam, nec retardabatur ab alia in suo actu. Ergo in Christo non fuit contrarietas voluntatum.

Maior manifestatur præmittendo quod contrarietas non potest esse, nisi oppositio attendatur in eodem, et secundum idem; si enim in diversis, et secundum diversa existat diversitas, non sufficit ad rationem contrarietatis: sicut nec ad rationem contradictionis. Si enim homo sit sanus, aut pulcher secundum unam partem, puta secundum manum, et infirmus secundum pedem, non est contrarietas in eodem. Ad hoc igitur, quod in eodem sit contrarietas voluntatum duo requiruntur. Primum quidem quod diversitas voluntatum sit circa idem secundum idem. Si enim unius voluntas sit de aliquo fiendo secundum quamdam rationem universalem, et alterius voluntas sit de eodem non fiendo secundum quamdam rationem particularem, non est omnino contrarietas voluntatum: puta si rex vult suspendi latronem propter bonum

publicum, et aliquis ejus consanguineus nolit eum suspendi propter amorem privatum, non erit contrarietas voluntatum; nisi forte in tantum se extendat voluntas hominis privati, ut bonum publicum velit impedire, ut conservetur bonum privatum: tunc enim circa idem secundum idem attenditur repugnantia voluntatum. Requiritur igitur primo ad contrarietatem voluntatum, quod una velit aliquid, et alia velit contrarium sub eadem ratione: puta si unus velit, ut servetur bonum justitiæ, et alius nolit, ut servetur bonum justitiæ. Alterum quod requiritur ad hoc, quod in aliquo sit contrarietas voluntatum est, quod sit contrarietas circa eamdem voluntatem, ut scilicet secundum eamdem voluntatem velit, et non velit aliquid; si enim homo vult unum secundum appetitum rationis, et vult aliud secundum appetitum sensitivum, non est hic aliqua contrarietas, nisi forte appetitus sensitivus in tantum prævaleat, quod vel immutet vel retardet appetitum rationis: sic enim jam ad ipsam voluntatem rationis perveniret aliquid de motu contrario appetitus sensitivi, ac per hoc appetitus rationalis vellet, et non vellet aliquid. Requiritur igitur quod eadem voluntas velit, et non velit aliquid, vel quod velit hoc, et etiam contrarium. Ex quibus patere potest major: in eo enim, in quo est contrarietas voluntatum, una voluntas repudiat aliquid, quod alia vult, et una retardat in suo motu aliam; hæc enim sunt duo requisita ad hoc quod in aliquo sit contrarietas voluntatum.

Minor prob. Nam licet voluntas naturalis et voluntas sensualitatis in Christo aliquid aliud voluerit, quam voluntas divina, et voluntas rationis ipsius; non tamen fuit aliqua contrarietas voluntatum. Primo quidem, quia neque voluntas naturalis, neque voluntas sensualitatis repudiabat illam rationem, qua divina voluntas, et voluntas rationis humana in Christo passionem volebat. Volebat enim etiam voluntas absoluta in Christo salutem humani generis; sed ejus non erat velle hoc in ordine ad aliud. Motus vero sensualitatis non valebat se extendere ad volendum salutem humani generis, sicut voluntas rationis. Secundo, quia neque voluntas divina, neque voluntas rationis in Christo impediebatur, aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut per appetitum sensualitatis: similiter etiam, nec é contrario voluntas divina, vel rationis in Christo refugiebat, aut retardabat motum voluntatis naturalis humanæ, et motum sensualitatis in eo. Placebat enim Christo secundum voluntatem divinam, et etiam secundum voluntatem rationis, ut voluntas sua naturalis, et voluntas sensualitatis, secundum ordinem suæ naturæ moverentur. Et sic remanet probata maior.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod ad contrarietatem voluntatum non sufficit velle contraria objecta; sed cum hoc requiritur etiam, quod una repudiet quod altera vult: et quod una impediatur vel retardetur in suo motu ex motu alterius, ut dictum est in corp. Tunc ad minorem dicitur, quod hoc quod voluntas humana in Christo aliud volebat, non contrariabatur divinæ voluntati, quia hoc ipsum procedebat ex ipsa divina voluntate, *cujus beneplacito natura humana in Christo motibus propriis movebatur*, ut Dam. dicit in 2. lib. ort. fid. cap. 15. Erat igitur non contrarium, sed conforme divinæ voluntati, et voluntati rationis in Christo, quod ejus naturalis voluntas, et motus sensualitatis mortem refugerent, in ordine tamen ad divinam voluntatem.

Ad 2. Similiter dicitur, quod ad contrarietatem motus carnis, et spiritus, non sufficit quod aliud, et aliud velint; sed requiritur quod motus carnis impediat, vel retardet motum spiritus, sicut in nobis fit: in Christo autem non fuit

aliqua retardatio, aut impedimentum voluntatis divinæ aut rationis ex motu naturalis voluntatis aut sensualitatis; et ideo in Christo non fuit aliqua voluntatum contrarietas.

Ad 3. Dicitur, quod agonia potest esse in aliquo dupliciter: uno modo quantum ad partem rationalem: alio modo quantum ad partem sensitivam. Agonia quantum ad partem rationalem importat concertationem voluntatum ex diversitate rationum procedentem: puta cum aliquis, secundum quod ratio considerat unum, vult hoc; et secundum quod considerat aliud, vult contrarium: et hoc contingit propter debilitatem rationis, quæ non potest dijudicare, quid sit simpliciter melius. Agonia vero, quæ est in parte sensitiva, importat timorem infortunii imminentis, ut Dam. dicit in 3. lib. ort. fid. c. 18. In Christo non fuit agonia quantum ad partem animæ rationalem, quia per suam rationem judicabat simpliciter esse melius quod per ejus passionem impleretur voluntas divina circa salutem generis humani. Agonia igitur fuit in Christo solum quantum ad partem sensitivam, quæ processit ex timore imminentis passionis et mortis. Inde non fuit in Christo per hoc aliqua voluntatum contrarietas.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 18.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses, quæ tanguntur in corp. videlicet, *Macarii Antiocheni*, et *Sergii*, quorum primus dixit, quod in Christo una tantum fuit voluntas, scilicet divina: secundus autem dixit, quod, licet in Christo ante unionem cum carne fuerint duæ voluntates, scilicet humana, et divina, tamen post unionem in unum confusæ sunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Luc. 22. cum expositione B. Ambrosii, ut *in arg. cont.* Item á Jo. 5. "Non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. *Et cap.* 6. Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me." Per voluntatem enim ejus, qui misit eum, intelligit suam divinam, cum hæc sit una numeraliter cum voluntate illius, qui misit ipsum: unde remanet clarum quod per voluntatem aliam, quam non quærit facere, intelligat voluntatem suam humanam. Vide art. 5. 6. ut inde edoctus rectum sensum prædictarum auctoritatum assequi possis. Item á Conciliis Universalibus 4, 5, et 6 (nam quintum, et sextum definitionem quarti renovavit) sic. "Sancta, magna, atque universalis synodus his, qui in duabus Christi naturis temperamentum, aut confusionem exquirunt, resistit. Et, qui duas quidem ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem confingunt, anathematizat." Quæ etiam ad voluntates contra *Sergium* applicabis. Item infra. "Duas naturales voluntates in Christo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum doctrinam prædicamus." Hæc recitantur in const. Concil. Flor. super un. Armen. Item á Papa Eugen. 4. in Concil. Flor. "Sacrosancta Rom. Eccl. Domini Salvatoris nostri voce fundata anathematizat, execratur, et damnat Macarium Antiochenum, omnesque similia sapientes, qui, licet vere de naturarum dualitate, et personæ unitate sentiret, enormiter tamen oberravit dicens, in Christo utriusque naturæ unam fuisse operationem unamque voluntatem. Hos omnes cum hæresibus suis anathematizat Ecclesia, affirmans, in Christo duas esse voluntates, duasque operationes. *Et infra.* Amplectitur, approbat, et suscipit sanctam tertiam Constantinopolitam Synodum, quæ sexta

est in ordine universalium synodorum, in qua definitum est, in Domino nostro Jesu Christo duas esse perfectas, integrasque naturas, et duas operationes, duas etiam voluntates, licet esset una, eademque persona, cui utriusque naturæ competerent actiones, deitate agente, quæ Dei sunt, et humanitate, quæ hominis sunt. » Hæc ille in constit. super unio. Jacobinorum. Item ab ead. 6. Synodo action. 18. " Anathemati merito subjicimus Theodorum Pharantianum, Sergium, Paulum, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, Macarium, » etc. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Athanasio insinuatum, quod in Christo sit voluntas sensualitatis. A scripturis quidem, ut Luc. 22. " Pater, si vis, transfer calicem istum á me, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. » Per hoc enim monstratur intentum, maxime juncta expositione B. Ambrosii, secundum quod cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Ubi, quia de tristitia mentio fit; ideo vide 1. 2. quæst. 23. artic. 1. 2. A D. Athanasio autem per hoc, quod in sermone de passio. Domini, dicit. " Servator noster Dominus Jesus Christus hanc ob causam circa mortis tempus cœpit pavere et contristari, deprecans, ut poculum hoc transiret, clamabatque: Spiritus promptus, caro autem infirma, ut adversarius noster velut hominem aggressus, divinam experiretur potentiam. His itaque rebus illectus miser delusus est, et adortus est Dominum. Mox conspiciens fortitudinem expavit. Rursus considerans corporis imbecillitatem, recepit audaciam. Jamque videre licebat: diabolum cum toto exercitu, cum principatibus, et potestatibus suis fugientem, Dominum autem humanis armis persequentem phalangem diabolicam. » Dum enim tristitiam in Domino, et eam obedientem rationi, utpote ad deludendum diabolum motam, ponit, in eo sensualitatis naturam, quæ merito nomen voluntatis per participationem habere potest, fuisse affirmat. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum à scripturis, Ecclesia, et Athanasio, quod in Christo est solum una voluntas humana proprie dicta, idest, quantum ad rationem. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Joan. 1. *Verbum caro factum est.* Quia enim non dicitur carnes, sed caro, ideo intelligi per hoc datur, quod Verbum non est factum homines, sed est factum homo, idest, non assumpsit humanitates, sed humanitatem. Cum igitur in una numero humanitate sit una tantum numero voluntas (sicut et unus numero intellectus) patet, quod scriptura illis verbis ad propositum istud applicatis dixit: Verbum incarnatum (quod unico nomine vocatur Christus) habet unam tantum voluntatem humanam. Ab Ecclesia vero per hoc, quod dicit in hymno: " Memento rerum conditor, nostri quod olim corporis, Sacrata ab alvo Virginis nascendo formam sumpseris. » Signanter enim dicit: *formam corporis*, et non dicit formas corporum: ut per hoc denotet, ipsum auctorem nostræ salutis assumpsisse animam unam intellectivam, quæ est per se vere forma corporis nostri, Clemen. in de Sum. Trin. et fide cathol., non autem duas animas intellectivas, quæ corporum duorum essent formæ, quoniam secundum multiplicationem corporum animæ ipsæ multiplicantur, et vice versa: Concil. *Later.* sub *Leone* X. sess. 8. Cum igitur in una tantum anima intellectiva sit una voluntas, patet, quod Ecclesia per talem locutionem in Christo unam solum voluntatem intellectivam esse affirmavit. A B. Athanasio autem per hoc, quod in suo symbolo, quod secundum Concil. *Florent.* est compendiosa regula fidei, de Christo dixit: " Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, et humana carne subsistens. » Nam ly *ex anima rationali*, non autem ex animabus, monstrat, quod ipse per hoc unam tantum voluntatem rationalem ponit in Christo. Discurre ut supra. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis, et Conciliis insinuatum, quod in Christo homine est liberum arbitrium. A scripturis quidem, ut Isa. 7. *Butyrum*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Philipp. 2. " Qui, cum in forma Dei esset, in similitudinem hominum factus est. » Hoc est, Christus, remanendo in forma Dei factus est ejusdem similitu-

dinis specificæ cum hominibus, idest ejusdem speciei humanæ, qua omnes homines adinvicem similes dicuntur. Cum ergo homo verus, idest speciei humanæ existens, habeat liberum arbitrium, ut patet, et per experientiam quotidianam, et per dicta in 1. par. ar. n. 352. 408. 412. 569. cum Eluc. item in 1. 2. ar. num. 603. cum Elucid. item per veritates aureas super totam legem veterem, Genes. 1. concl. 4. Exod. 13. conc. 3. patet, quod Christus homo habet liberum arbitrium. A Conc. vero generalibus 4. 5. et 6. insinuatur idipsum per hoc, quod dicitur. " Sequentes Sanctos Patres, consonanter omnes docemus, Dominum nostrum Jesum Christum secundum humanitatem per omnia nobis similem absque peccato. » Hæc recitantur in constitutione Concil. *Florent.* super unione Armenorum. Item á Concil. *Lateranensi* sub Papa *Martino I.* Canone 5. " Si quis non confitetur proprie, et vere unam naturam Dei Verbi incarnatam, ex quo dicitur nostra substantia perfecte in ipso Christo Deo, et indiminute absque tantummodo peccato significata, sit condemnatus. » Cum ergo homo, etc. ut nunc supra applicatis Conciliis istis. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum, quod Christus aliud quandoque voluit, quod Deus non voluit. A scripturis quidem per hoc, quod dixit Joan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Ac si apertius diceret Ego secundum aliquam voluntatem volo aliud, quam Pater velit: ideoque secundum aliquam aliam voluntatem non appeto facere prædictam voluntatem meam, sed voluntatem Dei Patris. Item per hoc, quod dicitur Rom. 15. " Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me. » Hoc est, in proposito: Christus secundum quamdam voluntatem improperia super se casura repudiavit, et consequenter secundum eamdem voluntatem ipse consideratus in hoc, quod super se talia ceciderunt, non sibi placuit. A B. autem Aug. insinuatur idem, ut *in arg. cont.* Pro quo, in ly *aliud se ostendit voluisse, quam Pater*, advertas, quod dictum hoc (sicut et omne simile in præmissis) intelligitur materialiter, idest, de re volita: non autem causaliter secundum rationem causæ efficientis, idest, quasi quod Pater non sit causa efficiens hoc, scilicet, quod res ipsa sit volita á Christo. Dedit siquidem Pater voluntati sensualitatis Christi, ejusque voluntati rationis secundum naturam consideratæ inclinationem hanc, quod refugeret naturaliter mala pœnalia, et ideo, quando voluntas talis vult aliud, quam Pater, sequitur inclinationem sibi datam á Patre; licet velit aliam rem, quam Pater non vult. Ergo tunc semper Christi voluntas talis Patri in volito conformata fuit sic, quod, quando naturaliter recusabat pœnas, tunc volebat illud, quod Deus Pater volebat ipsam voluntatem velle. Uno ergo modo Christus secundum voluntatem sensus, et naturæ fuit semper conformis voluntati Patris: quamvis tunc aliud materialiter voluerit, quam Pater. Pro diffusiore hujus declaratione á simili vide primam secundæ, quæst. 19. art. 10. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas immanissimam hæresim *Præmonstratensis Apostatæ*, cujus nec nomen quidem superesse, fuit permissum, dicentis (ut refert Gabriel Prateolus, tit. *Antichristiani*) quod Christus, eo, quod in cruce desperarit, fuit damnatus. Secundum enim hoc inauditum vocis monstrum Apostata iste necessario præsupponebat, quod humana voluntas Christi fuisset aliquando contraria voluntati divinæ. Unde pro tanto hoc in loco adducitur, et pro tanto istic condemnabitur. Nam damnandus est directe ad literam in q. 50. art. 2. ad 1. Item habes: quomodo per rationem á fortiori interimas hæresim *Calvini* dicentis, quod Dei lex, et Dei voluntas sæpe sunt inter se contraria. Per hoc enim, quod articulus præsens monstrat, quod voluntas Christi humana numquam contrariatur divinæ, commonstrasse intelligitur, quod multo magis voluntas divina numquam sibiipsi contraria est, et consequenter nec legi suæ. Lex siquidem á Deo data explicat nobis Dei voluntatem, qu. 1. ar. 3. corp. ideoque impossibile est, legem Dei contrariam esse voluntati ejus, nisi voluntas ejus sit contraria sibimetipsi, quod omnino impossibile est, quoniam Deus est prorsus immutabilis, 1. quæst. 9. artic. 1. et sua voluntas, 1.

qu. 19. art. 7. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á veritatibus aureis super totam legem veterem, Levit. 16. concl. 10. et á dictis in 1. q. 17. a. 4. et q. 19. art. 7. cum Elucid. Non parum quoque damnationis affert vita pessima *Calvini* contra prædictam, aliasque hæreses ejusdem: quandoquidem, secundum B. Hieron. hæreses ad suam originem revocare, condemnasse est. De vita ergo illius vide in Addition. qu. 9. ar. 4. Elucid. append. Item contra eas vide sup. qu. 15. a. 1. in Elucid. Item damnatur per hoc, quod Christus, cujus testimonium omnino verum est Joan. 8. de seipso, in quantum homo est, dicit, Joan. ibid. " Pater non reliquit me solum, quia, quæ placita sunt ei, facio semper. » Ac si apertius dixerit. Mea voluntas humana numquam est contraria, sed conformis voluntati Patris opere, et veritate; quod ex eo patet, quia ego secundum voluntatem humanam illa, quæ placita sunt voluntati Patris, facio semper. Cum ergo voluntas Patris, et voluntas divina Christi sit eadem numeraliter, sicut et essentia utriusque eadem numero est, 1. qu. 31. ar. 2. " omnia enim in Deo sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. » Sic ait Concil. *Florentin.* in constitutione super unione Jacobino. sequitur manifeste, quod Christus per illa verba consignificaverit, quod voluntas sua humana non est contraria suæ divinæ, sed ei conformis. De hac continua conformitate, quomodo, scilicet, humana faciat semper, quæ placita sunt divinæ, vide corp. ly *placebat enim Christo secundum voluntatem divinam*, etc. et ar. 5. app. Ibi enim dicta juvant hæc, et ab his vicissim juvantur. Item damnantur per dictum Christi ibidem. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Scilicet rationabiliter, seu ex ratione secundum B. Greg. in homil. Item ab Apostolo Hebr. 4. *Tentatum per omnia absque peccato.* Tentatione scilicet exteriori solum, et cap. 7. « talis decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus á peccatoribus, et excelsior cœlis factus. » *Et cap.* 12. per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. *Item.* Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes. » Ergo secundum planum Apostoli sensum Christus animo suo non defecit in fatigationibus, et tot, tantisque contradictionibus adversus semetipsum factis (quod solent desperati, secundum Psal. 139. *in miseriis non subsistens*): alioquin exhortatione sua Apostolus destrueret intentum suum, quo, scilicet, ad imitationem Christi cupit eos ita patienter sufferre adversa quæcumque, ut non deficiant animis. Et quomodo vel leviter desperavit (etiamsi fingendi licentia detur) si confusionem contempsit? Si, postquam tam viriliter sustinuit crucem, in dextera sedis Dei sedet? si, suo tali Pontificio, idest Pontificis officio per sui oblationem in cruce peracto, est excelsior cœlis factus? Et, si in exteriori tentatione per omnia, idest omnimoda (quod fuit tam amarissima crucis passio) stetit semper absque peccato, secundum testimonium Apostoli, utique multo magis in toto alio quovis tempore mansit absque peccato. De impeccabilitate Christi, scilicet, quod peccare nullo modo umquam potuerit, vide Addit. qu. 16. ar. ad 2. cum Elucid. in exam. Item damnantur á Joan. 14. " Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quicquam. » Ecce, quod diabolus etiam veniens ad solertissime inquirendum de vita Christi, utrum scilicet invenire posset aliquid de suo, idest de peccato in illo, non invenit de hoc in ipso quicquam. Item per eamdem art. rationem ostendas, illas hæreses merito damnari á Conc. sexto generali Constantinopoli celebrato. Hoc enim act. 17. postquam longa oratione explicavit mysterium Dominicæ incarnationis in unitate personæ, et duas in unam personam concurrisse naturas, et duas naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inseparabiliter, inconfuse, in Christo copulatas: tum subjungit, ipsas voluntates non fuisse contrarias, juxta quod impii asserunt hæretici, sed voluntatem numquam repugnantem, sed subjectam, idest obsequentem (ut ex actio. 11. habetur), dvinæ ejus, atque omnipotenti voluntati, juxta sententiam sapientissimi Athanasii. Idem quoque Concil. actio. 11. ex epistola

Sophronii Patriarchæ Hierosolymorum, quam postea in act. 13. approbat, postquam dixit, quod " Christus est nobis per omnia similis absque peccato, et omnibus ipsum consequentibus: *tum dicit, quod* Christus erat arbiter, et dominus motuum naturalium, et omnium suorum affectuum, seu passionum, quæ, nonnisi eo annuente, movebantur. Quod nos minime sumus. » Hæc ex summa Conciliorum. Prædicta applica tu (ut oportet) contra illas hæreses pro diversitate singularum: id, quod á te semper, et ubique præsertim in appendicibus faciendum præsupponitur: ideoque tibi munus tale, via Conciliorum, etc. ostensa, relinquitur. *Tertio* vides: etc.

---

## QUÆSTIO DECIMA NONA,

### DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM AD OPERATIONEM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unitate operationis Christi.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum in Christo sit una operatio divinitatis, et humanitatis, vel plures.

Secundo, utrum in Christo sint plures operationes secundum humanam naturam.

Tertio, utrum Christus secundum humanam operationem aliquid sibi meruerit.

Quarto, utrum per eam aliquid meruerit nobis.

### ARTICULUS I.

*Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis, et humanitatis.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod in Christo sit una tantum operatio divinitatis, et humanitatis.

1. Dion. in 2. cap. de div. nom. ponit in Christo operationem unam, quam dicit *theandricam*, idest Dei virilis. Ergo videtur esse una operatio composita in Christo.

2. Principalis agentis, et instrumenti est una sola operatio. Sed humana natura in Christo fuit instrumentum divinæ, ut dictum est q. 13. art. 2. et 3. Ergo eadem est divinæ et humanæ naturæ in Christo operatio.

3. Illud, quod pertinet ad hypostasim, vel personam in Christo, est tantum unum. Sed operatio pertinet ad personam in Christo. Ergo operatio est tantum una in Christo.

Maior prob., quia cum in Christo sint duæ naturæ in una persona, necessarium est id quod pertinet ad personam esse unum.

Minor prob., quia nihil operatur, nisi suppositum subsistens: unde dicit Phil. lib. 1. Met. c. 1. quod actus sunt singularium.

4. Propter unitatem hypostasis est in Christo unum esse, ut dictum est q. 17. art. 2. Ergo etiam propter eamdem unitatem est in Christo una operatio.

Consequentia prob., quia sicut esse est hypostasis subsistentis, ita etiam operari.

5. Ubi est unum operatum, ibi est una operatio. Sed divinitatis et humanitatis in Christo est unum operatum. Ergo divinitatis et humanitatis in Christo est una tantum operatio.

Minor ostenditur: nam sanatio leprosi, vel resuscitatio mortui unum erat divinitatis et humanitatis operatum.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ambrosius dicit libr. 2. de fid. ad Gratianum, capit. 4. *Quomodo eadem operatio diversæ est potestatis? numquid sic potest minor, quemadmodum maior operari, aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?*

*Determinatio.*

*Hæreticorum error.*

Hæretici qui posuerunt in Christo unam voluntatem, posuerunt etiam in eo unam tantum operationem. Et ut eorum erronea positio melius intelligatur, est considerandum quod ubicumque sunt plura agentia ordinata, inferius movetur á superiori, sicut in homine corpus movetur ab anima, et inferiores vires moventur á ratione. Sic igitur actiones, et motus inferioris principii sunt magis quædam operata, quam operationes; id autem quod pertinet ad supremum principium, est proprie operatio, puta si dicamus in homine quod ambulare quod est pedum, et palpare quod est manuum, sunt quædam hominis operata, quorum unum operatur anima per pedes, aliud per manus. Et quia est eadem anima operans per utrumque, ex parte ipsius animæ operantis, quæ est primum principium movens, est una, et indifferens operatio; ex parte autem ipsorum operatorum, differentia invenitur. Sicut autem in homine puro corpus movetur ab anima, et appetitus sensitivus á rationali, ita in Domino Jesu Christo humana natura movebatur, et regebatur à divina. Et ideo dicebant, quod eadem est operatio, et indifferens ex parte ipsius divinitatis operantis, sunt tamen diversa operata, in quantum scilicet divinitas Christi aliud agebat per seipsam; sicut quod portabat omnia verbo virtutis suæ: aliud autem per humanam naturam; sicut quod corporaliter ambulabat. Unde in 6. Synodo inducuntur verba Severi hæretici sic dicentis: « ea quæ agebantur, et operabantur ab uno Christo, « multum differunt: quædam enim sunt « Deo decibilia, quædam humana; veluti « corporaliter vadere super terram, profecto humanum est, cruribus vero vexatis, et ambulare super terram penitus non valentibus, sanum gressum donare, Deo decibile est; sed unus, scilicet incarnatum Verbum, hoc et illud « operatus est, et nequaquam hoc quidem hujus hoc, vero hujus est naturæ: « neque eo quod diversa sunt operamenta, ideo duas operatrices naturas, atque formas juste definiemus. » Erat igitur hæreticorum hæc.

Conclusio. In Christo est tantum una operatio.

Prob. Principalis agentis et instrumenti est tantum una operatio. Sed in Christo divinitas erat principale agens, humanitas vero erat divinitatis instrumentum. Ergo in Christo erat tantum una operatio. Omnia ex modo dictis clara sunt.

*Hujus erroris radix.*

Sed supradicti hæretici decipiebantur non distinguendo inter actionem, quæ est á propria forma instrumenti, et quæ est ab instrumento, secundum quod participat actionem principalis agentis: actio enim ejus quod movetur ab alio, est duplex: una quidem quam habet secundum propriam formam; alia autem quam habet, secundum quod movetur ab alio. Sicut operatio securis secundum propriam formam, est incisio; secundum autem quod movetur ab artifice, ejus operatio est facere scamnum. Operatio igitur quæ est alicujus rei secundum suam formam, est propria ejus, nec pertinet ad moventem, nisi secundum quod utitur hujusmodi re ad suam operationem; sicut calefacere est propria operatio ignis, non autem fabri, nisi quatenus utitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio, quæ est rei, solum secundum quod movetur ab alio, non est alia præter operationem moventis ipsum, sicut facere scamnum non est operatio seorsum securis ab operatione artificis; sed securis participat instrumentaliter operationem artificis. Et ideo ubicumque movens, et motum habent diversas formas, seu virtutes operativas; ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia propria operatio moti; licet motum participet operationem moventis, et

movens utatur operatione moti, et utrumque agat cum communione alterius.

*Vera sententia.*

Conclusio. In Christo sunt duæ operationes: una divinitatis, et altera humanitatis.

Prob. tripliciter. Primo in eo, in quo sunt duæ naturæ, quarum unaquæque habet propriam formam, seu virtutem operativam, sunt duæ operationes. Sed in Christo sunt duæ naturæ, scilicet divina et humana, habentes proprias formas, et virtutes operativas. Ergo in Christo sunt duæ operationes, una divinitati propria et altera humanitati.

Maior patet ex dictis in assignando radicem erroris hæreticorum; quando enim instrumentum habet propriam virtutem operativam, habet etiam propriam operationem distinctam ab operatione principalis agentis.

Minor prob., quia humana natura in Christo habet propriam formam, et virtutem, per quæ operatur, et similiter natura divina. Unde humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina, et è converso. Verum tamen est, quod divina natura utitur operatione humanæ naturæ, sicut operatione sui instrumenti; et similiter humana natura participat operationem divinæ naturæ, sicut instrumentum participat operationem principalis agentis.

Prob. secundo conclusio auctoritate Leonis Papæ in Epis. 10. ad Flavianum c. 4. dicentis: « Agit utraque forma » scilicet tam natura divina, quam humana in Christo « cum alterius communione, « quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. »

Prob. tertio eadem conclusio ratione. Si enim esset una tantum operatio divinitatis et humanitatis in Christo, oporteret dicere, vel quod natura humana non haberet propriam formam et virtutem (de divina enim hoc dicere est impossibile) ac per hoc, quod in Christo esset tantum divina operatio: vel oporteret dicere, quod ex divina virtute et humana esset conflata in Christo una virtus, quorum utrumque est impossibile. Nam per primum horum ponitur natura humana in Christo esse imperfecta; per secundum vero ponitur confusio naturarum.

Et confirmatur quarto conclusio, quia ideo rationabiliter in sexta Synodo hæc opinio est condemnata, in cujus determinatione dicitur: « duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter, in eodem Domino Jesu Christo vero Deo nostro glorificamus, » hoc est, divinam, et humanam operationem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod Dion. ponit in Christo operationem theandricam, idest divinam virilem, vel divinam humanam, non per aliquam confusionem operationum, seu virtutum utriusque naturæ, sed per hoc, quod divina Christi operatio utitur ejus operatione humana, et humana ejus operatio participat virtutem divinæ operationis. Unde sicut idem Dion. dicit in Epist. 4. ad Caium: « super « hominem operabatur ea quæ sunt hominis: quod monstrat virgo supernaturaliter concipiens, et aqua instabilis terrenorum pedum sustinens gravitatem. » Manifestum est enim, quod concipi est humanæ naturæ, similiter et ambulare; sed utrumque fuit in Christo supernaturaliter; et similiter divina operabatur humanitas, sicut cum sanavit leprosum tangendo; unde in eadem Epist. subdit: « non secundum Deum divina faciens, non « humana secundum hominem, sed Deo « homine facto, nova quadam Dei, et hominis operatione, » quod autem Dion. intellexerit duas esse operationes in Christo, unam divinæ naturæ, et aliam humanæ, patet ex his, quæ dicit in 2. cap. de div. nom. ubi ait, quod his « quæ pertinent ad humanam ejus operationem,

« Pater, et Spiritus Sanctus nulla ratio-« ne communicant: nisi quis dixerit se-« cundum benignissimam, et misericor-« dem voluntatem, » in quantum scilicet Pater, et Spiritus Sanctus ex sua misericordia voluerunt Christum agere et pati humana. Addit autem «et secundum om-« nem sublimissimam, et ineffabilem Dei « operationem, quam homo pro nobis fac-« tus adimplevit, immutabilis profecto « Deus, et Dei Verbum.» Sic igitur patet quod etiam secundum Dion. alia est operatio humana, in qua Pater, et Spiritus Sanctus non communicant, nisi secundum acceptationem misericordiæ suæ, et alia est ejus operatio in quantum est Dei Verbum, in qua communicant Pater, et Spiritus Sanctus.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod instrumentum potest considerari dupliciter: uno modo ut instrumentum est, et sic actio instrumenti non est alia ab actione principalis agentis; alio modo consideratur instrumentum, ut est res quædam; et sic habet operationem distinctam ab operatione principalis agentis; et ratio horum est, quia instrumentum dicitur aliquid agere ex eo, quod movetur á principali agente; et tunc est una agentis, et instrumenti operatio. Facere enim scamnum est actio fabri lignarii, et non est alia ab actione securis, ut instrumentum est. Potest tamen instrumentum, ut res quædam est, habere aliam operationem propriam á propria forma, ut de igne dictum est. Tunc ad minorem dicitur, quod operatio, quæ est humanæ naturæ in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis; non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi, et divinitas ejus. Habet tamen humana natura in Christo, in quantum est natura quædam, propriam operationem præter divinam, ut in corp. dictum est.

Ad 3. Dicitur, quod aliquid potest dici unum dupliciter: uno modo, ut dicatur unum numero; alio modo unum specie. Ad maiorem dicitur, quod est vera de unitate numerali, non autem de unitate specifica; idest operatio, quæ est á supposito, debet esse una numero; sed tamen idem suppositum potest habere plures specificas operationes. Et ratio est, quia operari est hypostasis subsistentis; sed secundum formam, et naturam, á qua operatio recipit speciem. Et ideo á diversitate formarum, seu naturarum, est diversa species operationum. Sed ab unitate hypostasis est unitas secundum numerum, quantum ad operationem speciei; sicut ignis habet duas operationes specie differentes, quæ sunt illuminare, et calefacere, secundum differentiam lucis, et caloris; et tamen est una numero illuminatio ignis semel illuminantis. Cum igitur in Christo sint duæ naturæ, oportet, quod sint duæ operationes differentes, secundum duas ejus naturas: quælibet tamen operationum est una numero in Christo semel facta, sicut una ambulatio, et una sanatio, propter unitatem suppositi operantis.

Ad 4. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod esse et operari sunt personæ á natura: aliter tamen, et aliter. Nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personæ, et quantum ad hoc esse se habet in ratione termini; et ideo unitas personæ requirit unitatem ipsius esse completi, et personalis. Operatio autem est quidam effectus personæ, secundum aliquam formam, vel naturam, ut dictum est: ideo pluralitas operationum stat cum unitate suppositi, non autem pluralitas esse completi, et personalis.

Ad 5. Negatur minor. Nam aliud est proprium operatum operationis divinæ, et operationis humanæ in Christo; sicut operatum proprium divinæ operationis est sanatio leprosi, operatum proprium humanæ naturæ est ejus contactus. Concurrunt autem ambæ operationes in unum operatum, quod tamen non est proprium utriusque naturæ operantis, sed tantum unius ipsarum, quando et quatenus una

natura agit cum communione alterius, puta natura humana concurrit ad hoc operatum, quod est sanare, quatenus erat instrumentum divinæ personæ.

## ARTICULUS II.

### *Utrum in Christo sint plures operationes humanæ.*

*Pro affirmativa.* = Videtur quod in Christo sint plures operationes humanæ.

1. Christus in quantum homo, communicat cum plantis in natura nutritiva, cum animalibus in natura sensitiva, cum angelis vero in natura intellectiva, sicut et cæteri homines. Ergo Christus in quantum homo habet plures operationes.

Conseq. prob., quia alia est operatio plantæ, in quantum planta, et alia animalis, in quantum animal.

2. In eo, in cujus anima fuerunt diversæ potentiæ, et habitus, fuerunt diversæ operationes. Sed in Christo fuerunt diversæ potentiæ, et habitus. Ergo in Christo fuerunt plures operationes.

Maior prob., quia potentiæ, et habitus distinguuntur secundum diversitatem actuum.

3. In eo, in quo sunt diversa instrumenta differentia secundum formam, sunt diversæ operationes. Sed in Christo erant diversa instrumenta differentia secundum formam, scilicet diversa corporis membra. Ergo in Christo fuerunt plures humanæ operationes.

Maior probat., quia instrumenta debent esse proportionata operationibus.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In eo, in quo est tantum una natura humana, est solum una humana operatio. Sed in Christo est tantum una humana natura. Ergo in Christo est tantum una humana operatio.

Maior prob., quia operatio sequitur naturam.

*Determinatio.*

Conclusio. In Christo est operatio humana una multo magis, quam in quocumque alio homine.

Probat. In eo, in quo nullus est motus sensitivæ partis, qui non sit regulatus et ordinatus á ratione, et omnes aliæ operationes corporales et naturales quodammodo pertinent ad voluntatem, est operatio humana una magis quam in quolibet alio homine. Sed in Christo nullus erat motus sensitivæ partis, qui non esset ordinatus á ratione, ipsæ etiam operationes naturales, et corporales aliqualiter ad ejus voluntatem pertinebant, in quantum voluntatis ejus erat, ut caro ejus ageret, et pateretur, quæ sunt sibi propria, ut dictum est quæst. præced. art. 5. Ergo in Christo est humana operatio una magis, quam in quolibet alio homine.

Maior declaratur, et probatur. Declaratur, inquam, ostendendo, quæ sit humana operatio, et quæ sit una humana operatio. Sciendum igitur, quod illa operatio dicitur esse simpliciter humana, quæ procedit á ratione per voluntatem, quæ est rationis appetitus. Si quæ autem operatio est in homine, quæ non procedat á ratione, et voluntate, non est simpliciter operatio humana, sed convenit homini, secundum aliquam partem humanæ naturæ: et dicitur potius operatio hominis, quam humana, ut dictum est 1. 2. q. 1. art. 1. corp. Et ratio horum est, quia homo est id, quod est secundum rationem. Unde illa operatio est proprie humana, quæ á ratione procedit; quæ vero á ratione non procedit, humana nequaquam proprie dici potest. Operationes autem, quæ proprie humanæ non dicuntur, sunt in triplici differentia: quædam enim conveniunt homini, secundum ipsam naturam elementi corporalis, sicut ferri deorsum; quædam vero ei conveniunt secundum virtutem animæ vegetabilis, sicut sunt nutriri, et augeri; quædam vero secundum partem sensitivam, sicut videre, audire, imaginari, memorari, concupiscere et irasci.

Inter quas tamen operationes est differentia: quia operationes animæ sensitivæ sunt aliqualiter obedientes rationi, et ideo sunt aliqualiter rationales, et humanæ, in quantum scilicet obediunt rationi, ut patet 1. Ethic. cap. ult. Operationes vero, quæ sequuntur animam vegetabilem, vel etiam naturam elementalis corporis, non subjiciuntur rationi, unde nullo modo sunt rationales, nec humanæ simpliciter, sed solum secundum partem humanæ naturæ. Sunt igitur in homine tria genera operationum: quædam sunt humanæ simpliciter, et hæ sunt quæ procedunt á ratione, et á voluntate; quædam non sunt humanæ simpliciter, sed possunt aliqualiter dici humanæ, et sunt illæ, quæ procedunt á viribus sensitivis, quæ si á ratione ordinentur, humanæ dici possunt; quædam vero nullo modo humanæ dicuntur, et sunt illæ, quæ conveniunt homini ab anima vegetativa, vel ab ipsis elementis: et ex his patet, quæ dicatur operatio humana. Ad investigandum autem quomodo, et quando operatio humana sit una, vel multiplex, est sciendum quod sicut articulo præcedenti dictum est, quando agens inferius agit per propriam formam, tunc est alia operatio inferioris agentis, et superioris: quando vero agens inferius non agit, nisi secundum quod est motum á superiori agente, est eadem operatio superioris agentis, et inferioris. Ex quo sequitur, quod in homine puro semper operatio elementaris corporis, et animæ vegetativæ, est alia ab operatione voluntatis, quæ proprie humana dicitur. Operatio autem animæ sensitivæ quantum ad id quod movetur á ratione, est eadem cum operatione, quæ est á voluntate. Si autem non sit á ratione ordinata, est alia ab operatione rationis. Ipsa vero operatio animæ rationalis, si attendamus ad principium operationis, quod est ratio, vel voluntas, est una, utpote quæ est ab uno principio operativo. Diversificatur autem per respectum ad diversa objecta, quam quidem diversitatem aliqui appellarunt diversitatem operatorum, magis quam operationum, judicantes unitatem operationis solum ex parte operativi principii; et sic modo loquimur de unitate, vel pluralitate operationum in Christo. In homine igitur puro operationes, quæ sunt ex elementis, et ex anima vegetativa, semper sunt aliæ ab operatione humana; quia hujusmodi operationes non subjiciuntur aliquo modo imperio rationis: operationes animæ sensitivæ, si sint ordinatæ á ratione, non distinguuntur ab humana operatione; quia principalis agentis, et secundi agentis, ut movetur á principali, una est operatio. Si vero non sint regulatæ et ordinatæ á ratione, vel à voluntate, sunt aliæ ab operatione rationis. Ipsa vero operatio rationis ex parte principii operativi est una, de qua unitate modo quærimus; ex parte autem objectorum potest plurificari. Ex quibus omnibus remanet declarata maior, et conclusio; et ex his etiam probatur dicta maior; in eo enim, in quo omnes dictæ operationes sunt regulatæ, et ordinatæ á ratione, est tantum una humana operatio; quia scilicet est unum principium operativum principale, scilicet ratio seu voluntas; et quoad illam particulam, et magis quam in quolibat alio homine, quia in nullo puro homine operationes naturales, et corporales subjiciuntur imperio rationis, et vires sensitivæ non semper rationi obediunt. Unde in homine, in quo omnes dictæ operationes rationis subduntur imperio, est magis una actio humana, quam in quolibet alio homine.

Minor autem patet, quia in Christo sensus erat perfecte subjectus et conformis rationi, ut pluries dictum est, et etiam aliæ operationes erant pertinentes ad ejus voluntatem, ut etiam in ipsa minori dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur dupliciter: primo, quod ex illo an-

tecedente sequitur quod in Christo sint plures operationes, non tamen plures operationes humanæ: nam operationes sensitivæ partis, et nutritivæ, non sunt operationes humanæ, ut in corpore dictum est. Dicitur secundo, quod illæ operationes in Christo, in quantum aliquo modo possunt dici humanæ, magis fuerunt humanæ, quam in quolibet alio homine; quia omnes pertinebant ad voluntatem, ac per hoc, in quantum erant humanæ, non erant plures, sed una tantum operatio.

Ad 2. Dicitur, quod operationes possunt habere diversitatem, vel unitatem ex duobus. Primo ex parte objectorum, habituum et potentiarum respondentium diversis habitibus et objectis. Alio modo ex parte primi principii activi; sic ut illa operatio quæ est ab uno primo principio activo sit una, et quæ á diversis, plures: quando dicimus operationem humanam in Christo esse unam, non dicimus esse unam ex parte objectorum, habituum, et potentiarum eis correspondentium; sed solum quod est una, quia omnes particulares potentiæ moventur ab uno operativo principio, quod est voluntas, seu ratio. Ad maiorem igitur dicitur, quod ubi sunt plures potentiæ, habitus, et objecta, sunt plures operationes ex parte objecti, quæ tamen possunt esse una operatio ex parte principii activi.

Ad 3. Dicitur, quod concludit in Christo esse diversas operationes, quatenus sunt à pluribus instrumentis: possunt tamen omnes esse ab uno primo activo principio.

## ARTICULUS III.

*Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod actio humana Christi non potuerit esse ei meritoria.

1. Comprehensoris non est mereri. Sed Christus etiam ante mortem fuit comprehensor. Ergo Christus ante passionem non merebatur, sicut nec modo meretur.

Maior prob., quia charitas comprehensoris pertinet ad præmium beatitudinis, cum secundum eam attendatur fruitio. Unde non videtur esse principium merendi, cum non sit idem meritum, et præmium.

2. Actio ejus, cui per naturam debetur vita æterna, non est sibi meritoria. Sed ex hoc, quod Christus est Filius Dei per naturam, á principio suæ conceptionis, sibi debetur hæreditas æterna, quam alii homines per bona opera merentur. Ergo Christus non potuit sibi aliquid mereri.

Maior prob., quia nullus meretur quod est sibi debitum.

3. Quicumque habet id, quod est principale non proprie meretur id, quod ex illo habito sequitur. Sed Christus habuit gloriam animæ, ex qua secundum communem ordinem sequitur gloria corporis, ut Aug. dicit in Epist. ad Dioscorum: in quo tamen dispensative factum est, quod gloria animæ non derivaretur ad corpus. Ergo Christus non meruit gloriam corporis.

4. Manifestatio excellentiæ Christi non est bonum ipsius Christi, sed eorum, qui eum cognoscunt: unde et pro præmio promittitur dilectoribus Christi, ut eis manifestetur, secundum illud Joan. 14. «Si quis diligit me, diligetur á Patre «meo, et ego diligam eum, et manifes«tabo ei me ipsum.» Ergo Christus non meruit manifestationem suæ altitudinis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit ad Phil. 2. *Factus est obediens usque ad mortem: propter quod et Deus exaltavit illum.* Ergo Christus obediendo meruit suam exaltationem, et ita aliquid sibi per suam actionem meruit.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus potuit sibi aliquid mereri.

Prob. Illud quod dicit perfectionem et nobilitatem, est Christo attribuendum. Sed aliquid sibi mereri dicit perfectionem et nobilitatem. Ergo Christo attribuendum est quod potuerit sibi aliquid mereri.

Maior prob., quia omnis nobilitas et perfectio est Christo attribuenda.

Minor prob. Habere aliquod donum per se, est nobilius, quam habere illud per aliud. Sed ille, qui aliquid sibi meretur, habet donum, quod meretur, per se. Ergo mereri aliquod donum dicit perfectionem, et nobilitatem.

Maior hujus ostenditur. Quia semper causa quæ est per se, potior est ea quæ est per aliud, ut dicitur 8. Phys. tex. 39. Hoc autem dicitur aliquis habere per se ipsum, cujus est sibi aliquo modo causa. Et licet nulla creatura possit esse prima causa per auctoritatem proprii boni; sic enim nulla creatura habet aliquid boni per seipsam, sed solus Deus est omnium nostrorum bonorum causa, secundum illud 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti*? potest tamen secundario aliquis esse causa sibi alicujus boni habendi, in quantum scilicet in hoc ipso cooperatur Deo. Et sic ille, qui habet aliquid per meritum proprium, cooperatur Deo, et habet quodammodo illud per seipsum. Et sic nobiliori modo habetur illud, quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito.

*Quid sibi Christus meruerit.*

Sed sciendum, quod perfectiones et nobilitates quæ Christo attribuuntur, sunt in duplici differentia. Quædam sunt, quarum carentia magis dignitati Christi, et ejus perfectioni præjudicat, quam accrescant, si per meritum acquirantur; et hujusmodi sunt gratia, scientia, beatitudo animæ, et divinitas. Hæc enim, si Christus per meritum habuisset, derogatum esset dignitati Christi, quia cum meritum non sit, nisi ejus quod nondum habetur; oporteret quod Christus aliquando istis caruisset, quibus carere magis diminuit dignitatem Christi, quam augeat eorum meritum. Ponere enim Christum aliquando non habuisse gratiam, et ea, quæ ad gratiam pertinent, scilicet scientiam beatam, vel infusam, et animæ beatitudinem, maxime Christi dignitati derogaret. Quædam vero sunt, quarum carentia non ponit maiorem imperfectionem in Christo, quam sit perfectio, et dignitas, quæ est ex eorum merito. Et hæc sunt gloria corporis, et ea, quæ pertinent ad exteriorem Christi excellentiam, ut sunt ascensio, veneratio, exaltatio, et hujusmodi. Maioris enim dignitatis est ista mereri, quam ea sine merito habere. Meruit igitur Christus gloriam proprii corporis, et omnia ea quæ pertinent ad exteriorem ejus excellentiam. Non autem meruit sibi gratiam, et cætera quæ ad gratiam pertinent; quia illis carere, et per meritum ea acquirere est maioris dignitatis, quam sit habere sine merito: istis vero carere, maiorem imperfectionem dicunt quam sit dignitas merendi ipsa. Et unico verbo dicitur, quod Christus habuit per meritum omnia ea quibus necessariam et conveniens fuit eum carere, ut nostram redemptionem impleret.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo negando maiorem. Ad probationem dicitur, quod charitas comprehensoris habet quidem actum fruitionis, quæ pertinet ad gloriam animæ, et quantum ad hunc actum non pertinet ad meritum, sed ad præmium. Potest tamen hujusmodi comprehensoris charitas mereri aliquid aliud non pertinens ad gloriam animæ, ut est corporis gloria. Christus igitur per charitatem quam habuit, non meruit fruitionem; hæc enim erat pertinens ad animæ beatitudinem; sed meruit gloriam corporis, et alia de quibus in corpore dictum est, et sic non fuit idem meritum et præmium. Dicitur secundo ad maiorem, quod comprehensoris puri non est mereri, in quantum

est comprehensor: comprehensor autem, qui est etiam simul viator, et comprehensor, potest mereri; non quidem gloriam animæ, quam jam habet, sed gloriam corporis, quam non habet. Et quia Christus erat non solum comprehensor, sed etiam viator, ideo poterat ejus charitas esse meritoria, non quidem in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat charitas viatoris. Et quia nunc non est viator, non est in statu merendi.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod Christo secundum quod est Deus, et Dei Filius, per naturam debetur gloria divina, et dominium omnium, sicut primo et supremo domino; et sic Christus non meruit sibi aliquid. Nihilominus tamen debetur ei gloria etiam in quantum est homo, quam quantum ad aliquid, scilicet quantum ad gloriam animæ debuit habere sine merito, et quantum ad aliquid cum merito, scilicet quantum ad gloriam corporis, et quantum ad alia, de quibus dictum est in corpore.

Ad 3. Dicitur quod aliquid potest sequi ex alio dupliciter: uno modo ex naturali sequela, sicut calor sequitur ignem, et lux solem; alio modo ex alterius dispositione, sicut ex bonis operibus in charitate factis sequitur ex divina dispositione cæleste præmium, et in humanis, ex hoc quod aliquis est adaptatus in filium, sequitur quod debeat habere hæreditatem adoptantis. Ad maiorem dicitur quod est vera de his, quæ sequuntur ex alio priori modo, non autem de his, quæ consequuntur aliud secundo modo. Ad minorem dicitur quod redundantia gloriæ ex anima ad corpus est ex divina ordinatione, secundum congruentiam humanorum meritorum, ut scilicet sicut homo meretur per actum animæ, quem exercet in corpore, ita etiam remuneretur per gloriam animæ redundantem ad corpus, et propter hoc non solum gloria animæ, sed etiam gloria corporis cadit sub merito, secundum illud Rom. 8. *Vivificabit mortalia corpora nostra propter inhabitantem spiritum ejus in nobis*: et ita potuit cadere sub merito Christi.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod manifestatio excellentiæ Christi pertinet ad bonum ipsius Christi, secundum esse quod habet in notitia aliorum, quamvis principalius pertineat ad bonum eorum, qui eum cognoscunt, secundum esse quod habent in seipsis. Sed etiam hoc ipsum refertur ad Christum, in quantum illi, qui eum cognoscunt, et venerantur, sunt membra ejus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus aliis mereri potuerit.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus aliis mereri non potuerit.

1. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, dicitur Ezech. 18. Ergo pari ratione anima quæ meretur, ipsa remunerabitur. Ergo impossibile est quod Christus pro aliis meruerit.

2. Homines habentes gratiam Christi de cujus gratiæ plenitudine omnes accipiunt, ut dicitur Joan. 1. non possunt aliis mereri. Ergo nec Christus potuit aliquid nobis mereri.

Anteced. prob., quia dicitur Ezech. 14. quod « si fuerint in civitate Noe, « Daniel, et Job, filium, et filiam non li- « berabunt, sed ipsi justitia sua libera- « bunt animas suas. »

3. Si Christus meruit salutem nostram, sequitur quod salus nostra non sit ex gratia Dei, sed ex justitia; et quod Deus injuste agat cum eis, quos non salvat, cum meritum Christi ad omnes se extendat.

Conseq. probat., quia merces, quam quis meretur, debetur secundum justitiam, et non secundum gratiam.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Demeritum Adæ derivatur ad condemnationem aliorum. Ergo multo magis meritum Christi ad alios derivatur. Conseq. est Apost. Rom. 5. « Sicut per

«unius delictum in omnes homines in «condemnationem, sic et per unius «justitiam in omnes homines in justifi«cationem vitæ.»

*Determinatio.*

Conclusio. Christus potuit mereri non solum sibi, sed etiam aliis.

Prob. Ille, in quo fuit gratia non solum sicut in quodam homine singulari, sed sicut in capite, potuit non solum sibi, sed etiam aliis mereri. Sed in Christo fuit gratia non solum sicut in quodam singulari homine, sed sicut in capite totius Ecclesiæ, cui omnes uniuntur, sicut capiti membra, ex quibus constituitur mystice una persona, ut quæst. 8. dictum est. Ergo Christus potuit non solum sibi, sed etiam aliis mereri.

Maior prob. quia sicut in uno homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra ejus; caput enim non solum sibi sentit, sed omnibus membris; ita meritum ejus, in quo est gratia capitalis, qualis fuit in solo Christo, se extendit ad alios in quantum sunt membra ejus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod sententia Prophetæ vera est de peccato personæ singularis, non autem de peccato personæ, quæ est principium totius naturæ, quale fuit peccatum Adæ; peccatum enim singularis personæ non nocet, nisi sibi ipsi: peccatum Adæ, qui constitutus est á Deo principium totius humanæ naturæ, ad alios per carnis propagationem derivatur. Et similiter meritum Christi, qui est constitutus á Deo caput omnium hominum quantum ad gratiam, se extendit ad omnia ejus membra.

Ad 2. Negatur conseq. Alii enim de plenitudine gratiæ Christi accipiunt, non quidem fontem gratiæ, sed quamdam particularem gratiam; et ideo non oportet quod alii homines possint mereri pro aliis, sicut Christus, qui de condigno pro omnibus meruit.

Ad 3. Negatur conseq. Sicut enim peccatum Adæ non derivatur ad alios, nisi per carnalem generationem, ita meritum Christi non derivatur ad alios, nisi per generationem spiritualem, quæ fit in baptismo, per quam homines Christo incorporantur, secundum illud ad Gal. 3. *Omnes quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Unde non injuste denegatur salus non baptizatis. Sed hoc ipsum quod est regenerari in Christo per baptismum, conceditur gratis his qui regenerantur, et sic salus hominis undequaque est ex gratia.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 19.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Macarii* Antiocheni dicentis, quod in Christo fuit tantum una operatio, scilicet divina: Et hæresim *Sergii* Constantinopolitani dicentis, quod in Christo virtutes operatrices, licet ante unionem fuerint duæ, post unionem sunt in unum adinvicem confusæ. Post unionem ergo non est secundum *Sergium*, nisi una operatio in Christo. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á dictis quæst. 18. ar. 1. append. Et ibid. artic. 5. 6. append. Item á B. Ambrosio, ut *in arg. cont.* Ubi pro semper notabis illud, tamquam impossibile, ab ipso adductum, scilicet numquid una operatio potest esse, ubi diversa substantia est? Ex quo patet, quod contra illas hæreses faciunt etiam dicta contra ponentes sive unam solum naturam simpliciter, sive unam ex confusione naturarum conflatam in Christo. Ad damnationem ergo illa-

rum hæresum vide qu. 2. art. 1. 2. append. et quæst. 16. ar. 10. append. Et prí. par. qu. 75. a. 7. cum Elucid. Et Addit. articulorum num. 399. cum Elucid. Item signanter anathematizantur auctores earumdem á Symbolo *sexta Constantinopoli* celebrata. Ibi enim in act. decimasexta adductus ad Concilium dicitur *Constantinus* presbyter Ecclesiæ, quæ est in Apamia secundæ Sytiorum provinciæ, et examinatus est ab ipso Concilio de sua fide: qui respondit, se non cognoscere, nisi unam voluntatem, et unam operationem in Christo. Cui post longam disputationem sanctum Concil. dixit. " Ita sentis, et ita perseveras usque ad finem in hac sexta? Constantinus *respondit*: Etiam Domini, sic sentio, sic credo, et non est possibile aliter. » Sancta synodus exclamavit. " Hæc secta Manichæorum est. Hæc est fides Apollinarii. Anathema illi cum dogmatibus suis. Anathema Theodoro Pharanitano hæretico. Sergio hæretico anathema. Pyrro hæretico anathema. Paulo hæretico anathema. Petro hæretico anathema. Macario hæretico anathema sit. Polychronio hæretico anathema. Aspergio Pergensi anathema. Omnibus, qui suffragantur hæreticis, anathema. » Hæc ex summa Conciliorum. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, quod in Christo est tantum una operatio humana. Ut per hoc, quod dicitur Phil. 2. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Hoc est. Naturam humanam. Unde postea subdit ly *inventus*, *ut homo.* Cum igitur operatio sequatur naturam secundum Damascenum allegatum *in arg. cont.* sequitur, quod Apostolus per dictum illud subindicaverit, quod in Christo sit tantum una operatio humana. Adde his: quod Christus turbavit semetipsum, Joan. 11. et, quod per quadraginta dies jejunus non esuriit, postea mox esuriit, Matth. 4. ut videas operationes ejus humanas ab Apostolo dictas unam operationem in hoc sensu, quod omnes illæ in Christo sunt voluntariæ. Volens enim turbat semetipsum, volens non esurit, volens esurit. Et sic á simili de aliis operationibus ejus. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod operatio Christi fuit sibi meritoria, seu, quod ipse Christus sibi meruit, ut Luc. 24. " Nonne hæc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam? » Ubi nota ly *et ita*, idest, per talem viam, idest, per tale meritum. Nam ut inquit B. Aug. tract. 104. super Joan. " humilitas passionis claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. » Ibi etiam nota ly *gloriam suam*, idest, gloriam sibi debitam, et jam sine merito habitam in anima. Volebat ergo intrare ita, idest, cum merito in gloriam illam, non quatenus consistebat in anima, sed quatenus derivanda erat ex anima in corpus. Et hoc est, Christum sibi meruisse resurrectionem, idest gloriam sui corporis. Item Joan. 17. " Clarifica me tu pater claritate, quam habui apud temetipsum, priusquam mundus fieret. » Hoc est. Fac, ut homines ad utilitatem suam, et diaboli ad confusionem suam cognoscant, quod ego secundum divinitatem sum tibi æqualis ab æterno. Quia vero ibid. præmiserat ly *venit hora* scilicet passionis, clarifica filium tuum, et secundum B. Aug. supra, humilitas passionis claritatis est meritum: ideo Christus per sententiam ante adductam notificavit nobis, quod ipse meruit sibi manifestationem suæ excellentiæ, non tantum, qua, ut homo, excellit omnes creaturas, sed etiam, qua, ut Deus, æqualis est patri. Item ab Apostolo, qui tamquam omnia prædicta de merito Christi brevibus colligens dicit Philipp. 2. " Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. » Ubi nota ly *propter quod* idest propter quod humilis obedientiæ meritum, Deus, etc. Humilitas enim meretur glorificari, secundum illud *primi Leonis* Papæ epist. 88. «declinata superbia, cui proximum est, ut decidat, ametur humilitas, cui semper debetur, ut crescat.» Ibi quoque nota ly *exaltavit*, scilicet per resurrectionem, et ascensionem, ly *dedit nomen, quod est super omne nomen;* scilicet per manifestationem

gloriæ Christi super omnia: ly *dedit illi, ut in nomine Jesu omne genuflect. cæl. ter. et infer.* scilicet per judiciariam potestatem, qua subjecta Christo cognoscentur omnia, sive spontanee, ut cælestia, et terrestria bona, sive coacte, ut inferna damnata: ly *dedit illi, ut omnis ling. confit. quia Dominus in gloria est Dei Patris,* scilicet per sessionem ad ipsius dexteram, qua ab omnibus cognoscetur et esse, ut homo, in potioribus bonis patris præ omni creatura, et esse, ut Deus, ipsi Patri omnino æqualis, 1. quæst. 42. art. 2. q. 6. Secundum Apostolum ergo Christus sibi meruit resurrectionem, ascensionem, et manifestationem suæ magnificentiæ super universa, tum quoad hoc, quod est judex vivorum, et mortuorum, tum quoad hoc, quod modo duplici declarato sedet ad dexteram Patris. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse à scripturis, Ecclesia, et concilio, quod Christus nobis meruit. A Concilio quidem *Tridentino* sess. 6. cap. 7. " Causa autem meritoria Dominus noster Jesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit. *Et infra.* Nemo potest esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur. *Et cap.* 16. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur: illa eadem Dei est, quia á Deo nobis infunditur per Christi meritum. *Et Canon.* 32. Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Christi meritum fiunt, etc. Anathema sit. *Et sess.* 5. si quis hoc Adæ peccatum per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum Christi; aut negat, ipsum Christi meritum per baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum tam adultis, quam parvulis applicari: Anathema sit. » A scripturis autem insinuatur Roman. 5. *sicut per* etc. ut *in arg. cont.* Ac si aperte dicat. Sicut demeritum Adæ posteritati nocuit: ita meritum Christi suis membris profuit. Vide concilium idem ibid. de peccato originali circa nocumentum Adæ posteris illatum. Item Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Ecce meritum Christi pro nobis significatum per ly *in Christo,* etc. Item Rom. 7. *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Hoc est. Per meritum Christi nobis data. Item ad Ephes. 2. *Per ipsum habemus accessum ad Patrem.* Idest, per meritum ipsius, scilicet Christi, habemus, etc. Item á Joan. 14. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Hoc est. Nisi per gratiam meam (si loquamur de venire ad esse membrum Christi, idest ad regenerari in Christo) vel per meritum meum (si loquamur de venire, quantum ad cætera). Ab Ecclesia vero insinuatur per hoc, quod omnes orationes, seu collectas ad Deum Patrem concludit sic: *Per Christum Dominum nostrum*: vel modo simili, puta intercedente Filii tui passione, etc. Sed et hymnos similiter terminat, ut *præsta Pater omnipotens per Jesum Christum Dominum*, etc. vide quanta Christi pro nobis merita. En igitur tibi aperta via: discurre tu juxta notation. pro lectoribus positam, 2. 2. qu. 70 artic. 1. append. quod semper, et ubique in similibus præsertim locis á te fiendum præsupponimus. *Secundo* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO VIGESIMA,

### DE CONVENIENTIBUS CHRISTO, SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBJECTUS, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quæ conveniunt Christo per comparationem ad Patrem; quorum quædam dicuntur de ipso secundum habitudinem ipsius ad Patrem, puta quod est ei subjectus, quod ipsum oravit, quod ei in sacerdotio ministravit; quædam vero dicuntur, vel di-

ci possent secundum habitudinem Patris ad ipsum, puta si Pater eum adoptasset, et quod eum prædestinavit.

Primo igitur considerandum est de subjectione Christi ad Patrem. Secundo de ejus oratione. Tertio de ipsius sacerdotio. Quarto de adoptione, an ei conveniat. Quinto de ejus prædestinatione.

*Circa primum quæruntur duo.*

Primo, utrum Christus sit subjectus Patri.

Secundo, utrum sit subjectus sibiipsi.

## ARTICULUS I.

### *Utrum dicendum sit Christum esse subjectum Patri.*

*Pro negativa.*= Videtur, quod non sit dicendum Christum esse subjectum Patri.

1. Omne quod subjicitur Deo Patri, est creatura. Sed non est simpliciter dicendum, quod Christus sit creatura, ut quæst. 16. art. 8. dictum est. Ergo non est dicendum, quod Christus sit subjectus Patri.

Maior prob., quia ut dicitur in lib. de Eccles. dogm. cap. 4. *in Trinitate nihil est serviens, neque subjectum.*

2. Humanæ naturæ Christi non potest attribui servitus. Ergo Christus secundum humanam naturam non est subjectus Patri.

Conseq. prob., quia ex hoc dicitur aliquid Deo subjectum, quod est ejus dominio serviens.

Antec. prob., quia dicit Dam. in 3. lib. cap. 21. «Sciendum est, quod ne«que servam ipsam,» scilicet humanam naturam Christi, «dicere possumus, ser«vitutis enim, et dominationis nomina «non naturæ sunt nomina, cognitionis«que signa, sed eorum quæ ad aliquid, «quemadmodum paternitatis, et filatio«nis nomina.»

3. Nunc, nondum videmus omnia subjecta Christo, ut dicitur ad Heb. 2. Ergo nondum Christus est Patri subjectus.

Conseq. prob., quia 1. Cor. 15. dicitur «cum autem subjecta illi fuerint «omnia,» scilicet Christo, «tunc ipse «filius subjectus erit illi, qui sibi sub«jecit omnia,» scilicet Patri.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Minor est maiori subjectus. Sed Christus est minor Patre. Ergo Christus est Patri subjectus.

Minor prob., quia Dominus dicit Jo. 14. *Pater maior me est.* Et Aug. dicit 1. de Trin. c. 7. «Non immerito scrip«tura utrumque dicit, et æqualem Patri «Filium, et Patrem maiorem Filio; illud «enim propter formam Dei, hoc autem «propter formam servi sine ulla con«fusione intelligitur.»

*Determinatio.*

Conclusio. Christus est subjectus Patri secundum humanam naturam.

Prob. Ille qui habet naturam, cui secundum propriam conditionem convenit esse Deo subjecta, est Deo patri subjectus. Sed Christus habet humanam naturam, cui secundum propriam conditionem convenit esse Deo subjectam. Ergo Christo convenit esse, secundum humanam naturam, subjectum Patri.

Maior probat., quia cuilibet habenti aliquam naturam, conveniunt ea quæ sunt propria illi naturæ.

Minor manifestatur. Natura enim humana ex sui conditione habet triplicem subjectionem ad Deum. Una quidem secundum gradum bonitatis; divina enim natura est ipsa essentia bonitatis, ut patet per Dion. in 1. cap. de div. nom. Natura autem creata habet quamdam participationem divinæ bonitatis, quasi radiis illius bonitatis subjecta. Secundo humana natura subjicitur Deo quantum ad Dei potestatem, prout scilicet natura humana, sicut et quælibet creatura subjacet operationi divinæ dispositionis. Tertio, specialiter humana natura subjicitur Deo, quantum ad proprium suum actum, in quantum scilicet propria voluntate obedit mandatis ejus. Et hanc

triplicem subjectionem ad Patrem Christus de se ipso confitetur. Primam quidem Matt. 19. dicens. *Quid me interrogas de bono? unus est bonus Deus.* Ubi Hieron. dicit: « qui magistrum vocave- " rat bonum, et non Deum, vel Dei Fi- " lium confessus erat, discit, hominem, " quamvis sanctum, comparatione Dei " non esse bonum. » Per quod dedit intelligere, quod ipse secundum humanam naturam, non pertingebat ad gradum bonitatis divinæ. Et quia " in his quæ " non molè magna sunt, idem est esse " maius, quod melius, » ut dicit Aug. 6. de Trin. c. 8. ex hac ratione Pater dicitur maior Christo, secundum humanam naturam. Secunda etiam subjectio attribuitur Christo, in quantum omnia quæ circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur. Unde Dion. dicit 4. cap. cœl. Hierarch. quod Christus subjicitur Dei Patris ordinationibus. Et hæc est subjectio servitutis, secundum quod omnis creatura Deo servit, ejus ordinationi subjecta, secundum illud Sap. 16. *Creatura tibi factori deserviens*, et secundum hoc, etiam Filius Dei ad Phil. 2. dicitur, formam servi accepisse. Tertiam etiam subjectionem attribuit Christus sibi ipsi dicens Jo. 8. *quæ placita sunt ei, facio semper.* Et hæc est subjectio obedientiæ. Unde dicitur ad Phil. 2. quod Christus *factus est obediens Patri, usque ad mortem.* Fuit igitur Christus Patri subjectus secundum bonitatem, servitutem, et obedientiam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem quod sicut non est simpliciter intelligendum quod Christus sit creatura, sed solum secundum humanam naturam, sive apponatur ei determinatio, sive non, ut dictum est quæst. 16. art. 8. ita etiam non est simpliciter intelligendum quod Christus sit subjectus Patri, sed solum secundum humanam naturam, etiamsi hæc determinatio non apponatur: quam tamen convenientius est apponere, ad evitandum errorem Arii, qui posuit Filium minorem Patre.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, et ad ejus prob. quod relatio servitutis et dominii fundatur super actione, et passione, in quantum scilicet servi est moveri á domino secundum imperium. Agere autem non attribuitur naturæ, sicut agenti, sed personæ; actus enim suppositorum sunt, et singularium, secundum Phil. 1. Mett. Attribuitur tamen actio naturæ, sicut ei, secundum quam persona vel hypostasis agit. Et ideo, quamvis non proprie dicatur quod natura sit domina, vel serva, potest tamen proprie dici quod quælibet hypostasis, vel persona sit dominica, vel serva secundum hanc, vel illam naturam; et secundum hoc nihil prohibet dicere Christum esse Patri subjectum, vel servum secundum humanam naturam. Et brevius dicitur quod humanæ naturæ in Christo non convenit nomen servitutis, nec servitus, ut quæ agit, sed ut qua suppositum vel persona agit.

Ad 3. Negatur conseq. ex hoc enim quod non sunt omnia omnibus modis adhuc Christo subjecta (secundum potestatem enim omnia sunt ei subjecta, secundum illud Matt. ult. *Data est mihi omnis potestas*, etc.) non sequitur quod Christus in se non sit subjectus Patri, de qua subjectione nunc est sermo; sed solum hoc sequitur quod Filius non sit subjectus Patri perfecte in membris. Unde Augustin. dicit in 1. de Trin. cap. 8. « Tunc Christus tradet regnum Deo, et Patri, quando justos, in quibus nunc regnat per fidem, perducturus est ad speciem, » ut scilicet videant ipsam essentiam communem Patri et Filio: et tunc totaliter erit subjectus non solum in se, sed etiam in membris suis, per plenam participationem divinæ bonitatis: tunc etiam omnia erunt ei plene subjecta per finalem impletionem suæ voluntatis. Sensus ergo prioris sententiæ

Apostoli est quod nunc non videmus esse omnia subjecta Christo, non quidem quantum ad potestatem; sic enim omnia sunt Christo subjecta, ut dictum est Matt. ult. sed quantum ad finalem impletionem suæ voluntatis de eis, quæ est ut perducantur ad divinam visionem. Et per hoc Christus non est adhuc subjectus Patri in suis membris, nam in seipso est etiam nunc Patri subjectus. Quando autem membra Christi ad divinam visionem perducta fuerint, tunc Christus erit subjectus Patri in se, et in suis membris.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus sit subjectus sibi ipsi.*

*Pro negativa.* =Videtur, quod Christus non sit subjectus sibi ipsi.

1. Christus non est servus sui ipsius. Ergo Christus non est subditus sibi ipsi.

Anteced. prob., quia Cyrillus dicit in Epist. synodica, quam scilicet Synodus Ephesina recepit. "Neque ipse Christus "servus sibi est, neque dominus: fatuum "enim est, magis autem et impium ita "dicere, et sapere." Et hoc etiam asserit Dam. in 3. lib. cap. 21. dicens; "Unum enim ens Christus non potest "servus esse suiipsius, et dominus."

Consequentia prob., quia in tantum Christus dicitur servus Patris, in quantum est ei subjectus. Unde si non est servus suiipsius, nec sibi ipsi erit subjectus.

2. Relatio non est alicujus ad seipsum. Sed esse servum significat relationem. Ergo idem non est servus, et per hoc nec subditus sibi ipsi.

Maior prob., quia Hilarius dicit lib. 3. de Trin. quod nihil est sibi simile, aut æquale.

Minor prob., quia servus ad dominum refertur.

3. Homo non dicitur subjectus sibi ipsi, vel servus sui ipsius, aut maior seipso propter hoc quod corpus ejus subjectum est animæ. Ergo neque Christus dicitur subjectus sibi ipsi, propter hoc quod ejus humanitas subjecta est divinitati ipsius.

Conseq. prob., quia *sicut anima rationalis, et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus*, ut dicit Athanasius in Symbolo. Unde sicut homo non dicitur subjectus sibi propter hoc, quod anima est maior carne, ita Christus non debet dici sibi subjectus ex hoc, quod humanitas est divinitate minor.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

1. Aug. dicit lib. 1. de Trin. c. 7. *Veritas ostendit secundum istum modum*, quo scilicet Pater maior est Christo secundum humanam naturam, etiam *seipso minorem filium*.

2. Secundum formam Dei, quæ est communis Patri, et Filio, Pater est maior Filio, secundum humanam naturam. Ergo etiam Filius est maior seipso, secundum humanam naturam.

Conseq. prob., quia ut Aug. ibidem argumentatur, sic accepta est á Filio Dei forma servi, ut non amitteretur forma Dei. Si igitur Christus secundum humanam naturam est minor Patre, secundum eamdem naturam erit etiam seipso minor, et sibi ipsi subjectus.

3. Christus secundum humanam naturam est servus Dei Patris, secundum illud Jo. 20. *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* Ergo Christus est etiam sibi subditus, et sui ipsius servus.

Consequentia prob., quia quicumque est servus Patris, est etiam servus Filii. Alioquin non omnia, quæ sunt Patris, essent etiam Filii.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Cum quæritur: an Christus sit servus sui ipsius, vel sibi ipsi subditus, potest hoc quæsitum habere duplicem sensum. Primus est, ut intelligatur ratione hypostasis, vel personæ, quasi alia sit persona Verbi Dei dominantis, et alia hominis servientis, et es-

set quærere: an persona Verbi in Christo sit domina personæ hominis in ipso. Alter sensus est, ut intelligatur secundum diversitatem naturarum in eodem supposito, vel hypostasi, et est quærere: an Christus ratione unius naturæ dominetur, et ratione alterius serviat sibi ipsi.

Radix hujus duplicis sensus est, quia art. præced. dictum est, quod esse dominum, et servum attribuitur personæ, vel hypostasi, secundum aliquam naturam. Unde potest quæri de hypostasi, et de natura.

1.ª Conclusio. Christus non est subjectus sibi ipsi, quasi persona divina dominetur, et humana serviat, vel sit subjecta.

Prob. Quia si Christus in hoc sensu esset sibi subjectus, sequeretur quod in eo essent duæ personæ, quæ est hæresis Nestorii. Unde in Synodo Ephesina in condemnatione Nestorii dicitur: "Si "quis dicit, Deum, vel Dominum esse "Christi ex Deo Patre Verbum, et non "magis eumdem ipsum confitetur simul "Deum, et hominem, utpote Verbum "factum carnem, secundum Scripturas, "anathema sit." Et hoc modo negatur á Cyrillo, et Damasc. Christum esse dominum suiipsius, in locis citatis in primo argumento. Et sub eodem sensu negandum est Christum esse minorem seipso, vel esse sibi subjectum.

2.ª Conclusio. Dicere possumus quod Christus secundum eam naturam, in qua cum Patre convenit, simul cum Patre præest, et dominatur. Secundum alteram vero naturam, in qua nobiscum convenit, subest, et servit.

Probat., quia per hunc modum dicit August. loco citato in primo argumento pro affirmativa, *filium esse seipso minorem.*

Sciendum tamen ad maiorem intelligentiam eorum quæ in hoc, et in præcedente artic. dicta sunt, quod cum hoc nomen, Christus, sit nomen personæ, sicut et hoc nomen, filius; illa per se, et absolute possunt dici de Christo, quæ conveniunt ei ratione suæ personæ, quæ est æterna, et maxime hujusmodi relationes, quæ magis proprie videntur ad personam, vel hypostasim pertinere, ut esse dominum, maximum, præsidentem, etc. Ea autem, quæ sibi conveniunt secundum humanam naturam, sunt potius ei attribuenda cum determinatione: unde possumus, et debemus dicere simpliciter quod Christus est maximus, dominus, et præsidens: quod vero sit servus, subjectus, vel minor, est ei attribuendum cum determinatione, scilicet secundum naturam humanam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens: est enim Christus secundum humanam naturam servus suiipsius. Ad probationem jam in corpore dictum est, quod Cyrillus et Damas. negant Christum esse dominum suiipsius, secundum quod per hoc importatur pluralitas suppositorum, quæ pluralitas requiritur ad hoc, quod aliquis sit simpliciter dominus, et servus alicujus.

Ad 2. Dicitur concludere, quod simpliciter loquendo oportet alium esse dominum, et alium esse servum; potest tamen aliqua ratio dominii, et servitutis servari, prout idem est dominus, et servus suiipsius secundum aliud, et aliud. Cum autem dicimus Christum esse sibi subjectum, non simpliciter hoc dicimus, sed cum determinatione, scilicet secundum naturam humanam.

Ad 3. Negatur anteced. Propter diversas enim hominis partes, quarum una est superior, et alia inferior, dicit Phil. 5. Ethic. cap. ult. quod est hominis ad seipsum justitia, in quantum irascibilis, et concupiscibilis obediunt rationi. Unde etiam per hunc modum, unus homo potest dici subjectus, et serviens secundum diversas sui partes, et Christus secundum diversas naturas potest dominari, et servire.

*Ad argumenta pro affirmativa.*

Ad argumenta pro affirmativa, in quantum possunt tangere primam conclusionem, dicitur, quod Christus dicitur minor Patre, et minor seipso, et sibi subjectus, non quasi in eo sint duæ personæ, quarum una sit subjecta, et alia dominans; sed hæc de eo dicuntur secundum diversitatem naturarum, ut dictum est in cor.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 20.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus est subjectus Patri. Ut Jo. 14. *Pater*, etc. ut cum expositione B. Aug. ponitur *in arg. cont.* Pro cujus captu plenissimo contra ignorantes, seu indoctos 2. Petr 3. adverte ibi contextum, scilicet *vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Non ergo simpliciter dicitur Pater major Christo: sed solum secundum quod Christus vadit ad ipsum. Sic enim per conjunctionem rationalem, idest per ly *quia* connectit sententias illas: *vado*, inquit, *ad Patrem, quia Pater major me est.* Ac si ad literam apertius dicat. Eatenus Pater major me est, quatenus ego vado ad Patrem. Tunc subintellecta necessario ibi á Christo exprime, scilicet, sed ego secundum humanitatem solum (hujus enim tantum est mutare locum) vado ad Patrem, ergo Pater est major me secundum humanitatem solum considerato. Ecce: quomodo textura per se clamat contra suiipsius, sicut et cæterarum scripturarum depravatorem *Arrium* ad propriam cum complicibus damnationem, 2. Petr. 3. alias de æqualitate Filii ad Patrem, vide 1. q. 42. articulis suis. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus est subjectus sibi, ut á Joan. 14. *Pater major me est.* Sicut enim Pater propter divinitatem est major Filio secundum humanitatem accepto: ita Filius, ut Deus, est major seipso, ut homo est. Item á Phil. 2. "Qui, cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens," secundum ergo Apostolum Christus habet in se duplicem formam, scilicet Dei, et formam servi. Sed Dei est esse Dominum, et superiorem, servi autem est esse subditum, et inferiorem, ergo (Apostolo teste) Christus juxta diversas formas est sibiipsi Dominus, et subditus, superior, et inferior. *Secundo* vides: etc.

## QUÆSTIO VIGESIMA PRIMA,

DE ORATIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de oratione Christi.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Christo conveniat orare.

Secundo, utrum conveniat sibi secundum suam sensualitatem.

Tertio, utrum conveniat sibi orare pro seipso, an tantum pro aliis.

Quarto, utrum omnis ejus oratio sit exaudita.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christo competat orare.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christo non competat orare.

1. Ei, cui competit orare, competit

aliquid ab alio peteré. Sed Christo non competit petere aliquid ab aliquo. Ergo Christo non competit orare.

Maior prob., quia *oratio est petitio decentium á Deo*, ut Dam. dicit in 3. lib. ort. fid. cap. 24.

Minor prob. Ei, qui potest omnia facere, non competit aliquid ab alio petere. Sed Christus poterat omnia facere. Ergo ei non competebat aliquid á Deo petere.

2. Ei, qui certo sciebat circa omnia, quid esset futurum, non competit orare. Sed Christus certo sciebat circa omnia, quid esset futurum. Ergo Christo non competebat orare.

Maior prob., quia non oportet orando petere illud, quod aliquis scit pro certo esse futurum, sicut non oramus quod sol cras oriatur, neque est etiam conveniens, quod aliquis orando petat quod scit nullo modo esse futurum.

3. Intellectus ejus, cui competit orare, indiget ascensione in Deum. Sed intellectus Christi non indigebat ascensione in Deum. Ergo Christo non conveniebat orare.

Maior prob., quia *oratio est ascensus intellectus in Deum*, ut Dam. dicit in 3. lib. cap. 24.

Minor prob., quia intellectus Christi semper erat Deo conjunctus, non solum secundum unionem hypostasis, sed etiam secundum fruitionem beatitudinis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 6. dicitur: *Factum est, in illis diebus exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christo, secundum quod est homo, competit orare.

Prob. Ei, in quo est voluntas, quæ per seipsam non est efficax ad implendum quæ vult, nisi per divinam virtutem, competit orare. Sed in Christo est voluntas humana, quæ per seipsam non est efficax ad implendum ea, quæ vult, nisi per virtutem divinam. Ergo Christo competit orare.

Maior prob., quia oratio est quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, ut eam impleat, ut dictum est 2. 2. quæst. 85. art. 1. et 2. Unde ei, qui habet voluntatem, quæ non potest sine divina virtute implere ea quæ vult, competit orare.

Et ex hoc confirmatur conclusio. Si enim in Christo esset tantum divina voluntas, nullo modo competeret sibi orare. Quia voluntas divina per seipsam est effectiva eorum quæ vult, secundum illud Psal. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.* Sed quia in Christo præter voluntatem divinam est alia voluntas, quæ non potest per seipsam implere quæ vult, scilicet voluntas humana; ideo Christo, secundum quod homo, et humanam habens voluntatem, competit orare.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur ad minorem, quod Christus poterat perficere omnia quæ volebat, secundum quod Deus, non autem secundum quod homo, quia secundum quod homo, non habuit omnipotentiam, ut dictum est supra quæst. 13. art. 1. Et ideo secundum quod homo, ei competebat orare.

Secundo negatur maior in proposito; etsi enim Christus, ut erat Deus et homo, posset omnia facere; ex hoc tamen non sequitur quod ei non competeret orare, non quidem ex necessitate, sed voluntate. Voluit enim orationem ad Patrem porrigere, non quasi ipse esset impotens efficere quod petebat, sed propter nostram instructionem. Primo quidem, ut ostenderet se esse á Patre. Unde ipse dixit Jo. 11. «Propter populum, «qui circumstat dixi» (scilicet verba orationis,) «ut credant, quia tu me mi«sisti,» unde et Hilarius 10. libr. de Trin. dicit: «Non prece eguit, pro no«bis oravit, ne filius ignoraretur.» Secundo, ut nobis exemplum orandi daret. Unde Amb. lib. 5. super Luc. c. 6.

dicit: "Noli insidiatrices aperire aures, "ut putes Filium Dei quasi infirmum "rogare, ut impetret quod implere non "possit; potestatis enim est auctor, obe- "dientiæ magister, ad præcepta virtu- "tis suo nos informat exemplo:" et Aug. dicit tract. 104. in Joannem: "Po- "terat Dominus in forma servi, si hoc "opus esset, orare silentio; sed ita se "Patri exhibere voluit precatorem, ut "meminisset nostrum se esse Doctorem."

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod aliquis potest scire aliquid certo futurum dupliciter. Uno modo absolute, et secundum se, ut scilicet sciat futurum aliquid esse absque aliquo opere scientis; et sic scimus solem oriturum cras. Alio modo quod illud sit futurum mediante opere aliquo ipsius, qui scit. Sicut potest aliquis scire, quod in agro nascetur frumentum, si tamen in eo satum fuerit. Pro eo quod quis scit primo modo, non debet orare; debet autem orare pro consequendo eo, quod scit sua oratione esse futurum. Christus igitur scivit multa futura esse propter suam orationem: scivit enim Lazarum esse resuscitandum suis lacrymis, oratione, et clamore, et ideo oravit, lacrymatus est, et clamavit voce magna, *Lazare veni foras.* Maior igitur est vera de eo, quod quis scit esse absolute futurum, non autem de eo quod quis scit futurum mediante sua oratione. Ad minorem dicitur, quod Christus sciebat quædam esse futura per suam orationem, et pro his oravit.

Ad 3 Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod ascensio nihil aliud est, quam motus in id, quod est sursum. Motus autem, ut habetur 3. de An. tex. 28. dupliciter dicitur. Uno modo proprie, secundum quod importat exitum de potentia in actum, prout est actus imperfecti, et sic ascendere competit ei, qui est in potentia sursum, et non actu. Et sic Dam. dicit in 3. lib. cap. 24. quod "intellectus humanus Christi non eget ascensione in Deum, cum sit semper Deo "unitus, et secundum esse personale, et "secundum beatam contemplationem." Alio modo dicitur motus, qui est actus perfecti, idest existentis in actu, sicut intelligere, et sentire dicuntur quidam motus. Et hoc modo intellectus Christi semper ascendit in Deum, quia semper contemplatur ipsum, ut supra se existentem. Formalius igitur dicitur ad maiorem, quod ei cui competit orare, competit ascensio primo, vel secundo modo accepta. Et ad minorem dicitur, quod Christi intellectui non competit ascensio in Deum priori modo, sed ei maxime competit ascensio, secundum quod motus ascensionis est actus perfecti.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem.

1. Ei, cujus caro potest ascendere in Deum vivum exultando, et orando, competit orare secundum suam sensualitatem. Sed caro Christi potuit ascendere in Deum vivum exultando, et per consequens orando. Ergo Christo convenit orare secundum sensualitatem.

Maior prob., quia sensualitas dicitur appetitus carnis, et ideo ei, cujus caro potuit in Deum ascendere per exultationem, et orationem, competit orare secundum sensualitatem.

Minor prob., quia in Psal. 83. ex persona Christi dicitur: "Cor meum, et «caro mea exultaverunt in Deum vivum.»

2. Ille, qui petit aliquid quod desiderat ejus sensualitas, orat secundum sensualitatem. Sed Christus petivit aliquid quod desideravit ejus sensualitas, cum dixit: *Transeat á me calix iste,* Matth. 26. Ergo Christus oravit secundum sensualitatem.

Maior prob., quia ejus videtur esse orare, cujus est desiderare illud, quod petitur.

3. Sensualitas fuit assumpta á Deo in unitatem personæ, sicut quælibet alia pars humanæ naturæ. Ergo sensualitas potuit multo magis ascendere in Deum orando.

Conseq. prob., quia maius est uniri Deo in persona, quam ascendere in Deum per orationem.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Alii homines non orant secundum sensualitatem. Ergo nec Christus secundum sensualitatem oravit.

Conseq. prob., quia Christus, secundum naturam assumptam, *in similitudinem hominum factus est*, ut dicitur ad Phil. 2.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliquem orare secundum sensualitatem potest intelligi dupliciter. Uno modo elicitive, sic quod ipsa oratio sit actus sensualitatis. Alio modo potest intelligi aliquem orare secundum sensualitatem materialiter. Quia ratio orantis proponit Deo orando, quod est in appetitu sensualitatis ipsius.

1.ª CONCLUSIO. Christus non oravit secundum sensualitatem, quasi oratio fuerit actus sensualitatis.

Prob. In nobis sensualitatis non potest orare. Ergo nec in Christo sensualitas potuit orare.

Conseq. prob., quia sensualitas ejusdem naturæ, et speciei fuit in Christo, et in nobis.

Anteced. prob., quia in nobis sensualitas non potest orare, et hoc duplici ratione. Primo, quia motus sensualitatis non potest sensibilia transcendere, et ideo non potest in Deum ascendere, quod requiritur ad orationem. Secundo quia oratio importat quamdam ordinationem, prout scilicet aliquis desiderat aliquid, quasi á Deo implendum, et hoc est solius rationis. Unde oratio est actus rationis, ut dictum est 2. 2. quæst. 83. art. 1.

2.ª CONCLUSIO. Christus oravit secundum sensualitatem materialiter, in quantum scilicet ratio ejus exprimebat sensualitatis affectus, tamquam sensualitatis advocata.

Manifestatur. Oravit enim secundum sensualitatem, quando dixit: *transeat á me calix iste*, ut dicitur Matth. 26.

Ratio autem quare Christus secundum sensualitatem orare voluit, fuit ut nos in tribus instrueret. Primo, quidem ut ostenderet se veram humanam naturam suscepisse cum omnibus naturalibus affectibus. Secundo, ut ostenderet quod homini licet secundum naturalem affectum aliquid velle quod Deus non vult. Tertio, ut ostendat quod proprium affectum debet homo divinæ voluntati subjicere. Unde Aug. in Psal. 32. dicit: « Christus hominem gerens ostendit privatam quamdam hominis voluntatem, cum dicit: Transeat á me calix iste: hæc enim erat voluntas humana proprium aliquid, et tamquam privatum volens. Sed quia recto vult corde esse hominem, et ad Deum dirigi, subdit: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu; ac si dicat: Vide te in me, quia potes aliquid proprium velle, etsi Deus aliud velit. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus prob. quod caro exultat in Deum vivum, non per actum carnis ascendentem in Deum, sed per redundantiam á corde in carnem, in quantum appetitus sensitivus sequitur motum appetitus rationalis.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod ille qui petit, quod sensualitas vult, orat secundum sensualitatem materialiter, ut dictum est, in quantum proponit ejus ratio, quod sensualitas appetit. Poterat igitur sensualitas in Christo aliquid desiderare, non autem orando poterat illud Deo proponere, nisi mediante ratione.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est

eadem ratio de unione personali, et de ascensione in Deum per actum orationis. Unio enim in persona est secundum esse personale, quod pertinet ad quamlibet partem humanæ naturæ; sed ascensio orationis est per actum, qui non convenit nisi rationi, et ideo sensualitas potuit uniri in unione personali cum Verbo; non autem potuit ascendere ad contemplandum, vel ad petendum aliquid á Deo proprio actu.

## ARTICULUS III.

*Utrum fuerit conveniens Christum pro se orare.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit conveniens Christo pro se orare.

1. Illi, cui convenit pro se orare, proficit deprecationis sermo. Sed Christo non proficiebat deprecationis sermo. Ergo Christo non conveniebat pro se orare.

Minor prob., quia Hilarius dicit 10. de Trin. « Cum sibi,» idest Christo «non " proficeret deprecationis sermo, ad pro- " fectum tamen nostræ fidei loquebatur. »

2. Christus volebat pati ea quæ patiebatur. Ergo Christo non competebat pro seipso orare.

Conseq. prob., quia cum oratio sit quædam explicatio voluntatis per Deum adimplendæ, ut art. 1. dictum est, nullus orat nisi pro eo quod vult. Unde cum Christus vellet pati passionis calicem, non convenienter pro se orabat, ut clarificaretur.

Antecedens prob., quia dicit August. lib. 26. contra Faustum cap. 8. «Homo "plerumque, etsi nolit, irascitur, etsi no- " lit, contristatur; etsi nolit, dormit; etsi " nolit esurit, ac sitit: ille autem » scilicet Christus « omnia ista fecit, quia vo- " luit. »

3. « Pacis doctor, et unitatis magister " noluit sigillatim, et privatim preces " fieri, ut quis, cum precatur, pro se " tantum precetur, » ut dicit Cyprianus in lib. de oratione dominica. Ergo Christus numquam pro se solo oravit.

Conseq. prob., quia Christus implevit illud quod docuit, juxta illud Act. 1. *Cæpit Jesus facere, et docere.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ipse Dominus orando dixit: *clarifica Filium tuum*, Joan. 17.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliquis potest orare pro se dupliciter: uno modo exprimendo affectum sensualitatis, vel voluntatis, ut natura est; alio modo exprimendo affectum voluntatis deliberatæ.

1.ª Conclusio. Christus convenienter pro se oravit exprimendo affectum sensualitatis, vel etiam simplicis voluntatis.

Prob. Et quod sic oraverit, patet Matt. 26. dum dixit: *transeat á me calix iste.* Quod autem hoc convenienter factum fuerit, patet ex probatione secundæ conclusionis præced. art. fecit enim hoc, ut nos instrueret in illis tribus, de quibus ibi dictum est.

2.ª Conclusio. Christus pro se oravit, et convenienter, exprimendo affectum voluntatis deliberatæ.

Quod sic oraverit patet Joan. 17. quando petiit clarificari, quantum scilicet ad gloriam corporis.

Quod vero convenienter, et rationabiliter sic Christus oraverit, ostenditur. Nam Christus uti voluit oratione propter duo, ut dictum est art. 1. ad 1. Primo, ut ostenderet Patrem suum esse auctorem, á quo æternaliter processit secundum divinam naturam, et quod secundum naturam humanam ab eo habet, quicquid habet. Secundo, ut nobis orandi daret exemplum. Et utrumque fecit dum oravit explicando affectum deliberatæ voluntatis. Bona enim quæ Christi humanitas á Patre accepit, sunt in duplici differentia, quædam fuerunt sibi collata, dum adhuc in carne viveret, ut fuit gloria animæ, plenitudo

gratiæ, scientiæ, et his similia. Quædam vero non fuerunt data sibi, nisi post passionem, ut claritas corporis, potestas in cœlo, et in terra, exaltatio, et hujusmodi: et utrorumque Christus per suam orationem recognovit Patrem auctorem; et primorum quidem bonorum per gratiarum actionem, ut patet Matth. 26. et Joan. 11. aliorum vero bonorum recognovit Patrem auctorem dum orando petebat ea quæ nondum habebat in actu, ut gloria corporis. Sicut igitur convenienter Christus gratias agebat Patri de perceptis ab eo bonis, ita convenienter per aliam partem orationis, scilicet perfectionem, debuit orare Patrem exprimendo ea quæ secundum voluntatem deliberatam optabat.

Exemplum autem nobis per hujusmodi orationem dedit, ut de perceptis muneribus gratias agamus et nondum habita orando postulemus. Et sic patet quod Christus his duobus modis oravit, et quod convenienter utroque modo pro se oravit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod oratio est duplex: vocalis et mentalis. Oratio vocalis non proficiebat Christo; proficiebat tamen sibi mentalis oratio, sive in Deum mentis elevatio. Ad maiorem dicitur quod ei cui competit orare vocaliter, non oportet, quod sibi proficiat deprecationis sermo, sed sufficit quod proficiat aliis. Tunc ad minorem dicitur quod Christo non proficiebat vocalis oratio, de qua Hilarius loquebatur. Hanc enim non faciebat propter se, sed propter nos. Unde signanter dicit Hilarius quod « sibi non pro- « ficiebat deprecationis sermo. » Si enim « desiderium pauperum exaudivit Do- « minus, » ut dicitur in Psalm. 9. multo magis sola voluntas Christi habet vim orationis ad Patrem. Unde ipse dicebat Joan. 11. « Ego sciebam, quo- « niam semper me audis, sed propter « populum, qui circumstat, dixi, ut « credant, quia tu me misisti. » Argumentum igitur probat solum quod Christus non oraverit pro se vocali oratione cum quo tamen stat quod oraverit pro se explicando affectum voluntatis deliberatæ, et quod convenienter oraverit vocali oratione non propter se, sed propter nos.

Ad 2. Dicitur ad antecedens. Quod Christus volebat quidem pati illa quæ patiebatur, pro tempore illo, et nihilominus volebat, ut post passionem daretur sibi corporis gloria, quam nondum habebat: quam quidem gloriam expectabat á Patre, sicut ab auctore, et ideo convenienter eam ab ipso petebat.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod ipsa gloria, quam Christus orando petebat, pertinebat ad salutem aliorum, secundum illud Rom. 4. *Resurrexit propter justificationem nostram*, et ideo illa etiam oratio, quam pro se faciebat, erat quodammodo pro aliis. Sicut et quicumque homo aliquod bonum á Deo postulat, ut utatur illo ad utilitatem aliorum, non sibi soli, sed etiam pro aliis orat.

## ARTICULUS IV.

*Utrum oratio Christi semper fuerit exaudita.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod oratio Christi non semper fuerit exaudita.

1. Christus orando petiit á se removeri calicem passionis, Matth. 26. qui tamen ab eo non fuit translatus. Ergo videtur quod non omnis Christi oratio fuerit exaudita.

2. Christus oravit, ut crucifixoribus suis peccatum ignosceretur, Lucæ 22. et tamen non fuit illud peccatum omnibus dimissum; nam judæi fuerunt pro illo peccato puniti. Ergo non omnis Christi oratio fuit exaudita.

3. Dominus oravit pro omnibus, qui erant credituri per verbum Apostolorum in ipsum, ut omnes in ipso Christo unum essent, et ut pervenirent ad

hoc quod essent cum ipso, ut dicitur Jo. 1. ad quod tamen non omnes perveniunt. Ergo non omnis Christi oratio fuit exaudita.

4. In Psalm. 21. dicitur in persona Christi, *clamabo per diem, et non exaudies*. Ergo non omnis Christi oratio fuit exaudita.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad Heb. 5. dicitur: *cum clamore valido, et lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

*Determinatio.*

Conclusio. Omnis oratio Christi fuit exaudita.

Prob. Omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta. Ergo omnis oratio Christi fuit exaudita.

Consequentia prob. Quia cum oratio ut art. præced. dictum est, sit quodammodo interpretativa voluntatis humanæ, tunc alicujus orantis exauditur oratio, quando ejus voluntas impletur.

Antecedens declaratur, et prob. Declaratur autem quantum ad illum terminum (absoluta), ostendendo, quid sit voluntas absoluta: pro quo sciendum quod voluntas hominis, quæ est simpliciter et absoluta voluntas, est voluntas rationis, hoc enim absolute volumus quod secundum deliberatam rationem volumus. Illud autem quod volumus secundum motum sensualitatis, vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, quæ consideratur, ut natura, non simpliciter volumus, sed secundum quid, scilicet si aliud non obsistat, quod per deliberationem rationis invenitur. Unde talis voluntas magis est dicenda velleitas, quam absoluta voluntas; quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret. Et sic remanet manifestum antecedens; est enim sensus, quod omnis voluntas Christi absoluta, idest quæ est vere voluntas, quæ est voluntas rationis, fuit impleta.

Prob. autem antecedens hac ratione. Christus secundum voluntatem rationis, nihil aliud voluit, quam quod scivit Deum velle. Ergo omnis voluntas absoluta Christi fuit impleta.

Conseq. hæc probatur: quia etiam voluntates aliorum factorum ideo implentur, quia sunt Deo conformes, secundum illud Rom. 8. *qui autem scrutatur corda*, scit, idest approbat, *quid desideret spiritus*, idest quid faciat sanctos desiderare, *quoniam secundum Deum*, idest secundum conformitatem divinæ voluntatis, *postulat pro sanctis*. Vel sic formatur ratio ad probandum principale antecedens. Voluntas quæ semper est conformis divinæ voluntati, et nihil vult, nisi quæ scit Deum velle, semper impletur; hæc enim est ratio, quare voluntates sanctorum impleantur, ut dicitur ad Rom. 8. Sed voluntas absoluta Christi semper fuit conformis divinæ voluntati, nec voluit quicquam, nisi quæ sciebat Deum velle. Ergo voluntas Christi absoluta semper fuit impleta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad anteced., quod illa petitio Christi de translatione calicis, diversimode á sanctis exponitur; Hilarius enim Can. 3. in Mat. dicit: « Quod autem ut á se transeat rogat, non ut ipse prætereatur, orat, sed ut in alterum id quod á se transit, accedat: atque ideo pro his orat, qui passuri post se erant:» ut sit sensus: quomodo á me bibitur calix iste passionis, ita ab his bibatur sine spei dissidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis. Vel secundum Hieronymum super hunc loc. Matth. 26. « Signanter dicit: Calix iste, hoc est populi Judæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non possunt, si me occiderint, habentes legem, et prophetas qui me quotidie vaticinantur.» Vel secundum Dion. Alexandrinum, quod dicit: «Transfer calicem istum á me, non hoc est, non adveniat mihi: nisi enim advenerit, transferri non poterit; sed sicut quod præterit, nec intactum est, nec

permanens, sic salvator leviter invadentem tentationem flagitat pelli.» Ambrosius autem lib. 10. in Luc. hom. 15. et Origenes hom. 35. in Matth. et Chryst. hom. 84. in Matt. dicunt, quod hoc petiit quasi homo, naturali voluntate mortem recusans.

Sic ergo, si intelligatur quod petierit per hoc alios martyres suæ passionis imitatores fieri secundum Hilarium; vel si petiit quod timor bibendi calicis eum non perturbaret, vel quod mors eum non detineret, omnino impletum est quod petiit. Si vero intelligitur petiisse quod non biberet calicem mortis et passionis, vel quod non biberet ipsum à judæis, non est factum quidem quod petiit, quia ratio quæ petitionem proposuit, nolebat ut hoc implere-

tur; sed ad instructionem nostram volebat demonstrare nobis suam voluntatem naturalem, et motum sensualitatis, quem sicut homo verus habebat.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant crediturí in eum; sed pro his solum, qui erant prædestinatí, ut per ipsum vitam conseqnerentur æternam, et pro his fuit exaudita ejus oratio, et per hoc patet resp. ad 3.

Ad 4. dicitur quod cum dicit Psal. *Clamabo et non exaudies*, intelligendum est quantum ad affectum sensualitatis, quæ mortem refugiebat, exauditur tamen quantum ad affectum rationis, ut in cap. dictum est.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 21.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christo competit orare. Ut Luc. 6. *factum*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi ex ly *pernoctans in oratione* damnabis pro hæresi positionem *Nyctagum* á somno dictorum, qui teste Isidoro, dicebant, noctis vigilias, seu ad horas matutinas surgere, esse quid superstitiosum, et jura temerare divina, quæ noctem ad requiem tribuunt. Et positionem *Vigilantii*, potius *Dormitantii* (secundum B. Hieron.) vocandi, qui dixit: Vigilias sanctorum esse damnandas. Contra has hæreses vide etiam 2. 2. a. n. 706. In textu quoque ex ly *orare* dic, quod ex omnibus similibus locis damnantur hæreses ponentes in Christo solam voluntatem divinam, contra quas vide sup. art. num. 114. 120. append. Et hæreses ponentes, quod orationes sunt inutiles, nulliusque virtutis, contra quas vide etiam 2. 2. artic. num. 439. cum Elucid. Et Addit. art. num. 31. 61. 300. cum Elucid. Et veritates aureas super totam legem veterem Gen. 8. concl. 6. et c. 20. concl. 4. Item Exod. 32. concl. 2. Item num. 13. concl. 1. Condemnavit ergo Christus omnes positiones prædictas, monstravitque eas esse hæreses, contrariasque illis esse catholicas, et hoc factis propriis, quando scilicet oravit de nocte. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus secundum sensualitatem et oravit, et non oravit. Quod quidem non oraverit secundum illam, insinuatur per hoc, quod dicitur Philipp. 2. *formam servi accipiens in similitudinem hominum factus.* Sed alii homines non orant secundum sensualitatem, ut patet duplici ratione in text. corp. Ergo secundum Apostolum Filius Dei humanatus non oravit secundum sensualitatem. Quod autem secundum illam oraverit, insinuatur per hoc, quod dicitur

Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat á me calix iste.* Vox enim ista, ut scilicet poculum passionis transiret, idest, quod non moreretur per crucem, est vox imbecillitatis humanæ, idest, sensualitatis: ut habetur ex Divo Athanasio in sermo. de passion. Absit enim, ut, qui ad hoc venerat, ut pro nobis crucifigeretur, refugerit aliquando secundum voluntatem rationis illam mortem. Pro præmissorum fusiori declaratione, et captu vide quæst. 18. art. 2. 3. 5. 6. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse a scripturis insinuatum: quod Christus oravit pro seipso. Ut Hebr. 5. " Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad Deum, qui posset illum salvum facere á morte cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Precibus enim his, atque supplicationibus postulabat resurrectionem, secundum Apostolum propter hoc designandum addentem ly *exauditus est pro sua reverentia.* Nam facere aliquem salvum á morte contingit dupliciter: primo modo, ut mors non veniat: alio modo, ut mors adveniens non duret, idest, ut á morte quis excitetur, quod quidem Christus expressit Joan, 11. *infirmitas hæc non est ad mortem, sed, ut,* etc. Hoc est infirmitati huic mors succedens non durabit in Lazaro; sed salvus fiet cito á morte per resurrectionem, quo facto glorificabitur Filius Dei per eum. Quod vero de duobus illis modis circa salvari á morte dictum est, fuit á simili subministratum per sanctum Doctorem in 1, quæst. 2. art. 3. arg. 1. cum respons. Primo itaque modo illo salvatus non est Christus á morte, quia secundum voluntatem divinam, et voluntatem rationis humanam salvari nolebat, licet desiderium sensualitatis orando proponeret convenienter, ut dicitur art. 2. corp. versus fin. Secundo autem modo salvatus fuit à morte. Unde et primo modo loquens Propheta de Christo dicit ad Deum Patrem Psal. 88. *Lætificasti omnes inimicos ejus.* In quantum, scilicet, á tam ignominiosa morte ab inimicis ejus desiderata ipsi, non salvasti Christum tuum, ne videlicet eam pateretur. Secundo nihilominus modo loquens ipse Christus ad eumdem Patrem dixit Psalm. 29. *Nec delectasti inimicos meos super me,* scilicet, tu Pater resuscitasti me contra voluntatem, et opinionem inimicorum meorum. Primo igitur modo non est locutus Apostolus supra ad Hebr. sed secundo modo. Cæterum, quia in titulo quæsiti dicebatur ly *conveniens,* et consequenter in conclusione articuli subintelligebatur, vide de convenientia scripturarum totali in secunda secundæ, quæst. 112. art. 2. append. et quæst. 140. art. 1. append. et in 1. 2. quæst. 68. art. 4. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod oratio Christi semper fuit exaudita. Ut Hebr. 5. *Cum clamore*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi adverte, quod Apostolus per illam indefinitam propositionem, scilicet *exauditus est pro sua reverentia,* intellexit simul universalem, scilicet, quod non tantum in hac particulari oratione clamorosa, sed etiam in omnibus aliis similibus, idest, secundum voluntatem rationis procedentibus, fuit exauditus pro sua reverentia. Hoc est. Christus homo, quandocumque, quotiescumque, quomodocumque voluit simpliciter exaudiri, fuit exauditus ad plenum pro reverentia sua. Alioquin, si Apostolus sub illa indefinita propositione non cointelligeret etiam universalem, tunc Divus Thomas, adducendo illam auctoritatem, non concluderet intentum suum, scilicet, quod in omni oratione sua Christus est exauditus. Sic ergo universaliter intellexit eam Sanctus Doctor, ut per ipsam efficaciter assequeretur id, quod intendebat. Cæterum, quomodo tota illa auctoritas, pro quanto præsentis articuli intentionem non destruit, sed juvat, intelligi debeat, vide in art. 3. append. *Secundo* vides: etc.

## QUÆSTIO VIGESIMA SECUNDA,

### DE SACERDOTIO CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de sacerdotio Christi.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum conveniat Christo esse sacerdotem.

Secundo, de hostia hujus sacerdotii.

Tertio, de effectu hujus sacerdotii.

Quarto, utrum effectus sacerdotii ejus pertineat ad ipsum, vel solum ad alios.

Quinto, de æternitate sacerdotii ejus.

Sexto, utrum debeat dici sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christo conveniat esse sacerdotem.*

*Pro negativa.*—Videtur, quod Christo non conveniat esse sacerdotem.

1. Ei, qui est major angelis, non convenit esse sacerdotem. Sed Christus est major angelis. Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

Maior prob., quia sacerdos est minor angelo; unde dicitur Zac. 3. «Ostendit «mihi Deus sacerdotem magnum stantem «coram angelo Domini.»

Minor prob., quia ad Heb. 1. dicitur: «tanto major angelis effectus, quanto «differentius præ illis nomen hæreditavit.»

2. Christus non traxit originem ex sacerdotibus veteris legis. Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

Anteced. prob., quia dicitur Heb. 7. "Manifestum est, quod ex Juda ortus sit "Dominus noster; in qua tribu nihil de "sacerdotibus Moyses locutus est."

Consequentia probat., quia ea quæ fuerunt in veteri testamento, fuerunt figuræ Christi, secundum illud ad Colos. 2. *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.*

3. Ei, qui fuit legislator novæ legis, non convenit esse sacerdotem. Sed Christus fuit legislator novæ legis. Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

Maior prob., quia in veteri legi, quæ est figura novæ legis, non fuit idem legislator, et sacerdos; unde dicit Dominus ad Moysen legislatorem Exod. 28. "Applica Aaron fratrem tuum, ut sa-"cerdotio fungatur mihi."

Minor prob.; quia Hierem. 31. dicitur: "dabo legem meam in cordibus eo-"rum."

#### PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Heb. 4. dicitur: *Habemus Pontificem, qui penetravit cælos, Jesum Filium Dei.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christo maxime convenit esse sacerdotem.

Prob. Ei per quem divina dona hominibus sunt collata, et qui reconciliavit Deo genus humanum, maxime convenit esse sacerdotem. Sed per Christum divina dona hominibus sunt collata, secundum illud 2. Pet. 1. «Per quem,» scilicet per Christum «maxima, et pretiosa «nobis promissa donavit, ut per hoc ef-«ficiamini divinæ consortes naturæ.» Et ipse etiam genus humanum Deo reconciliavit, secundum illud ad Colos. 1. «In ipso» scilicet Christo, «complacuit om-«nem plenitudinem inhabitare, et per «eum reconciliare omnia.» Ergo Christo maxime convenit esse sacerdotem.

Maior manifestatur: nam officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum; in quantum scilicet divina populo tradit, unde dicitur sacerdos, quasi sacra dans, secundum illud Malach. c. 2. «Legem requirent ex ore ejus,» scilicet sacerdotis: et iterum est mediator, in quantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit. Unde Apostolus dicit Heb. 5. «Omnis Pontifex ex hominibus «assumptus pro hominibus constituitur «in his quæ sunt ad Deum, ut offerat «dona, et sacrificia pro peccatis.» Ei igitur, cui maxime competunt hæc duo mediatoris officia, maxime convenit esse sacerdotem.

Aliter formatur hæc ratio. Ei, cui maxime competit esse mediatorem inter Deum, et homines, maxime convenit esse sacerdotem. Officium enim sacerdotis est esse mediatorem, etc. ut in probatione maioris præcedentis formæ. Sed Christo maxime competit esse mediatorem inter Deum et homines, ut per inductas auctoritates in prob. minoris patet. Ergo Christo maxime convenit esse sacerdotem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod maior non est universaliter vera. Est vera quidem de aliis sacerdotibus, non autem de Christo. Nam etsi potestas hierarchica conveniat angelis, in quantum etiam ipsi sunt medii inter Deum, et hominem, ut patet per Dion. in lib. Eccl. hierarc. cap. 6. ita quod ipse sacerdos, in quantum est medius inter Deum, et homines, angeli nomen habeat, secundum illud Malach. 2. « Angelus Domini exercituum « est, » ac per hoc angeli præeminent in hoc ordine sacerdotibus aliis á Christo, Christus autem maior angelis fuit, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, in quantum habuit plenitudinem gratiæ et gloriæ; unde etiam excellentiori modo hierarchicam, seu sacerdotalem potèstatem præ angelis habuit, ita quod etiam ipsi angeli fuerunt ministri sacerdotii Christi, secundum illud Matth. 4. « Accesserunt « angeli, et ministrabant ei. » Est vera igitur maior propositio de sacerdotibus qui sunt puri homines; hi enim sunt minores angelis: non autem est vera de Christo, qui etiam secundum humanitatem, in quantum habuit plenitudinem gratiæ, fuit maior angelis. Ad probationem autem quæ est sententia Zach. qui figurate de Christo loquebatur dicitur, quod Christus, secundum humanam naturam, duo habuit in hac vita, scilicet plenitudinem gratiæ; et sic etiam quantum ad humanitatem fuit maior angelis in gratia et gloria, secundum quod dicitur Joan. 1. Vidimus eum quasi unigenitum á Patre plenum gratiæ et veritatis: et infirmitatem carnis; et sic fuit minoratus ab angelis: unde dicitur Heb. 2. Modico quam angeli minoratus qui est, videmus Jesum propter passionem mortis. Erat igitur Christus minor angelis, et stabat coram angelo Domini, quem Zach. vidit, ratione infirmitatis carnis, quam assumpserat, ut per suam passionem humanum genus salvaret, et secundum hos fuit conformis hominibus viatoribus in sacerdotio constitutis.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod sicut Dam. dicit in 3. lib. cap. 26. Quod «in omni« bus est simile, idem utique erit, et non « extraneum, » quia igitur sacerdotium veteris legis erat figura sacerdotii Christi, noluit Christus nasci de stirpe figuralium sacerdotum, ut ostenderetur non esse omnino idem sacerdotium, sed differre sicut verum á figurali.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sicut dictum est quæstione 9. alii homines particulatim habent quasdam gratias; sed Christus tamquam omnium caput habet perfectionem omnium gratiarum; et ideo quantum ad alios pertinet, alius est legislator, et alius sacerdos, et alius rex. Sed hæc omnia concurrunt in Christo tamquam in fonte omnium gratiarum. Unde dicitur Isaiæ 33. " Dominus judex noster, Do- " minus legifer noster, Dominus rex " noster, ipse veniet, et salvabit nos."

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus fuerit simul sacerdos, et hostia.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod ipse Christus non fuerit simul sacerdos et hostia.

1. Christus non occidit seipsum. Ergo Christus non fuit simul sacerdos, et hostia.

Conseq. prob., quia sacerdotis est hostiam occidere.

2. In veteri lege numquam homo in

sacrificium offerebatur, sed maxime hoc reprehenditur in sacrificiis gentilium, secundum illud Psal. 105. "Effuderunt "sanguinem innocentem, sanguinem fi- "liorum suorum, et filiarum suarum, "quas sacrificaverunt sculptilibus Cha- "naan." Ergo in sacerdotio Christi, non debuit esse ipse Christus hostia.

Conseq. probatur., quia sacerdotium Christi magis est simile sacerdotio judæorum, quod erat à Deo institutum, quam sacerdotio gentilium, quo colebantur dæmones.

3. Omnis hostia, ex hoc quod Deo offertur, Deo sanctificatur. Sed humanitas Christi non sanctificàtur Deo, ex hoc quod Deo offertur cum á principio fuerit sanctificata, et Deo conjuncta. Ergo non convenienter potest dici, quod Christus, secundum quod homo, fuerit hostia.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apostolus dicit ad Ephes. 5. "Chris- "tus dilexit nos, et tradidit semetipsum "pro nobis oblationem, et hostiam Deo "in odorem suavitatis."

*Determinatio.*

Conclusio. Christus in quantum homo non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta.

Prob. Omne illud, quod Deo exhibetur ad hoc quod spiritus hominis perfecte feratur in Deum, potest dici hostia, sive sacrificium. Sed humanitas Christi, sive Christus, in quantum homo, obtulit seipsum Deo ad hoc quod spiritus hominis perfecte feratur in Deum. Ergo Christus est sacerdos, et hostia perfecta.

Maior probat., quia sicut August. dicit in lib. 10. de civ. Dei. cap. 5. «Om- «ne sacrificium visibile invisibilis sacri- «ficii sacramentum, idest sacrum signum «est.» Invisibile autem sacrificium est, quod homo offert Deo spiritum suum, secundum illud Psal. 50. «Sacrificium «Deo spiritus contribulatus.» Igitur omne, quod Deo offertur ad hoc quod homo in Deum per spiritum suum perfecte feratur, est hostia vel sacrificium.

Minor ostend. Nam ad hoc quod homo perfecte in Deum feratur, tria sunt necessaria. Primum est, quod ei peccata remittantur. Secundo, ut in gratia conservetur. Tertio, quod Deo perfecte uniatur, et ad hæc tria indiget homo sacrificio. Indiget enim homo sacrificio: primo ad remissionem peccati, per quod homo á Deo avertitur, et ideo Apost. dicit Heb. 5. quod ad sacerdotem pertinet, «ut offerat dona, et sacrificia pro «peccatis.» Secundo, ut homo in statu gratiæ conservetur semper Deo inhærens, in quo ejus pax, et salus consistit. Unde, et in veteri lege immolabatur hostia pacifica, pro salute offerentium, ut habetur Levit. 3. Tertio, ad hoc quod spiritus hominis perfecte Deo uniatur, quod maxime erit in gloria. Unde et in veteri lege offerebatur holocaustum, quasi totum incensum, ut dicitur Levit. 1. Et hæc tria per humanitatem Christi Deo oblatam per Christum, nobis provenerunt. Nam primo nostra peccata deleta sunt, secundum illud Rom. 4. «Tra- «ditus est propter delicta nostra.» Secundo gratiam nos salvantem per ipsum accepimus secundum illud Heb. 5. «Fac- «tus est omnibus obtemperantibus sibi «causa salutis æternæ.» Tertio per ipsum perfectionem gloriæ adepti sumus, Heb. 10. «Habemus fiduciam per sanguinem «ejus in introitum sanctorum» scilicet in gloriam cœlestem. Et ideo ipse Christus in quantum homo, non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta, simul existens hostia pro peccato, et hostia pacifica, et holocaustum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Christus non se occidit; sed tamen seipsum voluntarie exposuit morti, secundum illud Isaiæ 53. "Oblatus est, quia "ipse voluit," et ideo dicitur seipsum

obtulisse. Ad hoc igitur quod Christus sit sacerdos, et hostia, non requiritur quod se occiderit; sed sufficit quod seipsum voluntarie exposuerit morti.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod hominis Christi occisio potuit ad duplicem voluntatem comparari. Primo ad voluntatem occidentium, et sic non habet rationem hostiæ: non enim dicuntur occisores Christi hostiam Deo obtulisse, sed graviter deliquisse: et hujus peccati similitudinem gerebant impia gentilium sacrificia, quibus homines idolis immolabant. Secundo potest comparari occisio Christi ad voluntatem ejusdem Christi patientis, qui voluntarie se obtulit passioni, et ex hac parte habet rationem hostiæ, in quo non convenit cum sacrificiis gentilium.

Ad 3. Negatur minor, et ad probationem quæ innuitur, dicitur quod sanctitas humanitatis Christi á principio non impedit quin ipsamet humana natura, cum in passione Deo est oblata, sanctificata novo modo fuerit, scilicet ut hostia actualiter tunc exhibita. Acquisivit enim actualem hostiæ sanctificationem tunc ex antiqua charitate, et gratia unionis sanctificante eamdem absolute.

## ARTICULUS III.

### *Utrum effectus sacerdotii Christi sit expiatio peccatorum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod effectus sacerdotii Christi non sit expiatio peccatorum.

1. Christus non est sacerdos secundum quod Deus. Ergo sacerdotium Christi non est expiatio peccatorum.

Conseq. prob., quia solius Dei est peccata delere, juxta illud Isaiæ 43. "Ego sum, qui deleo iniquitates tuas "propter me."

2. Sacerdotium, in quo fit commemoratio peccatorum, et cujus sacrificium continue offertur, non est expiatio peccatorum. Sed sub sacerdotio Christi fit commemoratio peccatorum, cum dicitur: *Dimitte nobis debita nostra.* Matt. 6. Offertur etiam hujus sacerdotii sacrificium continue in Ecclesia: unde ibidem dicitur: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ergo sacrificium Christi non est expiatio peccatorum.

Maior prob., quia Apost. dicit Hebr. 10. quod hostiæ veteris testamenti «non "poterant perfectos facere; alioquin cessassent offerri; eo quod nullam habe"rent conscientiam peccati cultores sufficienter semel mundati; sed in ipsis "commemoratio peccatorum per singu"los annos fit.»

3. Christus non comparatur alicui, ex his quæ offerebantur in antiqua lege pro expiatione peccatorum. Ergo sacerdotium Christi non est expiatio peccatorum.

Anteced. prob. Nam tria erant quæ in antiqua lege offerebantur pro peccato. Offerebatur enim hircus pro peccato principis, capra pro peccato alicujus de populo, vitulus pro peccato sacerdotis, ut patet Levit 4. Christus autem nulli horum assimilatur, sed agno, secundum illud Hierem. 11. "Ego quasi agnus "mansuetus, qui portatur ad victimam.»

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumetum sed contra.*

Apost. dicit ad Hebr. 9. Sanguis "Christi, qui per Spiritum Sanctum "seipsum obtulit immaculatum Deo, "emundabit conscientiam nostram ab "operibus mortuis,» idest á peccatis quæ opera mortua dicuntur "ad servien"dum Deo viventi.» Ergo sacerdotium Christi est emundatio peccatorum.

*Determinatio.*

Conclusio. Sacerdotium Christi habet plenam vim expiandi peccata.

Prob. Sacerdotium, virtute cujus gratia nobis datur, qua corda nostra convertuntur in Deum et plenarie satisfit pro nostrorum peccatorum pœnis, est expiatio peccatorum. Sed sacerdotium Christi est illud virtute cujus gratia nobis datur, qua corda nostra convertuntur in Deum, et ejusdem virtute satis-

fit pro nostrorum peccatorum pœnis. Ergo sacerdotium Christi est expiatio peccatorum.

Maior ostenditur. Nam ad perfectam emundationem peccatorum duo requiruntur, secundum quod duo sunt in peccato, scilicet macula, et reatus pœnæ. Macula quidem culpæ deletur per gratiam, qua cor peccatoris convertitur in Deum; reatus autem pœnæ totaliter tollitur per hoc quod homo Deo satisfacit. Sacerdotium igitur, virtute cujus hæc duo fiunt, est expiatio perfecta peccatorum.

Minor prob. Virtute enim sacerdotis Christi datur nobis gratia: quia dicitur Rom. 3. "Justificati gratis per gratiam "ipsius per redemptionem quæ est in "Christo Jesu, quem proposuit Deus "propitiatorem per fidem in sanguine "ipsius." Virtute etiam sacerdotii Christi pro peccatis nostris plene Deo satisfit in quantum "ipse languores nostros tu-"lit, et dolores nostros ipse portavit."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Licet enim non fuerit sacerdos Christus, secundum quod Deus, sed secundum homo, unus tamen et idem fuit sacerdos, et Deus: unde in synodo 1. Ephesina, Canone 10. legitur. "Si quis Pontificem dicit, et "Apostolum nostrum fieri, non ipsum "ex Deo Verbum, quando factum est "caro, et secundum nos homo, sed tam-"quam alterum præter eum seorsum "hominem ex muliere, anathema sit." Et ideo in quantum ejus humanitas operabatur in virtute divinitatis, illud sacrificium fuit efficacissimum ad delenda peccata: propter quod Augustinus dicit in 4. de Trinitate caput 14. "Ut, quo-"niam quatuor considerantur in omni "sacrificio, cui oferatur, á quo offera-"tur, quid offeratur, pro quibus offe-"ratur: idem ipse unus verusque me-"diator per sacrificium pacis reconci-"lians nos Deo, unum cum illo mane-"ret, cui offerebat, unum in se face-"ret, pro quibus offerebat, unus ipse "esset, qui offerebat, et quod offere-"batur."

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod peccata non commemorantur in nova lege propter inefficaciam sacerdotii Christi, quasi per ipsum non sufficienter expientur peccata; sed commemorantur quantum ad illos, qui vel ejus sacrificii nolunt esse participes, sicut sunt infideles, pro quorum peccatis oramus, ut convertantur, vel etiam quantum ad illos, qui post participationem hujus sacrificii ab eo deviant, qualitercumque peccando. Sacrificium autem quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud á sacrificio quod ipse Christus obtulit; sed ejus commemoratio: unde non reiteratur sacrificium, sed ejus commemoratio. Unde Augustinus dicit 10. de civitate Dei capit. 20. "Sacerdos ipse Christus of-"ferens, ipse et oblatio: cujus rei sa-"cramentum quotidianum esse voluit "Ecclesiæ sacrificium." Et formalius dicitur, ad maiorem quod sacerdotium, in quo fit commemoratio peccatorum, propter sacrificii insufficientiam, et in quo reiteratur aliud, et aliud sacrificium, non est expiativum; sed si fiat commemoratio peccatorum alia ratione, et reiteretur modo dicto, potest esse expiativum, et tale fuit sacerdotium Christi.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod sicut Origenes dicit super Joan. licet diversa animalia in veteri lege offerrentur; quotidianum tamen sacrificium, quod offerebatur mane, et vespere, erat agnus, ut dicitur Num. 28. Unde significabatur quod oblatio veri agni, idest Christi, esset sacrificium consummativum omnium aliorum, et ideo Joan. 1. dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi.* Ex hoc igitur quod Christus assimilatur agno, assimilabatur quotidiano sacrificio quod offerebatur in antiqua lege.

## ARTICULUS IV.

*Utrum effectus sacerdotii Christi, non solum ad alios pervenerit, sed etiam ad ipsum Christum.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod effectus sacerdotii Christi non solum pertinuerit ad alios, sed etiam ad ipsum.

1. Effectus sacerdotii ejus, qui non solum pro aliis, sed etiam pro seipso oravit, non solum ad alios pertinet, sed etiam ad ipsum sacerdotem. Sed Christus non solum pro aliis, sed etiam pro seipso oravit, ut dictum est quæst. 21. art. 3. Et expresse dicitur ad Heb. 5. quod « in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad Deum, qui possit illum salvum facere á morte, cum clamore valido, et lachrymis obtulit. » Ergo effectus sacerdotii Christi, non solum ad alios, sed etiam ad ipsum Christum pertinuit.

Maior prob., quia ad officium sacerdotis pertinet pro populo orare, secundum illud 2. Mac. 1. « orationem faciebant sacerdotes, dum consummaretur sacrificium. »

2. Christus per passionem suam non solum aliis meruit, sed etiam sibi, ut quæst. 19. art. 3. et 4. dictum est. Ergo sacerdotium Christi non solum habuit effectum in aliis, sed etiam in seipso.

Conseq. prob. Christus sacrificium obtulit seipsum in sua passione.

3. Sacerdos veteris legis non solum pro aliis, sed etiam pro seipso sacrificium offerebat. Ergo etiam sacerdotium Christi, non solum in aliis, sed etiam in seipso effectum habuit.

Antecedens prob., quia Levit. 16. dicitur: « Pontifex ingreditur sanctuarium, ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo cœtu filiorum Israël.

Conseq. prob., quia sacerdotium veteris legis fuit figura sacerdotii Christi.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus non obtulit pro se sacrificium. Ergo sacerdotium Christi non habuit effectus in ipso Christo.

Antecedens prob., quia dicitur in Can. 19. Conc. Ephes. 1. «Si quis dicit Christum pro se obtulisse oblationem, et non magis pro nobis solum (non enim indiguit sacrificio, qui peccatum nescit) anathema sit. »

Conseq. prob., quia in sacrificio offerendo, potissime sacerdotis consistit officium.

*Determinatio.*

Conclusio. Non competit Christo effectum sacerdotii recipere.

Probatur dupliciter. Primo: sacerdoti qui potest per seipsum ad Deum accedere, non competit effectus sui sacerdotii. Sed Christus potest per seipsum ad Deum accedere. Ergo Christo non competit effectum sui sacerdotii recipere.

Maior prob., quia sacerdos, ut dictum est art. 1. constituitur medius inter Deum, et hominem. Ille autem indiget medio ad Deum qui per seipsum accedere ad Deum non potest, et talis sacerdotio subjicitur effectum sacerdotii participans. Sacerdos igitur, qui per seipsum ad Deum accedere potest, non participat sacerdotii effectum.

Minor prob., quia dicitur ad Heb. 7. « Accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis. »

Secundo probatur conclusio. Ei qui est fons totius sacerdotii, non competit effectum sacerdotii recipere. Sed Christus est fons totius sacerdotii. Ergo Christo non competit effectum sacerdotii recipere.

Maior prob., quia primum agens in quolibet genere, ita est influens, quod non est recipiens in genere illo, sicut sol illuminat, et non illuminatur, et ignis calefacit, sed non calefit.

Minor ostenditur. Est enim fons legalis sacerdotii, quia legalis sacerdos erat figura sacerdotii Christi; sacerdotes autem novæ legis ex persona Christi

operantur, juxta illud 2. Cor. 2. « Nam " et ego quod donavi, si quid donavi, " propter vos in persona Christi. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Posset dici negando maiorem et ad probationem quod oratio, etsi conveniat sacerdotibus, non tamen est eorum officio propria; cuilibet enim convenit, et pro se, et pro aliis orare, secundum illud Jac. ult. *Orate pro invicem, ut salvemini*: et sic posset dici quod oratio, qua Christus pro se oravit, non erat actus sacerdotii ejus.

*Reprobatio.*

Sed hæc responsio videtur excludi per hoc quod Apostolus ad Hebr. 5. Cum dixisset: « tu es sacerdos in æter- " num secundum ordinem Melchisedech, » subdit « qui in diebus carnis suæ pre- " ces, etc. » Et ita videtur quod oratio qua Christus oravit, ad ejus sacerdotium pertineat.

*Alia responsio.*

Et ideo aliter oportet dicere, exponendo conclusionem, ex differentia aliorum sacerdotum ad Christum. Alii enim sacerdotes effectum sacerdotii sui participant, non in quantum sacerdotes, sed in quantum peccatores, ut infra dicetur. Christus autem simpliciter loquendo, peccatum non habuit; habuit tamen similitudinem peccati in carne, ut dicitur Rom. 8. Et ideo non est simpliciter dicendum quod Christus effectum sui sacerdotii participaverit, sed secundum quid, scilicet secundum passibilitatem carnis. Unde signanter dicit Apostolus, *qui possit illum salvum facere á morte.* Probat igitur argumentum hoc solum quod Christus participaverit effectum sui sacerdotii, dum pro se oravit, non simpliciter, cum ipse peccator non fuerit, sed secundum quid, in quantum similitudinem peccati in carne habuit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod in oblatione sacrificii cujuscumque sacerdotis, duo possunt considerari. Primum est ipsum sacrificium oblatum, alterum est devotio offerentis. Proprius effectus sacerdotii est id quod sequitur ex ipso sacrificio. Christus autem consecutus est per suam passionem gloriam resurrectionis, non quasi ex vi sacrificii quod offertur per modum satisfactionis, sed ex ipsa devotione, qua secundum charitatem humiliter passionem sustinuit.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod figura non potest adæquare veritatem, unde sacerdos figuralis veteris legis non poterat ad hanc perfectionem pertingere, ut sacrificio satisfactorio non indigeret. Sed Christus non indiguit, unde non est similis ratio de utroque. Et hoc est quod Apostolus dicit, « lex homines constituit sacerdotes, " infirmitatem habentes; sermo autem " jurisjurandi, qui post legem est, fi- " lium in æternum perfectum. »

## ARTICULUS V.

*Utrum sacerdotium Christi permaneat in æternum.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod sacerdotium Christi non permaneat in æternum.

1. Infirmitas peccati quæ per sacerdotis sacrificium expiari possit, non erit in æternum. Ergo sacerdotium Christi non permanebit in æternum.

Antecedens prob., quia in sanctis nulla erit infirmitas, secundum illud Isa. 60. *Populus tuus omnes justi.* Peccatorum autem infirmitas inexpiabilis erit, quia in inferno nulla est redemptio.

Consequentia prob., quia ut dictum est art. præced. Illi soli indigent effectu sacerdotii qui habent infirmitatem peccati quæ per sacerdotis sacrificium expiari potest.

2. Passio, et mors Christi non erit in æternum. Ergo sacerdotium Christi non erit in æternum.

Anteced. prob., quia dicitur Rom. 9. *Christus resurgens á mortuis jam non moritur.*

Conseq. probat. Sacerdotium Christi

præcipue manifestatum est in ejus passione, et morte, quando *per proprium sanguinem introivit in sancta*, ut dicitur ad Heb. 9.

3. Christus quandoque non fuit homo, scilicet in triduo mortis. Ergo sacerdotium Christi non est in æternum.

Conseq. prob., quia Christus est sacerdos, non secundum quod Deus, sed secundum quod homo.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In Psal. 109. dicitur: *Tu es sacerdos in æternum.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* In officio sacerdotis duo possunt considerari. Primum est ipsa oblatio sacrificii. Alterum est ipsa sacrificii consummatio.

1.ª CONCLUSIO. Sacerdotium Christi non permanet in æternum quantum ad ipsam oblationem.

Hanc probat secundum argumentum pro negativa: ipsa enim oblatio facta fuit in passione, et morte Christi, quæ fuit temporalis, nec est amplius reiteranda, ut Apostolus loco cit. ad Rom. dicit.

2.ª CONCLUSIO. Sacerdotium Christi permanet in æternum, quantum ad consummationem.

Prob. Sacerdotium, cujus sacrificii finis non sunt bona temporalia, sed æterna, permanet in æternum, quantum ad consummationem. Sed finis sacrificii sacerdotii Christi non sunt bona temporalia, sed æterna, quæ per ejus mortem adipiscimur, secundum illud Hebr. 9. *Christus est assistens Pontifex futurorum bonorum.* Ergo sacerdotium Christi est æternum quantum ad consummationem.

Maior prob., quia consummatio sacrificii consistit in hoc quod illi, pro quibus sacrificium offertur, finem sacrificii consequuntur. Unde quando finis sacrificii sunt bona æterna, sacrificium erit æternum quantum ad consummationem.

Et confirmatur conclusio: quia hæc consummatio sacrificii Christi præfigurabatur in hoc ipso quod pontifex regalis semel in anno cum sanguine hirci et vituli intrabat in sancta sanctorum, ut dicitur Levit. 16. cum tamen hircum et vitulum non immolaret in sancta sanctorum, sed extra, per quod significabatur quod Christus in sanctą sanctorum, idest in ipsum cœlum intravit, et nobis viam intrandi paravit per virtutem sanguinis sui, quem pro nobis in terra effudit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod sancti, qui erunt in patria, non indigebunt ulterius expiari per sacrificium Christi: sed expiati indigebunt consummari per ipsum Christum, á quo gloria eorum dependet. Unde dicitur Apoc. 21. quod *claritas Dei illuminat illam*, scilicet civitatem sanctorum, et *lucerna ejus est agnus.*

Ad 2. Jam dictum est, quod probat primam conclusionem, et quantum potest tangere secundam, dicitur ad antecedens quod passio, et mors Christi non est in æternum, nec reiteratur; tamen virtus illius hostiæ semel oblatæ permanet in æternum, quia ut dicitur ad Hebr. 10. *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* Ex quo sequitur solum quod sacerdotium Christi non sit æternum, quantum ad ipsam oblationem, cum quo stat quod virtus sacerdotii sit æterna.

Ad 3. Similiter dicitur quod probat sacerdotium Christi non esse æternum, quantum ad actum oblationis sacrificii: hujusmodi enim actus finem habuit in morte Christi; virtus tamen oblati sacrificii in æternum permanet. Unitas autem oblationis figurabatur in lege per hoc quod semel in anno legalis pontifex cum solemni oblatione sanguinis intrabat in sancta, ut dicit Levit. 16. per hoc enim præfigurabatur unitas oblationis sacrificii Christi, quæ in ejus morte semel tantum facta est. Sed deficiebat

figura á veritate in hoc quod illa hostia non habebat sempiternam virtutem; et ideo annuatim reiterabatur.

## ARTICULUS VI.

*Utrum sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod sacerdotium Christi non fuerit secundum ordinem Melchisedech.

1. Sacerdotium ejus, qui est fons totius sacerdotii, tamquam principalis sacerdos, non est secundum ordinem Melchisedech. Sed Christus est fons totius sacerdotii tamquam principalis sacerdos, ut dictum est artic. 4. in corp. Ergo sacerdotium Christi non est secundum ordinem Melchisedech.

Maior probat., quia illud quod est principale, non sequitur ordinem alterius, sed alia sequuntur ad ordinem ipsius, unde sacerdotium Christi non debet dici secundum ordinem alterius sacerdotii, sed alia sacerdotia debent sequi ordinem sacerdotii Christi.

2. Sacerdotium veteris legis propinquius fuit sacerdotio Christi, quam sacerdotium Melchisedech, quod fuit ante legem. Ergo sacerdotium Christi magis debet denominari secundum sacerdotium legale, quam secundum sacerdotium Melchisedech.

Conseq. prob., quia sacramenta tanto expressius significabant Christum, quanto Christo fuerunt propinquiora, ut patet ex his quæ dicta sunt in 2. 2. qu. 2. art. 7.

3. Heb. 7. dicitur quod Melchisedech est «rex pacis, sine patre, sine «matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens;» quæ quidem conveniunt soli Filio Dei. Ergo Christus non debet dici sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, tamquam cujusdam alterius; sed secundum ordinem sui ipsius.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In Psal. 109. dicitur. «Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem «Melchisedech.»

*Determinatio.*

Conclusio. Sacerdotium Christi fuit secundum ordinem Melchisedech.

Prob. Sacerdotium Melchisedech præfiguravit excellentiam sacerdotii Christi supra sacerdotium leviticum seu legale. Ergo sacerdotium Christi fuit secundum ordinem Melchisedech.

Antecedens declaratur primo, deinde probatur. Legale enim sacerdotium fuit figura sacerdotii Christi, non quidem quasi adæquans veritatem, sed multum ab ea deficiens: tum quia sacerdotium legale non mundabat peccata; tum quia non erat æternum, sicut sacerdotium Christi, et hæc excellentia sacerdotii Christi supra legale sacerdotium præfigurata fuit in sacerdotio Melchisedech. Et hoc quia Melchisedech decimas sumpsit ab Abraham, in cujus lumbis decimatus est quodammodo legalis sacerdos. Dicitur ergo Christi sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quia hoc sacerdotium præfiguravit excellentiam sacerdotii Christi supra legale sacerdotium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod hoc argumentum probat quod sacerdotium Christi non sit secundum ordinem sacerdotii Melchisedech tamquam alicujus magis principalis, quod verum est; cum quo stat quod sit secundum ordinem Melchisedech, tamquam præfigurantis excellentiam sacrificii Christi ad sacerdotium leviticum.

Ad 2. Neg. consequentia. Ad prob. dicitur, quod in sacerdotio Christi duo possunt considerari, scilicet ipsa oblatio Christi, et participatio ejus. Quantum ad ipsam oblationem, expressius figurabat sacerdotium Christi sacerdotium legale per sanguinis effusionem, quam sacerdotium Melchisedech, in quo sanguis non effundebatur. Sed quantum ad participationem hujus sacrificii, et ejus effectum (in quo præcipue attenditur ex-

cellentia sacerdotii Christi ad sacerdotium legale) expressius figurabatur per sacerdotium Melchisedech, qui offerebat panem, et vinum *significantia*, ut Aug. dicit, *ecclesiasticam unitatem, quam constituit participatio sacrificii Christi*. Unde etiam in nova lege verum Christi sacrificium communicatur fidelibus sub specie panis et vini.

Ad 3. Dicitur ad sententiam Apostoli, quod Melchisedech dictus est *sine patre, et sine matre, et sine genealogia, et quod non habet initium dierum, neque finem*, non quia ista non habuerit, sed quia in Scriptura sacra ista de eo non leguntur, et per hoc ipsum, ut Apostolus ibidem dicit, assimilatus est Filio Dei, qui in terris est sine patre, et in cœlis sine matre, et sine genealogia, secundum illud Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit*? Et secundum divinitatem neque principium, neque finem habens dierum.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 22.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Concilio insinuatum, quod Christus est sacerdos. A scripturis quidem Hebr. 4. *habemus*, etc. ut *in arg. cont.*. Ubi nota, quod quantum ad nomen antiquitus non differebant episcopus, seu pontifex, et sacerdos, et ideo Divus Thomas pro suo intento adducit Apostolum utentem nomine pontificis. Ac si per hoc dicat. Hic accipitur ab Apostolo ly *pontificem* pro ly *sacerdotem*. Dixi quantum ad nomen ad differentiam rei, quoniam quantum ad rem differebant etiam antiquitus tempore Apostolorum. De quo vide 2. 2. quæst. 184. art. 6. cum Elucid. contra errores aliquorum, et Addition. articulorum num. 94. cum Elucid. Et veritates aureas super legem veterem, Levit. 8. concl. 1. Concluderet tamen adhuc sanctus Doctor intentum suum præsens per auctoritatem illam, etiamsi ibi sumeretur pontifex, prout distinguitur á sacerdote. Non enim distinguitur ab illo, tamquam penitus disparatum, sed tamquam majus á minori contento in ipso majori. Unde ex eo, quod Christus est pontifex, sequitur necessario, quod sit sacerdos, quoniam, licet sacerdos præcise non sit pontifex, idest, summus sacerdos, tamen summus sacerdos necessario est sacerdos. A Concilio autem *Tridentino* insinuatur intentum prædictum dicente sessione 22. c 1. " Quoniam sub priori testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Concilio insinuatum, quod Christus est sacerdos simul, et hostia. A scripturis quidem, ut Eph. 5. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi nota, quod Christus, in quantum tradidit, est sacerdos, in quantum autem ipse est, quem tradidit, est hostia: ita, quod per ly *tradidit semetipsum*, significavit Apostolus utrumque. Item pro captu pleno de ly *hostiam* recole Philosophum dicentem, simpliciter dico, quod nullo addito, dico. Sic enim fiet, quod per ly *hostiam* intelligas hostiam simpliciter, idest non hanc, vel illam solum, sed omnem hostiam, scilicet pro peccato, pacificam, holocaustum. Id, quod et denotavit idem Apost. quando dixit Hebr. 9. " Christus oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: » Et iterum ibid. " quanto magis sanguis

Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?» Et cap. 10. "Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.» *Prima* enim auctoritate monstrat, Christum esse hostiam pro peccato: *Secunda* vero per ly *ad serviendum Deo viventi*, esse hostiam pacificam. *Tertia* autem per ly *consummavit in sempiternum*, esse holocaustum. Item idipsum insinuavit ibi c. 9. "semel in consummatione sæculorum per hostiam suam apparuit.» Hoc est. Per hostiam, quæ est ipsemet. Ita quod ly *suam facit* non sensum transitivum, sicut quando antiqui sacerdotes dicebantur offerre hostias suas, idest, alias á se: sed facit sensum intransitivum, sicut Jo. 2. *Ille dicebat de templo corporis sui*, idest, de templo, quod est corpus suum. A Conc. item *Trid.* idipsum insinuatur sess. 22. cap. 1. "Deus, et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat: in cæna novissima, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile (sicut hominum natura exigit) relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem, quæ á nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini obtulit.» Et cap. 2. "Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ concedens crimina, et peccata, etiam ingentia, dimittit. Una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit: sola offerendi ratione diversa.» Vide art. 1. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et Ecclesia, quod effectus sacerdotii Christi est expiatio peccatorum. A scripturis quidem, ut Hebr. 9. *sanguis*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Ab Ecclesia vero per hoc, quod dicit in Hymn. Pasch.

*O vera cæli victima:*
*Subjecta cui sunt tartara,*
*Soluta mortis vincula,*
*Recepta vitæ præmia.*

Patet enim, quod hæc omnia singillatim includunt, directe, vel indirecte supponunt, expiationem factam per illam hostiam. Neque enim tartara fregisset, neque plebem captivatam redemisset, neque præmia vitæ illa hostia per sacerdotem Christum crucifixum immolata reddidisset, nisi peccata, quibus et tartareæ portæ firmabantur, et plebs captiva tenebatur, et præmia vitæ impediebantur, efficaciter delevisset. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Concilio insinuatum, quod effectus sacerdotii Christi non ad ipsum, sed ad nos pervenit. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Hebr. 7. "Hic autem eo, quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum.» Connexio enim istarum sententiarum importata per ly *unde* demonstrat intentum. Ex eo namque, quod Christus habet sacerdotium, infertur ibi, quod ipse salvare potest. Non dicit, salvari: ne crederes, quod ipse per sacerdotium illud, idest, (hoc demum in idem redit) quod per hostiam á semetipso sacerdote oblatam, salvaretur; sed dicit ly *salvare*, ut hinc agnosceres, quod effectus talis sacerdotii perveniret ad alios. Adeo, quod non tantum affirmativam hanc, sed etiam negativam illam inibi inclusit Apostolus, quam quoque negativam magis explicare voluit, ut consideranti patet per ly *accedens per semetipsum ad Deum*. A Concilio autem *Ephesino* 1. insinuatur idem cap. 10. Qui dicit: "Pontificem nostrum Christum per se etiam obtulisse semetipsum oblationem, et non pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit) anathema

sit. » Ubi Cyrillus á 6. Synodo. Can. 2. approbatus pro declaratione inquit: " Pontificem confessionis nostræ pro seipso semetipsum Deo, et Patri obtulisse, omnino á recta est, et inculpata fide alienum. Peccatum enim non fecit: qui vero superior est omni delicto, et prorsus expers peccati, oblatione pro se nulla opus habuit. » Hæc ille. Quibus omnibus concordat symbolum Patrum dicens: *Crucifixum etiam pro nobis*, scilicet ad differentiam suiipsius. Ubi super ly *pro nobis* nota (hoc faciet quoque ad conclusionis articuli declarationem,) quod Christus in cruce obtulit semetipsum et pro his, qui jam de facto etiam ab origine mundi peccaverant, et pro his, qui de facto peccaturi erant, et pro his, qui peccare poterant, licet numquam per ipsius gratiam actu peccaturi essent, ut de B. Virgine creditur. Ab oppositis ergo patet, quod, quando Concilium *Ephesinum*, et Cyrillus dixerunt, Christum ideo non obtulisse sacrificium pro semetipso, quia peccatum omnino nescivit; tunc voluerunt dicere, quod Christus non solum de facto, sed etiam de potentia, numquam peccavit: hoc est, quod ipse suapte natura impeccabilis fuit, idest, peccare non potuit. Quod utique ipsi soli, nullique alteri hominum convenit. Effectus igitur sacerdotii Christi solum ad homines quocumque modo peccando peccatores se extendit. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod sacerdotium Christi manet in æternum. Ut Ps. 109. *Tu es sacerdos in æternum*. Item Hebr. 7. " Alii quidem plures facti sunt sacerdotes secundum legem, idcirco, quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo, quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. » Item per illud, quod legitur Num. 28. " Agnos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum. » Per hos enim agnos figurabatur unus verus agnus, scilicet, Christus, qui duas in se immaculatas habet naturas, et offerebantur in holocaustum sempiternum, ut figuraretur sacrificium Christi sempiternum, et inexhauribilem habere virtutem, quod est sacerdotium ejus manere in æternum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim eorum, qui á B. Aug. in lib. de hæresibus vocantur *Melchisedechiani*, dicentium, quod Melchisedech sacerdos non fuit purus homo, sed Christus, aut Spiritus Sanctus. Per hoc enim, quod articulus præsens demonstrat, ipsum Melchisedech fuisse figuram excellentiæ sacerdotii Christi, relinquit apertum, quod ipse fuit alius homo differens à Christo, tamquam figura á figurato, et per hoc, quod ipsum dicit fuisse sacerdotem Dei (alioquin ejus sacerdotium, si non fuisset Dei sacerdos, non præfigurasset sacerdotium Christi,) relinquit manifestum, quod Melchisedech non fuit Spiritus Sanctus, quoniam Spiritus Sanctus non est sacerdos Dei, cum de illo non verificetur definitio sacerdotis data ab Apostolo sub nomine pontificis. Hebr. 5 *omnis namque pontifex*, etc. Per hæc igitur prædicta patet, quod articulus iste oppugnat, et expugnat illam hæresim pro utraque parte. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari ab Apostolo Hebr. 7. " hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, benedixit Abrahæ, assimilatus Filio Dei, » manifestat, quod Melchisedech non fuit Christus, qui est Filius Dei, et per ly *rex Salem* manifestat, quod Melchisedech non est Spiritus Sanctus. Nam Spiritus Sanctus non est solum rex Salem, urbis Sichimorum, Gen. 33. ut dividitur contra alias civitates, puta civitatem Sodomorum, cujus rex narratur etiam ibi, quod egressus fuit in occursum Abrahæ: neque Spiritus Sanctus regnat modo regum temporalium, quo quidem modo regnabat Melchisedech. Item per ly *sacerdos Dei summi* monstratur idem, scilicet, quod ipse non sit Spiritus Sanctus, ut patet ex supradictis. Item per ly *benedixit Abrahæ* declaratur idem, quod nunc. In libro enim Genesis, de quo factum illud sumpsit præallegatus Apostolus, explicando illam benedictionem, dicitur c. 14. " Benedixitque ei, et ait: benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum, et terram, et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. » Cum enim Spiritus Sanctus sit Deus, et non sit incarnatus, non potest secundum se Deo, tam-

quam excelsiori seipso, reddere gratias pro victoria Abrahæ, quod tamen Melchisedech ipsum fecisse, sicut et panem cum vino ad eumdem finem Deo obtulisse, narrat scriptura. Item per eamdem articuli hujus rationem potes ostendere, illam hæresim merito condemnari á veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 15. concl. 6. In quo etiam capitulo pro meliori captu eorum, quæ in præsenti art. de Melchisedech dicta sunt, vide easdem veritates aureas concl. 3. 4. 5. 7. Cæterum non obstare præmisis D. Augustinum noveris in lib. qui prætitulatur *de quæstionibus novi, et veteris testamenti*, alioquin sibimetipsi *in lib. de hæresibus* loquenti obstaret. Licet ergo in *lib. de quæstionibus illis, quæst.* 109. dicat: Melchisedech non fuisse purum hominem, sed quamdam Dei virtutem, scilicet, Spiritum Sanctum, idque nonnullis (quamvis seipso indignis, utpote invalidis) argumentis probet, tamen firmiter de Augustino ipso tenendum est, quod habuerit illam positionem pro hæresi: sicut et B. Thom. super Ep. ad Heb. 7. illam pro tali habet, addens, quod hoc dogma, tamquam hæreticum, ab Ecclesia condemnatum est. Dicendum igitur erit, quod aut liber de quæstionibus novi, et veteris testamenti non est revera D. Aug. aut quod ipse ibi recitative loquitur de illa positione cum ejus insipidis argumentis, aut quod ab aliquo impostore, ut vel sic Augustinum, quoad hanc opinionem suum facere posset, illud de prædicta positione libro eidem furtim adjectum est. *Tertio* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO VIGESIMA TERTIA,

DE ADOPTIONE CHRISTI IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est, an adoptio Christo conveniat.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Deo conveniat adoptare filios.

Secundo, utrum hoc conveniat soli Deo Patri.

Tertio, utrum sit proprium hominum adoptari in filios Dei.

Quarto, utrum Christus possit dici filius adoptivus.

### ARTICULUS I.

*Utrum Deo conveniat filios adoptare.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Deo non conveniat filios adoptare.

1. Ei á quo nulla persona est extranea, non convenit filios adoptare. Sed á Deo nulla persona est extranea. Ergo Deo non convenit filios adoptare.

Maior prob. quia nullus adoptat nisi extraneam personam in filium, secundum quod juristæ dicunt.

Minor prob., quia Deus est omnium creator.

2. Ei in quo est naturalis filiatio, non convenit adoptare. Sed in Deo invenitur naturalis filiatio, ut dictum est 1. par. quæst. 33. artic. 3. Ergo Deo non convenit adoptare.

Maior prob., quia adoptio videtur esse introducta in defectum filiationis naturalis.

3. Ei in cujus hæreditate nullus potest succedere, non convenit adoptare. Sed in Dei hæreditate nullus videtur posse succedere. Ergo Deo non convenit adoptare.

Maior prob., quia ad hoc aliquis adoptatur, ut in hæreditate adoptantis succedat.

Minor prob., quia ipse Deus numquam decedit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad Ephes. 1. Dicitur; *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Sed præ-

destinatio non est irrita. Ergo Deus sibi aliquos adoptat in filios.

*Determinatio.*

Conclusio. Deo convenit homines adoptare.

Probatur et declaratur. Probatur inquam hac ratione. Ei qui ex sua bonitate admittit homines ad participationem suæ hæreditatis, convenit homines adoptat. Sed Deus ex sua bonitate admittit homines ad participationem suæ hæreditatis. Ergo Deo convenit homines adoptare.

Maior prob., quia aliquis homo ex hoc adoptat alium sibi in filium, in quantum ex sua bonitate admittit eum ad participationem suæ hæreditatis.

Minor manifestatur: Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinem divinæ fruitionis. Ergo Deus ex sua bonitate admittit homines ad participationem suæ hæreditatis.

Anteced. prob., quia Deus est bonitatis infinitæ, ex qua contingit quod ad participationem bonorum suorum Deus suas creaturas admittat secundum eorum capacitatem; et quia creaturæ rationales sunt capaces beatitudinis divinæ, in quantum sunt factæ ad Dei imaginem, ideo creaturas rationales ad participationem beatitudinis divinæ ex sua bonitate admittit.

Consequentia autem probatur. Quia divina beatitudo est Dei hæreditas, et hoc ostenditur: nam divina beatitudo consistit in fruitione Dei, per quam etiam fruitionem ipse Deus beatus est, et per seipsum dives, in quantum scilicet seipso fruitur. Et quia hæreditas est, qua aliquis est dives, hæreditas Dei erit divina beatitudo. Unde dum homines admittit ad participationem suæ beatitudinis, admittit eos ad suam hæreditatem, et per hoc homines adoptare dicitur.

Declaratur autem conclusio ex differentia, quæ est inter adoptionem divinam et humanam. Hoc enim plus habet adoptio divina, quam humana, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hæreditatem cœlestem percipiendam. Homo autem non facit idoneum eum quem adoptat, sed potius eum jam idoneum eligit adoptando.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod homo in sua natura consideratus non est extraneus á Deo quantum ad bona naturalia, quæ recipit. Est tamen extraneus quantum ad bona gratiæ et gloriæ, et secundum hoc adoptatur.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod operari ad supplendam propriam indigentiam est quidem hominis, non autem Dei cui convenit operari ad communicandam suæ perfectionis abundantiam. Et ideo sicut per actum creationis communicatur bonitas divina omnibus creaturis secundum quamdam similitudinem; ita per actum adoptionis communicatur similitudo naturalis filiationis hominibus, secundum illud Rom. 8. *Quos præscivit conformes fieri imaginis filii sui.* Adoptat igitur Deus homines, non propter defectum naturalis filiationis, sed ad communicandam suam perfectionem, et similitudinem naturalis filiationis.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod ex hoc quod Deus non decedit, non sequitur quod homines non possint in ejus hæreditate succedere: nam bona spiritualia, in quibus Dei hæreditas consistit, possunt simul á pluribus possideri, non autem bona corporalia, in quibus consistit hæreditas humana. Et ideo hæreditatem corporalem nullus potest percipere, nisi succedens decedenti: hæreditatem autem spiritualem, simul omnes ex integro accipiunt sine detrimento Patris semper viventis

Posset tamen secundo dici ad probationem ejusdem minoris negando assumptum: Deus enim decedit, secundum quod est in nobis per fidem, et incipiet in nobis esse per speciem, sicut Glos. ordin.

dicit super illud Rom. 8. *Si filii et hæredes.*

## ARTICULUS II.

*Utrum adoptare conveniat toti Trinitati.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod adoptare non conveniat toti Trinitati.

1. Ille cui convenit adoptare, potest filios generare. Sed toti Trinitati non convenit generare, sed soli Patri. Ergo toti Trinitati non convenit adoptare.

Maior prob., quia in humanis soli illi convenit adoptare cui convenit filios generare.

2. Per adoptionem efficiuntur homines fratres Christi, secundum illud Rom. 8. «ut sit ipse primogenitus in multis «fratribus.» Ergo solus Pater Christi habet filios adoptivos.

Conseq. prob., quia fratres dicuntur, qui sunt filii unius patris; unde et Dominus dicit Joan. 20. «Ascendo ad Pa«trem vestrum.»

3. Ejus tantum est adoptare, cujus est Filium, et Spiritum Sanctum habere. Sed solius Patris est Filium, et Spiritum Sanctum habere. Ergo solius Patris est adoptare.

Maior prob., quia ad Gal. 4. dicitur: «Misit Deus Filium suum, ut adoptio«nem filiorum Dei reciperemus: quo«niam autem estis filii Dei, misit Deus «spiritum Filii sui in corda vestra cla«mantem, Abba, Pater.»

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ejus, quem nos patrem possumus nominare, est nos in filios adoptare. Sed totam Trinitatem possumus Patrem nominare. Ergo totius Trinitatis est nos in filios adoptare.

Maior probatur, quia Rom. 8. dicitur. «Accepistis Spiritum adoptionis fi«liorum, in quo clamamus, Abba, Pater.»

Minor prob., quia cum dicimus: *Pater noster*, hoc pertinet ad totam Trinitatem, sicut et cætera nomina quæ dicuntur de Deo relative ad creaturam, ut dictum est 1. par. q. 39. art. 7.

*Determinatio.*

Conclusio. Adoptare homines in filios Dei convenit toti Trinitati.

Prob. Facere quemcumque effectum in creaturis, est commune toti Trinitati. Sed adoptare est facere aliquem effectum in creatura, scilicet facere homines filios Dei. Ergo adoptare convenit toti Trinitati.

Maior prob. Ubi est una natura, oportet quod sit una virtus, et una operatio. Sed in tota Trininitate est tantum una natura. Ergo in Trinitate est una virtus et una operatio: unde Dominus dicit Joan. 5. *quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit.*

Minor manifestatur ex differentia, quæ est inter filium Dei adoptivum, et naturalem, quod filius Dei naturalis est genitus, non factus, filius autem adoptivus est factus, secundum illud Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Dicitur tamen quandoque filius adoptivus esse genitus, propter spiritualem generationem, quæ est gratuita, non naturalis: unde dicitur Jac. 1. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Adoptare igitur est facere Filios Dei. Et ex hoc confirmatur etiam maior; nam generare est proprium Patris, facere autem est commune toti Trinitati.

Aliter formatur ratio ad conclusionem.

Facere homines Dei filios, est commune toti Trinitati. Sed per Dei adoptionem fiunt homines filii Dei. Ergo adoptare convenit toti Trinitati.

Maior prob. ex differentia, quæ est inter generare in divinis, et facere. Generare enim in divinis est proprium personæ Patris; facere autem quemcumque effectum in creatura est commune toti Trinitati, propter unitatem naturæ et virtutis. Unde Dominus dicit quod omnia, quæ Pater facit, facit et Filius.

Minor prob. ex differentia, quæ est inter filium Dei adoptivum et naturalem. Hic enim dicitur genitus, ille ve-

ro factus, et non genitus, nisi propter spiritualem generationem, quæ non est naturalis. Et ideo naturalis filius est á solo Patre genitus: filius autem á tota Trinitate est factus Dei Filius.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior: non enim est universaliter vera, et maxime in proposito est falsa; potest enim Trinitas adoptare, quæ tamen non generat. Ad prob. dicitur quod non est eadem ratio de adoptione humana et divina. Personæ enim humanæ non sunt omnes unius naturæ secundum numerum, ut oporteat unam omnium esse operationem tantum, et unum effectum, sicut accidit in divinis. Et ideo quantum ad hoc non potuit attendi similitudo utrobique.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod nos per adoptionem efficimur fratres Christi, quasi eumdem patrem habentes cum ipso, qui tamen alio modo est Pater Christi, et alio modo est Pater noster: unde signanter Dominus Joan. 20. seorsum dicit *Patrem meum* et seorsum *Patrem vestrum*. Est enim Pater Christi naturaliter generando, quod est proprium sibi; est autem Pater noster voluntarie aliquid faciendo, quod est commune sibi et Filio, et Spiritui Sancto. Et ideo Christus non est filius totius Trinitatis, sicut nos.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem, quod sicut dictum est art. præced. filiatio adoptiva est quædam similitudo æternæ filiationis, sicut omnia quæ in tempore facta sunt, similitudines quædam sunt eorum, quæ ab æterno fuerunt. Assimilatur autem homo splendori æterni filii, per gratiæ claritatem, quæ attribuitur Spiritui Sancto. Et ideo adoptio, licet sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri ut actori, Filio ut exemplari, et Spiritui Sancto ut imprimenti in nobis similitudinem hujus exemplaris.

## ARTICULUS III.

*Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturæ.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod adoptari non sit proprium rationalis creaturæ.

1. Deus dicitur pater etiam creaturæ irrationalis, secundum illud Job. 38. *Quis est pluviæ pater, et stillas roris quis genuit?* Ergo adoptari non est proprium creaturæ rationalis, sed convenit etiam creaturæ irrationali.

Conseq. prob., quia Deus non dicitur pater creaturæ rationalis, nisi per adoptionem, ac per hoc eodem modo dicetur pater pluviæ.

2. Angeli in sacra scriptura dicuntur filii Dei, secundum illud Job. 1. *Quadam autem die cum assisterent filii Dei coram domino.* Ergo non est proprium creaturæ rationalis adoptari, sed convenit etiam creaturæ intellectuali.

Conseq. prob. Angeli non dicuntur filii Dei, nisi per adoptionem.

3. Illud quod est proprium alicui naturæ convenit omnibus habentibus naturam illam, sicut esse risibile quod est homini proprium, convenit omnibus hominibus. Sed adoptari non convenit omnibus habentibus rationalem naturam. Ergo adoptari non est proprium rationali naturæ.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Hæreditas Dei convenit soli creaturæ rationali. Sed filii adoptati sunt hæredes Dei, ut patet Rom. 8. Ergo adoptari est proprium creaturæ rationali.

*Determinatio.*

Conclusio. Adoptari convenit soli creaturæ rationali, non tamen omni, sed solum habenti charitatem.

Prob. Sola creatura rationalis habens charitatem assimilatur Verbo Dei æterno assimilatione perficiente rationem adoptionis. Ergo soli creaturæ rationali habenti charitatem convenit adoptari.

Antecedens declaratur et probatur.

Sciendum est enim quod filiatio adoptionis est quædam similitudo filiationis naturalis, ut dictum est art. præced. ad 3. Filius autem Dei naturaliter procedit á Patre, ut Verbum intellectuale, unum cum Patre existens Et secundum hæc tria, tripliciter potest aliquid Verbo Dei assimilari. Primo modo secundum rationem formæ, non autem secundum intellectualitatem ipsius; sicut forma domus exterius constitutæ assimilatur Verbo mentali artificis, secundum speciem formæ, non autem secundum intelligibilitatem, quia forma domus in materia non est intelligibilis, nec habet esse intelligibile, sicut erat in mente artificis. Et hoc modo Verbo æterno assimilatur quælibet creatura, cum quælibet creatura sit facta per Dei Verbum: secundo modo assimilatur creatura Verbo, non solum quantum ad rationem formæ, sed etiam quantum ad intellectualitatem ipsius, sicut scientia, quæ fit in mente discipuli, assimilatur verbo, quod est in mente magistri; habet enim scientia in mente discipuli esse intellectuale et intelligibile, sicut verbum quod est in mente magistri. Et hoc modo creatura rationalis, etiam secundum suam naturam, assimilatur Verbo Dei. Tertio modo assimilatur creatura Verbo Dei æterno secundum unitatem, quam habet ad Patrem, quod quidem fit per gratiam et charitatem. Unde Dominus orat Joan. 17. *Sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.* Et hæc est assimilatio quæ perficit rationem adoptionis, quia sic assimilatis debetur hæreditas æterna. Ex quibus omnibus remanet declaratum, et probatum antecedens; declaratum, inquam, quantum ad illa verba: assimilatione perficiente rationem adoptionis; hæc enim assimilatio ad Verbum, non est solum in ratione formæ, nec solum in ratione intellectualitatis, sed in ratione unitatis cum Patre, quæ fit per charitatem. Probatum vero, quia creatura irrationalis assimilatur Verbo Dei, solum in ratione formæ; rationalis vero sine charitate assimilatur Verbo ratione intellectualitatis. Unde sola creatura rationalis habens charitatem assimilatur Verbo Dei assimilatione perficiente rationem adoptionis.

Consequentia etiam ex dictis remanet probata. Ex hoc enim quod sola creatura rationalis habens charitatem est similis Verbo Dei assimilatione perficiente rationem adoptionis, sequitur quod sola creatura rationalis possit adoptari. Quia filiatio adoptionis est quædam similitudo filiationis naturalis, ut dictum est.

Et confirmatur ultima conclusionis pars, scilicet quod sola creatura rationalis habens charitatem adoptetur, quia Spiritus Sanctus (per quem diffunditur charitas in cordibus nostris,) dicitur *spiritus adoptionis filiorum.* Rom. 8.

### AD ARGUMENTA.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probat. quod Deus dicitur pater creaturæ irrationalis, non proprie per adoptionem, sed per creationem, secundum primam participationem similitudinis, de qua in corp. dictum est.

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod Angeli dicuntur filii Dei filiatione adoptionis, non quia ipsis primo filiatio adoptiva conveniat; sed quia ipsi primo receperunt adoptionem filiorum, et hæreditatem Dei.

Ad 3. Dicitur quod aliquid potest dici proprium naturæ dupliciter: uno modo ut consequatur naturam; alio modo ut consequatur aliquid, cujus natura est capax. Quod est proprium primo modo convenit omnibus habentibus naturam, ut de risibilitate dictum est; quod est proprium vero secundo modo, non invenitur nisi in his, in quibus est id, cujus natura est capax. Ad minorem subsumendam dicitur, quod adoptio non est

proprium consequens naturam, sed gratiam, cujus natura rationalis est capax, et ideo, etc.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei adoptivus.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei adoptivus.

1. Dicit Hilarius libr. 2. de Trin. de Christo loquens; « potestatis dignitas « non amittitur, dum carnis humilitas « adoptatur. » Ergo Christus, secundum quod homo, est filius Dei adoptivus.

2. Alii homines sunt christiani per gratiam adoptionis. Ergo et ille homo est Christus per adoptionem, ac per hoc videtur esse filius adoptivus.

Conseq. prob., quia August. dicit in lib. de prædest. SS. cap. 15. quod « ea « gratia fit ab initio fidei homo qui- « cumque christianus, qua gratia homo « ille ab initio suo factus est Christus. »

3. Christus secundum quod homo est servus. Ergo multo magis Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus.

Conseq. prob., quia dignius est esse filium adoptivum, quam servum.

### PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Filius verus, et naturalis Dei, non debet dici filius adoptivus. Sed Christus est verus, et naturalis Dei filius, secundum illud 1. Joan. ult. *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo.* Ergo Christus secundum quod homo, non est filius Dei adoptivus.

Maior prob., quia Ambr. dicit in lib. de incarnatione capit. 8. « Adopti- « vum filium non dicimus filium esse na- « tura; sed eum dicimus natura esse fi- « lium, qui verus est filius. »

*Determinatio.*

Conclusio. Christus nullo modo potest dici filius adoptivus.

Prob. Filius Dei naturalis, non debet dici filius adoptivus. Sed Christus est filius Dei naturalis. Ergo Christus nullo modo debet dici filius adoptivus.

Maior prob., quia filiatio adoptiva est participata similitudo filiationis naturalis, ut dictum est art. præced. illud autem quod per se dicitur tale, non debet dici tale per participationem.

In forma. Illud quod est per se tale, non debet dici tale per participationem. Sed filius naturalis est per se talis, filius autem adoptivus est filius per participationem. Ergo filius naturalis non debet dici filius per participationem.

Minor prob. In Christo est tantum hypostasis, seu persona divina, cui convenit esse filium Dei per naturam. Ergo Christus est filius Dei per naturam.

Conseq. prob., quia filiatio proprie convenit hypostasi, vel personæ, et non naturæ; unde in 1. par. q. 33. art. 2. et 3. dictum est quod filiatio est proprietas personalis.

Et manifestatur magis hæc ratio ex opposito. Nam secundum illos qui ponunt in Christo duas personas, seu duo supposita, nihil prohiberet Christum dici filium adoptivum ratione personæ humanæ. Cum igitur secundum veritatem in Christo sit tantum persona Verbi, cui convenit filiatio naturalis, nullo modo filius adoptivus dici poterit.

### AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quæ est Amb. sententia, quod sicut filiatio non proprie convenit naturæ, ita nec adoptio. Et ideo cum dicit Ambr. quod carnis humilitas adoptatur, impropria est locutio; et accipitur ibi adoptatio pro unione humanæ naturæ ad personam Filii.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod similitudo illa Augustini est intelligenda quantum ad principium, quia scilicet, sicut sine meritis quilibet homo habet, ut sit christianus, ita iste homo sine meritis habuit, ut esset Christus; est tamen differentia quantum ad

terminum, quia scilicet Christus per gratiam unionis est filius naturalis. Alius autem per gratiam habitualem est filius adoptivus. Gratia autem habitualis in Christo non facit de non filio filium, sed est quidam effectus filiationis naturalis in anima Christi, secundum illud Joan. 1. «Vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti á Patre, plenum gratiæ, et veritatis.»

Ad 3. Negatur consequentia: non enim est eadem ratio de hoc quod aliquis dicitur servus, vel subjectus, et de filiatione. Servitus enim et subjectio potest dici etiam de natura, et quia in Christo est natura humana, ideo ratione humanæ naturæ potest dici servus, et subjectus; filiatio autem dicitur tantum de persona, quæ quia in Christo est sola divina, ideo non potest dici filius adoptivus, sed solum naturalis.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 23.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod convenit Deo adoptare in filios. Ut Eph. 1. *prædestinavit*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Rom. 8. *Deus, qui justificat*, et consequenter Deus nullum justificaret, idest, nulli gratiam justificantem daret, contra illud Ps. 83. *gratiam dabit Dominus*: nisi Deo conveniret adoptare in filios. Nam, quod tunc tolleretur justificatio, patet per Concilium *Tridentinum*, sess. 6. c. 4. dicens. "Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum." In idem ergo redit dicere cum Apostolo ly *Deus justificat*, et cum Davide ly *gratiam dabit Dominus*, quod est dicere, Deus adoptat, et adoptabit in filios. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis, et Concilio insinuatum, quod adoptare convenit toti Trinitati. A scripturis quidem, ut Rom. 8. *Accepistis spiritum*, etc ut cum discursu, et applicatione ponitur *in arg. cont.* A Concilio autem *Toletano* 6. per hoc, quod universaliter de operibus Dei ad extra loquens dicit Can. 1. *Inseparabilia sunt opera Trinitatis.* Et, quare sint inseparabilia, ostenditur ex Concilio, *Tolet.* 11. dicente Canon. 1. "Cum relative tres personæ dicantur: una tamen substantia creditur. Hæc ergo sancta Trinitas, quæ unus, et verus est Deus, nec recedit á numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur: in divinitatis vero substantia, quod enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod in se sunt. Nam ita sanctæ huic Trinitati unum naturale convenit nomen: ut tribus personis non possit esse plurale." Ex quibus vides, unam solam naturam numero tribus personis assignari, et ideo unam solam virtutem numero, et operationem. Hoc ergo idem est, ac si Concilium hoc Tolet. 11. rationem dicti á sexto exprimeret dicendo. Ideo inseparabilia sunt opera Trinitatis ad extra: quia Trinitatis una solum est natura numero, una virtus, et operatio: nec numerus ibi, nisi in mutua relatione personarum, cernitur. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Aug. quod adoptari est proprium creaturæ rationalis. A scripturis quidem, ut per hoc, quod de filiis adoptatis dicitur Rom. 8. *Si filii, et hæredes*, scilicet, hæreditatis Dei: ut ibi mox habetur. *Sed talis hæreditas convenit soli*, etc.

ut *in arg. cont.* Quod vero talis hæreditas, ut quæ consistat in visione divina, conveniat soli rationali creaturæ, ut dicitur ibid. præsupponitur clarum ex dictis, 1. q. 12. ar. 1. 3. 4. 5. et 1. 2. q. 3. ar. 3. 8. Vide tu ibi. A D. August. autem idipsum insinuatur per hoc, quod in lib. de prædestinatione sanct. dicit: " Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem, gratiæ est fidelium. » Ad differentiam enim aliarum naturarum, angelica dempta, loquitur sic, ut patet videnti illum, et adoptari in potentia, idest, adoptabilem esse, est posse habere fidem cum charitate; adoptari autem in actu idest adoptatum esse, est habere fidem cum charitate, ut patet in textu cor. et ex hoc, quod charitas viæ non potest reperiri sine fide, 2. 2. q. 23. ar. 7. Ergo dicere, quod posse habere fidem, et charitatem est naturæ hominum, habere autem utramque gratiæ est fidelium, idem est, ac si diceretur: posse in Filium Dei adoptari est propium hominibus, ut homines sunt, actualiter autem adoptari est propium hominibus per gratiam Dei justificatis, idest, fidem simul cum charitate habentibus. Pone modo, quod D. Augustinus sub ly *hominum* intelligat et Angelorum; quoniam utrique in hoc sunt similes, utpote ambo naturam intellectualem habentes; tunc illum dixisse posuisti, quod adoptari posse est proprium naturæ intellectuali, ut natura talis est, actualiter vero adoptari est proprium naturæ intellectuali, ut fidelis est, idest, ut fidem charitate formatam habet. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Arrianorum*, *Nestorii*, *Felicis cujusdam*, *Bonosiacorum*, seu, *Donosiacorum* dicentium: quod Christus est adoptione Filius, seu quod est Filius Dei adoptivus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari ex dictis supra, artic. num. 107. 108. 42. 113. cum Elucid. Item a. 1. Joan. ult. *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo: hic est verus Deus.* Item ex supradictis art. num 8. 9. 12. 28. 29. cum Elucid. Item á B. Ambrosio, secundum quod est *in arg. cont.* Item à Concil. *Lateranensi* sub *Martino* 1. canon. 6 " Si quis non confitetur, proprie, et vere ex duabus naturis, deitate, et humanitate secundum subsistentiam unitis inconfuse, et indivise, eumdem, et unum Christum esse, sit condemnatus. » Et canon. 8. " Si quis non confitetur, proprie, et vere secundum compositionem, idest, secundum subsistentiam naturarum unitarum inconfuse, et indivise, ex quibus unus, et solus extitit Christus: sit condemnatus. » Per hoc enim quod istud concilium unam tantum personam in Christo ponit, monstrat implicite, tamquam in fundamento: quod Christus, etiam ut homo, non potest dici filius adoptivus. Vide illa, quæ dicuntur ad *tertium* circa fin. *Tertio* vides: etc.

---

## QUÆSTIO VIGESIMA, QUARTA,

### DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de prædestinatione Christi.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Christus sit prædestinatus.

Secundo, utrum sit prædestinatus, secundum quod homo.

Tertio, utrum ejus prædestinatio sit exemplar nostræ prædestinationis.

Quarto, utrum sit causa prædestinationis nostræ.

### ARTICULUS 1.

*Utrum Christo conveniat esse prædestinatum.*

*Pro negativa* = Videtur, quod Christo non conveniat prædestinatum esse.

1. Ei cui convenit esse prædestinatum, convenit esse Filium Dei adopti-

vum. Sed Christo non convenit esse Filium Dei adoptivum, ut dictum est qu. præced. art. 4. Ergo Christo non convenit esse prædestinatum.

Maior prob., quia terminus prædestinationis videtur esse adoptio filiorum, secundum illud ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum.*

2. Si Christus est prædestinatus, aut est prædestinatus ratione humanæ naturæ, aut ratione personæ. Sed neutrum potest dici. Ergo Christus non est prædestinatus.

Maior prob., quia in Christo illa duo inveniuntur, ratione quorum diceretur prædestinatus, si esset prædestinatus.

Minor: non ratione humanæ naturæ, quia hæc est falsa: humana natura est Filius Dei; ac per hoc falsum esset dicere, quod Filius Dei sit prædestinatus. Non ratione personæ, quia illa persona Christi non habet ex gratia, quod sit Filius Dei, sed ex natura: prædestinatio autem est eorum, quæ sunt ex gratia, ut dictum est 1. par. qu. 23. artic. 5.

3. Quia Christus semper fuit Deus, et Filius Dei, non proprie dicitur, quod homo ille sit factus Filius Dei. Ergo pari ratione non debet dici, quod Christus sit prædestinatus Filius Dei.

Conseq. prob., quia sicut illud quod est factum non semper fuit, ita illud quod est prædestinatum, non semper fuit; quia prædestinatio antecessionem quamdam importat. Si igitur ille homo esset prædestinatus Filius Dei, non semper fuisset Filius Dei; sicut si ille homo esset factus Filius Dei, non semper fuisset Filius Dei.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit Rom. 1. de Christo loquens. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christo convenit esse prædestinatum.

Prob. Ei quod ab æterno est præordinatum, ut per gratiam fiat in tempore, competit esse prædestinatum. Sed est factum in tempore á Deo, per gratiam unionis, ut homo esset Deus, et Deus esset homo, et Deus ab æterno præordinavit hoc se facturum in tempore. Ergo unio naturarum in Christi persona cadit sub æterna Dei prædestinatione, ratione cujus Christo convenit esse prædestinatum.

Maior probat., quia prædestinatio proprie accepta, est quædam divina præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam Dei fieri debent in tempore, ut dictum est 1. par. q. 23. art. 1. et 5. Ei igitur quod ab æterno est præordinatum á Deo, ut per Dei gratiam fiat in tempore, et est factum in tempore, convenit esse prædestinatum.

Minor prob. et quod unio duarum naturarum in persona Christi sit facta in tempore ex fide manifestum est, sacra hoc pluries testante scriptura. Quod vero ab æterno hoc Deus præordinaverit se facturum, probatur. Si non fuisset hoc á Deo prærdinatum, sequeretur quod divinæ menti aliquid de novo accideret, quod est impossibile.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior; non enim est universaliter vera. Ad prob. dicitur quod ibi Apostolus loquitur de prædestinatione, qua nos prædestinamur, ut simus filii adoptivi. Sicut autem Christus singulari modo præ aliis est Dei filius naturalis, ita quodam singulari modo est prædestinatus.

Ad 2. Quidam responderunt, ut dicit Glos. ordin. super illud ad Rom. 1. *Qui prædestinatus* etc. prædestinationem intelligendam esse de natura, non de persona, quia scilicet humanæ naturæ facta est hæc gratia, ut uniretur filio Dei in unitate personæ.

*Reprobatio.*

Sed secundum hanc responsionem locutio Apostoli esset impropria propter duo: primo quidem ratione communi.

Non enim dicimus naturam alicujus prædestinari, sed ipsum suppositum, quia prædestinari est dirigi in salutem, quod quidem est suppositi agentis propter finem beatitudinis. Secundo ratione speciali, quia esse filium Dei non convenit humanæ naturæ; est enim hæc falsa: humana natura est filius Dei; nisi forte quis velit sic exponere extorta expositione: qui prædestinatus est filius Dei in virtute, idest prædestinatum est, ut humana natura uniretur filio Dei in persona.

*Vera responsio.*

Relinquitur ergo quod prædestinatio attribuatur personæ Christi, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in natura divina; sed secundum quod subsistit in natura humana: unde cum dixisset Apostolus: *qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, ut daret intelligere quod secundum hoc quod est factus ex semine David, secundum carnem, est prædestinatus filius Dei in virtute: Unde ad maiorem disjunctivam dicitur quod prædestinari convenit Christo ratione personæ, ac per hoc negatur minor quoad secundam partem, ad cujus probationem dicitur quod quamvis sit naturale illi personæ secundum se consideratæ quod sit filius Dei in virtute, non tamen est et ei naturale, secundum humanam naturam, secundum quam sibi convenit esse prædestinatum per gratiam unionis.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur multipliciter. Primo secundum Origenem super illud ad Rom. 3. qui dicit quod illud Verbum (prædestinatus) non importat aliquam antecessionem, et secundum hoc dicitur quod non est eadem ratio de eo quod est factum, et de eo quod est prædestinatum: nam quod est factum, non erat semper, quod vero est prædestinatum potest esse semper, quia scilicet prædestinatum non importat aliquam antecessionem prædestinantis ad prædestinatum: unde potest esse quod aliquid sit prædestinatum, et tamen quod semper fuerit.

Alii autem admittunt hoc verbum, prædestinatus, significare antecessionem non ad id quod est esse filium Dei, sed ad ejus manifestationem, secundum illum consuetum modum loquendi scripturarum, quo res dicuntur fieri, quando innotescunt, ut sit sensus quod Christus prædestinatus est manifestari Filius Dei.

*Reprobatio.*

Sed sic non proprie accipitur prædestinatio; nam aliquis dicitur proprie prædestinari, secundum quod dirigitur in finem beatitudinis: beatitudo autem Christi non dependet ex nostra cognitione, et propterea non proprie diceretur Christus prædestinatus, si esset tantum prædestinatus, ut manifestaretur Filius Dei.

*Vera responsio.*

Et ideo melius dicitur, quod illa antecessio quam importat hoc participium (prædestinatus) refertur ad personam, non secundum seipsam, sed ratione humanæ naturæ, quia scilicet persona illa, etsi ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in natura humana fuerit Filius Dei. Unde Aug. dicit in lib. de prædest. SS. cap. 15. «Prædestinatus est Jesus, ut qui fu«turus erat secundum carnem Filius «David, esset in virtute Filius Dei.»

Dicitur tertio ad eamdem probationem consequentiæ, quod etsi hoc participium (prædestinatus) importet antecessionem, sicut hoc aliud participium (factus) non tamen est utriusque eadem ratio, diversimode enim antecessionem important. Nam fieri pertinet ad ipsam rem, secundum quod in se est. Prædestinari autem pertinet ad aliquem, secundum quod est in apprehensione alicujus præordinantis. Id autem, quod subest alicui formæ, et naturæ secundum se, potest apprehendi, vel prout est sub forma illa, vel etiam absolute. Persona igitur

Christi potest apprehendi absolute, et sic ei non competit quod inceperit esse Filius Dei. Potest etiam apprehendi, ut existens in natura humana, et sic incepit esse Filius Dei, quia scilicet aliquando incepit hoc esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei. Et ideo magis est vera hæc, Christus est prædestinatus Filius Dei, quam hæc, Christus est factus Filius Dei.

## ARTICULUS II.

*Utrum hæc sit vera, Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod hæc sit falsa, Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei.

1. Si Christus secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei, videtur sequi quod sit Filius Dei secundum quod homo.

Conseq. prob., quia hoc est unusquisque, secundum aliquod tempus, quod est prædestinatus esse, et hoc quia Dei prædestinatio non fallitur.

2. Si Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei, sequitur quod cuilibet homini hoc conveniat, quod est falsum.

Conseq. prob., quia cum Christus sit ejusdem speciei cum aliis hominibus, illud quod convenit Christo secundum quod homo, convenit cuilibet homini.

3. Magis est vera hæc, Filius Dei factus est homo, quam ista, homo factus est Filius Dei, ut dictum est q. 16. art. 6. et 7. Ergo magis est vera hæc, Christus, secundum quod est Filius Dei, prædestinatus est esse homo, quam hæc, Christus, secundum quod est homo, est prædestinatus esse Filius Dei.

Conseq. prob., quia hoc ab æterno prædestinatur, quod aliquando fieri debet in tempore, et quia in tempore factum est, quod Filius Dei sit homo, et non quod homo sit Filius Dei, videtur quod sicut homo non est factus Filius Dei, quod nec Christus, secundum quod homo, sit prædestinatus Filius Dei.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in lib. de prædest. Sanct. cap. 15. *Ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum esse dicimus.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei.

Prob. Quod convenit Christo ratione humanitatis, convenit ei secundum quod homo. Sed esse prædestinatum ad hoc, ut sit Filius Dei, convenit Christo ratione humanæ naturæ. Ergo esse prædestinatum, ut sit Filius Dei, convenit Christo, in quantum est homo.

Minor manifestatur præmittendo quod in prædestinatione duo considerari possunt. Unum quidem ex parte ipsius prædestinationis æternæ, et secundum hoc importat quamdam antecessionem, respectu ejus quod cadit sub prædestinatione; alterum est temporalis effectus, qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. Et secundum utrumque horum attribuitur prædestinatio Christo ratione humanæ naturæ. Nam humana natura non semper fuit Verbo unita, et ei etiam hoc per gratiam est collatum, ut Filio Dei in persona uniretur. Et ideo solum ratione humanæ naturæ prædestinatio competit Christo.

Et confirmatur eadem minor, quia Aug. dicit in lib. 1. de prædest. SS. c. 15. « Prædestinata est ista humanæ naturæ tanta, et tam excelsa subjectio, « ut quo attolleretur altius non haberet. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad evidentiam rationis negationis est explicandus sensus conditionalis argumenti, quæ est conclusio probata in corpore. Sciendum igitur, quod cum dicitur, Christus, secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei, hæc determinatio,

secundum quod homo, potest referri ad actum significatum per participium (prædestinatus) dupliciter. Uno modo ex parte ejus, quod materialiter cadit sub prædestinatione, et sensus est quod prædestinatum sit ut Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei, et in hoc sensu, est falsa. Nam persona Christi semper fuit Filius Dei, unde non potuit prædestinari quod illa persona, etiam ut subsistit in humana natura, sit Filius Dei. Alio modo potest referri illa determinatio ad actum prædestinationis, prout prædestinatio in sui ratione importat antecessionem, et effectum gratuitum, et sensus est quod actus ille antecessit Christum, et per illum actum Christus accepit hoc donum, ut esset Filius Dei. Hæc, inquam, conveniunt Christo in quantum est homo, et sub aliis verbis sensus est quod prædestinatum fuit quod humana natura uniretur Filio Dei personaliter. Ex quibus patet manifeste ratio negationis consequentiæ; ex hoc enim quod prædestinatum fuit naturam humanam in tempore debere uniri Filio Dei, non sequitur quod Christus in quantum homo sit factus Filius Dei; sed solum quod persona, cui unita est natura humana, sit Filius Dei. Ad prob. dicitur, quod procedit ex intelligentia conditionalis in primo sensu: si enim esset prædestinatum quod Christus, idest illud suppositum Christi hominis, esset Filius Dei, profecto sequeretur quod Christus factus fuisset Filius Dei, cum prædestinatio non fallat. Sed quia non est hoc prædestinatum, sed solum quod natura humana, per gratiam unionis deberet uniri Filio Dei, ideo non sequitur nisi quod illud suppositum, cui unita est natura humana, sit Filius Dei.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod aliquid potest convenire alicui homini ratione humanæ naturæ dupliciter. Uno modo sic quod humana natura sit causa illius; sicut esse risibile convenit sorti ratione humanæ naturæ, ex cujus principiis risibilitas causatur. Et hoc modo prædestinari non convenit Christo, nec alteri homini ratione humanæ naturæ. Alio modo dicitur convenire aliquid alicui ratione humanæ naturæ, quia natura humana est susceptiva illius, et sic dicimus Christum esse prædestinatum ratione humanæ naturæ, quia prædestinatio refertur ad exaltationem humanæ naturæ in ipso, ut dictum est in corpore. Dicitur igitur Christus prædestinatus ratione humanæ naturæ, non quasi prædestinatio sit ex principiis humanæ naturæ; sic enim recte procederet objectio; conveniret enim tunc prædestinatio omnibus hominibus; sed quia humana natura est prædestinationis capax.

Ad 3. dicitur ad conseq. quod sicut dicit Augustinus cit. in libr. de præd. SS. "Ipsa est illa ineffabiliter facta ho-" minis á Deo Verbo susceptio singula-" ris, ut Filius Dei, et Filius hominis si-" mul, et Filius hominis propter suscep-" tum hominem, et Filius Dei propter " suscipientem unigenitum Deum, vera-" citer et proprie diceretur." Et quia illa susceptio sub prædestinatione cadit tamquam gratuita, utrumque potest dici, scilicet quod Filius Dei prædestinatus est esse homo, et filius hominis prædestinatus est esse Filius Dei. Quia tamen gratia non est facta Filio Dei, ut esset homo, sed potius humanæ naturæ, ut Filio Dei uniretur, magis proprie potest dici, quod Christus secundum quod homo, est prædestinatus Filius Dei, quam quod Christus secundum quod est Filius Dei, sit prædestinatus esse homo.

## ARTICULUS III.

### *Utrum prædestinatio Christi sit exemplar nostræ prædestinationis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod prædestinatio Christi non sit exemplar nostræ prædestinationis.

1. Ejus quod est æternum non potest esse aliquod exemplar. Sed prædestinatio nostra est æterna. Ergo prædestinationis nostræ non potest esse aliquod

exemplar, ac per hoc prædestinatio Christi non est exemplar nostræ prædestinationis.

Maior prob., quia exemplar præexistit exemplato, æterno autem nihil præexistere potest.

2. Non oportuit, quod Deus duceretur in cognitionem nostræ prædestinationis, cum dicatur Rom. 8. *Quos præscivit, hos et prædestinavit.* Ergo prædestinatio Christi non est nostræ prædestinationis exemplar.

Conseq. prob., quia exemplar ducit in cognitionem exemplati.

3. Prædestinatio Christi est alterius rationis á prædestinatione nostra. Ergo prædestinatio Christi non est exemplar prædestinationis nostræ.

Conseq. prob., quia exemplar est conforme exemplato.

Antecedens prob., quia nos prædestinamur in filios adoptionis, Christus autem *est prædestinatus Filius Dei in virtute.* Rom. 1.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumetum sed contra.*

Per prædestinationem, et gratiam Christi manifestatur nostra prædestinatio. Ergo prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis.

Consequentia prob., quia ad rationem exemplaris videtur pertinere, quod per ipsum manifestetur exemplatum.

Anteced. prob., quia dicit Aug. in lib. prædest. SS. c. 13. "Est præclarissimum lumen prædestinationis, et gratiæ ipse salvator, ipse mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus." Dicitur autem lumen prædestinationis, et gratiæ, in quantum per ejus prædestinationem et gratiam manifestatur nostra prædestinatio.

In forma. Prædestinatio ejus qui est nostræ prædestinationis lumen, est nostræ prædestinationis exemplar. Sed Christus est nostræ prædestinationis lumen. Ergo prædestinatio Christi est nostræ prædestinationis exemplar. Præmissæ ex dictis patent.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Prædestinatio dupliciter potest considerari: uno modo, secundum ipsum actum prædestinantis; deinde secundum prædestinationis terminum vel effectum.

1.ª Conclusio. Prædestinatio Christi, secundum prædestinationis actum, non est exemplar nostræ prædestinationis.

Prob. Quia eodem modo, et actu Deus ab æterno prædestinavit nos, et Christum.

2.ª Conclusio. Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis quantum ad terminum vel effectum.

Prob. Dupliciter enim secundum hunc modum prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis. Primo quantum ad bonum ipsum, ad quod prædestinamur. Ipse enim prædestinatus est ad hoc, ut esset Filius Dei naturalis, nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis. Unde dicitur Roman. 8. "Quos præscivit hos "et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui." Alio modo quantum ad modum consequendi istud bonum, quod est per gratiam: Christus enim habuit hoc bonum sine ullis meritis; est enim humanitas Christi unita Filio Dei, nullis suis præcedentibus meritis: non autem illud bonum, ad quod prædestinamur, consequimur per meritum Christi: unde dicitur Joan. 1. et de plenitudine, scilicet gratiæ ejus, omnes nos accepimus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur, quod illa ratio procedit de prædestinatione ex parte actus prædestinantis: unde ad maiorem dicitur, quod æternæ prædestinationis non potest esse exemplar quantum ad actum; potest tamen esse exemplar, quantum ad effectum.

Ad 2. idem concludit, scilicet quod ex parte actus non habeat exemplar.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod non est necesse quod exem-

platum exemplati, quantum ad omnia, conformetur; sed sufficit quod exemplatum aliqualiter imitetur suum exemplar.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod prædestinatio Christi non sit causa nostræ prædestinationis.

1. Æternum non habet causam. Sed prædestinatio nostra est æterna. Ergo prædestinatio nostra non habet aliquam causam, ac per hoc prædestinatio Christi non est causa prædestinationis nostræ.

2. Illud, quod dependet á simplici Dei voluntate, non habet aliam causam præter Dei voluntatem. Sed prædestinatio nostra est ex simplici Dei voluntate: dicitur enim ad Ephes. 1. "Prædestinati, "secundum propositum ejus, qui omnia "operatur secundum consilium voluntatis suæ." Ergo prædestinatio nostra non habet aliam causam præter Dei voluntatem, unde nec Christi prædestinationem.

3. Remota prædestinatione Christi non removetur prædestinatio nostra. Ergo prædestinatio Christi non est causa prædestinationis nostræ.

Anteced. prob., quia etiamsi Filius Dei non fuisset incarnatus, erat alius modus possibilis nostræ salutis, ut Aug. dicit in lib. 13. de Trin. c. 10.

Conseq. prob., quia remota causa non remanet effectus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad Ephes. 1. dicitur: *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.*

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Si consideretur prædestinatio secundum ipsum prædestinationis actum, prædestinatio Christi non est causa prædestinationis nostræ.

Prob. quia uno et eodem actu Deus prædestinavit Christum et nos.

2.ª Conclusio. Prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis secundum terminum.

Probatur, quia Deus præordinavit nostram salutem, ab æterno prædestinando ut per Jesum Christum compleretur: sub prædestinatione enim æterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quem est complendum in tempore.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod prædestinatio æterna non habet causam ex parte actus, potest tamen eam habere ex parte termini.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod illud quod est ex simplici Dei voluntate, non habet causam ex parte actus divinæ voluntatis, potest tamen habere causam ex parte termini, sive effectus.

Ad 3. Negatur anteced. Ad prob. dicitur quod si Christus non fuisset incarnandus, Deus præordinassset homines salvari per aliam causam; sed quia præordinavit incarnationem Christi, simul cum hoc præordinavit, ut esset nostræ salutis causa.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 24.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod Christus est prædestinatus. Ut Rom. 1. *Qui*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Item per illud, quod dicitur Isa. 7. *Ecce virgo concipiet*, etc. *vo-*

*cabitur nomen ejus Emmanuel.* Sed et universaliter, ubicumque Filius Dei carnem assumpturus in Testamento Veteri prænunciatur, ostenditur per hoc, quod Christus est prædestinatus. Nam prædestinatio est præordinatio eorum, quæ in tempore per gratiam ad beatitudinem dirigenda sunt. Christus autem secundum naturam humanam per gratiam unionis ad beatitudinem maximam præordinatus est á Deo. Maxima enim beatitudo est uniri Deo substantialiter (quod hic fuit, quando unita est humanitas divinitati in persona) qu. 2. art. 6. quoniam major est, quam beatitudo sanctorum aliorum, qui uniuntur Deo non substantialiter, sed accidentaliter, idest, per operationem intellectus, et voluntatis: licet talis operatio sit æterna, et indeficiens, vide qu. 7. ar. 1. 10. et qu. 15. ar. 10. Item 1. 2. qu. 3. ar. 4. et q. 4. ar. 2. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, August., et Athanasio insinuatum, quod Christus, secundum quod homo, prædestinatus est. A B. Aug. quidem ut est *in arg. cont.* A D. Athanasio autem per hoc, quod in suo symbolo, quod secundum Concil. *Florent.* est compendiosa regula fidei, dicit: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.* Ex eo enim quod Filius, secundum quod Deus, est æternus, relinquitur manifestum, quod ipse, secundum quod Deus prædestinari non potuit: quoniam ly *præ* dicit antecessionem quam de æterno, ut æternum est, prædicari implicat contradictionem. Cum ergo Christus sit prædestinatus, (ar. 1.) patet, quod, qui dicit, eum, secundum quod est Deus, non esse prædestinatum, denotat implicite secundum catholicam fidem, quod ipse, secundum quod homo, prædestinatus est. A scripturis vero idem insinuatur Rom. 1. "De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem; qui prædestinatus est Filius Dei." Ecce ex contextu Apostoli, quod Christus secundum carnem, idest, secundum humanitatem, et factus est, et prædestinatus est. Nam ly *secundum carnem* cadit super Christum, ut refertur ad utrumque, scilicet, ad fieri, et ad prædestinari: prout patet ex aperta serie literæ. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et August. quod prædestinatio Christi est exemplar prædestinationis nostræ. A D. Aug. quidem, ut cum applicatione ponitur *in arg. cont.* A scripturis vero Rom. 8. "Quos præscivit, hos et prædestinavit, conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus." Nota signanter ly *conformes*, ly *primogenitus*, ly *in multis*, scilicet, in prædestinatis. Nam ideo Christus vocatur primogenitus in numero prædestinatorum: quia prædestinatio ejus est exemplar, cui conformari debent omnes præ aliis prædestinati. Unde patenter per hoc ostenditur intentum: quoniam præscitos, scilicet approbationis scientia, prædestinari, ut fiant conformes, etc. est in sensu, licet non in verbis, prædestinationem Christi esse exemplar prædestinationis nostræ. Nam, sicut ex eo, quod dicitur Philipp. 3. "Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ," datur intelligi: quod resurrectio Christi est exemplar resurrectionis nostræ, Addit. 76. ar. 1. cum Elucid. ita ex eo, quod dicitur Rom. 8. *quos*, etc. datur intelligi: quod prædestinatio Christi est nostræ prædestinationis exemplar. Item insinuatur per dictum illud Eph. 1. "Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum." Non enim absque causa dicit ly *in ipsum*, idest, in quantum ei conformamur, ut ibi exponit D. Thom. Ergo per ly *in ipsum* designat intentum præsentis art. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et bene intelligas, merito esse á scripturis, Ecclesia, et Concil. insinuatum, quod prædestinatio Christi est causa prædestinationis nostræ. A scripturis quidem, ut Eph. 1. secundum quod est *in arg. cont.* Item Heb. 2. "Qui multos filios in gloriam adduxerat." Item Rom. 5. "Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam: in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei." Item Eph. 2. "Per quem habemus accessum ambo ad patrem in uno spiritu." Nam Christum adducere multos adoptivos fi-

lios, idest, prædestinatos in gloriam, est ipsum esse causam prædestinationis omnium aliorum hominum prædestinatorum: quoniam hoc est, salutem nostram gloriosam compleri per Christum ipsum. Similiter nos per Christum habere accessum per fidem in gratiam, et spem filiorum Dei, idest prædestinatorum : in unoque spiritu, idest, in charitate concordi accessum habere ad Patrem per Christum, est prædestinationem ejus esse causam prædestinationis nostræ: quoniam hoc est, salutem nostram fidelem, gratiosam, et charitatem viæ in unum connexam compleri per ipsum Christum. Ac si ex omnibus locis citatis apertius dixisset Apostolus. Christus est ille, per quem prædestinatorum salus, sive quoad fidem, sive quoad spem, sive quoad stare, idest, quoad perseverantiam bonam, sive quoad gratiam, sive quoad charitatem, sive quoad unitatem spiritus, sive quoad quoscumque alios modos accedendi ad Patrem, considerata completur. Quod utique est Christi prædestinationem nostræ prædestinationis causam existere. A Concil. autem *Trident.* idipsum insinuatur sess. 6. c. 2. " Cœlestis Pater Christum Jesum ad homines misit, ut et judæos redimeret, et gentes justitiam apprehenderent: atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et c. 5. Declarat, justificationis exordium in adultis á Dei per Christum prævenientе gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. Et c. 6. Credentes illud in primis á Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo. Et c. 7. Nemo potest esse justus: nisi, cui merita passionis Christi communicantur: *et infra.* In justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa, fidem, spem, charitatem accipit homo per Christum. Et c. 11. Sobrie, juste, et pie viventes proficere possunt per Christum: per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Et c. 14. Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt: dum excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Et c. 16. Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna: et tamquam gratia filiis Dei per Christum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda. » Ubi passim, et in sequentibus canonibus definiendo aperit hoc ipsum, quod in capitulis adductis prædeclaraverat, scilicet, quod totus nostræ prædestinationis effectus, tum quoad fidem, tum quoad spem, tum quoad charitatem, tum quoad bona opera, tum quoad profectum, et finalem perseverantiam in omnibus prædictis, tum quoad vitæ æternæ consecutionem actualem in nobis á Deo per Jesum Christum completur, ut patet ibid. considerantibus. Hoc vero totum est illud, scilicet quod prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis: ut patet legentibus textum corp. et de particularibus effectibus prædestinationis, 1. q. 23. a. 5. 8. Ab Ecclesia vero idipsum insinuatur per hoc, quod in suis orationibus, collectis, missis, hymnis, etc. incessanter terminando dicit ly *per Christum Dominum nostrum:* vel aliquid æquivalens. Ex eo enim, quod ad precum suarum complementum, sive pro fide, sive pro spe, sive pro gratia Dei, sive pro charitate, sive pro bonis operibus, sive pro iis his augmento, sive pro virtutibus aliis, sive pro vita æterna assequenda fiant, apponit ly *per Christum*, etc. relinquit manifestum perspicacibus scholasticis: quod ipsa firmissime sentit, prædestinationem Christi esse causam prædestinationis nostræ. Ex superioribus intellige, quæ nunc dico. *Secundo* vides: etc.

## QUÆSTIO VIGESIMA QUINTA,

### DE ADORATIONE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quæ pertinent ad Christum in comparatione ad nos: et primo de adoratione Christi, qua scilicet nos eum adoramus; secundo de hoc quod est mediator noster ad Deum.

*Circa primum quæruntur sex.*

Primo, utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi, et ejus humanitas.

Secundo, utrum caro Christi sit adoranda adoratione latriæ.

Tertio, utrum adoratio latriæ sit exhibenda imagini Christi.

Quarto, utrum sit exhibenda cruci Christi.

Quinto, utrum sit exhibenda matri ejus.

Sexto, de adoratione reliquiarum sanctorum.

### ARTICULUS I.

*Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et ejus humanitas.*

*Pro negativa.* ═ Videtur, quod non eadem adoratione adoranda sit humanitas Christi, et ejus divinitas.

1. Adoratio, qua adoratur divinitas Christi, est communis Patri et Filio. Sed adoratio, qua adoratur humanitas Christi non est communis Patri, et Filio. Ergo adoratio qua adoratur humanitas Christi, non est eadem cum ea, qua adoratur divinitas Christi.

Maior prob., quia Joan. 5. dicitur: *Omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

Minor prob., quia humanitas Christi non est communis sibi et Patri.

2. Alia est in Christo operatio divinitatis, et alia humanitatis, ut dictum est qu. 19. art. 1. Ergo alio honore est veneranda humanitas Christi, et alio divinitas ejus.

Conseq. prob., quia honorem qui est virtutis præmium, meretur quis per operationem. Unde ubi sunt diversæ operationes, diversi honores esse debent.

3. Anima Christi, si non esset Verbo unita, esset veneranda propter excellentiam sapientiæ et gratiæ quam habet. Ergo etiam nunc natura humana est in Christo quadam propria adoratione adoranda, præter venerationem, quæ exhibetur divinitati ipsius.

Conseq. prob., quia nihil est subtractum dignitatis humanitati Christi per hoc quod est unita Verbo.

*PRO AFFIRMATIVA.*

*Argumentum sed contra.*

In capitulis quintæ Synodi legitur. « Si quis in duabus naturis adorari dicit « Christum, ex quo duæ adorationes in- « troducuntur, sed non una adoratione « Deum Verbum incarnatum cum pro- « pria ipsius carne adorat, sicut ab initio « Dei Ecclesiæ traditum est, talis ana- « thema sit. »

*Determinatio.*

*Distinctio.* In eo qui honoratur duo possunt considerari. Primum est illud quod honoratur; alterum est causa, propter quam illud honoratur. Illud quod honoratur, est aliquid totum subsistens. Honor enim proprie toti existenti exhibetur; non enim dicimus proprie quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur; dicitur autem quod subsistens proprie honoratur, quia etsi quandoque contingat quod dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione quod hujusmodi partes per se honorentur; sed quia in istis partibus honoratur totum, per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta in veste aut in imagine, aut in nuntio. Potest igitur aliquid subsistens honorari tripliciter: primo in seipso, ut quando honoratur Petrus, in propria persona; secundo in aliqua parte sua, ut quando deosculatur manus Petri; tertio in aliquo extrinseco, ut quando honoratur Petrus in sua imagine, aut in suo nun-

tio. His omnibus modis proprie honoratur Petrus: in secundo autem, et tertio honorantur partes, vel extrinseca Petri, non proprie, sed per illud, scilicet ratione Petri, quia scilicet sunt partes, vel imago Petri.

Causa autem honoris est id, ex quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam. Nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam, ut dictum est 2. 2. q. 103. art. 1. ut sunt prælatio, scientia, virtus, et alia hujusmodi. Ex quibus sequitur quod honor, qui alicui uni personæ exhibetur, semper sit unus ex parte ejus quod honoratur: ex parte vero causæ honoris ejusdem personæ possunt esse plures honores, si in persona quæ honoratur, sint plures honoris causæ, puta si honoretur prælatus scientificus, et virtutibus ornatus, multiplici honore honoratur.

1.ª Conclusio. Humanitas et divinitas Christi uno honore, et una adoratione honorantur, et adorantur, ut id quod adoratur et honoratur.

Prob. in Christo est una tantum persona, una hypostasis, seu suppositum divinæ et humanæ naturæ. Ergo una est adoratio, qua divinitas, et humanitas Christi adoratur.

Anteced. superius monstratum est. Conseq. patet ex modo dictis, scilicet quod persona est quæ adoratur. Unde ubi est una persona, ibi una adoratio.

2.ª Conclusio. Christus diversa adoratione adoratur, si attendantur causæ adorationis.

Manifestatur, quia alio honore honoratur Christus propter sapientiam increatam, et alio honore honoratur propter sapientiam creatam.

Ex quibus duabus conclusionibus formatur conclusio responsiva ad quæsitum.

Conclusio. Eadem adoratione est adoranda divinitas, et humanitas Christi ratione rei adoratæ. Ratione vero causæ adorationis, diversa est utriusque adoratio.

Prob. quia in Christo est una tantum res adorata, scilicet una persona, et causæ adorationis sunt diversæ, scilicet divinitas et humanitas.

Et confirmatur ab opposito: nam si in Christo essent plures personæ vel hypostases, esset adorandus duplici adoratione; una qua adoraretur persona Verbi; et alia qua adoraretur persona, seu hypostasis humana. Unde quia in Christo non est nisi una persona, una tantum adoratione erit adoranda Christi persona et ejus divinitas et humanitas; et tamen erit diversa adoratione adoranda, ratione scilicet humanitatis adoranda est una adoratione, et ratione divinitatis alia adoratione, ut in sequenti articulo plenius patebit.

Et confirmatur etiam auctoritate concil. Ephes. 1. ubi in capitulis Cyrilli dicitur. « Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari oportere Deo « Verbo, quasi alterum alteri, et non potius una adoratione honorificat Emanuelem, secundum quod Verbum caro « factum est, anathema sit. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod si sermo sit de causa adorationis, verum est totum argumentum; concludit enim quod alia sit causa qua Christus adoratur ratione divinitatis, et alia qua adoratur ratione humanitatis: secundum enim quod adoratur ratione divinitatis, adoratur adoratione, quæ est communis aliis divinis personis, sicut ipsa divinitas; quando vero adoratur ratione humanitatis, adoratur adoratione non communi aliis personis. Considerandum tamen quod alio modo et ratione est una adoratio trium personarum, et alio modo est una adoratio Christi hominis. In Trinitate enim sunt tres, qui honorantur, sed trium una adoratio, quia una est honoris causa, scilicet divinitas, quæ in tribus personis reperitur: Christi autem adoratio est una, quia una persona est, quæ adoratur, et multiplex, quia multiplex est adoran-

di ratio. Ad formam igitur argumenti dicitur quod si sermo sit de re adorata falsa est minor. Nam adoratio, qua adoratur Christi persona habens humanitatem, est eadem, qua odoratur divinitas, et tota Trinitas. Si vero sit sermo de causa adorationis, conceditur totum, utpote verum concludens.

Ad 2. Negatur conseq. si sit sermo de re adorata; si enim sit sermo de ratione adorationis, conceditur totum. Ad prob. dicitur quod operatio non est quæ honoratur, sed est ratio honoris. Et ideo per hoc quod in Christo sunt duæ operationes, non ostenditur quod sint duæ adorationes, sed quod in Christo sint duæ adorationis causæ.

Ad 3. Negatur conseq. Si enim anima Christi non esset unita Dei Verbo, esset id quod est principalissimum in homine illo, et ideo sibi præcipue deberetur honor, quia homo est id quod est potissimum in eo; sed quia anima Christi est unita personæ digniori, illi personæ præcipue debetur honor, cui anima Christi unitur. Ad probationem dicitur quod ex hoc non solum non diminuitur dignitas animæ Christi, sed magis augetur, ut etiam dictum est supra qu. 2. art. 2. ad 2.

## ARTICULUS II.

### *Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod humanitas Christi non sit adoranda adoratione latriæ.

1. Caro Christi non est adoranda adoratione latriæ. Ergo humanitas Christi non est adoranda adoratione latriæ.

Conseq. prob., quia caro Christi est pars humanitatis Christi.

Antecedens probat., quia super illud Psal. 98. «Adorate scabellum pedum ejus «quoniam sanctum est,» dicit Glos. ord. «Caro á Verbo Dei assumpta sine im«pietate adoratur á nobis; quia nemo «carnem ejus spiritualiter manducat, ni«si prius adoret; non illa dico adoratione, «quæ latria est quæ soli Creatori debe«tur.»

2. Nulli creaturæ debetur cultus latriæ. Sed humanitas Christi est creatura. Ergo humanitas Christi non colitur latria.

Maior prob., quia ex hoc reprobantur gentiles quod *coluerunt, et servierunt creaturæ*, ut dicit Rom. 1.

3. Christus secundum quod homo, est minor Patre. Ergo humanitas ejus non est adoratione latriæ adoranda.

Conseq. prob., quia adoratio latriæ debetur Deo in recognitionem maximi dominii, secundum illud Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Verbum incarnatum adoratur adoratione latriæ. Sed humanitas Christi adoratur propter Verbum incarnatum. Ergo humanitas Christi adoratur adoratione latriæ.

Minor prob., quia Dam. dicit in 4. lib. orthod. fid. cap. 3. «Adoratur autem ca«ro Christi incarnato Verbo Deo, non «propter seipsam, sed propter unitum «ei secundum hypostasim Verbum Dei.» Et super illud Psal. 98. «Adorate sca«bellum pedum ejus,» dicit Glos. «Qui «adorat corpus Christi, non terram in«tuetur; sed illum potius, cujus scabel«lum est in cujus honore scabellum ado«rat.»

*Determinatio.*

*Distinctio.* Adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intelligi: uno modo, ut sit ejus sicut rei adoratæ; alio modo, quod sit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum.

Manifestatur hæc distinctio, quia ut art. præced. dictum est, honor adorationis proprie debetur hypostasi subsistenti; tamen ratio honoris potest esse aliquid non subsistens. Potest igitur humanitas

Christi adorari, ut res adorata, et ut ratio adorandi.

1.ª Conclusio. Humanitas Christi, ut res adorata, est adoranda adoratione latriæ.

Probat. Quia sic adorare carnem Christi, nihil aliud est, quam adorare Verbum Dei incarnatum, quod adoratur latria; sicut adorare vestem regis nihil aliud est, quam adorare regem vestitum.

2.ª Conclusio. Humanitas Christi, ut ratio adorandi, non est adoranda adoratione latriæ, sed duliæ.

Hanc probat secundum argumentum allatum pro negativa.

Corollarium. Ex quibus sequitur quod eadem persona Christi adoretur adoratione latriæ, propter suam divinitatem, et adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.

*Ad tacitam objectionem.*

Nec hoc est inconveniens, quia ipsi Deo Patri debetur honor latriæ propter deitatem, et honor duliæ propter dominium, quo gubernat creaturam: unde super illud Psal. 7. *Domine Deus meus in te speravi*, dicit Glos. interl. *Dominus omnium per potentiam, cui debetur dulia; Deus omnium per creationem, cui debetur latria*, et licet dulia, quæ Deo debetur ratione dominii, sit alia á dulia quæ debetur creaturis, ut latius explicatum est 2. 2. quæst. 103. art. 3. ad 1. ubi inducta etiam fuit eadem glossæ auctoritas, tamen ex hoc habetur quod non inconvenit, quod eadem persona duplici adoratione adorari possit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur anteced. Ad prob. dicitur quod Glos. illa non est sic intelligenda, quasi seorsum adoretur caro Christi, ab ejus divinitate; hoc enim posset contingere solum hoc modo, si esset alia hypostasis Dei et hominis: sed quia ut Dam. dicit lib. 4. c. 3. «Si dividas «subtilibus intelligentiis, quod videtur, «ab eo quod intelligitur, inadorabilis est, «ut creatura» scilicet adoratione latriæ: et tunc sic intellectæ, ut separatæ á Dei Verbo, deberetur sibi adoratio duliæ, non cujuscumque (puta quæ communiter exhibetur aliis creaturis) sed cujusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant. Adoratur igitur caro Christi conjuncta Verbo adoratione latriæ. Si vero per intellectum consideretur á Verbo separata, adoratur hyperdulia.

Ad 2. Dicitur, quod, ut dictum est, probat secundam conclusionem. Et ad formam dicitur ad maiorem quod nulla creatura per se considerata, et per se existens adoratur adoratione latriæ; sed quia est conjuncta Verbo, adoratur eadem adoratione, qua Verbum.

Ad 3. Negatur conseq. Honor enim latriæ non exhibetur Christo secundum humanitatem, sed secundum divinitatem, secundum quam non est minor Patre, sed ei æqualis.

## ARTICULUS III.

*Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriæ.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod imago Christi non sit adoranda adoratione latriæ.

1. Exod. 20. dicitur. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Ergo imago Christi non est adoranda adoratione latriæ.

Conseq. probat., quia nulla adoratio est facienda contra Dei præceptum.

2. Operibus gentilium non debemus communicare, ut dicitur ad Ephes. 5. Sed adorare imagines est operibus gentilium communicare. Ergo non est adoranda imago Christi adoratione latriæ.

Minor prob., quia gentiles de hoc præcipue culpantur quod «commutaverunt «gloriam incorruptibilis Dei in similitu«dinem imaginis corruptibilis hominis,» ut dicitur Rom. 1.

3. Imagini divinitatis, quæ est animæ rationali impressa, non debetur adoratio latriæ. Ergo multo minus imagini corporali, quæ repræsentat humanitatem Christi, debetur cultus latriæ.

Conseq. prob., quia Christo debetur

adoratio latriæ ratione divinitatis, non ratione humanitatis.

4. Nulla traditio invenitur in scriptura de adorandis imaginibus. Ergo imago Christi non est adoranda adoratione latriæ.

Consequentia prob., quia nihil videtur esse in cultu divino faciendum, nisi quod est á Deo institutum. Unde et Apostolus 1. Cor. 11. traditurus doctrinam de sacrificio Ecclesiæ dicit: *Ego accepi á Domino, quod et tradidi vobis.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. lib. 4. cap. 17. inducit Basilium dicentem: *Imaginis honor ad prototypum*, idest ad exemplar *pervenit*. Sed ipsum exemplar, scilicet Christus est adorandus adoratione latriæ. Ergo et ejus imago cultu latriæ est adoranda.

*Determinatio.*

Conclusio. Imago Christi est adoranda adoratione latriæ.

Prob. Imago ejus, qui adoratur adoratione latriæ, est adoratione latriæ adoranda. Sed Christus adoratur adoratione latriæ. Ergo imago Christi est adoratione latriæ adoranda.

Maior ostenditur: dicitur enim in lib. de Mem. et Rem. cap. 2. quod duplex est motus animæ in imaginem: unus quidem est motus in ipsam imaginem, ut res quædam est; alter motus est in imaginem, ut imago alterius est. Inter hos autem duos motus est differentia, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut est res quædam, est alius á motu, quæ est in rem, cujus est imago. Secundus autem motus, qui est in imaginem, in quantum est imago, est unus et idem cum illo, quæ est in rem. Imago autem ut res est, nulla adoratione adoratur, nec ei aliqua reverentia exhibetur, quia reverentia exhibetur solum creaturæ rationali. Unde ramanet quod imago non adoretur, nisi ut est imago; ex quo sequitur quod si id cujus est imago, scilicet imaginatum, adoretur latria, latria etiam adoretur ipsa imago, quia scilicet motus qui est in imaginem ut est imago, est idem cum motu, qui est in imaginatum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod non prohibetur illo præcepto facere quamcumque sculpturam, vel similitudinem, sed facere ad adorandum. Unde subditur: *Non adorabis ea, neque coles*: et quia sicut dictum est, idem est motus in imaginem, et in rem, eo modo prohibetur adoratio imaginis, quo prohibetur adoratio rei, cujus est imago. Unde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas gentiles faciebant in venerationem deorum suorum, idest dæmonum. Et ideo præmittitur; *non habebis deos alienos coram me.* Ipsi autem vero Deo, cum sit incorporeus, nulla corporalis imago poterat poni. Quia ut Dam. dicit in loco supra citato *insipientiæ summæ est, et impietatis figurare quod est divinum*: sed quia in novo testamento Deus factus est homo, potest in sua imagine corporali adorari.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod Apostolus prohibet communicare operibus infructuosis gentilium; communicare autem operibus eorum utilibus, Apostolus non prohibet. Tunc ad minorem dicitur, quod adoratio imaginum est inter infructuosa opera computanda, quantum ad duo: primo quidem quantum ad hoc quod quidam eorum adorabant ipsas imagines, ut res quædam sunt, credentes in eis esse aliquod numinis, propter responsa, quæ dæmones in eis dabant et alios hujusmodi mirabiles effectus. Secundo propter res, quarum erant imagines; statuebant enim hujusmodi imagines aliquibus creaturis, quas in imaginibus veneratione latriæ venerabantur, de quibus latius dictum est 2. 2. q. 94. art. 1. in corp. Nos autem adoramus adoratione latriæ imaginem Christi, qui est verus Deus, non propter ipsam imaginem, sed propter rem cujus est

imago, sicut dictum est in corpore, et hoc non convenire in illicitis operibus gentilium, quod ab Apostolo prohibetur.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de imagine Dei depicta vel sculpta, et de imagine Dei in anima rationali. Creaturæ enim rationali debetur reverentia propter seipsam, et ideo si creaturæ rationali, in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ, posset esse erroris occasio, ut scilicet motus adorantis sisteret in homine, in quantum est res quædam, et non referretur in Deum, cujus est imago: quod non potest contingere de imagine sculpta, vel picta in materia sensibili, quia hujusmodi imago in his rebus non est capax adorationis, nisi ratione ejus, cujus est imago.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod etsi in scripturis non inveniatur aliqua traditio expressa de adorandis imaginibus, tamen Apostoli familiari instinctu Spiritus Sancti, quædam Ecclesiis tradiderunt servanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiæ per successionem fidelium. Unde ipse Apost. dicit 1. Thessal. 2. «State et tenete traditiones, quas didicistis, sive per «sermonem,» scilicet ore prolatum, «sive «per epistolam,» scilicet scripto transmissam, et inter hujusmodi traditiones est imaginum Christi adoratio. Unde et B. Lucas dicitur depinxisse Christi imaginem quæ Romæ habetur. Negatur igitur consequentia. Ad probationem dicitur, quod nihil in cultu divino est agendum, nisi ex scripturis, vel ex apostolica traditione habeatur. Adoratio imaginis Christi habetur ex apostolica traditione.

## ARTICULUS IV.

*Utrum crux Christi sit adoranda adoratione latriæ.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christi crux non sit adoranda adoratione latriæ.

1. Illud in quo Christus passus est opprobriosissimam mortem, non debet á christianis adorari. Sed in ligno crucis Christus passus est opprobriosissimam mortem, secundum illud Sap. 2. «Morte turpissima condemnemus eum.» Ergo non debemus crucem adorare, sed magis abhorrere.

Maior probatur, quia nullus pius filius veneratur contumeliam patris sui, puta flagellum quo esset flagellatus, vel lignum in quo fuisset suspensus, sed magis abhorreret.

2. Illud quod adoratur adoratione latriæ, quod non est Deus, est conjunctum Filio Dei in persona. Sed crux Christi non est conjuncta Filio Dei in persona. Ergo crux Christi non est adoranda adoratione latriæ.

Maior prob., quia humanitas Christi ideo adoratur adoratione latriæ, quia est conjuncta Filio Dei in persona.

3. Non exhibemus cultum latriæ clavis, coronæ, et lanceæ, et aliis instrumentis passionis Christi. Ergo nec cruci debemus cultum latriæ exhibere.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ei in quo ponimus spem salutis, exhibemus cultum latriæ. Sed in cruce ponimus spem salutis; cantat enim Ecclesia:

*O crux, ave spes unica,*
*Hoc passionis tempore,*
*Auge piis justitiam,*
*Reisque dona veniam.*

Ergo Christi crux est adoranda adoratione latriæ.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Crux Christi potest adorari duplici ratione: primo, quia est imago Christi in cruce extensi; secundo, quia tetigit Christum, vel est ejus sanguine perfusa.

Declaratur hæc distinctio: nam ut art. præced. ad 3. dictum est, honor seu reverentia non debetur, nisi rationali naturæ: creaturæ autem insensibili non debetur honor, vel reverentia, nisi ratione rationalis naturæ. Dupliciter autem potest convenire honor irrationali

creaturæ propter creaturam rationalem: uno modo in quantum repræsentat rationalem naturam; alio modo in quantum ei quocumque modo conjungitur. Primo modo consueverunt homines venerari regis imaginem, quia scilicet repræsentat regem. Alio modo consueverunt venerari regis vestimentum, quia ipsam personam regis tetigit, et tam imago regis, quam ejus vestimentum venerantur homines eadem veneratione qua venerantur regem. Potest igitur venerari crux Christi, vel quia Christum repræsentat, vel quia eum tetigit.

2.ª *Distinctio.* De cruce Christi dupliciter loqui possumus: primo, ut loquamur de cruce, in qua Christus fuit crucifixus; secundo, ut loquamur de crucis effigie in quacumque alia materia, puta lapidis, ligni, argenti vel auri.

1.ª Conclusio. Crux in qua Christus fuit crucifixus, est adoranda adoratione latriæ non solum ratione repræsentionis, sed etiam ratione contactus, et quia fuit ejus sanguine perfusa.

Prob. Creatura sensibilis, quæ repræsentat Christum, et tetigit Christum, et perfusa est sanguine Christi, debet adorari adoratione, qua Christus adoratur, adoratione scilicet latriæ. Sed crux in qua fuit Christus crucifixus repræsentat Christum in cruce extensum, tetigit Christum, et fuit ejus sanguine perfusa. Ergo crux in qua Christus fuit crucifixus, hac duplici ratione est adoranda adoratione qua Christus, scilicet adoratione latriæ.

Maior patet ex declaratione primæ distinctionis. Quia scilicet creatura insensibilis, secundum se, non est capax reverentiæ, nisi ratione ejus quod repræsentat, vel tangit, et ideo est adoranda adoratione, qua adoratur illud quod repræsentat, vel tangit.

Et confirmatur concl. Quia propter hoc crucem alloquimur, et deprecamur quasi ipsum crucifixum, ut in argumento pro affirmativa patet.

2.ª Conclusio. Crux Christi in quacumque alia materia, adoranda est adoratione latriæ, solum quia est imago Christi in cruce extensi.

Probatur. Quia imago veneranda est sicut imaginatum. Cum igitur crux Christi quæcumque alia á cruce, in qua crucifixus est, sit imago Christi, veneranda est veneratione, qua Christus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod in cruce Christi quantum ad intentionem, vel opinionem infidelium consideratur opprobrium Christi, sed quantum ad effectum nostræ salutis consideratur divina ipsius virtus, qua de hostibus triumphavit, secundum illud ad Colos. 2. «Ipsum tulit de medio affigens «illud cruci, et spolians principatus et «potestates, traduxit confidenter palam «triumphans illos in semetipso.» Et ideo dicit Apostolus 1. Cor. 1. «Verbum «crucis pereuntibus quidem stultitia est; «his autem qui salvi fiunt, idest nobis, «virtus Dei est.» Venerari igitur debemus crucem Christi: quia etsi in ea passus sit turpissimam mortem, virtute tamen hujus mortis triumphavit de hoste humani generis, et nos de ejus potestate eripuit.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod crux Christi licet non fuerit unita Verbo Dei in persona, fuit tamen ei unita aliquo alio modo, scilicet per repræsentationem et contactum, et hac sola ratione exhibetur ei reverentia: humanitas autem Christi non solum colitur latria, ut res adorata, quæ est Verbo Dei unita; sed ut ratio adorationis adoratur alia adoratione, ut in præcedentibus articulis dictum est. Et formaliùs negatur maior. Non enim est necesse, ut omne quod adoratur latria, præter Deum, sit Deo conjunctum in persona; sed sufficit quod sit ei aliquo alio modo conjunctum, et ad minorem dicitur, quod etsi crux Christi non sit unita Verbo in persona, tamen

repræsentat humanatum Verbum, cui etiam per contactum fuit unita.

Ad 3. Negatur antecedens, si sermo sit de instrumentis ipsis, quæ ad Christi passionem concurrerunt. Quantum enim ad rationem contactus membrorum Christi adoramus non solum crucem, sed etiam omnia, quæ sunt Christi. Unde Dam. dicit lib. 4. cap. 12. "Pretiosum "lignum, ut sanctificatum tactu sancti "corporis et sanguinis, decenter ado- "randum, clavos, indumenta, lanceam, "et sacra ejus tabernacula, quæ sunt "præsepe, spelunca et hujusmodi, » quia tamen ista non repræsentant imaginem Christi sicut crux, quæ dicitur signum filii hominis, quod apparebit in Cœlo, ut dicitur Matth. 24. propter quod angelus dixit mulieribus: *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum*: non dixit *lanceatum*, sed *crucifixum*; ideo crucem Christi veneramur in quacumque materia; non autem imaginem clavorum coronæ, lanceæ, vel quorumcumque aliorum hujusmodi etc.

## ARTICULUS V.

### *Utrum Mater Christi sit adoranda adoratione latriæ.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod Mater Dei sit adoranda adoratione latriæ.

1. Christus adoratur adoratione latriæ. Ergo Mater Christi debet adorari adoratione latriæ.

Consequentia prob., quia idem honor debet exhiberi matri regis, qui exhibetur et regi. Unde dicitur 2. Reg. 2. quod positus est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. Et Aug. dicit in serm. de Assump. cap. 6. «Thro- «num Dei, et thalamum Domini, domum, «atque tabernaculum Christi dignum est «ibi esse, ubi ipse est. »

2. Filius adoratur latria. Ergo et Mater latria adorari debet.

Conseq. prob., quia honor matris refertur ad filium, ut Dam. dicit in 4. lib. c. 17.

3. Crux Christi adoratur adoratione latriæ. Ergo et multo magis Mater Christi est adoranda adoratione latriæ.

Conseq. prob., quia conjunctior est Christo Mater ejus, quam crux.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Pura creatura non debet adorari adoratione latriæ. Mater Dei est pura creatura. Ergo non debetur ei adoratio latriæ.

*Determinatio.*

Conclusio. Mater Christi non est adoranda adoratione latriæ, sed duliæ; non qualiscumque, sed hyperduliæ.

Prob. Pura creatura rationalis, cæteris tamen creaturis eminentior, non est adoranda adoratione latriæ, sed duliæ; non qualiscumque, sed hyperduliæ. Sed Beata Virgo Maria est pura creatura rationalis, eminentior tamen cæteris omnibus creaturis, utpote quæ est Dei mater. Ergo Beata Virgo Maria non est adoranda adoratione latriæ, sed duliæ; non qualiscumque, sed hyperduliæ.

Maior manifestatur ex differentia, quæ est inter creaturam rationalem et irrationalem, in hoc quod sit, vel non sit adoranda. Latria enim soli Deo debetur, et nulli creaturæ debetur latria, prout secundum se honoratur. In hoc tamen differunt creatura insensibilis, et rationalis in proposito, quod creatura insensibilis non est capax venerationis secundum seipsam, sed honoratur solum ratione alterius, quia scilicet est imago creaturæ rationalis, vel ratione contactus, ut de cruce dictum est artic. præced. Unde si imaginatum repræsentatum per ipsam insensibilem creaturam sit adorandum adoratione latriæ, ipsa etiam latria erit honoranda. Creatura autem rationalis est capax venerationis, secundum seipsam, et ideo nulli puræ creaturæ debetur cultus latriæ, sed duliæ, et si sit eminentior cæteris, ei debetur hyperduliæ, qui est excellentissimus gradus, sive species duliæ, ut dictum est 2. 2. quæst. 103. artic. 4. ad 2.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod matri regis non debetur æqualis honor honori, qui debetur regi; debetur tamen ei quidam honor consimilis ratione cujusdam excellentiæ, et hoc significant auctoritates inductæ.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod honor matris refertur ad filium, quia ipsa mater est propter filium adoranda, non tamen honor matris refertur ad filium eo modo, quo honor imaginis refertur ad id, cujus est imago. Quia ipsa imago, ut res quædam est, nullo modo est veneranda; quod non est de rationali creatura, ut dictum est.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod crux ut res quædam est, non est capax alicujus venerationis. Beata autem Virgo est venerationis capax secundum se, et ideo non est similis utriusque ratio.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum reliquiæ sanctorum sint adorandæ.*

*Pro negativa.* =Videtur quod sanctorum reliquiæ nullo modo sint adorandæ.

1. Illud quod potest esse erroris occasio, non est faciendum. Sed adorare mortuorum reliquias potest esse erroris occasio. Ergo sanctorum reliquiæ non sunt adorandæ.

Minor prob., quia adorare mortuorum reliquias videtur ad errorem gentilium pertinere, qui mortuis hominibus honorificentiam impendebant.

2. Venerari rem insensibilem, videtur stultum. Sed sanctorum reliquiæ sunt insensibiles. Ergo stultum videtur eas honorare et venerari.

3. Corpus mortuum non est ejusdem speciei cum corpore vivo, et per consequens non videtur esse idem numero. Ergo videtur quod post mortem alicujus sancti, ejus corpus non sit adorandum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In lib. de Eccl. Dogm. c. 72. dicitur: «Sanctorum corpora, et præcipue beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissime honoranda credimus,» et postea subditur: «siquis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, et Vigilantianus creditur.»

*Determinatio.*

Conclusio. Sanctorum reliquias qualescumque honore congruo, in eorum memoriam venerari debemus, et præcipue eorum corpora.

Prob. Ea quæ fuerunt illorum, quos in venerationem habere debemus, sunt á nobis veneranda, et honore debito prosequenda. Sed sanctos Dei in veneratione, etiam post eorum mortem, habere debemus. Ergo sanctorum reliquiæ et maxime corpora, debent á nobis adorari.

Maior probat., quia dicit August. lib. 1. de civit. Dei cap. 13. «Si paterna vestis, et annulus, ac si quid est hujusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes est maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius, atque conjunctius, quam quælibet indumenta gestamus, hæc enim ad ipsam hominis naturam pertinent.» Ex quo patet quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, veneratur; non solum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam aliqua exteriora, ut sunt vestes, et annulus, et similia, et sic patet maior.

Minor prob., quia sancti Dei tamquam membra Christi, Dei filii et amici et intercessores nostri á nobis sunt in veneratione habendi.

Et confirmatur conclusio quoad ultimam partem, scilicet præcipue corpora; quia sanctorum corpora fuerunt organa, et templa Spiritus Sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi

configuranda per gloriosam resurrectionem.

Et confirmatur tota conclusio, quia et ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat in eorum præsentia miracula faciendo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur quod hæc fuit ratio Vigilantii, cujus verba introducit Hieron. in lib. quem contra eum scribit dicens, « Prope ritum « gentilium videmus sub prætextu religionis introductum, pulvisculum nescio quod in modico vasculo pretioso lineamine circumdatum, osculantes adorant.» Contra quem Hieron. dicit in Epist. ad Riparium. «Nos, non dico martyrum reliquias, sed nec solem, nec lunam, nec Angelos adoramus,» scilicet adoratione latriæ: « honoramus autem « reliquas martyrum, ut eum, cujus « sunt martyres, adoremus: honoramus « servos, ut honor servorum redundet ad « Dominum.» Sic ergo honorando reliquias sanctorum non incidimus in errorem gentilium, qui cultum latriæ mortuis hominibus exhibebant.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod venerari insensibile, secundum se, est vanum, honorare tamen insensibile in ordine ad sensibile, nulla est stultitia. Tunc ad minorem dicimus, quod nos non adoramus corpus illud insensibile propter seipsum, sed propter animam, quæ fuit ei unita, quæ nunc fruitur Deo; et propter Deum, cujus fuerunt ministri.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod corpus mortuum alicujus sancti non est idem numero, quod primo fuit dum viveret, propter diversitatem formæ quæ est anima; est tamen idem identitate materiæ, quæ est iterum suæ formæ unienda.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 25.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *et Nestorii, et Felicis et Chanzinzariorum* convenientium radicitus in hoc unum, scilicet, quod non eadem adoratione est adorandus Christus Deus, et Christus homo, sed diversa. Radicem namque hujus hæresis ponebat *Nestorius* dicens: quod Christus habet duas personas, alteram divinitatis, et alteram humanitatis: vel, quod in idem redit, quod Christus non est unus in deitate, et humanitate, sed separatim alter Filius Dei, alter Filius hominis. Similiter *Felix* ille *infelix* dicebat: in Christo inesse duas hypostases. Item *Chanzinzarii* asserebant: in Christo fuisse duas personas, unam passam, alteram seorsum stetisse, et passionis spectatricem fuisse. Ex hac enim radice necessario sequebatur, et ipsi intelligebant: quod Christus Deus, et Christus homo duplici adoratione, non autem simplici, adorandus erat. Contra quam hæresim directe pugnat præsens art. Destructæ quidem fuerunt prædictæ infectæ radices supra, art. num. 8. 9. 28. 111. 13. cum Elucidat. et valent illis in locis dicta tum ad corroborandum præsentem art., tum ad confutandum hæresim tamquam ex radice illa necessario deductam: sed nondum fuit directe pugnatum contra eamdem quatenus de adoratione humanitatis, et divinitatis in Christo male sentit, ut dictum est. Nunc ergo directe impugnanda, simulque expugnanda est tum per articulum hunc, tum per conciliorum sacras definitiones: quandoquidem et pro tanto solum illæ hæreses huc adductæ sunt, in quantum scilicet de adoratione loquuntur implicite modo prædeclarato. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim antedictam merito damnari á synodo *Constantinopolitana secunda*, quæ est quinta in ordine synodorum genera-

lium, actione, seu confess. 8. cap. 9. " Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur, semotim Dei Verbo, et semotim homini, sed non una adoratione Deum Verbum Incarnatum, » etc. ut *in arg. cont.* Item ab eadem synodo per hoc, quod ibid. c. 13. approbat duodecim capitula S. Cyrilli: et anathematizat ipsis capitulis contraria sapientes. Quid vero dicat B. Cyrillus in uno illorum capitulorum, audivimus in text. corp. Item á Concil. Ephes. 1. can. 8. iisdem ferme verbis Cyrilli dicente. " Si quis audet dicere: hominem assumptum coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum, et connuncupandum Deum tamquam alterum cum altero (nam *con* syllaba superadjecta hæc cogit intelligi) et non potius una adoratione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem rependit: juxta quod Verbum caro factum est: anathema sit. » Item á Concil. *Constantinopolitano quarto*, quod ad suplementum sexti Concil. congregatum est sub Imperatore *Justiniano*, damnatur per hoc, quod canon. 2. approbat, stabilesque, ac firmos manere statuit canones prædicti Cyrilli, canones hi sunt illa duodecim ejus capitula. Ubi in fine idem Concilium, post nonnullorum etiam canones admisos, inquit. " Si quis autem, quod prædictorum canonum aliquem innovare, vel subvertere conetur, convictus fuerit, reus erit secundum eum canonem: ut ipse pronuntiat canon, pœnam luens, et per ipsum in eo, in quo offendit, medelam suscipiens. » Ex quibus sequitur, quod ille anathema judicandus, et tamquam anathema puniendus est, qui B. Cyrilli canonem prædictum subvertere conatur, quales sunt supradicti hæretici, quoniam in canone, seu capitulo ipso anathematizatur ab eodem Cyrillo quicumque tenuerit contrarium: ut patet in ipso recitato á textu corpor. fin. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod humanitas Christi adoranda est, et non adoranda adoratione latriæ. Quod quidem sit sic adoranda, insinuatur per illud dictum Psal. 98. *Adorate scabellum*, etc. juncta glo. B. Aug. ibid. secundum quod recitatur cum applicatione *in arg. cont.* Item per illud Apoc. 5. " Dignus est agnus, qui occisus est, accipere divinitatem, et honorem, et gloriam. » Hoc est. Honorem gloriosum, qui debetur divinitati; et hic est adoratio latriæ. Considerarunt enim Angeli ibi hoc dicentes humanitatem Christi, quæ occisa est, prout existit in agno, idest in persona agni, ut ibid. patet considerantibus, tamquam cui, scilicet humanitati, velut rei adoratæ, debetur adoratio. Hunc locum juvant concilia relata in art. 1. append. si recte applicentur. Quod vero non sit sic adoranda, insinuatur per illud Joan. 14. *Pater major me est*; et per illud Phil. 3. *Exinanivit semetipsum formam servi*, idest humanitatem, *accipiens*. Et per illud Luc. 2. *erat subditus illis*. Hæc enim omnia, et similia, dicuntur de Christo secundum humanam naturam. Humana igitur natura Christi est minor Patre, est serva, est subdita, ideoque non adoranda tanta odoratione, quanta est adorandus Pater. Ac si ergo et Christus, et Apostolus et Lucas, ad propositum hoc scholasticum applicando verba sua aperte dixissent: Christi humanitas non est adoranda adoratione latriæ, vide supra art. num. 8. 69. 82. 104. 109. et 1. q. 14. a. 16. item q. 75. a. 7. item Addit. art. num. 389. ubique cum Elucid. quod scilicet non est tanta Christi humanitas, quanta est ejus divinitas, licet per aliquid huic æquivalens ibi recitetur. Nam omnia ibi dicta contra hanc hæresim faciunt pro loco isto: quoniam, si ad propositum præsens suaviter inflectantur, unanimiter dicunt, quod latriæ adorationem non debemus exhibere humanitati Christi, et quod dicere contrarium in eodem sensu, in quo negatur, est hæresis: cum in sententia hoc sit dicere, humanitatem Christi æqualem esse suæ divinitati. Ex præsenti quoque loco ad confutationem illarum hæresum in locis nunc citatis narratarum aptissime vicissim juvaberis. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Felicis cujusdam*, *Iconoclastarum*, *Joannis de Rocsesana*, *Xeniæ Hierapol.* dicentium: Imaginem Christi esse idolum, et quod imagines in templis habere idololatria est, sive sint Christi, sive cujuscumque sancti. Et hæresim *Almarici* dicentis, quod imagines thurifi-

care idololatria est. Et hæreticissimum factum quorumdam impiissimorum homuncionum, qui (ut refert Gabriel Prateol. in titul. *Albigenses, Alascani, Carlostadius, Constan. V. Imperator, Leo III. et IV. Imperatores, Joannes de Zischa. Orphani*) sacram imaginem Crucifixi fœdarunt, oppugnarunt, conspurcarunt, conculcarunt, perfregerunt, projecerunt, aliisque sacrilegis eorum adinventionibus ipsam affecerunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illa omnia hæreticalia merito condemnari á Domino Salvatore nostro per hoc, quod imaginem propriam, et Agabaro, et Veronicæ misericorditer donare dignatus est. Unde hoc insigne factum Damasc. lib. 4. c. 16. his verbis ennarat. « Volens benignissimus Dominus Jesus Christus Agabari regis Edessenorum satisfacere affectui, detersa sua facie, impressam sudario imaginem transmisit. » De hac imagine vide etiam Eusebium lib. 2. ecclesiasticæ hist. Præterea: " Faciem suam Dominus ipse linteo impressam dedit Veronicæ: dum ipsa pientissimo affectu passiones ejus multiplices ad montem Calvariæ crucem bajulantis lachrymarum imbre prosequeretur. » Cujus imagine sacra Tiberius Cæsar post mortem Domini sanatus est, et ob id decrevit Christo honores divinos. Verum, quia inscio senatu hoc fecerat, senatus prohibuit, ut auctor est Suetonius. Eusebius idem, qui sup. lib. 7. scribit de imaginibus Petri, et Pauli Apostolorum: meminit quoque imaginis Christi miracula facientis in Cæsarea, cujus miracula narrantur etiam in historia tripartita lib. 6. Item, si licet ab inimicis Ecclesiæ pro ecclesiastico hoc dogmate ad confusionem infidelium in principio appendicis narratorum testificationem afferre: ecce. *Luther.* alioquin catholicorum hostis invenitur contra *Carlostadium* sic dicens. " Imagines rememorativas, aut testimoniales, sicut sunt imagines Crucifixi, et Sanctorum, probatum est esse tolerandas, etiam in lege. Et non solum tolerandas; sed quamdiu memoria, et testimonium in eis durat, tunc sunt laudabiles, et honorabiles, sicut statuæ Josue, et Samuelis. » Item, quoad imagines aliorum sanctorum, quod non subsit periculum idololatriæ ullum, si secundum Ecclesiæ catholicæ intentionem adorentur, declarat sexta synodus hoc modo. " Venerabiles imagines christiani non Deos appellant, neque serviunt eis, ut diis, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis expectant judicium futurum, sed ad memoriam et recordationem primitivorum venerantur eas, et adorant; sed non serviunt eis cultu divino, nec alicui creaturæ. » Et recitantur in decretis de consecr. d. 3. c. *venerabiles.* Intellige ly *primitivorum,* idest prototyporum, seu exemplarium, ut patet ex magno Basilio hic *in arg. cont.* Item hæreticalia in principio dicta ostendes per rationem eamdem merito damnari á Conc. *Nicæno* 2. act. 1. 2. 3. immo quasi per totum, cum passim de adoratione imaginum loquatur, speciatim vero magis act. 7. inquit. " Fatemur unanimiter, nos ecclesiast. traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes, retinere velle, quorum de numero est imaginum effiguratio. Sanctorum ergo nostrorum, et divinorum patrum doctrinæ insistentes, et catholicæ Ecclesiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem observantes, definimus, sanctas imagines, maxime autem imaginem Domini nostri Jesu Christi, deinde intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, omniumque sanctorum, omni diligentia venerandas, et é coloribus, tesselis, aut alia quavis materia commode, sicut et crux, paratas, et dedicatas, et in templis sacris dedicandas, et habendas tum in sacris vasis, ac vestibus, tum in parietibus et tabulis, tum in ædibus privatis, et viis publicis; quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam veniant, illisque honorariam adorationem exhibeant. Imaginis enim honor in prototypum resultat: et qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum. Sic enim sanctorum nostrorum patrum obtinet disciplina, et traditio catholicæ Ecclesiæ. quæ à finibus usque ad fines terræ Evangelium suscepit. Igitur, qui ausi fuerint aliud sentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum ecclesiasticas traditiones contemnere (*alias contaminare*) aut novam vaniloquentiam inducere, aut quicquam de consecratis in Ecclesia abjicere: Evangelii (inquam) depictum codicem, aut figuram crucis, aut imaginis alicujus picturam, aut reliquias

martyrum, quas sciverint esse germanas, aut contra istas vafre aliquid contra ecclesiasticam constitutionem cogitare, aut uti, tamquam communibus, sacratis Deo: si episcopi, vel clerici fuerint, deponuntur, si monachi, vel laici, communione privantur. Tunc sancta synodus exclamavit: Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscribimus. Hæc est fides Apostolorum. Hæc est fides patrum. Hæc est fides orthodoxorum. Hæc fides orbem terrarum confirmavit. Credentes in Deum trinum, et unum, venerandas imagines amplexamur. Qui secus agunt; anathemate percelluntur, qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntur Quicumque sententias sacræ scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathema. Qui venerandas imagines idola appellant, anathema. Qui dicunt, quod christiani imagines, ut Deos, adorant, anathema. Qui scienter communicant cum illis, qui contra venerandas imagines sentiunt, aut eas dehonestant, anathema. Qui præter Christum Dominum Deum nostrum dixerit, alium nos á cultu idolorum liberasse, anathema. Qui audent, Ecclesiam catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema. Si quis ex Iconoclastarum hæresi aliquem existentem defenderit, anathema. Si quis evangelicas narrationes per picturam repræsentatas non acceptaverit, anathema. Si quis has non salutaverit in nomine Domini, et sanctorum ejus, anathema. Si quis Ecclesiæ traditiones sive scripto, sive consuetudine valentes, non curaverit, anathema. » *Hæc omnia ibi ad literam, idest, in actione septima: ubi tamen incipit.* Definitio sanctæ, magnæ, et universalis in Nicæa synodi secundæ. *In præmissis notasti ly* qui adorat imaginem, adorat quoque in ea descriptum argumentum, *et ly* sic traditio obtinet catholicæ Ecclesiæ, quæ á finibus usque ad fines terræ Evangelium suscepit. Si hæc notasti: ergo per locum ab oppositis inferas, quod non adorantes imagines, secundum quod descriptis argumentis, idest prototypis convenit adoratio, ii tales et exclusi sunt á gremio Ecclesiæ catholicæ, et non suscipiunt Evangelium. Hoc est. Non adorantes imaginem Christi adoratione latriæ, eo quod latria adoratur Christus, non adorantes imaginem B. Virginis Deiparæ adoratione hyperduliæ eo, quod ipsa Virgo adoratur hyperdulia, non adorantes imagines aliorum sanctorum, sive hominum, sive Angelorum adoratione duliæ, eo quod tales sancti adorantur dulia, ii omnes, ac singuli et exclusi sunt, etc, ut nunc supra. Item in præmissis notasti ly *qui dicunt, quod christiani imagines, ut Deos adorant, anathema.* Hinc ergo directe inferas, quod hæretici in principio narrati, quatenus christianos adoratores imaginum sanctorum de idololatria propter id accusant, ignorant propriam vocem, idest *non intelligunt, nec quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, 1. Tim. 1. Ratio est, quia christiani non adorant latria imagines sanctorum (soli enim Deo talem adorationem reservant) et consequenter etiam dato per impossibile, quod sancti non essent digni adoratione ipsis á christianis exhibita, adhuc non possent christiani tales vocari idololatræ, quasi idolis latriam præstantes. Poterant quidem pagani recte vocari idololatræ: quoniam idola sua, ut Deos habebant; ipsisque ideo latriæ adorationem exhibebant. Nam tales dicebantur, et erant idololatræ, non quia præcise adorabant indignos adorari, sed principaliter, et formaliter, quia adorabant latria indignos adorari latria. Unde, posito etiam per impossibile, quod illi perversi homines per idola repræsentati fuissent digni adorari, adhuc pagani adorantes illos fuissent idololatræ non quia adorassent ipsos adoratione, qua digni extitissent (fuisset enim solum dulia) sed quia adorassent illos, ut Deos, idest, adoratione latriæ, numquam enim latria dign[1], nec etiam per prædictam suppositionem, fuissent, quoniam creaturæ, ut sic, latriæ adoratio repugnat. Porro, si plura contra insanissimas hæreses in principio dictas desideraveris, vide veritates aureas super legem veterem, Gen. 47. conc. 5. et cap. 23. concl. 2. Item Exod. 20. conc. 2. Item Numer. 12. conclus. 7. et cap. 21. concl. 8. Videas quoque 1. q. 17. ar. 2. cum Elucid. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Claudii Taurinensis*, qui non solum dixit, crucem dominicam nullo modo esse adorandam, sed etiam fuit dux, et magister eorum, qui hoc dixerunt. *Secundo* habes: quomodo per

rationem ostendas, illam merito damnari ab Ecclesia in ly *ó crux ave spes*, etc. ut est cum discursu *in arg. cont.* Item á scripturis per hoc, quod dicitur Genes. 47. *adoravit Dominum conversus ad lectuli caput.* Ubi secundum aliam translationem dicitur, *adoravit fastigium virgæ ejus.* Vide omnino veritates aureas super totam legem veterem, ibidem cap. 47. concl. 5. Item á scripturis per hoc, quod dicitur Num. 22. *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo*, etc. Ubi vide veritates easdem conclus. 8. Item à sexta synodo Canon. 73. " Cum crux vivifica illud salutare nobis ostendat: nos omne studium adhibere oportet: ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum, qui par est, honorem habeamus. Unde et mente, et sermone, et sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ in solo, ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus: ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur. Qui secus fecerit, excommunicari decernimus. » Ubi vides, quanti faciat crucem Christi. Quod vero per illam adorationem, quæ par est, intelligat adorationem latriæ, patere faciliter potest ex dictis Concilii septimi, idest Concilii Nicæni secundi, cum præcedentia Concilia exponi intelligantur per sequentia. Vide ergo art. 3. append. Sed et omnia, quæ in appendice illa citantur, ad majorem hæresis prædictæ condemnationem valent; dummodo recte ad crucem applicentur, ita ut pro imagine legatur crux. Conveniunt enim hæc ambo in ratione repræsentationis. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Collyridianorum* dicentium, B. Virginem Mariam adorandam, ut Deum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas hanc merito damnari á dictis in qu. 1. q. 13. art. 10. Elucid. Item á Deo dicente Isa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Hoc est, in proposito scholastico. Adorationem latriæ mihi debitam creaturis puris non communicabo. *Mater* autem *Dei est pura*, etc. ut *in arg. cont.* Item á sexta synodo per hoc, quod dicit ly *imagines christiani non Deos appellant, neque serviunt eis, ut* Diis. De quibus autem imaginibus intelligatur, subindicat per ly *non serviunt eis cultu divino, nec alicui creaturæ.* Vide ista art. 3. appen. Cum igitur B. Virgo sit creatura, ipsa secundum Concilium hoc non est adoranda cultu divino, neque pro Deo habenda. Item á septima synodo, idest, á Concilio *Nicæno secundo* per hoc, quod tamquam ex ordine, et modo loquendi, adorationis differentiam connotans dicit ly " maxime autem imaginem Domini nostri Jesu Christi, deinde intemeratæ Dominæ nostræ deiparæ venerandas. » Vide art. 3. append. Ubi et post multa subdit ly " qui dicunt, quod christiani imagines, ut Deos, adorant: anathema. » Ex his ergo patet: quod Concilium septimum istud, si ad propositum suaviter inflectatur, non tantum docet, quod Beata Virgo Mater Dei non debet adorari latria, sed et tenore eodem statuit, quod, si quis dixerit, eam tali adoratione esse adorandam, ipse sit anathema. Non tantum igitur synodus ista prohibet, quod Beata Virgo adoretur latria, sed etiam hoc probibet sub anathemate. Item merito damnari à Deu. 6. *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Quod cum expositione sua repetens Christus dixit Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis.* Ac si aperte dicat: illa Deuteronomii auctoritas intelligitur de adoratione, et servitute, quæ soli Deo debetur. Ergo, secundum Christum, datur adoratio, et servitus, in quibus nulla creatura communicat. Hæc autem est adoratio latriæ, et servitus latriæ. Ergo adorationem latriæ, et servitutem latriæ soli Deo, non autem ejus Matri, exhibere debemus, prout scriptura prædicta sententialiter dicit. Ex præmissa igitur veritate tot scripturis, atque conciliis firmata habes verum sensum multorum attributorum B. Virgini ab Ecclesia catholica, quæ alioquin juxta superficialem tantum literæ corticem viderentur favere, quod in æternum absit, prædictæ hæresi. Sensus ergo verus, quo B. Virgini dicitur in Ecclesia ly Regina cœli, ly Regina mater misericordiæ, ly vita, dulcedo, et spes nostra, et alia similia, neque est ipsam æquiparari, neque velle æquiparari Deo, ut impii *Novatores* mentiuntur, sed est velle ei præ aliis creaturis post Deum talia veraciter adscribere. Veraciter, inquam; quia sicut verum est, Beatam Virginem excellentia quadam

speciali, puta, quod sit Mater Dei, alias creaturas excedere vehementissime post Deum, ideoque hyperdulia, licet non latria, adoratur; ita de necessaria *sequela* verum est, quod ipsa eminentius, quam aliæ puræ creaturae, participat haec attributa, scilicet esse reginam cœli, esse reginam, matremque misericordiae, esse vitam nostram, dulcedinem nostram, spem nostram, et alia hujusmodi. In hoc sensu etiam canimus ei, *Mortalium spes una*, et ipsa de se per allegoriam, ut nos Ecclesia docet, inquit: " In me omnis gratia viae, et veritatis. In me omnis spes vitae, et virtutis, » Ecclesiastici 24. et alia similia: quae Novatores, sic enim hæreticos vocat Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. de mendacio, et idololatria mordent, " non intelligentes, neque ea, quae loquuntur, neque de quibus affirmant, » 1. Timoth. 1. " Sed has, sicut et caeteras scripturas, depravantes ad suam ipsorum perditionem, » 2. Petr. 3. Ulterius. Si *Deus est pater misericordiarum, et totius consolationis*, cur Dei vera mater non sit et ipsa vere, quamvis non eadem ratione, sed post Deum prae caeteris, misericordiarum mater, totiusque consolationis? Si Deus est cœlorum rex, atque terrarum, cur sua mater, modo sibi prae caeteris convenienti, non vere dicatur *Regina cœli*, *Regina Angelorum*, *Damina mundi*? Si Christus est *via*, *veritas*, *et vita*, etc. cur mater Christi non sit post Christum omnis spes viae, et veritatis, vita nostra, advocata nostra, tota fiducia nostra, etc. Praeterea, si cum veritate hac, quod Christus est *lux mundi*, Joan. 8. stat, quod Apostoli sunt *lux mundi*, Matth. 5. Si et cum hac, quod Christus est *petra*, 1. Corinth. 10. stat, quod unus Apostolorum, tamquam petra, cognominatur Petrus, Matth. 16. Si et cum hac, quod Christus est *pastor*, Joann. 10. stat, quod Petrus prae caeteris est pastor, Jo. 21. Quomodo fiet umquam, quod de Beata Virgine matre Dei non possint post Deum, in precibus verificari illa, quae, ut audivimus, ei attribuuntur á sancta Ecclesia? Abeant itaque cum inscitia sua scripturarum, veritatis, ac Beatae Virginis osores, et impii in tenebris conticescant: quia, etsi non ut Deum, ut docuit praesentis articuli conclusio, tamen prae reliquis post Deum, *Beatam eam dicent omnes generationes. Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas haereses *Vigilantii* (ut innuit B. Hieronymus in lib. quem contra eumdem scripsit) dicentis: reliquias sanctorum, carnes, et ossa mortui non debere à populo venerari; neque á monumento fœtido extrahi, nec in capsa aurea, vel argentea reponi. Et dicentis: sanctorum martyrum sepulchra, et sanctorum corpora non esse veneranda. Item *Orphanorum*, qui facto suo, quo sanctorum reliquias destruebant, dixerunt: reliquias ipsas non esse venerandas. Item aliquorum (hos ajunt fuisse *Joannem Wicleff*, et *Eunomium*) dicentium: quod ii, qui venerantur sanctorum reliquias, idololatriam committunt. Et addentium pejus, scilicet, quod reliquiae Christi Salvatoris nostri adoratione aliqua non sunt dignae. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eas merito damnari á veritatibus aureis super totam legem veterem, Numer. 12. concl. 7. Item á Concilio Nicaeno secundo, ut recitatur art. 3. app. Ipsius enim dicta facile est applicare etiam ad reliquias sanctorum ratione contactus, et inde contraria haereticorum phantasmata condemnare. Item à dictis art. 4. cum Elucid. ratione eadem, scilicet contactus. Item ab ecclesiasticis dogmatibus, *sanctorum corpora*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Ex quibus à fortiori, idest, multo magis (ut quisque prudens discurrendo concludet) condemnantur ii, qui contra reliquias Christi blasphema bucca obloquuntur, et latrant. Item á B. Augustino in lib. de civit. Dei, id quod summatim tangitur in text. corp. " Tu demortui patris relictam tibi vestem honorificenter tractas, et reverenter induis, et ossa divorum sugillabis? Quae sane hoc magis honorari convenit, quo praestabiliora sunt indumento. Annulo quem amicus decedens é vivis tibi legavit, digitum non exornas; nisi chari amici imago subeat; nisi dulcium verborum memineris, nisi annulum etiam perpetuae amicitiae pignus relictum exosculaveris. Et tu in cineres divorum nobiscum repositos mordacem jocum confingens, linguam coinquinatam, quasi ignem devorantem, et gladium acutum exeres? Quid enim sunt cineres, et ossa, nisi quaedam sanctorum pignora in terris relicta? Quae

et futuram resurrectionem nobis promittunt, et in corporis glorificationem spem nostram erigunt.» Item à B. Hieronymo in Epistola contra Vigilantium sic eum alloquente. "Quis enim ó insanum caput, aliquando martyres (*latria*) adoravit? Quis homines putavit Deum? Nonne Paulus, et Barnabas, cum á Lycaonibus Jupiter, et Mercurius putarentur, et eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua. et se homines esse dixerunt? Non quod meliores non essent olim mortuis hominibus, Jove, et Mercurio: sed, quod sub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur. Quod et de Petro legimus, qui Cornelium se adorare cupientem manu sublevavit, et dixit: Surge; nam et ego homo sum. Et audes dicere, illud nescio quid, quod in modico vase transferendo colis? Quid est illud, nescio quid? id scire desidero. Expone liberius, ut tota libertate blasphemes, pulvisculum, nescio quid, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum. Dolet, martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinum, ut solum Vigilantius ebrius, et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae, et Timothei transtulit Constantinopolim: apud quas daemones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur? Sacrilegus dicendus et nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Judaea transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi. qui rem vilissimam, et cineres dissolutos in serico, et vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta laetitia, quasi praesentem, viventemque prophetam cernerent, susceperunt; ut de Palaestina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, et in Christi laudem una voce resonarent? O Portentum in terras ultimas deportandum!» Qui et in epistola ad Riparium presbyterum dicit: « De his rebus interrogas, quae et proferre, et audire, sacrilegium est. Ais: Vigilantium, qui dormitantius rectius diceretur, os fœtidum rursus aperire; et putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum proferre reliquias, et nos, qui eas suscipimus, appellare cinerarios, et idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur. O infelicem hominem, et omni lachrymarum fonte plangendum! Ergo Petri, et Pauli immundæ sunt reliquiœ? Ergo Moysi corpusculum immundum erit, quod juxta Hebraicam veritatem ab ipso Domino sepultum est? Plus aliquid dicam, quod redundet in auctoris caput, et insanum cerebrum vel sanet aliquando, vel deleat. Ergo et Domini corpus in sepulchro positum immundum fuit? Et Angeli, qui candidis vestibus utebantur, mortuo cadaveri, atque polluto praebebant excubias? Et quid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione praecederent?» Item ab eodem in lib. 3. centra Ruffinum. "Protinus concito gradu Bethlehem meam reversus sum; ubi adoravi praesepe, et incunabula Salvatoris.» Quibus facto suo adorationis reliquiarum condemnat haereses antedictas. Item á Damasceno in lib. 4. de fid. orthod. cap. 3. "Si amatorum diligibilis est domus, et lectulus, et hortus: quanto magis, quae Dei, et Salvatoris, per quae et salvati sumus?» Item à Concilio *Bracarensi* 3. *Cano.* 5. per hoc, quod ab eo sanctorum reliquiae vocantur sanctae Dei reliquiae. Item á Concilio Nicaeno secundo, actio. 3. "Servator noster Christus fontes salutares, sanctorum reliquias nobis reliquit; multis modis beneficia fundentes. Martyrum enim ossa virtutes multas operantur, atque id per Christum, qui in ipsis habitat. Cum his sanctas etiam imagines reveremur; principio adorantes Dei Verbi propter nos incarnati imaginem.» Quibus (ut prudentibus ex contextu patet) adorationem impendendam sanctorum reliquiis decernit. Item à Concil. *Trident.* sess. 25. Decret. de invocatio. veneratio. et reliq. sanctorum. "Mandat sancta synodus, etc. affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta á fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse: prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.» Vide totum illud capitulum: quoniam ad

multa in tota hac qu. 25. dicta valet. Item á Papa *Innocentio* 3. in Concilio generali: ut habetur Extravagan. de reliq. et veneratione sanctorum cap. 2. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene, etc.

---

## QUÆSTIO VIGESIMA SEXTA,

### DE EO QUOD CHRISTUS MEDIATOR DEI, ET HOMINUM DICITUR, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de hoc quod dicitur Christus Dei, et hominum mediator.

*Et circa hoc quæruntur duo.*

Primo, utrum esse mediatorem Dei et hominum, sit proprium Christo.

Secundo, utrum hoc conveniat ei secundum humanam naturam.

### ARTICULUS 1.

*Utrum esse mediatorem Dei, et hominum sit proprium Christo.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod esse mediatorem Dei, et hominum non sit proprium Christo.

1. Illud quod convenit sacerdotibus, et prophetis, non est proprium Christo. Sed esse mediatorem Dei et hominum convenit sacerdotibus et prophetis. Ergo esse mediatorem non est proprium Christo.

Maior prob., quia esse prophetam, et sacerdotem non est proprium Christo, sed convenit etiam aliis.

Maior prob., quia Deut. 5. dicitur. *Ego illo tempore sequester fui, et medius inter Deum, et vos.*

2. Illud quod convenit Angelis bonis et malis, non potest dici esse proprium Christo. Sed esse medium inter Deum et homines convenit Angelis bonis et malis. Ergo esse medium inter Deum et homines non est proprium Christo.

Minor prob. Et quidem de Angelis bonis, est sententia Dion. in 4. cap. de div. nom. De malis autem ostenditur, quia habent dæmones quædam communia cum Deo, scilicet immortalitatem, quædam cum hominibus, scilicet quod sunt animo passivi, et per consequens miseri, ut patet per Aug. 9. de civ. Dei c. 8.

3. Illud quod convenit etiam Spiritui Sancto, non est proprium Christo. Sed esse mediatorem inter Deum, et homines convenit etiam Spiritui Sancto. Ergo esse mediatorem inter Deum et homines non est proprium Christo.

Minor. Qui interpellat pro nobis, est mediator inter Deum et nos: ad officium enim mediatoris pertinet interpellare ad unum eorum, inter quos est mediator pro altero. Sed *Spiritus Sanctus interpellat pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus*, ut dicitur ad Rom. 8. Ergo Spiritus Sanctus est mediator inter Deum et nos.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur 1. Tim. 1. *Unus est mediator Dei, et hominum homo Jesus Christus.*

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Solus Christus est perfectus Dei, et hominum mediator.

Prob. Ille cui soli convenit unire homines Deo perfective, est solus Dei et hominum mediator perfectus. Sed soli Christo convenit unire homines Deo perfective. Ergo solus Christus est perfectus mediator Dei et hominum.

Minor prob., quia per mortem Christi homines reconciliati sunt Deo, secundum illud 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, et 1. Tim. 1. cum dixisset, *unus est mediator Dei et hominum homo Jesus Christus*, sub-

junxit: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis.*

Maior prob., quia ad mediatoris officium proprie pertinet conjungere, et unire eos inter quos est mediator; extrema enim in medio uniuntur.

2.ª CONCLUSIO. Nihil prohibet aliquos alios dici mediatores inter Deum, et homines, non simpliciter, sed secundum quid.

Prob. Quia aliqui alii possunt cooperari ad unionem hominum cum Deo, dispositive, vel ministerialiter, ut dicetur in responsionibus argumentorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod prophetæ, et sacerdotes veteris testamenti dicti sunt mediatores inter Deum, et homines dispositive, et ministerialiter, in quantum scilicet prænuntiabant, et præfigurabant verum et perfectum Dei et hominum mediatorem. Sacerdotes vero novi testamenti possunt dici mediatores Dei et hominum, in quantum sunt ministri veri mediatoris, vice ipsius, salutaria sacramenta hominibus exhibentes.

Ad 2. Dicitur etiam ad minorem, quod Angeli boni, ut Augustinus dicit 9. de civitate Dei, capit. 13. non recte possunt dici mediatores inter Deum et homines. «Cum enim utrumque habeant «commune cum Deo, scilicet beati-«tudinem et immortalitatem, nihil au-«tem horum cum hominibus miseris et «mortalibus, quomodo non potius re-«moti sunt ab hominibus, Deoque con-«juncti, quam inter utrosque medii cons-«tituti?» Dion. tamen dicit eos esse medios, quia secundum gradum naturæ sunt infra Deum, et supra homines constituti; et mediatoris officium exercent, non principaliter et perfective, sed ministerialiter et dispositive. Unde Matth. 4. dicitur, quod *acceserunt Angeli, et ministrabant ei*, scilicet Christo. Dæmones autem habent communem cum Deo immortalitatem, cum hominibus autem miseriam. Et ad hoc se interponit medium dæmon miser, et immortalis, ut ad immortalem vitam transire non sinat, sed ut præducat ad miseriam immortalem. Unde dæmon est sicut malus mediator, qui separat amicos. Unde Angelus bonus est medius solum ministerialiter, et dæmon est malus medius, non ad conjungendum homines cum Deo, sed ad separandum. Christus autem habuit communem cum Deo beatitudinem, cum hominibus vero mortalitatem; et ideo ad hoc se interposuit medium, ut mortalitate transacta, et ex mortuis faceret immortales, quod in se resurgendo monstravit, et ex miseris beatos, unde numquam ipse decessit. Et ideo ipse est bonus, et solus mediator, qui perfective inimicos reconciliat Deo.

Ad 3. Negat. minor. Spiritus enim sanctus, cum sit per omnia Deo æqualis non potest dici medius vel mediator inter Deum et homines; sed solus Christus, quia licet secundum divinitatem æqualis sit Patri, tamen secundum humanitatem minor est Patre, ut dictum est quæst. 20. art. 1. Unde super illud ad Gal. 3. *Mediator unius non est*, dicit Glos. ord. *Non Pater, nec Spiritus Sanctus.* Dicitur autem Spiritus Sanctus interpellare pro nobis, quia ipse interpellare nos facit.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus sit secundum quod homo mediator Dei et hominum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non sit mediator Dei, et hominum, secundum quod homo.

1. Christus est mediator Dei et hominum secundum quod est Dei, et hominis filius. Ergo Christus non est mediator solum in quantum est homo.

Anteced. prob., quia August. dicit in lib. contra Felic. c. 10. «Una est Chris-«ti persona, ne sit non unus Christus, non «una substantia, nec mediatoris dispen-«satione submota, aut Dei tantum dica-«tur aut hominis filius.»

Conseq. prob., quia Christus non est

Dei et hominis filius secundum quod homo, sed simul secundum quod Deus et homo.

2. Christus propter hoc quod in quantum est Deus convenit cum Patre, et Spiritu Sancto, non potest dici mediator, in quantum est Deus. Ergo nec etiam in quantum est homo, potest dici mediator propter convenientiam, quam cum hominibus habet.

Antecedens probatur, quia super illud 1. Tim. 2. « Mediator Dei et hominum, » etc. dicit Glos. « In quantum « est Verbum, non medius est; quia « æqualis est Deo, et Deus apud Deum, « et simul unus Deus. »

Conseq. prob., quia sicut Christus in quantum est Deus convenit cum Patre, et Spiritu Sancto, ita in quantum est homo, convenit cum hominibus.

3. Christus dicitur mediator, in quantum abstulit peccatum quod nos separabat á Deo. Ergo Christus non est mediator, in quantum homo, sed in quantum Deus.

Anteced. prob., quia Christus dicitur mediator in quantum reconciliavit nos Deo; quod fecit auferendo peccatum, quod nos separabat á Deo.

Conseq. prob., quia auferre peccatum convenit Christo, non in quantum est homo, sed in quantum est Deus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in lib. 9. de Civ. Dei capit. 15. « Non ob hoc mediator « est Christus, quia Verbum: maxime « quippe immortale, et maxime beatum « Verbum longe est á mortalibus mise- « ris; sed mediator est, secundum quod « homo. »

*Determinatio.*

Conclusio. Christus verissime dicitur mediator, non in quantum est Deus, sed secundum quod est homo.

Prob. Christo non convenit ratio medii, nec mediatoris officium in quantum est Deus: sed utrumque ei convenit propriissime in quantum est homo. Ergo Christus non est mediator in quantum Deus, sed in quantum est homo.

Conseq. prob., quia illa duo possumus in mediatore considerare, scilicet rationem medii, et officium conjungendi. Unde ille cui hæc conveniunt, mediator dici potest.

Anteced. prob. et quantum ad partem negantem, scilicet quod illa duo non conveniant Christo secundum quod est Deus, ostenditur. Nam de ratione medii est quod distet ab utroque extremorum; conjungit autem mediator per hoc, quod ea quæ unius sunt, defert ad alterum; quorum neutrum potest convenire Christo, secundum quod Deus: nam secundum quod Deus non differt á Patre, et Spiritu Sancto in natura, et potestate dominii, unde non convenit Christo in quantum Deus, ratio medii, cum á Deo non distet. Nec etiam Pater et Spiritus Sanctus aliquid habent, quod non sit Filii, ut sic posit id quod est Patris, vel Spiritus Sancti, quasi quod est aliorum, ad alium deferre.

Quantum vero ad partem affirmantem, scilicet quod illa duo conveniant Christo, ut est homo, probatur, quia Christus, secundum quod est homo, distat á Deo in natura, et ab hominibus in dignitate gratiæ et gloriæ. In quantum etiam est homo, convenit Christo conjungere homines Deo, præcepta, et dona Dei hominibus exhibendo, et pro hominibus Deo satisfaciendo, et interpellando.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod Christus qui est Filius Dei, est mediator: nam si subtrahatur natura divina á Christo, subtrahetur per consequens ab eo singularis plenitudo gratiarum, quæ convenit ei, in quantum est unigenitus à Patre, ut dicitur Joan. 1. Ex qua quidem plenitudine habet, ut sit super omnes homines constitutus, et propinquius ad Deum accedens. Esse

igitur mediatorem convenit Filio Dei, non tamen in quantum Deus, sed in quantum est homo.

Ad 2. Negatur consequentia. Non enim eodem modo Christus convenit in quantum Deus cum Patre, sicut convenit in quantum homo cum hominibus. Christus enim, secundum quod Deus, est per omnia æqualis Patri; in quantum autem est homo, convenit quidem cum hominibus in natura, excedit tamen omnes alios homines. Et ideo secundum quod homo potest esse mediator, non autem secundum quod Deus.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod licet auctoritative peccatum auferre conveniat Christo, secundum quod est Deus; tamen satisfacere pro peccato humani generis convenit ei secundum quod est homo, et secundum hoc dicitur Dei et hominum mediator. Et hæc de incarnationis mysterio, et de consequentibus dicta sint.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 26.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem conclus. 2. interimas haeresim *Pauperum de Lugduno* (ut refertur ex summa F. Icconeti, 5. p c. 2. in bibliotheca Vaticana manuscripta) dicentium, quod sancti non orant pro nobis, neque audiunt orationes fidelium. Item haeresim *Vigilantii* dicentis, quod sancti in cœlo non orant pro vivis: ideo non sunt in nostrum auxilium invocándi. Quibus haeresibus concordant multi alii, sicut et in plerisque aliis supra, tum infra recitandis; licet hoc non exprimatur, sed semper praesupponatur. *Secundo* habes: quomodo per eamdem *secundæ* conclusionis rationem ostendas, illas merito damnari a. 2. 2. articulorum num. 441. cum Elucidat. Item ab Additio. articulorum, num. 314. 315. 356. cum Elucidat. Item á veritatibus aureis super legem veterem, Exod. 32. conclus. 3. et Numer. 11. concl. 1. Item á Concilio *Trid.* sess. 25. Decret. de invocatio. etc. secundum quod allegatur supra q. 25 ar. 6. append. Vide tu loca omnia; ut tollatur prolixitas, et repetitio. Item à Job. c. 3. *Ad aliquem sanctorum convertere.* Scilicet, pro auxilio tui invocandum: ut ibi patet. De sententiis amicorum Job, quarum haec est una, quomodo recte intelligi debeant, vide 1. 2. articulorum num. 467. in Elucidatio. Item ab Exod. 32. " Quiescat ira tua, et esto placabilis super malitia populi tui: Recordare Abraham, Isaac, et Jacob, *etc.* Placatus est Dominus super iniquitates populi sui. » Patet enim hic, quod merita sanctorum mortuorum, scilicet Abraham, Isaac, Jacob, intercesserunt pro populo, et obtinuerunt ei misericordiam: quoniam textuum connexio sensum hunc aperte monstrat consideranti. Similiter etiam damnantur á Daniel. 3. " Ne auferas misericordiam tuam á nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, » etc. Hac enim oratione finita, quam suffragarunt merita Patrum, scilicet Abraham, Isaac, et Israel, qui ibi adducebantur ab orante: tunc liberati sunt de fornace illi tres. Item à Gen. 48. " Invocetur nomen meum super eos, et nomina patrum meorum Abraham, et Isaac. » Ex hoc enim patet intentum, ut supra, discurrenti. Item a. 2. Machab. 15. " Oniam manus protendentem orare pro omni populo judaeorum. Qui et dixit Judae. Hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Hieremias propheta Dei. » Ex praemisis enim tu, à fortiori argumentando, concludas universaliter (secundum scripturas) dicens contra haereses illas. Si Patres sancti in lymbo existentes, nondumque aperta Dei visione fruentes pro hominibus orabant, et suffragabantur eis: multo utique magis sanctos nunc in aeterna, claraque Dei beatitudine existentes orare cre-

dendum est pro nobis. Item á dictis in qu. 8. ar. 1. 3. Si enim hominum vivorum simul, et bonorum mortuorum Christus est caput, ut ibi dicitur; et membra sunt pro se invicem solicita, 1. Corinth. 12. utique sancti in patria, cum non desierint nobiscum esse membra unius capitis, scilicet Christi, erunt soliciti pro nobis, ut ad consortium ipsorum perveniamus, tamquam membra membris colligata, in unius corporis augmentum, perfectionemque concurrentes. Quomodo autem sanctorum erga nos manifestaretur solicitudo prædicta, quam Apostolus attestatur, nisi orarent pro nobis, hoc est, nisi, tamquam mediatores, cooperarentur ad nostram unionem cum Deo, idest, ad nostram salutem? Aut ergo membra Christi nobiscum sanctos perseverare negent, aut membra non esse pro se invicem solicita dicant, necesse est illos, qui sanctorum intercessionem tollere contendunt: quorum tamen utrumque contra Apostolum est, tum Roman. 14. per ly *ut vivorum, et mortuorum dominetur*, tum 1. Corinth. 12. ut allegatum fuit. Apostolus igitur, locum utrumque connectendo, simul dixit; mortui cum vivis sunt membra unius Christi, et pro se invicem solicitudinem habent, id, quod est, scholastice eum dixisse, sancti mortui sunt mediatores vivorum apud Deum, et consequenter vivi debent honorare ipsos, ipsorumqus reliquias (qu. 25. art. 6.) necnon invocare eosdem in sui patrocinium. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Aug. insinuatum, quod Christus est mediator, secundum quod homo, non secundum quod Deus. A B. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur 1. Timoth. 2. *Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus.* Non enim absque causa, dum Christum dicit esse mediatorem, signanter apponit ly *homo.* Sciebat utique Apostolus, quod Christus non tantum est homo, sed etiam Deus; immo et quod Filius Dei prius est Deus, quam homo, sed et hoc sciebat, quod dignius in infinitum est dicere, illum esse Deum, quam hominem, et quod á digniori fieri alicujus denominatio debet: et tamen, his non obstantibus, ipsemet Christum vocat hominem expresse, cum eumdem appellat mediatorem, postposito nomine Dei. Non enim dicit ly "mediator Dei, et hominum, Deus, et homo Christus Jesus," sed dicere præeligit ly "mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus." Ac si aperte dicat. Ideo Christi humanitatem tantum adduco in medium, quando ipsum mediatorem esse Dei, et hominum affirmo, quia officium hoc mediatoris convenit Christo secundum humanitatem tantum, idest non secundum quod Deus, sed secundum quod homo. Licet autem á digniori debeat fieri denominatio alicujus, absolute loquendo: tamen in casu, quando scilicet ad aliquod propositum facit magis minus dignum alicujus; quam plus dignum (ut contingit in præsenti) tunc denominatio rei illius non fit á digniori, sed à minus digno; non quia minus dignum, sed quia magis ad occurrens propositum est. Item insinuatur idipsum per hoc, quod dicitur Deuter. 18. "Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus." Iste enim propheta est Mesias, idest Christus, ut pulcherrime ad longum declaratur in veritatibus aureis super totam legem veterem Deuter. 18. concl. 6. Sciebat utique Moyses, quod iste propheta futurus erat non tantum sui similis, idest homo, sed etiam Deus: cum non minor fuerit Moyses, quam Isaias, Deuter. 34. et Isaias hoc ipsum cognoverit, cap. 48. "Audi me Jacob, et Israel, quem ego voco: ego primus, et ego novissimus." Hoc est. Ego Deus Israel prædico tibi, quod veniet tempus, quando ego non solum ero primus, idest Deus (quod semper fui) sed etiam ero novissimus (idest homo) quod non semper fui. Nam, sicut in scripturis patet, quod Deus est proprie primus, idest ante quem nihil est, idest æternus: ita etiam in eis Genes. c. 1. patet, quod homo est novissimus, idest novissime creatus, cum et sexto die, et post aliorum omnium creationem creatus ibi narretur. Cum ergo Moyses sciret, prophetam illum, idest, Christum, fore Deum, et hominem, cur de illo, tamquam de homine tantum loquitur per hoc, quod introducit illum fore similem sibi, qui solum erat homo? Ut inde intelligere necessario debeas, quod Christus, pro quanto fuit similis Moysi, idest pro quanto fuit medius, et sequester inter

Deum, et homines (talis enim erat Moyses *Deuteronom. quinto*) non erat, nisi homo, hoc est, quod non exercuit officium mediatoris, in quantum Deus, sed in quantum homo. *Secundo* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO VIGESIMA SEPTIMA,

### DE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ SANCTIFICATIONE, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Post prædicta in quibus de unione Dei, et hominis, et de his quæ unionem consequuntur, tractatum est, restat considerandum de his quæ Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita gessit, vel passus est. Quæ quidem consideratio quadripartita erit. Nam primo considerabimus de his quæ pertinent ad ingressum ejus in mundum. Secundo de his quæ pertinent ad progressum vitæ ipsius in hoc mundo. Tertio de exitu ipsius ab hoc mundo. Quarto de his quæ pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primo quidem de conceptione Christi. Secundo de ejus nativitate. Tertio de ejus circumcisione. Quarto de ejus baptismo.

Circa conceptionem autem ejus oportet: primo aliqua considerare quantum ad matrem concipientem. Secundo quantum ad modum conceptionis. Tertio quantum ad perfectionem prolis conceptæ.

Ex parte autem matris occurrunt quinque consideranda. Primo quidem de sanctificatione ejus. (1) Secundo de virginitate ejus. Tertio de desponsatione ejusdem. Quarto de annunciatione ipsius. Quinto de præparatione ipsius ad concipiendum.

*Circa primum quæruntur sex.*

Primo, utrum B. Virgo mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero.

Secundo, utrum fuerit sanctificata ante animationem.

Tertio, utrum per hujusmodi sanctificationem fuerit sibi totaliter sublatus fomes peccati.

Quarto, utrum per hujusmodi sanctificationem fuerit consecuta ut numquam peccaret.

Quinto, utrum per hujusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem gratiarum.

Sexto, utrum sic sanctificari fuerit proprium sibi.

### ARTICULUS I.

*Utrum Beata Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero.* (1)

*Pro negativa.*=Videtur, quod Beata Virgo non fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero.

1. Nativitas spiritualis non est ante nativitatem ex utero. Sed sanctificatio est nativitas quædam spiritualis. Ergo sanctificatio B. Mariæ Virginis non præcessit nativitatem ex utero.

Maior prob., quia Apostolus dicit 1. Cor. 15. «Non prius quod spirituale est, « sed prius quod est animale, deinde quod « est spirituale. »

Minor prob., quia per gratiam sanctificantem nascitur homo spiritualiter in filium Dei, secundum illud Joan. 1. *Ex Deo nati sunt.*

2. Illud, quod est tantum renatorum, non præcedit nativitatem ex utero. Sed sanctificatio est tantum renatorum. Ergo sanctificatio non præcedit nativitatem ex utero.

Maior prob., quia nemo renascitur, nisi prius nascatur.

(1) Cum in hac quæstione loquitur de sanctificatione B. Virginis, ly *sanctificatione* non intenditur significari *mundatio*, sed *conceptio* immunis a peccato originali.

(1) Hic articulus coincidit cum sequenti; propterea illum aliqualiter variandum judicavimus.

Minor prob., quia August. dicit in Epist. ad Dardanum, et est 57. «Sanc-« tificatio, qua efficimur templum Dei, « nonnisi renatorum est. »

3. Si B. V. Maria fuisset santificata, antequam ex utero nasceretur, sequeretur quod si mortua fuisset ante Domini passionem, regnum cœlorum intrare potuisset. Sed hoc est falsum. Ergo Beata V. Maria non fuit sanctificata ante nativitatem ex utero.

Consequentia ostenditur. Quicumque enim est sanctificatus per gratiam, est mundatus á peccato originali, et actuali. Si ergo B. V. M. fuit sanctificata ante nativitatem ex utero, consequens est quod tunc fuerit mundata eb originali peccato, quod solum eam tunc poterat ab introitu regni cœlorum impedire. Unde si post sanctificationem mortua esset, regni cœlorum januam introisset.

Falsitas autem consequentis probatur, quia janua regni cœlorum per Jesu Christi passionem patefacta fuit. *Habemus enim fiduciam in introitum sanctorum per sanguinem ejus*, ut dicitur Heb. 10.

4. Quamdiu aliquis est in actu peccandi, non potest á peccato actuali mundari. Ergo nullus potest á peccato originali mundari, quamdiu est in ipso actu originis in materno utero existens; ac per hoc nec B. V. potuit ab originali peccato mundari ante nativitatem.

Conseq. prob., quia peccatum originale contrahitur ex origine, sicut peccatum actuale ex actu; unde sicut aliquis non potest mundari á peccato actuali, dum est in ipso actu peccandi, ita nullus poterit mundari á peccato originali, dum est in actu originis in materno utero.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ecclesia celebrat nativitatem Beatæ Mariæ Virginis. Ergo B. V. in ipsa sua nativitate fuit sancta, ac per hoc ante nativitatem sanctificata.

Conseq. prob., quia in Ecclesia non celebratur festum, nisi pro aliquo sancto.

*Determinatio.*

Conclusio. Firmiter credendum est, quod Beata Virgo Maria sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur, immo in primo instanti suæ conceptionis sanctificata fuit, ut patebit ex dicendis in sequ. art.

Prob. tamen hoc modo. Invenimus in scripturis fuisse concessum aliquibus sanctis privilegialiter, ut in utero sanctificarentur: sicut Hier. cui dictum est, Hierem. 1. " Antequam exires de vulva " sanctificativi te,» et Joan. Baptistæ, de quo dictum est Lucæ 1. "Spiritu Sancto " replebitur adhuc ex utero matris suæ.» Ergo multo magis dicendum est, quod B. V. M. sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur.

Consequentia prob. Quia credendum est, quod illa quæ genuit *Unigenitum á Patre plenum gratiæ et veritatis*, præ omnibus aliis maiora privilegia gratiæ acceperit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod etiam in B. V. M. prius fuit id quod est animale; et postea id quod est spirituale; quia prius fuit, secundum carnem concepta, quod est animale, et postea fuit etiam sanctificata secundum spiritum, idest, præservata á peccato originali.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod Aug. loquitur de sanctificatione, quæ fit per sacramenta, secundum legem communem: per sacramenta enim non possunt regenerari, et sanctificari, nisi qui sunt ex utero nati. Sed Deus huic legi sacramentorum potentiam suam non alligavit, quin aliquibus ex speciali privilegio gratiam suam conferre possit, antequam ex utero nascantur.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod B. V. M. præservata fuit á peccato originali in primo instanti suæ conceptionis speciali gratia Dei et intuitu meritorum Christi: ideoque

non intraret in Paradisum, nisi per ostium Christi, sicut et de sanctis Patribus, qui fuerunt ante Christum, dicitur. Suppositio tamen ista imaginaria dicenda videtur, quia secundum ordinem providentiæ verificari non poterat.

Ad 4. Dicitur, quod nullus potest á peccato originali mundari, quamdiu est in ipso actu originis in materno utero existens cum peccato in actu contracto; potest tamen esse immunis et præservatus ab illo contrahendo. Deinde negandum est, quod qui est in utero materno jam conceptus, sit in ipso actu originis: actus enim originis est, quando proles concepta animatur, et tunc contrahitur originale peccatum. Unde tam in primo instanti animationis, ut contigit in Beata Virgine, quam post animationem, nihil prohibet prolem conceptam sanctificari: post conceptionem enim non manet in materno utero ad accipiendam naturam; sed ad aliqualem perfectionem ejus, quod jam accepit.

## ARTICULUS II.

### *Utrum B. V. M. fuerit sanctificata ante animationem, seu aliis verbis, utrum B V. Maria in primo instanti suæ conceptionis fuerit præservata et immunis á peccato originali.* (1)

*Pro negativa.*==Videtur, quod B. V. Maria non fuerit sanctificata ante animationem, seu quod non fuerit immunis á peccato originali.

1. Emundatio á peccato non potest fieri ante infusionem animæ rationalis. Sed sanctificatio, de qua loquimur, est emundatio á peccato originali; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dion. dicit cap. 12. de div. nom. Ergo sanctificatio non potest fieri ante animationem.

Maior probat., quia culpa non potest emundari nisi per gratiam, cujus subjectum est sola rationalis creatura.

2. Si sanctificatio B. M. V. fuisset facta ante animæ rationalis infusionem, sequeretur quod B. V. non indiguisset redemptione, et salute facta per Christum de quo dicitur Matth. 1. « Ipse enim « salvum faciet populum suum á peccatis eorum. » Sed hoc est inconveniens. Ergo sanctificatio B. M. non est facta ante animationem.

Conseq. prob., quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpæ, ante infusionem animæ rationalis, proles concepta non est culpæ obnoxia, et sic quocumque modo B. V. ante animationem sanctificata fuisset, numquam incurrisset maculam originalis culpæ; et ita non indiguisset redemptione, et salute quæ facta est per Christum.

Falsitas consequentis probatur, quia Christus est Salvator omnium hominum, ut dicitur 1. Tim. 4.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Conclusio. B V. Maria in primo instanti suæ conceptionis præveniente S. Sancti gratia, intuitu meritorum Jesu Christi Redemptoris á peccato originali præservata et immunis fuit.

Hæc conclusio est de fide tenenda, definita á Summo Pontifice Pio IX in sua Bulla dogmatica data die VIII decembris an. 1854 his verbis: « Auctoritate D N. Jesu Christi Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam, quæ tenet, Beatissimam Virginem Mariam, in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse á Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter, constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac á Nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumpserint corde sentire,

(1) Quia conceptio immaculata B. Virginis jam est dogma fidei, ordinem articuli invertendum putavimus adducendo pro argumentis rationes corporis articuli, et argumenta pro rationibus congruentiæ.

ii noverint, ac porro sciant, se propio judicio condemnatos, naufragio circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiæ defecisse, ac præterea facto ipso suomet pœnis à jure statutis subjicere si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint. (Vide Bul. appos. ad art. 3. quæst. 81. primæ secundæ par. tom. 4. pag. 369.)

*Determinatio.*

Eadem conclusio.

Probari potest rationibus congruentiæ. Quibusdam sanctis concessum fuit ut sanctificarentur antequam exirent de ventre matris. Ergo á fortiori B. V. Maria debuit esse sanctificata in primo instanti suæ conceptionis.

Consequentia prob., quia plus gratiæ collatum est Virgini Matri Dei, quam alicui sanctorum.

Anteced. prob. In prophetia Jerem. capit. 1. V. 5. dicitur de ipso Jerem. «Priusquam te formarem in utero, novi «te; et antequam exires de vulva sanc«tificavi te.» Et de Joanne Baptista Lucæ capit. 1. v. 15. legitur: et «spi«ritu Sancto replebitur adhuc ex utero «matris suæ.» Ergo.

Alia ratio. Conveniens fuit, ait Anselm. in lib. de concep. virg. cap. 18. ut illa Virgo, nempe B. Maria ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Unde et Cant. 4. dicitur: «Tota «pulcha es anima mea, et macula non «est in te.» Quæ verba Ecclesia applicat B. Virgini addendo «et macula originalis» non est in te. Ergo.

Alia ratio. Festum solemne non potest celebrari nisi de aliquo sancto. Sed Ecclesia, immo quamplurimi Summi Pontifices concesserunt ut in pluribus locis, præcipue in Hispania, celebraretur festum solemne cum recitatione officii divini et missæ celebratione de immaculata et purissima Conceptione beatæ Virginis Mariæ. Ergo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. mai. quia emundatio á peccato, quæ fit per gratiam, potest fieri in primo instanti conceptionis vel post conceptionem seu infusionem animæ. Et in B. Virgine emundatio seu immunitas á peccato originali primo modo, nempe in primo instanti suæ conceptionis facta fuit. Solutio hæc patebit amplius ex dicendis ad secundum.

Ad 2. Quantum ad verba illa «sequeretur quod B. Virgo non indiguisset redemptione et salute facta per Christum» notandum est pro clariori solutione ipsorum, quod illud de fide creditum, scilicet, quod omnium hominum Christus est Salvator á peccatis eorum, intelligitur duobus modis. Et quocumque istorum modorum de aliquo homine verificetur, salvatur fides illa. *Primus* itaque modus est, quod alicujus jam sub peccato actualiter existentis sit Salvator, idest de facto extrahens eum ex illo peccato. *Secundus* autem est, quod alicujus in periculo cadendi in peccatum existentis sit Salvator, idest de facto retinens eum, ne cadat in peccatum illud. Hos duos modos salvandi homines novit B. Thom. Ecclesiæ Sanctæ Doctor eximius, ut ipse post D. Aug. in 2. 2. quæst. 106. art. 2. manifestat sic. «Aug. dicit in 4. "confession. quis hominum suam cogi- "tans infirmitatem audet viribus suis "tribuere castitatem, atque innocentiam "suam: ut minus amet te: quasi minus "ei fuerit necessaria misericordia tua, "qua condonas peccata conversis ad te? "Tantumdem, immo amplius te diligat: "quia, per quem me videt tantis pecca- "torum meorum languoribus exui, per "eum se videt tantis peccatorum lan- "guoribus non implicari. Gratiæ tuæ, "et misericordiæ tuæ deputo, quia pec- "cata mea, tamquam glaciem solvisti. "Gratiæ tuæ deputo et quæcumque non "feci mala. Quid enim facere non po- "tui? Omnia mihi dimissa esse fateor,

" et quæ mea sponte feci mala, et quæ " te duce non feci. » Hæc D. Thomas. Quibus se optime scivisse monstravit duos prædictos modos redimendi homines á peccato. Ex quibus etiam patet, quod ipse scivit, quemlibet, etiam quantumcumque immaculatum, seu innocentem (præsupposito, quod possit cadere in peccatum) indigere redimi á peccatis per Christum; *illa*, inquit, *misericordia, qua condonas peccata conversis ad te.* Id, quod non fit á Deo, nisi per Christum. Nemo enim potest esse justus, nisi cui merita passionis Domini Nostri Jesu Christi communicantur, ut dicit Concil. *Trident. sess.* 6. *cap.* 7. Salvatorem igitur omnium hominum, etiam quantumlibet immaculatorum, ipse noverat esse Christum. Et hoc ipsum per illa verba in 2. 2. docuit. Per necessariam ergo *sequelam* patet, B. Thom. novisse hoc, scilicet quod B. Virgo etiamsi numquam actualiter incurrisset maculam originalis culpæ, indiguisset redimi per Christum á peccato, et consequenter non tolleretur propter hoc á Christo suum privilegium, scilicet quod sit Salvator omnium hominum. Salvasset enim etiam tunc matrem suam á culpa originali, in quam utique de facto cecidisset, si ipse eam á casu tali non præservasset.

NOTA 1.°

Pro reverentia, bono nomine et mente Divi Thomæ circa immaculatam Virginis Mariæ Concep. hæc addenda putamus.

Hic articulus, fert editio Parmensis, adducebatur tamquam piæ sententiæ de Immaculato Virginis Conceptu adversarius. Sed res est extra omnem dubitationis aleam posita, Angelicum Præceptorem pluribus aliis in locis operum suorum apertissime favere sententiæ propugnanti Immaculatam Virginis conceptionem. Sic ut unum proferam inter cæteros (Sent. lib. 1. dist. 44. q. 1. ar. 3. in resp. ad tertium) hæc habet: *talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ á peccato originali, et actuali immunis fuit.* Si ergo Virgo Sanctissima fuit immunis á peccato originali, sequitur illud numquam contraxisse; nam si contraxisset etiam per unum instans, dici non posset eam fuisse immunem. Quo igitur pacto verba quæ hic leguntur sunt cum prioribus concilianda? Numquid S. Thomas sibi invicem pugnantia tradidit, vel primam sententiam retractavit? Nihil minus.—Sed viam ad hanc difficultatem enodandam strenue aperuit Eminentissimus vir *Aloysius Lambruschini.* Porro hic excellentis doctrinæ theologus in sua Polemica dissertatione de Immaculato Virginis Conceptu quam Romæ in lucem edidit anno 1842, animadvertit ex collatione veterum S. Thomæ editionum cum recentioribus, palam fieri plerasque istarum mutilatas, et interpolatas esse, præsertim in locis ubi sermo est de Conceptione B. M. V. Cujus quidem rei testes citat omni exceptione maiores, quos inter Joannem Nicolai in prologo editionis operum S. Doctoris ab ipso vulgatæ Parisiis, anno 1663, qui se dicit textum S. Thomæ non á Typographicis tantum corruptelis expurgasse, sed maxime ab affectatis, ac industria, et studio relictis, quæ legitimum sensum, vel historicam sinceritatem veracitatemque perverterent.—Si itaque in operibus S. Thomæ plura sunt loca, nec suspecta, quæ sententiæ de Immaculato Virginis Conceptu favent, si plura eidem adversantia, inveniuntur dissona ab antiquo et genuino S. Doctoris textu, ideoque mutilata atque corrupta, optima Critices regulæ postulant standum esse primis, non secundis, et ab illis, non ab his arguendam esse veram Aquinatis mentem. — Hoc adeo verum est, ut scripserit Joannes Viterbiensis (ut refert Rainaldus in tract. de Pietate Lugduni edito) quod beati Thomæ, ac veri ordinis Prædicatorum propria opinio est B. Virginem ne pro instanti quidem subjacuisse iræ Dei. — Deinde, ut animatvertit laudatus Eminentissimus vir Card. Lambruschini in cit. Dissertat. hæc verba: *nec ante ani-*

*mationem, nec in animatione, sed post animationem sanctificatam et á peccato originali mundatam fuisse* Beatissimam Virginem, quæ in hoc articulo leguntur in hodiernis editionibus, non leguntur in codice Hispalensi, non leguntur in codice qui Massiliæ asservatur in Conventu FF. Prædicatorum, nec in aliis pluribus: hinc Dominicanus Bromiardus (in Summa Prædicantium, verbo *Maria* art. 2. n. 10) non dubitavit asserere «quod S. Thomas (part. III. qu. XXVII, «art. 2.) ponit ejus (Mariæ) sanctificationis excellentiam, quantum ad tempora prioritatem in hoc, quod sanctificata fuit in sui animatione, id est, in «conjunctione animæ cum corpore in «utero matris suæ:» quod significat Mariam fuisse immaculatam in suo conceptu pasivo, id est, animam ejus, gratia sanctificante præventam, fuisse á peccato originali immunem. — At vero nempe dubium excluditur, cum ex litteris Roma acceptis certiores facti sumus anno 1854 die 8 decembris in ævum memoranda, quæ fuit Dominica II Adventus, Sanctissimum D. N. Pium IX in Petri Cathedra feliciter sedentem hora XI inter Missarum solemnia, universa plaudente Ecclesia proclamasse, tot votis exoptatam Dogmaticam definitionem de Immaculato Deiparæ conceptu. Hac occasione cusum est aureum numisma auctoritate S. Pontificis, quo donati sunt omnes cardinales et episcopi, qui plurimi festum diem Sanctæ Genitricis Dei celebraturi, in Almam Urbem convenerant. A parte priore imaginem B. Virginis; á parte posteriore hanc inscriptionem exhibet: MARIÆ SINE LABE CONCEPTÆ PIVS IX. P. N. EX AVR. AVSTRALIÆ PRIMITIIS SIBI OBLATIS CVDI JVSSIT SEXTO IDVS DEC. MDCCCLIV.

NOTA 2.°

Cum loquitur D. Thomas de celebratione festi Conceptionis B. Mariæ Virginis ait, quod *talis celebritas non est totaliter reprobanda:* circa quæ verba dicitur in editione Parmensi: Hæc verba, *non est totaliter reprobanda*, sunt adeo clara, ut nesciam quo pacto nonnullis visus sit S. Thomas in hoc articulo obsistere Immaculatæ Deiparæ Conceptioni. — Etsi autem dicat hic in aliquibus Ecclesiis festum Conceptionis fuisse celebratum, ipse tamen suam sententiam declaravit (Sent. lib. 1. dist. 44. quæst. 1. art. 3. ad 3.) docens, Virginem Mariam immunem fuisse á peccato originali ea ratione qua immunis fuit á peccato actuali: atqui á peccato actuali ideo fuit immunis, quia illud numquam admisit: ergo á pari immunis fuit á peccato originali, quia illud numquam incurrit. — Hæc animadvertimus eo consilio, ut pateat quam immerito S. Thomas sententiæ olim dumtaxat piæ de immaculata B. M. V. Conceptione, veluti adversarius ab aliquibus traductus fuerit. Etsi autem hæc quam jactant, fuisset genuina ac propria ejus sententia, nihil inde concludi posset contra hanc doctrinam, quæ modo dogmatica est, ac de fide tenenda; et si nostris temporibus viveret Angelicus, eam libentissime amplectaretur, qui tanta devotione ferebatur in Virginem Sanctissimam, quique suam doctrinam semper judicio et auctoritati Ecclesiæ summa humilitatis, ac obedientiæ laude subjecit.

## ARTICULUS III.

### *Utrum per sanctificationem fuerit B. V. immunis á fomite peccati.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod B. V. non fuerit immunis ab infectione fomitis.

1. B. Virgo fuit subjecta pœnalitatibus peccati originalis, scilicet morti, et aliis pœnalitatibus. Ergo ab ea non fuit remotus peccati fomes.

Conseq. prob., quia sicut pœna originalis peccati est fomes, qui consistit in rebellione inferiorum virium ad rationem, ita mors, et cæteræ pœnalitates sunt originalis peccati pœnæ.

(1) Etiam hujusce art. litteram aliquantulum variavimus juxta sensum catholicæ doctrinæ.

2. Quod pertinet ad perfectionem virtutis, non fuit á B. V. subtractum. (1) Sed fomes pertinet ad perfectionem virtutis. Ergo fomes non fuit á B. Virgine subtractus.

Maior prob., quia nihil pertinens ad perfectionem virtutis fuit B. Virgini subtrahendum.

Minor prob., quia 2. Corin. 12. dicitur: *Virtus in infirmitate perficitur*; et loquitur ibi de infirmitate fomitis, secundum quam patiebatur stimulum carnis. In fomite igitur perficitur virtus.

3. Dam. dicit in 3. lib. ort. fid. c. 2. quod « in B. Virginem supervenit Spiri- " tus Sanctus, purgans eam ante concep- " tionem Filii Dei:» quod non potest intelligi, nisi de purgatione á fomite; nam peccatum non fecit, ut Aug. dicit in lib. de natura, et gratia, cap. 36. Ergo per sanctificationem non fuit libere mundata á fomite.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Beata Virgo fuit immunis ab omni macula. Ergo Beata Virgo fuit etiam immunis á fomite.

Anteced. prob., quia de ipsa dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.*

Conseq. prob., quia fomes pertinet ad maculam, saltem carnis.

*Determinatio.*

*Diversæ opinones.*

Circa hoc quæsitum diversæ sunt opiniones.

Quidam dixerunt quod in ipsa sanctificatione B. V. qua fuit sanctificata in primo instanti suæ Conceptionis, totaliter ei fuit fomes subtractus.

Quidam vero dicunt quod remansit fomes quantum ad hoc quod facit difficultatem ad bonum; sublatus tamen fuit quantum ad hoc quod facit pronitatem ad malum. Alii dixerunt quod sublatus fuit fomes, in quantum pertinet ad corruptionem personæ, prout impellit ad malum, et difficultatem facit ad bonum; remansit tamen in quantum pertinet ad corruptionem naturæ, prout scilicet est causa traducendi originale peccatum in prolem. Alii dicunt quod in sanctificatione remansit fomes, secundum essentiam, sed ligatus. In ipsa autem conceptione Filii Dei, fuit totaliter sublatus.

*Quid sit fomes, et reprobatio secundæ, et tertiæ opinionis.*

Fomes nihil aliud est, quam inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamen, quia actualis concupiscentia est motus peccati. Dicitur autem concupiscentia sensualitatis esse inordinata, in quantum repugnat rationi quod fit in quantum inclinat ad malum, vel facit difficultatem in bono. Et ideo ad ipsam rationem fomitis pertinet quod inclinet ad malum, vel difficultatem faciat in bono. Unde ponere quod remanserit fomes in B. V. non inclinans ad malum, ut dicebat secunda opinio, est ponere duo opposita simul. Similiter etiam videtur oppositionem implicare quod remanserit fomes, in quantum pertinet ad corruptionem naturæ, non autem in quantum pertinet ad corruptionem personæ, ut dicebat tertia opinio: nam secundum August. in lib. de nupt. et concup. cap. 24. libido est quæ originale peccatum transmittit in prolem. Libido autem importat innordinatam concupiscentiam; quæ non totaliter subditur rationi. Et ideo si totaliter fomes subtraheretur, in quantum pertinet ad corruptionem personæ, non posset remanere in quantum pertinet ad corruptionem naturæ.

Restat ergo, ut dicamus quod vel totaliter fuerit ab ea fomes sublatus, per sanctificationem, ut dicebat prima opinio, vel quod remanserit ligatus, ut dicebat ultima opinio.

*Expositio primæ opinionis.*

Posset autem intelligi quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo quod

(1) Hæc et alia similia quæ passim in hac quæstione occurrunt verba, sunt interprætanda juxta sensum dogmatis á P. IX. definiti.

præstitum fuerit B. V. ex abundantia gratiæ, descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animæ in ipsa quod inferiores vires numquam moverentur sine arbitrio rationis, sicut quæst. 15. art. 2. dictum est fuisse in Christo, quem constat peccati fomitem non habuisse, et sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem justitiam; ita quod quantum ad hoc gratia sanctificationis in Virgine, habuit vim originalis justitiæ. Sit igitur

Conclusio. Beata V. Maria á primo instanti suæ Conceptionis fuit immunis ab infectione fomitis.

Probatur: B. V. Maria á primo instanti suæ conceptionis fuit immunis ab omni labe, ut dictum est in art. præced. Ergo etiam immunis fuit ab omni infectione fomitis.

Conseq. prob., quia fomes est efectus peccati.

Nec hoc derogat dignitati Christi quod Maria fuerit á primo instanti suæ conceptionis immunis á fomite peccati; nam quod Filius habuit per naturam, Mater habuit per privilegium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod non est eadem ratio de fomite, et de aliis pœnalitatibus. Mors enim et hujusmodi aliæ pœnalitates, de se non inclinant ad peccatum. Et ideo etiam Christus assumpsit has pœnalitates, non autem assumpsit fomitem. Unde etiam in Beata Virgine, ut Filio conformaretur, de cujus plenitudine gratiam accipiebat, fuit á fomite præservata et immunis, non autem fuit liberata á morte, et ab aliis hujusmodi pœnalitatibus.

Ad 2. Dicitur quod aliquid potest pertinere ad perfectionem virtutis dupliciter. Uno modo directe, et principaliter, sive per se. Alio modo occasionaliter. Tunc ad maiorem dicitur quod illud quod pertinet per se ad perfectionem virtutis, non est negandum B. V. non tamen est necesse quod in ea fuerit omnis occasio perfectionis virtutis. Tunc ad minorem dicitur quod fomes, qui est carnis infirmitas, est quidem in sanctis viris perfectæ virtutis occasio; non tamen est causa, sine qua perfectio virtutis haberi non possit: hujusmodi autem causa virtutis perfectæ est abundantia gratiæ, quæ in B. Virgine maxime post Christum fuit.

Ad 3. Respondendum est ad verba Damasceni quod Spiritus Sanctus purgavit B. Virginem, non ab aliqua impuritate culpæ vel fomitis, sed per hoc quod eam magis illuminavit, mentem ejus magis in unum colligens, á multitudine sustollens, et altius elevans; nam et Angeli purgari dicuntur, in quibus tamen nulla impuritas invenitur, ut Dion. dicit in 6. cap. Cœl. Hierarch.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum B. V. per hujusmodi sanctificationem fuerit consecuta, ut numquam peccaret.* (1)

*Pro negativa.* = Videtur, quod B. V. per hujusmodi sanctificationem non fuerit consecuta, ut numquam peccaret.

1. Super illud Lucæ 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; dicit Aug. in Qq. nov. et vet. testam. qu. 73. quod *B. Virgo in morte Domini stupore quodam dubitavit.* Ergo Beata V. non fuit præservata immunis ab omni peccato.

Conseq. prob., quia dubitare de fide, peccatum est.

2. Chrys. super Matth. 12. Hom. 45. exponens illud, «Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes te,» dicit: «manifestum est, quod solum ex vana «gloria hoc faciebant.» Et super illud Joan. 2. «Vinum non habent,» dicit idem Chrys. quod «volebat ut jam hominum gratiam conciliaret, et seipsam cla-

(1) Affirmative respondendum est juxta illud concil. Trident. (sess. VI, can. 23.): *Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali* Dei *privilegio, quemadmodum de* Beata *Virgine tenet* Ecclesia, *anathema sit.*

«riorem facere per filium: et fortassis quid «humanum patiebatur, quemadmodum et «fratres ejus dicentes, Manifesta te ipsum «mundo.» Et post pauca subdit: «Non«dum enim quam oportebat de eo opi«nionem habebat» quod totum constat esse peccatum. Ergo Beata Virgo non fuit præservata immunis ab omni peccato.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in lib. de Nat. et grat. cap. 36. "De Sancta Virgine Maria, "propter honorem Christi, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere "volo quæstionem. Inde enim scimus "quod ei plus gratiæ collatum fuerit, "ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum."

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Simpliciter fatendum est quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale.

Prob. Ea quæ fuit electa divinitus, ut esset mater Dei, sic debuit disponi et præparari, ut nullum actuale peccatum committere posset. Sed Beata Virgo Maria fuit divinitus electa ad hoc, ut esset idonea Mater Dei. Ergo Beata Virgo sic debuit disponi, et præparari, ut nullum actuale peccatum committere posset.

Maior habet duas partes. Prima est quod illa quæ fuit electa Mater Dei, debuerit á Deo disponi ad hoc ut congrue Mater Dei esse posset. Altera est quod hæc dispositio debuerit fieri per hoc quod nullum peccatum posset committere. Et quoad utramque prob. Quoad primam ostenditur: quia illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, et disponit, ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud 2. Cor. 3. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Quoad aliam partem autem prob. quia non fuisset idonea mater Dei, quæ aliquando peccasset; tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. 17. *Gloria filiorum patres eorum*: unde per oppositum ignominia Matris ad Filium redundasset; tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit; dicitur autem 2 Cor. 6. *Quæ conventio Christi ad Belial?* tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in aïima, sed etiam in utero; dicitur autem Sap. 1. "In malevolam animam non introhibit sapientia, nec in "corpore subdito peccatis." Et ideo simpliciter fatendum est quod ea quæ fuit divinitus electa, ut esset idonea mater Dei, nullum commisit actuale peccatum, ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Et hoc est etiam quod Angelus ad eam dicit Lucæ. 1. *invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies*, etc. (1)

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens quod illud verbum Simeonis Origenes hom. 18. in Lucam, et quidam alii Doctores exponunt de dolore, quem B. V. passa est in Christi passione; et secundum hanc expositionem nulla apparet difficultas. Ambrosius autem lib. 2. in Lucam «per "gladium» dicit «significari prudentiam "Mariæ, non ignaram mysterii cœlestis. Vivum est enim Verbum Dei, et "validum, et acutius omni gladio acutissimo." Quidam vero per gladium dubitationem intelligunt, ut August. loco citato: quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis sed admirationis, et discussionis. Dicit enim Basil. in epist. ad Optimum quod "B. V. assistens Cruci, et aspiciens singula post "testimonium Gabrielis, post ineffabilem divinæ conceptionis notitiam, post "ingentem miraculorum ostensionem,

(1) Iisdem argumentis demonstrari potest fuisse pariter á peccato originali immunem.

« animo fluctuabat, » ex una scilicet parte videns eum pati abjecta, et ex alia parte considerans ejus mirifica.

Ad 3. Dicitur quod in verbis illis Chrys. excessit. Possunt tamen exponi ut intelligatur in ea Dominum cohibuisse, non inordinatum inanis gloriæ motum, quantum ad ipsam, sed id quod ab aliis posset æstimari.

## ARTICULUS V.

*Utrum B. Virgo per hanc sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod B. V. per sanctificationem non obtinuerit gratiæ plenitudinem, sive perfectionem.

1. Ea quæ sunt propria Christi, non sunt alteri attribuenda. Sed habere plenitudinem gratiæ videtur pertinere ad proprium privilegium Christi, secundum illud Joan. 1. *Vidimus eum quasi unigenitum á Patre, plenum gratiæ, et veritatis.* Ergo plenitudinem gratiarum non accepit B. V. in sanctificatione.

2. Beata Virgo, post sanctificationem in utero, additionem gratiæ suscepit: et quando Christum concepit, dictum est enim Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te*, et iterum quando in gloria est assumpta. Ergo B. Virgo in sua prima sanctificatione plenitudinem gratiarum non accepit.

Conseq. prob., quia ei quod est plenum, et perfectum, non restat aliquid addendum.

3. Beata Virgo non exercuit usum quarumdam gratiarum: non enim legitur eam docuisse, quod est actus sapientiæ; aut miracula fecisse, quod est actus gratiæ gratis datæ. Ergo B. V. M. non habuit plenitudinem gratiarum.

Conseq. prob., quia frustra habuisset gratias, quarum usum non exercuit, quod est inconveniens, quia Deus nihil frustra facit, ut dicitur 1. de Cœl. textu 32.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Angelus ad B. V. dixit Lucæ 1. *Ave gratia plena.* Quod exponens Hieron. in Serm. de Assump. dicit « bene gratia « plena, quia cæteris per partes præsta- « tur; Mariæ vero se totam simul infudit « plenitudo gratiæ. »

*Determinatio.*

Conclusio. Beata Virgo Maria præ cæteris (1) maiorem debuit á Christo gratiæ plenitudinem obtinere.

Prob. Illa quæ fuit propinquissima Christo, debuit á Christo præ cæteris maiorem gratiæ plenitudinem obtinere. Sed Beata Virgo Maria fuit Christo propinquissima, secundum humanitatem. Ergo B. Virgo Maria debuit á Christo maiorem plenitudinem gratiæ præ cæteris obtinere.

Maior probat. Quanto magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dion. dicit 4. cap. Cœl Hier. quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Sed Christus est principium gratiæ, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter; unde Joan. 1. dicitur: *gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* Ergo quæ fuit propinquissima Christo, habuit plenitudinem gratiarum.

Minor prob., quia Christus ex Beata Virgine humanitatem accepit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod habere plenitudinem gratiæ convenit Christo, et Beatæ Virgini, diverso tamen modo. Unicuique enim á Deo datur gratia, secundum hoc, ad quod divinitus eligitur. Et quia Christus in quantum est homo, ad hoc fuit prædestinatus, et electus, ut esset Filius Dei in virtute sanctificandi, hoc fuit sibi proprium, ut

(1) Sive angelis, sive hominibus, sive quoad extensionem, sive quoad intensionem.

haberet talem plenitudinem gratiæ quod redundaret in omnes, secundum quod dicitur Joan. 1. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus.* Sed B. V. M. tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiæ, ita quod eum qui est plenus omni gratia, in se reciperet, et eum pariendo, quodammodo per ipsam ad omnes gratiam derivaret.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod ei quod est plenum et perfectum in suo ordine, non restat aliquid addendum in illo ordine, potest tamen simpliciter additionem perfectionis majoris recipere. Ad quorum evidentiam est considerandum quod in rebus naturalibus primo quidem est perfectio dispositionis, puta cum materia est perfecte ad formam disposita; secundo est perfectio formæ quæ est potior: nam et ipse calor qui provenit ex forma ignis, perfectior est quam calor qui ad formam ignis disponebat. Tertio autem est perfectio finis, sicut ignis perfectissime habet proprias qualitates, cum ad locum suum pervenerit. Et hæc triplex perfectio gratiæ fuit in B. Virg. Prima quidem quasi dispositiva, per quam reddebatur idonea ad hoc, ut esset Mater Christi, et hæc fuit perfectio sanctificationis; secunda perfectio gratiæ fuit in B. V. ex præsentia Filii Dei in ejus utero incarnat. Tertia est perfectio finis, quam habet in gloria. Prima est magna, secunda maior, tertia maxima, et unaquæque in suo genere perfecta fuit.

Ad 3. Dicitur quod non est dubitandum, quin B. V. acceperit excellenter donum sapientiæ, gratiam virtutum, idest miraculorum, et etiam prophetiæ; non tamen accepit, ut haberet omnes usus harum, et similium gratiarum, sicut habuit Christus; sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius. Sapientiæ enim usum habuit in contemplando, secundum illud Lucæ 2. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Non autem habuit usum sapientiæ quantum ad docendum; quia hoc non conveniebat sexui muliebri, secundum illud 1. Tim. 2. *Docere autem mulieri non permitto.* Miraculorum autem usus sibi non competebat dum viveret, quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis; et ideo soli Christo et ejus discipulis qui erant bajuli doctrinæ Christi, conveniebat miracula facere. Propter quod etiam de Joanne Baptista dicitur quod *signum fecit nullum*, ut scilicet omnes Christo intenderent. Usum autem prophetiæ habuit Beata Virgo, ut patet in cantico quod fecit: *Magnificat anima mea Dominum.* Ad formam igitur negatur antecedens, quantum ad sapientiam: etsi enim non habuerit usum sapientiæ in actu docendi, cum sibi hoc non competeret, habuit tamen usum sapientiæ meditando: quantum vero ad gratiam miraculorum, negatur consequentia: habuit enim gratiam miraculorum, sed non actum in hac vita, ratione dicta. Ad probationem negatur consequentia; non enim est necesse ut qui habet gratiam, habeat ejus usum, nisi quando hoc expedit, et est conveniens. Non enim erat conveniens, ut B. V. in vita faceret miracula ratione dicta.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum sanctificari in utero fuerit proprium Beatæ Virgini.* (1)

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod sanctificari in utero post Christum fuerit proprium Beatæ Virgini.

1. Esse mater Dei est proprium Beatæ Virgini. Ergo sanctificari in utero est proprium B. Virgini.

Conseq. prob., quia dictum est art. præc. quod propter hoc Beata Virgo

(1) Articulus hic loquitur de sanctificatione in utero post conceptionem et in hoc sensu convenit sanctis de quibus legitur in corpore. Verum B. Virgo fuit omnino præservata et immunis a peccato originali in primo instanti suæ conceptionis, ut definitum est de fide tenenda, et hæc sanctificatio illi tantum est propria. His notatis juxta sensum catholicæ doctri exponat lector; nam illum intactum relinquimus.

fuit sanctificata in utero, ut redderetur idonea ad hoc, ut esset mater Dei.

2. Aliqui videntur propinquius accessise ad Christum, quam Jeremias et Jo. Baptista, qui tamen non fuerunt sanctificati in utero. Ergo nec Jeremias, nec Joannes Baptista fuerunt in utero sanctificati, sed sola Beata Virgo.

Antecedens prob. Nam Christus dicitur specialiter Filius David, et Abraham propter promissionem eis specialiter factam de Christo. Isaias etiam expressime de eo prophetavit. Apostoli etiam cum Christo conversati sunt, et nullus horum legitur quod fuerit sanctificatus.

Consequentia patet, quia sanctificatio est ex maiori propinquitate ad Christum, qui est sanctificationis fons.

3. Job de se dicit cap. 31. « Ab in- « fantia crevit mecum miseratio, et de « utero egressa est mecum; » nec tamen propter hoc dicimus eum sanctificatum in utero. Ergo neque Joannem Baptistam, et Jeremiam cogimur dicere sanctificatos in utero.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

De Jeremia cap. 1. dicitur « ante- « quam exires de ventre, sanctificavi te, » et de Joan. Baptista dicitur Luc. 1. « Spi- « ritu Sancto replebitur adhuc ex utero « matris suæ. »

*Determinatio.*

*Quid senserit Augustinus.*

Augustinus in epist. ad Dardanum, et epistol. 37. dubie videtur loqui de sanctificatione Jeremiæ, et Joan. Baptistæ in utero; « potuit enim exultatio " Joannis in utero (ut ipse dicit) esse " significatio rei tantæ, » scilicet quod mulier esset mater Dei « á maioribus cognoscendæ, non á parvo cognitæ. Unde in evangelio non dicitur, credidit infans in utero; sed, exultavit. Videmus autem exultationem, non solum parvulorum, sed etiam pecorum esse; sed hæc inusitata existit, quia in utero. Et ideo sicut solent miracula fieri, facta est divinitus in infante, non humanitus ab infante. Quamquam etiam si usque adeo est in illo puero acceleratus usus rationis, et voluntatis, ut intra viscera materna jam posset cognoscere, credere, consentire (ad quæ in aliis parvulis ætas expectatur, ut possint) et hoc in miraculis habendum puto divinæ potentiæ. » Ex quibus verbis patet August. fuisse dubium, an Beatus Joan. Baptista fuerit, vel non fuerit in utero sanctificatus.

*Quid sentiendum.*

1.ª Conclusio. Sanctificari in utero non fuit proprium B. Virginis; sed ante ipsam Jeremias, et post ipsam S. Jo. Baptista fuerunt in utero sanctificati, etiamsi usum liberi arbitrii non habuerint.

Prob. Prima pars, quia expresse in Evang. dicitur de Joanne: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ*; et de Jeremia expresse dicitur: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Altera pars probat. quia etiam pueri, qui sanctificantur per baptismum, non statim habent usum liberi arbitrii.

2.ª Conclusio. Non est credendum aliquos alios sanctificatos esse in utero, de quibus scriptura mentionem aliquo modo non facit.

Prob. Quia hujusmodi privilegia gratiæ quæ dantur aliquibus propter legem communem, ordinantur ad utilitatem aliorum, secundum illud 1. Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*, quæ nulla proveniret ex sanctificatione aliquorum in utero, nisi Ecclesiæ innotesceret.

*Ratio, quare solus Jeremias, et Joan. Baptista fuerint sanctificati in utero.*

Et quamvis judiciorum Dei, non possit ratio assignari, quare scilicet huic, et non alteri hoc munus gratiæ conferat, conveniens tamen videtur fuisse utrumque dictorum sanctificari in utero ad præfigurandam sanctificationem per Christum faciendam. Christus enim sanctificationem erat dupliciter facturus.

Primo per ejus passionem secundum illud Hebr. ult. *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*, quam quidem passionem Jeremias, et verbis, et mysteriis apertissime prænuntiavit, et suis passionibus expresissime præfiguravit. Secundo per baptismum, juxta illud 1. Cor. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis*. Ad quem quidem baptismum Joannes suo baptismo homines præparavit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod Beata Virgo, quæ fuit á Deo electa in matrem ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit, quam Joannes Baptista, et Jeremias, qui fuerunt electi, ut speciales præfiguratores sanctificationis Christi; cujus signum est quod Beatæ Virgini præstitum fuit, ut de cætero non peccaret, nec mortaliter, nec venialiter; aliis vero sanctificatis creditur præstitum esse, ut de cætero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod quantum ad alia potuerunt alii sancti esse Christo conjunctiores, quam Jeremias et Joannes Baptista, tamen hi duo fuerunt Christo conjunctissimi quantum ad expressam figuram sanctificationis ipsius, et hanc conjunctionem respicit sanctificatio ipsorum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens quod miseratio de qua Job loquitur, non significat virtutem infusam; sed quamdam inclinationem naturalem ad actum hujus virtutis, ad quod non requiritur sanctificatio in utero.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 27.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo ostendas B. Virginem fuisse omnino puram in primo instanti suæ Conceptionis, ac proinde fuisse sanctificatam ante nativitatem ex utero. Ab Ecclesia quidem insinuatur, ut cum discursiva applicatione dicitur *in arg. cont.* Pro quo fortius roborando scias, quod D. Thom. inquit 2. 2. qu. 10. artic. 12. et quolib. 2. art. 7. "Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda, quia et ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati vel August. vel Hieronym. vel cujuscumque Doctoris." Ex quibus patet, quod hoc, scilicet, Beatam Virginem fuisse in utero matris suæ sanctificatam, cum dicatur ab Ecclesia facto suo, idest, consuetudine celebrandi ejus nativitatem, tenendum est firmius, quam, si hoc idem á quocumque catholico Doctore diceretur. *Maximam* enim, inquit S. Thom. ibi, ut audisti, *auctoritatem habet Ecclesiæ consuetudo*, et quidem super cujuscumque Doctor. auctoritatem. Ex quo loco etiam vicissim nunc habes, quod dictum illud 2. 2. de Ecclesia intelligitur de Ecclesia Romana. Et merito sane: quoniam ipsa Romana ex Christi instituto (per ly *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. et per ly *confirma fratres tuos*, Luc. 22.) est mater, et magistra omnium Ecclesiarum. Quapropter omnes Ecclesiæ, ut in ipsa colligatæ, simul cum ipsa sunt una tantum Ecclesia catholica, unica sponsa Christi dilecta, una columba speciosa, et hujusmodi alia in scripturis dicta de Ecclesia. A scripturis vero idipsum in principio appendicis dictum insinuatur, ut Psal. 45. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Tabernaculum enim Dei, in quo natus, Psalm. 86. requievit novem mensibus, fuit Beata Virgo. Hanc ergo ipse non tantum per creationem fundavit Altissimus *psalm.* 86. sed etiam per infusionem gratiæ sanctificavit.

Ex art. 2. habes *primo*: definitum esse de fide tenenda B. Virginem in primo instanti suæ Conceptionis præservatam fuisse immunem ab omni labe culpæ originalis. Vide Bullam citatam in articulo. Ac proinde omnis disputatio de hoc est prorsus interdicta, et causa jam finita est. *Secundo* habes: quomodo ex duabus annotationibus ad art. appositis ostendas, mentem D. Thomæ fuisse, B. Virginem immunem fuisse in primo instanti Conceptionis á peccato originali.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem á fortiori interimas hæresim *Raymundi Lulli* dicentis (ut refert Directorium Inquisit. p. 2. q. 9.) quod voluntas Mariæ fuit aliquando actu suo contra justitiam stulta, et inobediens: quando, scilicet, non dilexit mortem filii sui. Per hoc enim, quod articulus iste monstrat, B. Virginem numquam habuisse fomitem, patet, quod simul multo magis commonstrat, eam nullam habuisse umquam actualem injustitiam, eam numquam in actibus voluntatis suæ fuisse stultam, aut inobedientem. Si enim inclinationem ad peccandum numquam, vel minimam habuit, id, quod articulus hic negando in ea fomitem docet: quomodo non restat ex hoc eodem articulo firmissimum, quod actualem injustitiam, stultitiam, aut inobedientiam numquam habuit? Porro ad arcendum illum ignorantiæ scrupulum *Raymundi*, quod, scilicet, Maria non potuerit sine injustitia velle suum filium non mori, vide á simili quæst. 18. art. 5. et 1. 2. q. 19. artic. 10. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim illam merito damnari à Concilio Trid. per hoc, quod dicit sess. 6. canon. 23. Beatam Virginem semper fuisse sine peccato etiam veniali: et contrarium anathematizat in hæc verba. "Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia: anathema sit." Item damnari á B. Ambrosio in lib. 2. de virginibus. "Sit vobis, tamquam in imagine, descripta virginitas, vitaque B. Mariæ: de qua, velut speculo, refulget species castitatis, et forma virtutis. Erat illa virgo non solum corpore, sed etiam mente: quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis gravis, animo prudens. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis: *et infra.* Talem hanc Evangelistæ monstravit: talem Angelus reperit: talem Spiritus Sanctus elegit." Quæ tu per te ipsum, pro quanto opus est, applicabis contra Raymundum. Item merito damnari á B. Hieronymo in sermone de assumptione B. Virginis. "Quicquid in ea gestum est, totum puritas, et simplicitas: totum veritas, et gratia fuit: totum misericordia, et justitia. Immaculata autem dicitur: quia in nullo corrupta fuit. Quam si diligentius inspicias: nihil virtutis, nihil speciositatis, nihil est candoris, et gloriæ, quod ex ea non resplendeat." Item merito damnari á B. Bernardo in serm. "Jure quoque Maria sole perbibetur amicta, quæ luci illi inaccessibili videtur immersa: nec summatim tangi, sed, operiri magis, et circumfundi, et tamquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed et calidissimus amictus: cui omnia tam excellenter irradiata noscuntur: ut nihil in ea tenebrosum, vel subobscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari." Ex quibus dic: si nihil in ea non lucidum, non ferventissimum, licet suspicari: quantam damnationem meretur Raymundus Lullus ex eo, quod in ea injustitiam, stultitiam, inobedientiam suspicari non erubuit? Item merito reprobari á Papa *Gregorio* XI. per hoc, quod (ut refert Directorium Inquisit. ubi supra) ipse in Consistorio, etiam de consilio fratrum suorum, interdixit, et condemnavit doctrinam cujusdam Raymundi Lulli (hic est ille) Catalani mercatoris de civitate Majoricarum oriundi, laici, phantastici, imperiti, qui quamplures libros ediderat in vulgari Catalonico, quia grammaticam ignorabat. Quo in loco ex quingentis erroribus centum recensentur. De isto Raymundo etiam R. P. F. Bernardus Lutzem. dicit, quod multa edidit opuscula hæreseos crimine undequaque referta vulgari sermone Catalonico scripta: quam doctrinam, haud dubium est, eum habuisse á diabolo: licet ille asserat, in quodam monte á

Christo sibi apparente in specie crucifixi illam didicisse. Quæ omnia Petrus Terracensis, et Nicolaus Eymericus ordinis Prædicatorum sententia sua condemnarunt. In quibus voluminibus plus, quam quingenti errores sunt reperti. Nec obstat vel minimum prædicta sua jactantia, quoniam (inquit idem Reverendus Pater) est hæreticorum proprium, sibi Deum sæpe imaginaliter fingere: quem intueri spiritualiter nequæunt. Errorem autem prædictum in principio appendicis non vocassem hæresim, nisi præter has omnes damnationes phantasiarum Raymundi vidissem ab Ecclesia catholica speciatim teneri contrarium in canone Consilii *Trident.* supra adducti, scilicet, quod B. Virgo numquam peccavit actualiter, nec peccato veniali quidem. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et Concilio, quod B. Virgo nullam umquam actualem culpam incurrit. A Concilio autem Trid. sess. 6. canon. 23. ut recitatur supra art. 3. append. Et scito, quod hæresis ibi recitata, et damnata potest etiam condemnari per rationem præsentis articuli. A scripturis vero Luc. 11. "Beatus venter, qui te portavit, *etc.* Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Ac si aperte dicat. Plus est beata mater mea ex hoc, quod mandata Dei audita plenissime custodivit, quam quod in ventre me portavit, et uberibus lactavit. Unde Beda venerabilis ista verba exponens ait: "Hoc in loco Beatæ Dei genitricis excellentia commendatur: quia in tanta speculationis custodia Domino famulabatur, quod ipsius humilitati, et sanctitati nullus sanctorum comparatur. Beatam igitur esse matrem suam salvator noster prædicavit: quæ verbum Dei audivit, et supra omnes hujus vitæ mortales custodivit. Hæc ille in homil. Supra omnes autem mortales, quod est plenissime custodire mandata Dei est, quantum ad declinationem á malo, nullum peccatum actuale, nec etiam veniale committere in tota vita sua. Nemo enim mortalium ab omni actuali veniali sic abstinuit umquam secundum Concilium supra, et 1. Joan. 1. ideoque beata virgo supra omnes homines alios verbum Dei, quoad elongationem á culpa, tunc dicitur custodisse, quando consideratur, quod ab omni veniali semper immunis fuit. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et Hieronymo, quod per sanctificationem B. Virgo obtinuit gratiæ plenitudinem. A B. Hieronymo quidem: ut est *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Luc. 1. *Ave gratia plena.* Nam de gratiæ plenitudine per sanctificationem habita intelligitur hoc: ut ex sufficienti divisione habetur. Non enim de plenitudine, seu perfectione gratiæ habita in conceptione Christi intelligendum est illud Angeli ad B. Virginem dictum: quoniam ipsa virgo nondum conceperat filium, quando hoc sibi dicebatur. Item nec de plenitudine vel in die Pentecostes, vel in sui assumptione habita intelligi potest illud: ut de se patet. *Secundo* ex articuli præsentis determinatione exclusum habes errorem *Raymundi Lulli*; quo (ut refert Directorium Inquisit. 2. part. quæst. 9.) dixit Mariam Virginem esse bonam per naturam, et habere proprietatem per seipsam faciendi bonum. Vides enim ex articulo isto Sancti Doctoris, quod hæc, scilicet, bonitas moralis, vel facultas faciendi bonum, conveniunt B. Virgini per gratiam: et consequenter neque per naturam, neque per seipsam, neque per proprietatem naturalem. Tota siquidem hujusmodi ejus (sicut et aliorum) bonitas, sanctitas, operatio bona, sunt in ea (sicut et in omnibus aliis) ex munere Dei: non autem secundum hæresim *Pelagianam* ex humanis naturæ viribus.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Manichæorum*; ut refert Bernardus de Lutzemburgo in suo catalogo hæreticorum, dicentium; quod Joan. Baptista Christi præcursor est damnatus eo, quod non crediderit in Christum. Dixit ly *tamquam in radice*, quoniam art. præsens per hoc, quod monstrat, Joannem Baptistam fuisse sanctificatum, commonstrat pariter hoc aliud, scilicet, quod numquam postea habuit peccatum mortale: ut patet ex responsione tex. *ad* 1. In idem ergo redit, quod fuerit sanctificatus et quod nullam actualem mortalem

culpam habuerit: ideoque omnia, quæ ipsum in rero sanctificatum dicunt, ipsum etiam ab actuali mortali defendunt. Nullus vero damnatus est unquam, aliquandoque damnabitur, nisi propter peccatum mortale, vel originale vel actuale, ut constat evidentissime ex scripturis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam radicitus merito damnari á Luc. 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Item ab eod. ibid. «Exultavit in gaudio infans in utero meo.» Ut dicit Sanctus Ambrosius « vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Illa Mariæ, isto Domini sensit adventum. » Item merito directe damnatur á Matth. 11. « Cæpit dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam?» quasi dicat; arundo agitata vento Joannes ideo esse negatur, ut ostendatur, quod ab illa fide, qua prius in Christum credidit, ipsamque confessus est demonstrando eumdem, Joan. 1. *Ecce agnus Dei*, numquam propter ullam adversitatem, nec etiam vinculorum, in quibus tunc erat dimotus est: et quod numquam in fide illa ex humana inconstantia vel leviter vacillavit: sed quod semper idem, qui adhuc in ventre matris clausus in fide fuit, constanter perseveravit. Dixi ly *adhuc in ventre*, quoniam etiam tunc et in fide claruit, et fidem de Christo docuit. Unde B. Maximus in serm. de Joan. Bapt. sic dicit. «Hic nasciturum, *Christum*, prophetalis spiritus illuminatione prævidit; et natum privilegio gratiæ singularis ostendit. Intantum autem in B. Joanne spiritualis præfulsit electio: ut ante meretur annuntiare dominum; quam linguam, qua annuntiare posset, acciperet. Vere puer iste omnium beatissimus parvulorum, qui intra viscera materna adhuc conclusus adesse salvatorem mundi, quia necdum sermone poterat, prophetico gaudio revelaverit. S. Joannes in tantum omnium prophetarum supergressus est gloriam, ut salvatorem nostrum non solum esse venturum, sed adventasse jam, et cohabitare hominibus revelaret; cum eum digito demonstrans ait; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quam innocens hujus vita? vel qua devotione possumus hujus merita compensare; qui agni cœlestis adventum et primus agnovit, et solus ostendit? *Item á Matth.* 11. Inter natos mulierum non surrexit maior Joanne Baptista. «Quod exponens B. Aug. in serm. de eod. sancto ait.» Magnus Joannes, cujus magnitudini etiam Salvator testimonium perhibuit dicens; Non surrexit inter natos mulierum major Joan. Bapt. Præcellit cunctis; Eminet universis; Antecedit Prophetis: Supergreditur Patriarchas; et quisquis de muliere natus est, inferior est Joanne.» Item damnatur illa hæresis ab ecclesia per hoc quod decollationis ejus festum celebrat: sine dubio factis ipsis aperte contestans; quod Joannes propter justitiam in corripiendo Herodem ostensam, decollatus ad cœlestia regna á miseria qualibet salvus ascendit. Unde passiones martyrum ab ecclesia vocantur natalitia, seu dies natales: secundum B. Aug. in serm. de S. Cypriano dicentem. Hodie natalem martyris ecclesia celebrat. Quid est hoc fratres? Quando sanctus iste natus est, ignoramus; et quia hodie passus est, natalem hujus celebramus. Sed, quando natus est, etiamsi sciremus, nequaquam diem illum celebraremus. Illo namque die peccatum originale contraxit isto die peccatum omne finivit. Illo die ex fastidioso matris utero in hanc lucem processit, quæ oculos carnis illecebat; isto autem die ex profundissimo carcere in illam lucem discessit, quæ visum mentis illustrat. Ad pretiosam mortem, juste vivendo, venit: ad gloriosam vero vitam, injuste movendo, perrexit. » Et idem in sermone de Sancto Genesio. « Magna ex sanctorum natalium nomine demonstratur spes, ac securitas ecclesiæ. Non enim talem debemus timere mortem; in qua renascimur ad salutem. Negotiator iste beatus dedit minus, ut acciperet amplius: emit commercio sanguinis regnum salutis: factaque est ei brevis passio, perpetua beatitudo. Hinc est ergo, quod illius natale colimus; non quo est in terra natus, sed quo est in cœlo renatus; non quo pannis vilibus est indutus; sed quo divinis est floribus coronatus: non quo plorans in mundum venit, sed quo de mundo cum gloria triumphavit. » Quæ, pro quanto decet, puta ab ipso Augustino dici ad propositum celebritatis martyrii Sancti Joannis Baptistæ. Cæterum, quia forsan

hæresis prædicta ab ignorantia *Manichæorum* videbatur deduci posse ex Matth. 11. Quando Joannes mittens discipulos suos ad Christum dixit ei; *Tu es qui venturus es: an alium expectamus?* ideo contra distorsionem scripturæ hujus ab eis fallaciter factam vide veram ipsius sacrorum doctorum expositionem in 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 2. Factus est enim tunc Joannes discipulis infirmis infirmus; quoniam sub eorum persona sic Christum interrogavit, ut discipulos ipsos ex responsis á Christo lucrifaceret, cum tamen in persona propria esset non solum firmus, sed et firmissimum in fide Christi; pro quo tunc paratus erat mori, et mortuus est. *Tertio* vides: etc.

## QUÆSTIO VIGESIMA OCTAVA,

### DE VIRGINITATE B. MARIÆ, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est, de virginitate matris Dei.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum fuerit virgo in concipiendo.

Secundo, utrum fuerit virgo in partu.

Tertio, utrum permanserit virgo post partum.

Quarto, utrum votum virginitatis emiserit.

### ARTICULUS I.

### *Utrum B. Maria fuerit virgo in concipiendo.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod mater Dei non fuerit virgo in concipiendo Christum.

1. Nulla proles, quæ habet patrem, et matrem, concepta est ex virgine. Sed Christus dicitur habere non solum matrem, sed etiam patrem. Ergo Christus non est conceptus ex virgine.

Minor prob., quia Lucæ 2. dicitur: *erant pater ejus, et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo*, et infra eadem mater dicit: *ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.*

2. Matth. 1. prob. quod Christus fuerit filius Abrahæ, et David per hoc quod Joseph ex David descendit: quæ quidem probatio nulla esset, si Joseph pater Christi non fuisset. Ergo videtur, quod Mater Christi ex semine Joseph concepperit Christum; et ita non videtur fuisse virgo in concipiendo.

3. Christus est factus ex muliere. Ergo Christus non fuit conceptus de virgine.

Anteced. prob., quia Gal. 4. dicitur: *Misit Deus filium suum factum ex muliere.*

Prob. consequentia. Quia mulier consueto modo loquendi dicitur quæ est virgo cognita.

4. Qui est ejusdem speciei cum aliis hominibus, non est conceptus ex virgine. Sed Christus est ejusdem speciei cum aliis hominibus. Ergo Christus non est conceptus de virgine.

Maior prob., quia eorum quæ sunt ejusdem speciei, est idem modus generationis, et hoc quia generatio recipit speciem á termino, sicut et cæteri motus; modus autem, quo homines generantur est ex commixtione maris et fœminæ.

Minor prob., quia Philipp. 2. dicitur; *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*

5. Si corpus Christi non fuit conceptum ex semine maris et fœminæ, non fuit verum corpus humanum: quod est inconveniens. Ergo Christus non fuit conceptus ex matre virgine.

Conseq. probat., quia materia propria humanæ formæ, extra quam esse non potest, est semen maris et fœminæ.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumetum sed contra.*

Isaiæ 7. dicitur: *Ecce virgo concipiet.*

*Determinatio.*

Conclusio. Simpliciter confitendum est Matrem Christi virginem concepisse.

Prob. Primo, quia contrarium pertinet ad hæresim Ebionitarum, et Cerinthi, qui Christum purum hominem arbitrabantur, et de utroque sexu eum natum putaverunt, ut patet per Aug. lib. de Hæresib. cap. 8.

Secundo: hoc, scilicet quod Christus sit conceptus de Virgine, est conveniens propter quatuor:

Primo, propter conservandam dignitatem Patris mittentis. Cum enim Christus sit verus, et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens quod alium Patrem haberet, quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium.

Secundo, hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur; quanimo cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur; quia ergo caro sic fuit á Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur.

Tertio, hæc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi, in qua peccatum locum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundum illud Jo. 1. *Ecce Agnus Dei*, scilicet innocens, *qui tollit peccatum mundi*. Non poterat autem esse quod in natura jam corrupta ex concubitu, caro nasceretur sine infectione originalis peccati. Unde August. dicit in lib. de nup. et concup. lib. 1. cap. 12. « Solum nuptialis concubitus ibi « non fuit» scilicet in matrimonio Mariæ et Joseph « quia in carne peccati fieri non « poterat sine illa carnis concupiscentia, « quæ accidit ex peccato, sine qua conci- « pi voluit qui futurus erat absque pec- « cato. »

Quarto, hoc fuit conveniens, propter finem incarnationis Christi quæ ad hoc fuit, ut homines nascerentur in filios «Dei, «non ex voluntate carnis, neque ex « voluntate viri, sed ex Deo,» idest ex ipsa Dei virtute. Cujus rei exemplar debuit apparere in ipsa conceptione Christi; unde August. dicit in lib. de sancta virginitate, cap. 6. « Oportebat caput nos- « trum insigni miraculo, secundum cor- « pus nasci de virgine, quo significaret « membra sua de virgine Ecclesia secun- « dum spiritum nascitura; » fuit igitur conveniens quod Christus de virgine nasceretur, ut dignitas patris conservaretur, proprietatem filii imitaretur, dignitas humanitatis assumptæ ostenderetur, et ut incarnationis finis appareret.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Non enim Christus habuit patrem humanum. Ad probationem dicitur, quod sicut Beda dicit lib. 1. in Luc. cap. 8. " Pater " Salvatoris appellatur Joseph; non quod " vere juxta Photinianos pater fuerit ei, " sed quod ad famam Mariæ conservan- " dam pater fuerit ab omnibus æstima- " tus. " Unde et Lucæ 3. dicitur: " U t " putabatur, filius Joseph. » Vel, sicut August. dicit in lib. 2. cap. 1. de consen. Evang. " Eo modo pater Christi " dicitur Joseph, quo et vir Mariæ in- " telligitur sine commixtione carnis, ip- " sa copulatione conjugii, multo videli- " cet conjunctius, quam si esset aliunde " adoptatus. Neque enim propterea non " erat appellandus Joseph pater Christi, " quia non eum genuerat concumbendo, " quandoquidem Pater esset etiam ei, " quem non ex sua conjuge procreatum " aliunde adoptasset. "

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod sicut Hieron. dicit super Matth. c. 1. " cum Joseph non sit pater Domini Sal- " vatoris, tamen ordo generationis ejus " usque ad Joseph deducitur. Primo qui- " dem quia non est consuetudinis scriptu- " rarum, ut mulierum in generationibus " ordo texatur. Deinde quia ex una tri- " bu fuit Joseph et Maria; unde et ex " lege eam accipere tenebatur, ut propin-

"quam," et ut Aug. in lib. de nup. cit. lib. 1. cap. 11. dicit: "fuit generationum "series usque ad Joseph perducenda ne "in illo conjugio virili sexui utique po- "tiori fieret injuria, cum veritati nihil "periret, quia ex semine David, et Jo- "seph erat et Maria.."

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. negatur assumptum; sicut enim Glos. ibidem dicit, "mulierem pro fœmina po- "suit more locutionis Hebræorum: usus "enim hebrææ locutionis mulieres dicit "non virginitate corruptas, sed fœminas.

Ad 4. Negatur maior Ad prob. dicitur, quod ratio illa habet locum in his quæ procedunt in esse per viam naturæ: eo quod sicut natura est determinata ad unum effectum, ita etiam est determinata ad unum modum producendi illum. Virtus autem supernaturalis divina, cum sit infinita, sicut non est determinata ad unum effectum, ita non est determinata ad modum producendi quemcumque effectum. Et ideo sicut virtute divina fieri potuit ut primus homo de limo terræ formaretur; ita etiam eadem virtute fieri potuit ut corpus Christi formaretur de virgine, absque virili semine.

Ad 5. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod secundum Phil. in lib. 1. de Gen. animalium c. 2. semen maris non est sicut materia in conceptione animalis; sed solum sicut agens; sola autem fœmina materiam subministrat conceptui. Unde per hoc quod semen maris defuit in conceptione Christi, non sequitur quod defuerit ei debita materia humani corporis. Si tamen semen maris esset materia fœtus concepti in animalibus; manifestum est quod non est materia permanens in eadem forma, sed materia transmutata. Et quamvis virtus naturalis non possit transmutare ad certam formam, nisi determinatam materiam; virtus tamen divina quæ est infinita, potest transmutare omnem materiam in quamcumque formam. Unde sicut transmutavit limum terræ in corpus Adæ, ita in corpus Christi transmutare potuit materiam á Matre ministratam, etiamsi non esset sufficiens materia ad naturalem conceptum, etc.

## ARTICULUS II.

### *Utrum mater Dei fuerit virgo in partu.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod mater Dei Christi non fuerit virgo in partu.

1. Ea cujus vulva fuit in partu aperta, non fuit virgo in partu. Sed matris Christi aperta fuit vulva in partu. Ergo mater Christi non fuit virgo in partu.

Maior prob., quia aperitio vulvæ virginitatem excludit.

Minor prob., quia Ambr. dicit lib. 2. in Luc. «Qui vulvam sanctificavit «alienam, ut nasceretur propheta, hic «est qui aperuit matris suæ vulvam, ut «immaculatus exiret.»

2. Illud per quod corpus ejus phantasticum apparere potuit, non est in mysterio incarnationis Christi asserendum. Sed quod mater remanserit virgo in partu, facit corpus Christi phantasticum apparere. Ergo quod mater remanserit virgo in partu, non est asserendum.

Maior prob., quia in mysterio Christi nihil debuit esse, per quod corpus Christi quod verum erat, phantasticum appareret.

Minor prob., quia hoc non videtur vero corpori, sed phantastico convenire, ut possit per clausa transire, eo quod duo corpora simul esse non possint. Non igitur debuit ex matris utero clauso corpus Domini prodire.

3. Corpus quod per clausa potest transire, est gloriosum. Sed corpus Christi in sua conceptione, et nativitate non fuit gloriosum, sed passibile «habens similitu- «dinem carnis peccati,» ut dicitur Rom. 8. Ergo corpus Christi non exivit per clausum uterum virginis.

Maior probat., quia Greg. dicit in Hom. 26. in Evang. Per hoc quod januis clausis ad discipulos post resurrectionem Dominus intravit, «ostendit cor-

« pus suum esse ejusdem naturæ, et al« terius gloriæ. » Et sic per clausa transire videtur ad gloriam corporis pertinere.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In quodam serm. Ephesini Concilii dicitur. *Natura post partum nescit ulterius virginem, gratia vero, et parientem ostendit, et matrem fecit, et virginitati non nocuit.*

*Determinatio.*

Conclusio. Absque omni dubio asserendum est, matrem Christi, etiam in partu, virginem fuisse.

Prob. Primo; quia Propheta non solum dicit: « Ecce virgo concipiet; » sed etiam addit: « Et pariet filium, » et sic fuit virgo, non solum in concipiendo, sed etiam in pariendo. Secundo prob. nam hoc fuit conveniens propter tria: primo, quia hoc competebat proprietati ejus, qui nascebatur, qui est Verbum Dei; nam verbum, non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit, ut de incorrupto virginis utero nasceretur. Unde in sermone quodam Ephesini Concilii legitur. " Quæ parit carnem puram, á " virginitate cessat; sed quia natum est " in carne Verbum Dei, custodit vir" ginitatem, seipsum per hoc ostendens " Verbum. Neque enim verbum nos" trum cum paritur, corrumpit mentem, " neque Deus Verbum, substantialem " partem eligens, peremit virginitatem.» Secundo hoc est conveniens quantum ad effectum incarnationis Christi. Nam ad hoc venit, ut nostram corruptionem tolleret, unde non fuit conveniens, ut virginitatem Matris nascendo corrumperet. Et ideo August. dicit in quodam Serm. de Nati. Domini Serm. 6. "Fas non erat " ut per ejus adventum violaretur inte" gritas, qui venerat sanare corrupta. " Tertio fuit conveniens, ne matris honorem nascendo diminueret qui parentes præceperat honorandos.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod Ambr. dicit hoc, exponens illud, quod Evang. de lege induxit: «Om" ne masculinum adaperiens vulvam, " sanctum Domino vocabitur. " Quod quidem, ut Beda dicit lib. 1. in Luc. c. 7. "consuetæ nativitatis, more loquitur, " non quod Dominus sacri ventris hospi" tium, quod ingressus sanctificaverat, " egressus devirginasse credendus sit." Unde illa adaperitio non significat reserationem communem claustri pudoris virginei; sed solum exitum prolis de utero matris.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur. quod ita Christus voluit veritatem sui corporis demonstrare, quod etiam simul ejus divinitas declaretur, et ideo permiscuit mira humilibus. Unde ut corpus ejus verum ostenderetur, nascitur ex fœmina; sed ut ostenderetur ejus deitas nascitur ex virg. Talis enim partus decet Deum, ut Amb. dicit in hymno Nat.

Ad 3. Quidam dicunt ad minorem quod etsi corpus Christi in sua nativit. non fuerit gloriosum; tamen dicunt Christum in sua nativit. assumpsisse dotem subtilitatis, sicut quando ambulavit siccis pedibus super mare, dicunt assumpsisse dotem agilitatis.

*Reprobatio.*

Sed hoc non convenit his quæ supra quæst. 14. determinata sunt. Hujusmodi enim dotes corporis gloriosi proveniunt ex redundantia gloriæ animæ ad corpus, ut infra dicetur in quæst. 172 et seq. cum tractabitur de corporibus gloriosis. Dictum est autem supra quæst. 14. art. 1. ad 2. quod Christus ante passionem permittebat carni suæ agere, et pati quæ propria; nec fiebat talis redundantia gloriæ ab anima ad corpus.

*Vera responsio.*

Et ideo aliter dicendum est ad maiorem quod non est necesse, corpus, quod

potest per clausa transire, esse gloriosum; potest enim per miraculum corpus etiam non gloriosum per clausa transire: quod igitur corpus Domini exiverit per clausam portam, et ambulaverit supra mare per virtutem divinam, miraculose factum est. Unde Aug. tract. 121. in Joan. dicit: « Moli corporis, ubi divinitas « erat, ostia clausa non obstiterunt; ille « quippe non eis apertis intrare potuit, « quo nascente virginitas matris inviola- « ta permansit, » et Dion. dicit in Epist. ad Caium, quod « Christus super homi- « nem operabatur ea quæ sunt hominis, « et hoc monstrat virgo supernaturaliter « concipiens, et aqua instabilis terreno- « rum pedum sustinens gravitatem. »

## ARTICULUS III.

*Utrum mater Dei permanserit virgo post partum.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod mater Christi non permanserit virgo post partum.

1. Matth. 1. dicitur: « Antequam con- « venirent » Joseph et Maria, « inventa « est in utero habens de Spiritu Sancto. » Ergo videtur quod Beata Virgo quandoque convenerit carnali copula cum Joseph, et ita non permanserit virgo post partum.

Conseq. prob., quia Evangelista non diceret antequam convenirent, nisi de conventuris, quia nemo dicit de non transuro: antequam pranderet; ita non diceret: antequam convenirent, nisi postea convenissent.

2. Maria fuit conjux Joseph: dicit enim Matth. 1. Angelus ad Joseph. *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam.* Ergo videtur quod quandoque carnalis copula intervenerit inter Mariam; et Joseph, et ita quod non remanserit virgo post partum.

Conseq. prob., quia conjugium consummatur per carnalem copulam.

3. Ibidem paulo post dicitur: « et « accepit (Joseph) conjugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit fi- « lium suum primogenitum. » Ergo videtur quod B. V. fuerit carnaliter á Joseph cognita post partum, et per hoc, quod non remanserit virgo post partum.

Consequentia prob., quia hoc adverbium, donec, consuevit determinatum tempus signare, quo impleto fiat id quod usque ad illud tempus non fiebat. Verbum autem cognoscendi, ibi ad coitum refertur. Sicut et Gen. 4. dicitur: quod *Adam cognovit uxorem suam.*

4. Evangelista nominat Christum primogenitum matris in auctoritate inducta in præced. argum. Ergo Beata Maria habuit alios filios post Christum, et per hoc non fuit virgo post partum.

Conseq. prob., quia primogenitus non potest dici, nisi qui habet fratres subsequentes. Unde Rom. 8. dicitur « quos « præscivit, et prædestinavit conformes « fieri imaginis filii sui, ut sit ipse pri- « mogenius in multis fratribus. »

5. Joan. 2. dicitur: *Post hæc descendit Capharnaum ipse*, scilicet Christus, *et mater ejus, et fratres ejus.* Ergo videtur quod Beata Virgo habuerit alios filios post Christum.

Conseq. prob., quia fratres dicuntur qui ex eodem parente geniti sunt.

6. Matth. 27. dicitur: «erant ibi» scilicet juxta crucem Christi « mulieres « multæ á longe, quæ secutæ erant Je- « sum á Galilæa, ministrantes ei, inter « quas erat Maria Magdalene, et Maria « Jacobi, et Joseph mater, et mater filio- « rum Zebedæi. » Videtur autem hæc Maria quæ dicitur hic Jacobi et Joseph mater, quod fuerit Maria mater Christi, quia etiam *stabat juxta crucem Maria mater ejus*, ut dicitur Joan. 19. Quam Matth. non omisisset. Ergo videtur quod mater Christi non permanserit virgo post partum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ezech. 44. dicitur: « porta hæc clausa « erit, et non aperietur, et vir non « transivit per eam, quoniam Dominus

"Deus Israël ingressus est per eam:" quod exponens Aug. in quodam Serm. scilicet 18. de temp. dicit: «Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi Joseph non cognoscet eam? et quid est, Dominus solus intrat, et egreditur per eam, nisi quod Spiritus Sanctus imprægnabit eam, et Angelorum Dominus nascetur per eam? Et quid est, clausa erit in æternum, nisi quod Maria virgo est ante partum, et virgo in partu, et virgo post partum?»

*Determinatio.*

Conclusio. Absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere præsumpsit, matrem Christi post partum á Joseph esse carnaliter cognitam, et alios filios genuisse.

Prob. Nam primo hoc derogat perfectioni Christi, qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia Filius ejus, ita decuit ut esset unigenitus matris, tamquam perfectissimum germen ejus.

Secundo, hic error injuriam facit Spiritui Sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat quod de cætero violaretur per commixtionem virilem.

Tertio derogat dignitati, et sanctitati matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quæ in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum.

Quarto etiam ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam quam revelante Angelo de Spiritu Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Unde simpliciter est asserendum quod mater Dei sicut virgo concepit, et virgo peperit; ita etiam, et virgo post partum in sempiternum permansit, etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod sicut Hierony. dicit in lib. contra Helvidium, «intelligendum est "quod hæc præpositio (ante) licet sæpe "sequentia indicet, tamen nonnumquam "ea tantum, quæ prius cogitabantur, ostendit: nec necesse est ut cogitata fiant; "cum ideo aliud intervenerit, ne ea quæ "cogitata sunt, fierent: sicut si aliquis "dicat, antequam in portu pranderem, "navigavi, non intelligitur quod in portu prandeat, postquam navigaverit; sed "quia cogitabatur in portu pransurus» Et sic Evangelista dicit: «antequam con"venirent, inventa est in utero habens "de Spiritu Sancto.» Non quia postea convenerint, sed quia dum videntur conventuri, prævenit conceptio per Spiritum Sanctum. Ex quo factum est, ut ulterius non convenirent.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod conjungium non semper denotat carnalem copulam, sed aliquando solam desponsationem. Unde dicit August. in lib. 1. de Nup. cap. 11. "Conjux Joseph vocatur mater Dei ex "prima desponsationis fide, quam per "concubitum non cognoverat, nec fue"rat cognituras." Et Amb. dicit lib. 2. Luc. cap. 1. "non virginitatis ereptio, "sed conjugii testificatio, nuptiarum "celebratio declaratur."

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod quidam dixerunt hanc cognitionem, de qua Evangelista loquitur, cum dixit: non cognoscebat eam, non esse intelligendum cognitionem coitus, sed cognitionem notitiæ; dicit enim Chrisost. Hom. 1. in Matth. quod "non "cognovit eam Joseph, antequam pa"reret, cujus fuerit dignitatis; sed post"quam peperit, tunc cognovit eam, quia "per ipsius prolem, speciosior, et dig"nior facta fuerat, quam totus mundus, "quia quem totus mundus capere non "poterat, in augusto cubiculo uteri sui

"sola suscepit." Quidam vero hoc referunt ad notitiam visus, sicut enim Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies, ut non possent intendere in eum filii Israel, sic Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata cognosci non poterat á Joseph donec pareret; post partum autem á Joseph agnita invenitur specie faciei, non tactu libidinis. Hieron. autem in cap. 1. Matth. concedit hoc esse intelligendum de cognitione coitus; sed dicit quod (usque) vel (donec) in scripturis dupliciter potest intelligi. Quandoque enim designat certum tempus, secundum illud ad Gal. 3. "Propter "transgressionem lex posita est, donec "veniret semen, cui promiserat." Quandoque vero signat infinitum tempus, secundum illud Psalm. 122. "Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri:" ex quo non est intelligendum quod post impetratam misericordiam, oculi nostri avertantur á Deo. Et secundum illud Psalm. 110. *Sede á dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: et tamen Filius semper ad dexteram Patris est sessurus. Et secundum hunc modum loquendi significantur ea, de quibus posset dubitari si scripta non fuissent; cætera vero nostræ intelligentiæ relinquuntur, et in hoc sensu Evang. dicit: matrem Dei non esse cognitam á viro usque ad partum, ut multo magis intelligamus cognitam non fuisse post partum.

Ad 4. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod mos divinarum scripturarum est, ut primogenitum vocent, non solum eum, quem fratres sequuntur; sed eum qui primus natus est. Alioquin si non est primogenitus, nisi quem sequuntur fratres, tamdiu secundum legem primogenita non debentur, quamdiu et alia non fuerint procreata: quod patet esse falsum, cum intra unum mensem primogenita redimi mandentur secundum legem.

Ad 5. Dicitur ad antec., quod quidam sicut Hier. dicit super Matth. ad c. 12. "fratres Domini," de alia uxore Joseph "filios suspicantur. Nos autem fratres "Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariæ materteræ "Domini filios intelligimus." Quatuor enim modis fratres in scripturis dicuntur, scilicet natura, gente, cognatione et affectu. Unde fratres Domini dicti sunt, non secundum naturam, quasi ab eadem matre nati; sed secundum cognationem, quasi consanguinei ejus existentes. Joseph autem sicut Hieron. dicit contra Helvidium, "magis credendus est "virgo permansisse, quia aliam uxorem "habuisse non scribitur, et fornicatio "in sanctum virum non cadit." Unde negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non est necesse ut primogenitum sequantur alii filii, sed potest dici etiam primogenitus qui primus nascitur, et sic filius dicitur primogenitus virginis.

Ad 6. Dicitur ad antec. quod Maria, quæ dicitur Jacobi, et Joseph mater, non intelligitur esse mater Domini, quæ in Evangelio non consuevit nominari, nisi cum cognominatione illius dignitatis quod sit mater Jesu; et iterum istæ mulieres erant de longe aspicientes, ut dicitur Marci 15. et Lucæ 23. "Mater autem "stabat juxta crucem," de qua non facit mentionem nisi Joannes 19. Hæc autem Maria, de qua alii Evangelistæ loquuntur, intelligitur esse uxor Alphei, cujus filius est Jacobus minor, qui dictus est frater Domini.

## ARTICULUS IV.

*Utrum mater Dei virginitatem voverit.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod mater Dei virginitatem non voverit.

1. Illud quod erat contra veteris legis præceptum, non debuit Dei mater vovere, antequam Christus nasceretur. Sed virginitas erat contra legis veteris præceptum. Ergo virginitatem non debuit mater Christi, ante Christi nativitatem, vovere.

Maior prob., quia lex vetus, antequam Christus nasceretur, habebat statum, ac per hoc non licebat ejus præcepta transgredi, nec ea quæ erant contra ejus præcepta, vovere licebat.

Minor prob., quia Deut. 7. dicitur: *Non erit aput te sterilis, utriusque sexus.* Sterilitas autem virginitatem sequitur: igitur servatio virginitatis erat contra legis præceptum.

2. Illud quod pertinet ad perfectionem consilii, non debuit á matre Christi antequam Christus nasceretur, voveri. Sed virginitas est de perfectione consilii. Ergo virginitas non debuit á matre Christi, ante Christi nativitatem, voveri.

Maior prob., quia perfectio consilii á Christo debuit inchoari, qui est finis legis, ut dicitur Rom. 10.

Minor prob., quia Apost. 1. Cor. 7. dicit: « de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. »

3. Mater Christi nullum damnabile peccatum admisit, ut dictum est quæst. præced. art. 4. Ergo mater Christi non vovit virginitatem.

Conseq. probatur, quia Apostol. 1. Tim. 5. dicit quod " voventibus castitatem, non solum nubere, sed etiam " velle nubere damnabile est. » Cum igitur mater Christi desponsata fuerit, ut dicitur Lucæ 1. si virginitatem vovisset, peccatum damnabile commississet.

Aliter. Si mater Christi virginitatem vovisset, nubendo postea, peccatum damnabile commississet; quod est falsum.

Conseq. prob., quia his qui virginitatem vovent, damnabile est etiam velle nubere, ut Apost. dicit loc. cit. Falsitas, quia mater Christi nullum damnabile peccatum admisit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in lib. de sancta virginitate. cap. 4. « Annuncianti Angelo " Maria respondit: Quomodo fiet istud, " quoniam virum non cognosco? quod " profecto non diceret, nisi prius se virginem Deo vovisset. »

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Conveniens fuit, ut virginitas B. Mariæ matris Dei voto firmaretur.

Prob. Virginitas in matre Dei præcipue debuit pollere, ut patet ex dictis art. hujus quæst. Ergo conveniens fuit ut virginitas matris Dei voto firmaretur.

Conseq. probat., quia ut dictum est 2. 2. quæst. artic. 6. perfectionis opera laudabiliora sunt, si ex voto celebrentur.

2.ª Conclusio. Non creditur quod mater Dei antequam desponsaretur Joseph, voverit virginitatem absolute, et licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio.

Matifest. Quia tempore legis oportebat generationi insistere, tam mulieres, quam viros; quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur.

3.ª Conclusio. Mater Christi accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit.

Suadetur, quia si virginitatem vovit, ut ex prima conclusione patet, et non vovit eam absolute, antequam sponsum acciperet, consequens est quod eam post acceptum sponsum voverit simpliciter.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem quod quia videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram, ideo non simpliciter virginitatem vovit Dei genitrix, sed sub conditione, si Deo placeret. Postquam autem innotuit ei hoc esse Deo acceptum, absolute vovit, antequam ab Angelo annuntiaretur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem quod sicut gratiæ plenitudo perfecte quidem fuit in Christo, tamen aliqua ejus in-

choatio præcesit in matre; ita etiam observatio consiliorum quæ per gratiam Dei fit, perfecte quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in virgine matre ejus, et sic negatur simpliciter maior.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod verbum illud Apostoli est intelligendum de illis qui absolute castitatem vovent; quod quidem mater Dei non fecit antequam Joseph desponsaretur, sed post desponsationem ex communi voluntate simul cum sponso suo votum virginitatis emisit.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 28.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Antidicomarianitarum* dicentium: quod Maria partum viro genuit, idest quod non fuit virgo in concipiendo partum, idest filium, sed quod ex virili semine in utero genuisset illum, idest concepisset. Item hæresim *Judæorum*, et *Aquilæ*, qui cum *Ebione* dixerunt, quod Christus fuit ex utroque sexu, et ex viro Joseph natus, scilicet nativitate, tum in utero, tum ex utero. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari ab Is. 7. *Ecce virgo concipiet.* Hoc est, una virgo concipiet virgo, idest remanens virgo in concipiendo. Item ab Ecclesia in hymno Natalis Domini. " Non ex virili semine, sed mystico spiramide, Verbum Dei factum caro, fructusque ventris floruit. » Item á Symbolo fidei Apostolorum, et Patrum Conciliorum omnium legitimorum de hac re tractantium, et dicentium: quod Christus conceptus est ex virgine Maria. Item speciatim á Concilio *Lateranensi* sub Papa *Martino I.* canon. 2. " Si quis non confitetur, secundum sanctos Patres proprie, et vere, unum sanctæ, et consubstantialis, et adorandæ Trinitatis Deum Verbum descendentem de cœlis, et incarnatum de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et hominem factum, sit condemnatus. » Et can. 3. " Si quis non confitetur, proprie, et vere Dei genetricem sanctam semper virginem immaculatam Mariam absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter enixam esse, et indissolubili permanente, et ante, et post partum ejusdem virginitate; sit condemnatus. » Item ab Ecclesia in festo Purific. B. Virg. Resp. 8. " senex puerum portabat, puer autem senem regebat. Quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit. » Item á Papa *Paulo IV. in sua bulla.* Quam et verissimam, et terribilem vide sup. qu. 16. ar. 8. append. et, pro quanto sufficit, huc applicabis contra hæresim prædictam. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses prædictas in appendice art. 1.; Pro quanto possunt illi hæretici, cointelligere illam de partu ex utero, scilicet quod non peperit manens virgo. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam in tali sensu merito damnari á multis, quæ ibi quoad parere ex utero recitata sunt: ut et videre, et per te ad hunc locum applicare potes. Maxime autem videnda est bulla Papæ *Pauli IV.* ibi citata contra hæreticos hos, ac similes. Item á Concilio *primo Ephesino*, ut *in arg. cont.* Item á Concilio *Telensi* in rescripto ad Papam *Siricium.* " Christus carnem sic suscepit, et sic homo factus est; ut hominem redimeret, atque á morte revocaret. Inusitato tamen quasi Deus itinere venit in terris, ut, quemadmodum dixerat: Ecce facio omnia nova, partu immaculatæ virginis nasceretur. Audivit Maria vocem Angeli, et quæ dixerat ante: quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Hæc est virgo, quæ in utero concepit, virgoque peperit filium. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium.

Non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem, dixit. Quid autem incredibile: si contra usum originis naturalis peperit Maria, et virgo permanet: quando contra usum naturæ mare vidit, et fugit? Atque in fontem suum Jordanis fluenta remearunt? Non ergo excedit fidem, quod virgo peperit, quando legimus, quod petra vomuit aquas: et in muri speciem maris unda solidata est. Non excedit fidem, quod homo exivit de virgine: quando petra fontem profluum scaturivit, ferrum super aquas natavit, ambulavit homo super aquas. Ergo, si hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare? Atque hominem, de quo legimus: Mittet illis Dominus hominem, qui salvos faciet eos: et notus erit Dominus Ægyptiis? In veteri itaque testamento virga Hebræorum per mare duxit exercitum: in novo testamento virgo regis aula cœlestis electa est ad salutem.» Ubi propter Isaiam adductum adverte: quod in ly *virgo concipiet, et pariet* non potuit propheta intelligere, nisi de virgine, quæ et in concipiendo permanet virgo, idest sine apertione claustrorum pudoris virginei generat. Ratio est evidens ex ipsius Isaiæ contextu ly "pete tibi signum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra: *et ly* dabit Dominus ipse vobis signum. 'Ecce virgo,» etc. Ad planam enim literam patet: quod iste conceptus, et partus virginis debet esse miraculosus; alioquin nec daretur á Domino tamquam signum ab ipso solo petendum, et consequenter ab ipso solo profluens: nec esset signum superans omne signum sive in profundo inferni, sive in excelso supra datum. Nam, quod virgo concipiat, et pariat, amissa virginitate, nullum prorsus miraculum est, sed quotidianus originis naturalis progresus. Quod vero aliqua virgo concipiat et pariat indissolubili remanente virginitate, miraculum magnum est: quod si concipiat et pariat, ut dixit Isaias, filium, qui sit Emmanel: hoc non tantum miraculum magnum est, sed etiam miraculum superans omne miraculum, sive in profundo inferni, sive in excelso supra factum. Magnitudinem enim tantam esse hanc Joannes Episcopus in homil. super Matth. 3. signanter annotavit dicens. "Illud quippe est admirationis omnimode plenum, quod scilicet ille, qui erat Deus, homo fieri voluit. Jam vero alia juxta rationis ordinem consequuntur.» Item ab Ecclesia Beatam virginem sic alloquente. "Gabrielem Archangelum scimus divinitus te esse affatum, uterum tuum de Spiritu Sancto credimus imprægnatum; erubescat judæus infelix, qui dicit, Christum ex Joseph semine esse natum.» Hæc illa in festi Purificationis Beatæ Mariæ Responsorio nono. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Helvidii* dicentis ut in text. corp. Et hæresim *Joviniani*, et *Lucæ Sternberger* dicentium: quod Maria præter unigenitum Christum alios peperit filios. Hinc quoque per articulos omnes hos, scilicet, primum, secundum, tertium, quorumdam aliorum destrues hæresim dicentium absolute: quod Maria non fuit Virgo. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses prædictas merito damnari ab Ecclesia per hoc, quod in omnibus fere de B. Maria collectis, et alibi eam vocat perpetuam Virginem, semper Virginem, immaculatam, inviolatam, intactam, semper illibatam. Quinetiam speciatim ad propositum de ipsa canit: *Post partum Virgo inviolata permansisti.* Item ab Ezech. 42. *porta hæc*, etc. cum expositione B. Augustini, ut ponitur *in arg. cont.* Item á Concilio *Telensi* in suo rescripto ad *Siricium* Papam dicentem. "Quæ est sanctuarii illa porta, porta illa exterior ad orientem, quæ manet clausa, et nemo pertransibit per eam, sed solus Deus Israel transibit per eam? Nonne hæc porta Maria est, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? Hæc est porta justitiæ sicut ipse dixit, sine qua nos implere non valemus omnem justitiam. Hæc porta est Maria, de qua scriptum est. Quia Dominus pertransibit per eam, et erit clausa post partum.» Item á veritatibus aureis super legem veterem, Num. 8. concl. 34. Et c. 17. concl. 3. Item á dictis in ar. 1. et 2. appen. Item et maxime á Bulla *Pauli IV.* ubi tunc allegatur, quam omnino videas, vel ibi, vel in Directorio Inquisitorum positam versus finem inter literas Apostolicas. Item á B. Hieronymo in lib. contra Helvidium, Item á *Siricio* Papa in Epistola secunda ad Ecclesiam Mediolanensem, dam-

natur *Jovinianus*, tamquam hæreticus, et præcipitur, quod ipse, sociique ejus ab Ecclesia removeantur. Item á B. Maximo in sermone de B. Virg. ubi universaliter contra *Antimarianos* invehitur dicens. " Mater Virgo universam pravitatem hæreticam sola contrivit. Alius illam non de substantia suæ carnis Christum edidisse, dogmatizavit. Alius, eam parvulum non peperisse, simulabat. Alius partum viro genitum blasphemabat. Alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen *Theotokos*, impiissime sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati sunt supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicent omnes generationes. » De his vide Epiphanium lib. 3. tom. 2. cont. hær. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, quod B. Virgo vovit virginitatem. Ut Luc. 1. *Quomodo fiet*, etc. cum expositione S. Aug. ut *in arg. cont.* Ubi propterea expone tu ly *cognosco*, idest cognoscere nec volo, nec possum. Nam votum ligat etiam potestatem, 2. 2. q. 88. a. 6. Hinc patet, quod votum virginitatis absolute emissit, antequam enuntiaretur, q. 28. a. 4. ad primum. *Secundo* ex hoc tum articulo, tum Evangelio habes: quomodo merito condemnes hæreses damnantes vota: puta *Lamperianorum*, *Calvinistarum*, *Lutheranorum* vel dicentium, quod perfectior est vita sine voto, quam cum voto, puta *Pseudoapostolorum*: vel etiam damnantes continentiam; puta *Lutheri*, *Vigilantii*, *Joannis Uvetsphali*. Porro ad abundantiorem horum primorum confutationem vide 2. 2. articulorum numero 473. 889. cum Elucid. Item veritates aureas super totam legem veterem, Genes. 31. concl. 3. et Levit. 27. concl. 1. et Nu. 15. concl. 1. et Gen. 3. concl. 2. Item 2. 2. artic. num. 489. Elucid. Item Additis articulorum num. 212. 266. Elucid. Ad illorum autem secundorum confutationem majorem vide 2. 2. articulorum num. 471. 475. 889. 890. cum Elucid. Ad eorum vero tertiorum confutationem ampliorem vide 2. 2. articulorum num. 728. 754. 887. Elucid. et Additio. articulorum num. 152. 214. 266. 267. 352. cum Elucid. *Tertio* vides: etc.

---

## QUÆSTIO VIGESIMA NONA,

### DE MATRIS DEI DESPONSIONE, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de desponsatione matris Dei.

*Et circa hoc quæruntur duo.*

Primo, utrum Christus debuerit de desponsata nasci.

Secundo, utrum fuerit verum matrimonium inter Mariam matrem Domini et Joseph.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus nasci debuerit de virgine desponsata.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit de virgine desponsata nasci.

1. Mater Domini numquam voluit carnali copula uti. Ergo mater Domini non debuit esse desponsata.

Anteced. prob., quia hoc derogaret virginitati mentis ipsius.

Conseq. prob., desponsatio ad carnalem copulam ordinatur.

2. Illud per quod offuscatur miraculum nativitatis Christi, non est conveniens. Sed per desponsationem B. Mariæ offuscatur miraculum nativitatis Christi. Ergo desponsatio B. Mariæ non fuit conveniens.

Maior prob., quia miracula fiunt ad confirmationem fidei, unde debent esse manifesta; ac per hoc inconveniens est ipsa occultare, et inconveniens est id quod ea occultat.

Minor probat., quia miraculum fuit quod Christus de virgine nasceretur. Unde August. dicit in Epistola ad Vo-

lus. « Ipsa Dei virtus per inviolata ma- " tris virginea viscera membra infantis " eduxit, quæ postea per clausa ostia " membra juvenis introduxit: hic si ratio " quæritur, non erit mirabile; si exem- " plum poscitur, non erit singulare: » quod miraculum per desponsationem offuscari manifestum est.

3. Ignatius Martyr, ut Hierony. dicit super Matth. cap. 1. hanc causam assignavit desponsationis matris Dei, « ut partus ejus diabolo celaretur, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum. » Quæ quidem causa nulla esse videtur, tum quia diabolus ea quæ corporaliter fiunt, perspicacitate sui sensus cognoscit; tum etiam, quia postmodum per multa evidentia signa dæmones aliqualiter Christum cognoverunt. Unde dicitur Marci 1. quod " homo in spiri- " tu immondo exclamavit dicens: quid " nobis, et tibi Jesu Nazarene? venisti " ante tempus perdere nos? Scio quod " sis sanctus Dei. " Non ergo videtur conveniens fuisse, quod mater Dei esset desponsata.

4. Aliam rationem assignat Hierony. in Matth. 1. *Ne lapidaretur mater Dei á Judæis sicut adultera*: hæc autem ratio nulla esse videtur; si enim non esset desponsata, non posset de adulterio condemnari: et ita non videtur rationabile fuisse, quod Christus de desponsata virgine nasceretur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 1. dicitur: *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph*; et Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virg. desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum de desponsata virgine nasci.

Prob. duodecim rationibus. Quarum quatuor desumuntur ex parte ipsius Christi nascentis; tres ex parte virginis, et quinque ex parte nostri. Propter ipsum Christum fuit conveniens, ut de desponsata virgine nasceretur.

Primo ne ab infidelibus, tamquam illegitime natus abjiceretur. Unde Amb. dicit lib. 2. in Luc. cap. 1. " Quid Ju- " dæis, quid Herodi posset adscribi, si " natum viderentur ex adulterio perse- " cuti? "

Secundo ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur. Unde dicit Ambr. lib. 3. in Luc. " Qui in sæ- " culum venit, sæculi debuit more des- " cribi, viri autem persona quæritur qui " in senatu, et reliquis curiis civitatum, " generis asserit dignitatem. Consuetudo " etiam nos instituit scripturarum quæ " semper viri originem quærit. "

Tertio ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procurasset. Et ideo Ignatius dicit, ipsam fuisse desponsatam, ut partus ejus diabolo celaretur.

Quarto, ut á Joseph nutriretur: unde et Pater ejus dictus est, quasi nutritius.

Ex parte autem virginis fuit conveniens. Primo, quia per hoc redditur immunis á pœna, " ne scilicet lapidaretur " á Judæis, tamquam adultera, " ut Hieronymus dicit.

Secundo, ut per hoc ab infamia liberaretur. Unde dicit Amb. lib. 2. super Lucam; quod " desponsata est, ne teme- " ratæ virginitatis adureretur infamia, " cui gravis alvus corruptelæ videretur " insigne præferre. "

Tertio, ut ei á Joseph ministerium exhiberetur, ut Hieronym. cit. dicit.

Ex parte vero nostra, hoc fuit conveniens: Primo, quia testimonio Joseph comprobatum est Christum ex virgine natum. Unde Ambr. cit. super Lucam dicit. " locupletior testis pudoris mari- " tus adhibetur, qui posset, et dolere in- " juriam, et vindicare opprobrium, si " non agnosceret sacramentum. " Secundo, quia ipsa verba virginis matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis. Unde Ambr. dicit super Lu-

cam. "Fides Mariæ verbis maior adscis-
"citur, et mendacii causa removetur.
"Videretur enim culpam obumbrare vo-
"luisse, mendacio innupta prægnans.
"Causam autem mentiendi desponsata
"non habuit, cum conjugii præmium,
"et gratia nuptiarum partus sit fœmi-
"narum:" quæ quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostræ.

Tertio, ut tolleretur excusatio virginibus, quæ propter suam incautelam non vitant infamiam. Unde Amb. cit. dicit: "non decuit virginibus sinistra opinione "viventibus, velamen excusationis re-"linqui, quod infamata mater quoque "Domini videretur."

Quarto, quia per hoc significatur universa Ecclesia quæ cum "virgo sit, des-"ponsata tamen est uni viro Christo," ut August. dicit in lib. de sancta virgitate, cap 12.

Quinta ratio esse potest quod mater Domini fuit desponsata, et virgo, quia in persona ipsius, et virginitas, et matrimonium honoratur, contra hæreticos alteri horum detrahentes.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Beata Virgo Mater Dei, ex familiari instinctu Spiritus Sancti credendum est desponsari voluisse, confidens de divino auxilio quod numquam ad carnalem copulam perveniret. Hoc tamen divino commissit arbitrio. Unde in nullo detrimentum passa est virginitas.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sicut Amb. dicit super Lucam. "Maluit Do-"minus aliquos de sui ortu, quam de "matris pudore dubitare; sciebat enim "teneram esse virginis verecundiam, et "lubricam famam pudoris, nec putavit "ortus sui fidem, matris injuriis astruen-"dam." Potest igitur aliquid esse offuscativum miraculi nativitatis Christi, et tamen esse conveniens, quia illud tollit suspitionem infamiæ á matre. Et ad minorem dicitur, quod desponsatio poterat quidem occultare miraculosam nativitatem, tamen matris pudicitiam defendebat. Vel secundo dicitur, quod miraculorum Dei quædam sunt, de quibus est fides, sicut est miraculum virginei partus, et resurrectionis dominicæ, et etiam sacramenti Altaris. Quædam vero sunt ad fidei comprobationem, ut fuit Lazari resurrectio, claudi sanatio, et similia. Hæc debent esse manifesta, illa vero magis occulta, ut fides eorum sit magis meritoria. Negatur igitur maior. Ad probationem dicitur, quod non omnia miracula facta sunt ad confirmationem fidei, sed aliqua sunt, de quibus est fides, inter quæ est Domini nativitas.

Ad 3. Negatur assumptum, scilicet quod nulla sit Ignatii ratio. Ad cujus probationem dicitur, quod sicut Aug. dicit 3. de Trinit. cap. 7. et 8. diabolus potest multa virtute suæ naturæ, á quibus tamen prohibetur virtute divina; et hoc modo potest dici, quod virtute naturæ suæ diabolus cognoscere poterat matrem Dei non fuisse corruptam, sed virginem; prohibebatur tamen á Deo cognoscere modum partus divini: quod autem postmodum eum aliqualiter cognovit diabolus esse Filium Dei, non obstat, quia jam tunc tempus erat, ut Christus suam virtutem contra diabolum ostenderet, et persecutionem ab eo concitatam pateretur. Sed in infantia oportebat impediri malitiam diaboli, ne eum acrius persequeretur, quando Christus, nec pati disposuerat, nec suam virtutem ostendere, sed in omnibus aliis infantibus se similem exhibebat; unde Leo Papa in Serm. Epiphaniæ dicit, quod "magi viderunt, et adoraverunt puc-"rum Jesum quantitate parvulum, alie-"næ opis indigentem, fandi impotentem, "et in nullo ab humanæ infantiæ gene-"ralitate discretum." Amb. tamen cit. super Lucam videtur hoc magis referre ad membra diabolo. Præmissa enim hac ratione Ignatii, scilicet de fallendo principem mundi, subdit: "sed tamen magis "fefellit principem seculi: dæmonum

" enim malitia facile etiam occulta de-
" prehendit; at vero qui secularibus va-
" nitatibus occupantur, scire divina non
" possunt. "

Ad 4. Dicitur, quod ratio Hierony. est efficax, quia judicio adulterarum lapidabatur secundum legem, non solum illa quæ jam erat desponsata, vel nupta, sed etiam illa quæ in domo patris custodiebatur, ut virgo quandoque nupturа. Unde dicitur Deut. 22. "Si non est
" in puella inventa virginitas, lapidibus
" obruent eam viri civitatis illius, et mo-
" rietur, quia fecit nefas in Israel, ut
" fornicaretur in domo patris sui;" Vel potest dici secundum quosdam quod Beata Virgo erat de stirpe Aaron, unde erat cognata Elisabeth, ut dicitur Lucæ 1. Virgo autem de genere sacerdotali propter stuprum occidebatur: legitur enim Levit. 22. " Sacerdotis filia, si depre-
" hensa fuerit in stupro, et violaverit
" nomen patris sui, flammis exuretur." Quidam tamen referunt verbum Hieron. ad lapidationem infamiæ.

## ARTICULUS II.

### *Utrum inter Mariam, et Joseph fuerit verum matrimonium.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod inter Mariam et Joseph non fuerit verum matrimonium.

1. Joseph non fuit vere maritus B. Virginis. Ergo inter Mariam et Joseph non fuit verum matrimonium.

Antecedens prob., quia Hieron. dicit contra Helvidium, quod Joseph Mariæ potius custos fuit, quam maritus ejus.

Conseq. prob., quia si fuisset verum matrimonium, vere Joseph maritus Mariæ fuisset.

2. Inter quos fuerunt tantum sponsalia, non fuit verum matrimonium. Sed inter Mariam, et Joseph fuerunt tantum sponsalia. Ergo inter eos non fuit verum matrimonium.

Maior prob., quia verum matrimonium non efficitur ex sponsalibus, sed ex nuptiis.

Minor prob., quia Hieronym. super illud Matth. 1. « Jacob genuit Joseph « virum Mariæ, » dicit: « Cum virum au-
« dieris, suspicio tibi non subeat nuptia-
« rum; sed recordare consuetudinis scrip-
« turarum quod sponsi viri, et sponsæ « uxores vocantur. »

3. Matth. 1. dicitur « Joseph vir ejus « cum esset justus, et nollet eam tradu-
« cere » (scilicet in domum suam ad cohabitationem assiduam) « voluit occulte « dimittere eam, » idest tempus nuptiarum mutare, ut Remigius exponit. Ergo videtur, quod, nondum nuptiis celebratis, nondum esset verum matrimonium, præsertim cum post matrimonium contractum non liceat alicui sponsam dimittere.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit lib. 2. de consensu Evangelistarum, cap. 1. « Non erat fas, ut Jo-
« seph ob hoc á conjugio Mariæ sepa-
« randum Evangelista putaret, quod non
« ex ejus concubitu, sed virgo peperit
« Christum. Hoc enim exemplo magni-
« fice insinuatur fidelibus conjugatis,
« etiam servata pari consensu continentia,
« posse permanere, vocarique conjugium,
« non permixto corporis sexu. »

*Determinatio.*

*Requisita ad verum matrimonium.*

Matrimonium sive conjugium dicitur verum ex hoc quod suam perfectionem attingit. Duplex autem est rei perfectio; prima, et secunda: prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur: secunda vero perfectio consistit in operatione rei, per quam ipsa res aliqualiter suum finem attingit, sicut prima animalis perfectio est cum animalis formam habet; secunda vero perfectio est cum operatur operationes quarum principium est forma. Forma matrimonii consistit in quadam indivisibili animorum conjunctione, per quam unus conjugum alteri fidem indivisibiliter servare tenetur. Finis autem matrimonii est proles

generanda, et educanda: ad primum quorum pervenitur per concubitum conjugalem; ad secundum vero per alia opera viri, et uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam. Potest igitur matrimonium dici verum et perfectum quantum ad tria, scilicet quantum ad mutuum consensum, quo animi conjugum indivisibiliter uniuntur; quantum ad generationem prolis; et quantum ad educationem prolis.

1.ª Conclusio. Inter Mariam, et Joseph fuit verum matrimonium quantum ad primam matrimonii perfectionem, scilicet quantum ad indivisibilem conjunctionem animorum.

Prob. Quia uterque consensit in copulam conjugalem, non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret. Et confirmatur, quia Angelus vocat Mariam conjugem Joseph. Matth. 1. dicens: « noli timere accipere « Mariam conjugem tuam: » quod exponens Aug. in lib. 1. de Nupt. cap. 11. dicit: « conjux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu, nec « cognoverat, nec fuerat cogniturus. »

2.ª Conclusio. Quantum ad secundam perfectionem, quæ est per actum matrimonii, si referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum.

Prob. Quia Amb. dicit super Lucam. cap. 1. « Non te moveat quod frequenter « Mariam scriptura vocat conjugem, non « enim virginitatis ereptio, sed conjugii « testificatio, et nuptiarum celebratio de« claratur. »

3.ª Conclusio. Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem, quantum ad prolis educationem.

Prob. Quia August. dicit in lib. 1. de Nupt. cap. 11. "Omne nuptiarum bo" num impletum est in illis parentibus "Christi, proles, fides, sacramentum. "Prolem cognoscimus ipsum Dominum "Jesum. Fidem, quia nullum adulte" rium. Sacramentum, quia nullum di" vortium. Solus ibi nuptialis concubitus "non fuit. "

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod Hieron. accipit ibi maritum ab actu matrimonii consummati, respectu cujus actus Joseph non fuit matris Dei maritus.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod Hieron. nuptias vocat nuptialem concubitum; quæ nuptiæ non fuerunt inter Mariam et Joseph.

Ad 3. Dicitur, quod sicut Chrys. dicit super Matth. hom. 1. "Beata Virgo sic "fuit desponsata Joseph, quod etiam es" set domi habita: nam sicut in ea quæ "in domo viri concipit, intelligitur con" ceptio maritalis, sic in ea quæ extra "domum concipit, est suspecta conjunc" tio; " et ita non esset sufficienter provissum famæ B. Virginis per hoc quod fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita. Unde quod dicitur: *Et nollet eam traducere*, melius intelligitur: et nollet eam in publicum diffamare, quam intelligatur de traductione in domum. Unde et Evangelista subdit, quod voluit occulte dimittere eam. Quamvis tamen esset domi habita, propter primam desponsationis fidem, nondum tamen intervenerat solemnis celebratio nuptiarum, propter quod etiam nondum carnaliter convenerant. Unde sicut Chrys. dicit hom. 4. in Matth. "non dicit Evangelista: an" tequam duceretur in domum sponsi, "etenim intus jam erat; consuetudo "enim fuit veteribus multoties in do" mo desponsatas habere. " Et ideo etiam angelus dicit Joseph. "Ne timeas "accipere Mariam conjugem tuam, " idest " non timeas nuptias ejus solemni" ter celebrare. " Licet alii dicant, quod nondum erat in domum inducta, sed solum desponsata. Primum tamen magis consonat Evangelio.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

### EX PRÆCED. 29.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice, omnino interimas, seu potius interemptam ex suppositione ostendas hæresim *Manichæorum* recentiorum (ut refert Directorium Inquisitorum, 2. p. q. 13.) dicentium, quod Maria non fuit mulier. Patet enim, quod non desponsantur viris, nisi mulieres. Per hoc ergo, quod articulus iste demonstrat et quidem tot rationibus, B. Mariam fuisse convenienter desponsatam viro, commonstratum esse eodem tenore cointelligit, quod ipsa fuit mulier. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim illam, tamquam in supposita radice, merito damnari á Matth. 1. et Luc. 1. ut *in arg. cont.* Item damnari directe á Luc. 11. *Beatus venter, qui te portavit. et ubera, quæ suxisti.* Non enim aliquis venter, nisi mulieris, portat filium: neque ubera aliqua, nisi mulieris, sugit filius; ut patet. Item damnari directius á Joann. 2. *quid mihi, et tibi est mulier?* et cap. 19. *Mulier, ecce filius tuus.* Et Galat. 4. *Misit Deus filium suum natum ex muliere.* Cæterum propter ly *conveniens* in conclusione dictum vide de convenientia scripturarum, 2. 2. q. 127. art. 2. append. et q. 140. art. 1. appen. et qu. 179. art. 2. append. Sed et 1. 2. qu. 68. art. 4. append. Tuum vero erit, ut semper in hujusmodi præsupponitur, illa ad propositum hoc sapienter applicare. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice interimas, seu potius interemptam ex suppositione ostendas hæresim *Adamianorum* dicentium, matrimonium, quasi per se malum esse damnandum. Et hæresim *Tatianorum* dicentium, matrimonium nihil aliud esse, nisi occultum meretricium. Et hæresim *Catharorum* (ut refert Cardinalis Turrecremata de Ecclesia lib. 4. cap. 35.) dicentium, matrimonium esse peccatum mortale. Per hoc enim, quod inter Beatam Virginem, et Joseph fuisse verum matrimonium, articulus iste demonstrat, supponere se utique pro declarato commonstrat; quod matrimonium et non est per se malum, et non est peccatum mortale, et non est occultum meretricium. Beatam namque Virginem, et sine peccato actuali semper fuisse supponit ex qu. 27. art. 4. et perpetuam virginitem servasse, ex qu. 28. art. 1. 2. 3. Cæterum pro ampliori illarum hæresum condemnatione vide 2. 2. articulorum num. 738. cum Elucidat. Item Addit. artic. num. 170. 172. 175. 176. 287. 268. 202. cum Elucid. Item veritates aureas super totam legem veterem, Genes. 1. concl. 22. et c. 4. concl. 5. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA,

### DE B. MARIÆ VIRGINIS ANNUNTIATIONE, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de annuntiatione B. Virginis: et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum convenieus fuerit ei annuntiari quod in ea generandum erat.

Secundo, per quem erat ei hoc annuntiandum.

Tertio, per quem modum ei annuntiari debebat.

Quarto, de ordine annuntiationis.

### ARTICULUS I.

*Utrum necessarium fuerit annuntiari B. Virgini, quod in ea erat generandum.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit necessarium B. Virgini annuntiari quod in ea fiendum erat.

1. Non erat necessarius consensus virginis ad conceptum Filii Dei. Ergo non fuit necessarium ut talis annuntiatio fieret.

Antecedens probat., quia conceptus virginis prænuntiatus fuit prophetia præ-

destinationis, quæ sine nostro completur arbitrio, ut dicit Glos. ordin. super Matth. 1.

Consequentia probatur, quia annuntiatio ad hoc solum necessaria esse videbatur, ut consensus Virginis haberetur.

2. Beata Virgo Maria habebat fidem incarnationis. Ergo Beatæ Virgini non fuit necessarium ut incarnatio Filii Dei annuntiaretur, ut instrueretur.

Antecedens probatur. Quia sine fide incarnationis, nullus poterat esse in statu salutis; dicitur enim Rom. 3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes.*

Consequentia probatur. Quia de eo quod aliquis per certitudinem credit, non indiget ulterius instrui.

3. Illis qui spiritualiter credunt Christum concipere, talis conceptio non annuntiatur. Ergo nec Beatæ Virgini fuit annuntiandum quod esset in utero Filium Dei conceptura.

Consequentia. Quia sicut Beata Virgo corporaliter Christum concepit, ita quælibet sancta anima concipit ipsum spiritualiter. Unde Apost. dicit Gal. 4. «Filioli mei, quos iterum parturio, donec «formetur Christus in vobis.»

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 1. habetur quod Angelus dixit Mariæ: «ecce concipies in utero, et pa«res filium.»

*Determinatio.*

Conclusio. Congruum fuit Beatæ Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura.

Prob. Fuit enim hoc congruum: Primo quidem, ut servaretur congruus ordo conjunctionis Filii Dei ad Virginem, ut scilicet mens ejus prius de ipso instrueretur, quam carne eum conciperet. Unde August. dicit in lib. de virginitate cap. 3. «Beatior est Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo car«nem Christi.» Et postea subdit: «Materna «propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi «felicius Christum corde, quam carne «gestasset.»

Secundo, ut posset esse certior testis hujus sacramenti, quando super hoc divinitus erat instructa.

Tertio, ut voluntaria sui obsequii munera Deo offerret, ad quod se promptam obtulit dicens: *ecce ancilla Domini.*

Quarto, ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei, et humanam naturam, et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod prophetia prædestinationis completur sine nostro arbitrio causante, non tamen sine nostro arbitrio consentiente.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Beata Virgo expressam habebat fidem incarnationis futuræ, sed cum esset humilis non tam alta de se sapiebat, et ideo super hoc erat instruenda per Angelum annuntiantem.

Ad 3. Dicitur primo negando antecedens. Nam spiritualem conceptionem Christi, quæ est per fidem, præcedit annuntiatio, quæ est per fidei prædicationem, secundum quod *fides est ex auditu*, ut dicitur Rom. 10.

Dicitur secundo negando consequentiam. Nam illi qui Christum spiritualiter concipiunt, non certo sciunt se habere gratiam, sed solum veram esse fidem quam acceperunt; beata autem virgo certo scivit per angelicam annuntiationem se Christum in utero concepisse, etc.

## ARTICULUS II.

*Utrum annuntiatio Beatæ Virginis debuerit fieri per Angelum.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod annuntiatio non debuerit fieri B. Virgini per Angelum, sed á Deo immediate.

1. Ei quæ erat maior supremis Angelis, non debuit fieri annuntiatio per Angelum. Sed Beata Virgo Maria est super

omnes Angelos exaltata. Ergo videtur quod B. Virgini non debuerit fieri annuntiatio per Angelum de incarnationis mysterio, sed á Deo immediate.

Maior prob., quia supremis Angelis fit revelatio á Deo immediate, ut dicit Dion. 7. c. Cœl. Hier.

2. Divina deferuntur ad mulierem per virum. Ergo videtur quod Beatæ Virgini debuerit annuntiari mysterium incarnationis per aliquem virum præsertim, quia Joseph vir ejus super hoc fuit ab Angelo instructus, ut dicitur Matth. 1.

Anteced. prob., quia dicit 1. Cor. 14. « Mulieres in Ecclesiis taceant: si " quid autem volunt discere, domi vi- " ros suos interrogent. »

Conseq. prob., quia si in hoc oportuit servare communem ordinem, secundum quem divina hominibus per Angelos nuntiantur, debuit etiam servari communis ordo, ut mulier per virum instrueretur de divinis.

3. Angeli etiam supremi, non plene cognoverunt incarnationis mysterium. Ergo videtur quod per nullum Angelum potuerit convenienter annuntiatio incarnationis fieri.

Anteced. probat., quia Dion. dicit in 7. cap. Cœl. Hierarc. ex Angelorum persona intelligendam esse illam quæstionem, quæ ponitur Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom?*

Conseq. prob., quia nullus potest congrue annuntiare illud, quod ignorat.

4. Gabriel non est de supremo ordine cœlestium spirituum. Ergo dominica annuntiatio non est convenienter facta per Gabrielem.

Anteced. prob., quia Gabriel est de ordine Archangelorum. Unde Ecclesia cantat: *Gabrielem Archangelum scimus divinitus te esse affatum.* Ordo autem Archangelorum est penultimus, ut ostensum est p. p. quæst. 108. artic. 6.

Conseq. prob. Maiora sunt per maiores nuntios nuntianda. Sed mysterium incarnationis est maximum inter omnia, quæ per Angelos sunt hominibus nuntiata. Ergo videtur quod si per aliquem Angelum debuit nuntiari, ille debuerit esse de supremo ordine.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 1. dicitur: *missus est Angelus Gabriel á Deo*, etc.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit matri Dei annuntiari per Angelum divinæ incarnationis mysterium.

Prob. Fuit enim hoc conveniens propter tria:

Primo ut in hoc servaretur divina ordinatio, secundum quam mediantibus Angelis divina ad homines perveniunt: unde Dion. dicit in 4. cap. Cœl. Hierarch. quod « Divinum Jesu benignitatis mys- " terium Angeli primo edocti sunt; pos- " tea per ipsos ad nos cognitionis gratia " transivit. Sic ergo divinissimum Ga- " briel Zachariam quidem docuit, pro- " phetam Joannem ex ipso nasciturum; " Mariam autem quomodo in ipsa fieret " thearchicum ineffabili Dei formationis " mysterium. »

Secundo, hoc fuit conveniens reparationi humanæ, quæ futura erat per Christum. Unde Glos. ordin. dicit supra cap. 1. Luc. « Aptum humanæ restaurationis " principium, ut Angelus á Deo mitte- " retur ad virginem partu consecrandam " divino; quia prima perditionis humanæ " fuit causa, cum serpens á diabolo mit- " tebatur ad mulierem spiritu superbiæ " decipiendam. »

Tertio. Quia hoc congruebat virginitati matris Dei. Unde Hieronymus dicit in Serm. 2. de Assumpt. « bene Angelus " ad Virginem mittitur, quia semper est " Angelis cognata virginitas; profecto in " carne præter carnem vivere, non ter- " rena vita est, sed cœlestis, etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod mater Dei superior erat Angelis, quantum

ad dignitatem. ad quam divinitus eligebatur, sed quantum ad statum præsentis vitæ inferior erat Angelis, quia et ipse Christus ratione passibilis vitæ, *modico ab Angelis minoratus est*, ut dicitur ad Heb. 2. Sed tamen quia Christus fuit simul viator, et comprehensor, quantum ad cognitionem divinorum, non indiguit ab Angelis instrui. Mater vero Dei nondum erat in statu comprehensorum, et ideo de divino conceptu per Angelos erat instruenda. Et formalius dicitur quod maior est vera de eo, qui est maior supremis Angelis, non solum quantum ad dignitatem, sed etiam quantum ad statum; quo modo Beata Virgo non erat maior Angelis.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod sicut Augustinus dicit in serm. de Assump. «Beata "Virgo Maria vera æstimatione á quibusdam generabilibus excipitur, quia "nec conceptus multiplicavit, nec sub "viri, idest mariti potestate fuit, quæ "integerrimis visceribus, de Spiritu "Sancto Christum suscepit,» et ideo non debuit mediante viro instrui de mysterio incarnationis, sed mediante Angelo. Propter quod etiam ipsa fuit prius instructa, quam Joseph. Nam ipsa instructa est ante conceptum, Joseph autem post conceptum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens quod sicut patet ex auctoritate Dion. inducta, Angeli cognoverunt incarnationis mysterium, sed tamen interrogabant, perfectius, scire cupientes á Christo hujus mysterii rationes, quæ sunt incomprehensibiles omni creato intellectui. Unde Maximus dicit. «Quod Angeli noverint fu"turam incarnationem ambigere non "oportet; latuit autem eos investigabi"lis Domini conceptio, atque modus, "qualiter totus in genitore, totus ma"nebat in omnibus, nec non in virginea "cellula.»

Ad 4. Dicitur quod quidam negabant antecedens: dicunt enim Gabrielem fuisse de supremo ordine Angelorum. Propter quod Greg. dicit ho. 34. in Evang. "Summum Angelum venire dignum "fuerat, qui summum omnium nuntia"bat." Sed ex hoc non habetur quod fuerit summus inter omnes ordines, sed solum respectu Angelorum; fuit enim de ordine Archangelorum: unde et Ecclesia eum archangelum nominat, et Greg. ipse dicit in Hom. cit. quod *Archangeli dicuntur qui summa nuntiant*. Satis est ergo credibile, quod sit summus in ordine Archangelorum, et sicut Greg. dicit eodem loco, hoc nomen officio suo congruit. "Gabriel enim Dei "fortitudo nominatur. Per Dei ergo "fortitudinem nuntiandus erat, qui vir"tutum Dominus, et potens in prælio "ad debellandas potestates aëreas ve"niebat," etc.

## ARTICULUS III.

### *Utrum Angelus annuntians debuerit Beatæ Virgini visione corporali apparere.*

*Pro negativa.*=Videtur quod Angelus annuntians non debuerit visione corporali apparere.

Visio intellectualis est dignior, et magis conveniens ipsi Angelo. Ergo Angelus annuntians debuit apparere in visione intellectuali, magis quam in visione corporali.

Anteced. quantum ad priorem partem patet ex Aug. 12. super Gen. ad lit. cap. 24. Quantum vero ad secundam prob. quia visione intellectuali Angelus videtur in sua substantia: visione autem corporali videtur in assumpta figura corporea.

Conseq. prob., quia sicut ad annuntiandum conceptum divinum decebat venire summum nuntium, ita etiam videtur quod decuerit esse summum modum visionis.

2. Angelus apparuit Joseph in somnis secundum imaginariam visionem, ut pater Matth. 1. et 2. Ergo videtur quod

etiam Beatæ Virgini debuerit non in visione corporali, sed imaginaria apparere.

Conseq. prob., quia visio imaginaria videtur esse nobilior, quam visio corporalis, sicut imaginatio est altior potentia, quam sensus.

3. Corporalis visio spiritualis substantiæ stupefacit videntes. Unde et de ipsa Virgine cantatur. *Expavescit virgo de lumine.* Ergo non fuit conveniens quod hujusmodi annuntiatio fieret per visionem corporalem.

Conseq. prob., quia melius fuisset quod mens Virginis á tali perturbatione esset præservata.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. in Serm. 14. de Nativ. Domini introducit Beatam Virginem sic dicentem. "Venit ad me Gabriel Archange-"lus facie rutilans, veste corruscans, "ingressu mirabili;» quæ non possunt pertinere nisi ad corpoream visionem. Ergo corporea visione Angelus annuntians, Beatæ Virgini apparuit.

*Determinatio.*

Conclusio. Angelus annuntians apparuit Beatæ Virgini corporea visione.

Prob. Fuit enim hoc conveniens propter tria.

Primo quantum ad id quod annuntiabatur: venerat enim Angelus annuntiare incarnationem invisibilis Dei, per quam visibilis fieret. Unde etiam conveniens fuit, ut ad hujus rei declarationem invisibilis creatura formam assumeret, in qua visibiliter appareret, cum etiam omnes apparitiones veteris testamenti ad hanc apparitionem, qua Filius Dei in carne apparuit, præordinentur.

Secundo fuit congruum dignitati matris Dei, quæ non solum in mente, sed in corporeo ventre erat Dei Filium receptura, et ideo non solum mens ejus, sed etiam sensus corporei erant visione angelica refovendi.

Tertio congruit certitudini ejus quod annuntiabatur: ea enim quæ sunt oculi subjecta, certius apprehendimus, quam ea quæ imaginamur. Unde Chrysostomus dicit Homil. 4. in Matthæo quod "Angelus, non in somnis, immo visi-"biliter Virgini astitit. Nam quia ma-"gnam valde revelationem accipiebat "ab Angelo, egebat ante tantæ rei even-"tum visione solemni,» etc.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod intellectualis visio est potior quam visio imaginaria, vel corporalis, si sit sola: comparando enim visionem intellectualem corporali, illa perfectior, ista imperfectior invenitur. Visio tamen intellectualis simul cum visione imaginaria, vel corporali, perfectior est, quam sola intellectualis. Unde ipse August. lib. 12.super Genes. ad lit. capit. 9. dicit quod excellentior est prophetia quæ habet simul intellectualem, et imaginariam visionem, quam illa quæ habet alteram tantum. Beata autem virgo non solum percepit visionem corporalem, sed etiam intellectualem illuminationem: unde talis apparitio nobilior fuit. Fuisset quidem nobilior si ipsum Angelum intellectuali visione in sua substantia vidisset, sed hoc non patiebatur status hominis viatoris quod Angelum per essentiam videret.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod imaginatio est quidem altior potentia, quam sensus exterior, quia tamen principium humanæ cognitionis est sensus, ideo in eo consistit maxima certitudo, quia semper oportet quod principia cognitionis sint certiora. Et ideo Joseph, cui Angelus in somnis apparuit, non ita excellentem apparitionem habuit, sicut Beata Virgo.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod sicut Ambr. dicit super Lucam lib. 1. «Perturbamur, et à nostro alienamur af-«fectu, quando perstringimur alicujus «superioris potestatis occursu, et hoc «contingit non solum in visione corpo-

« rali, sed etiam in visione imaginaria. » Unde Gen. 15. dicitur, quod cum « sol « occubuisset, sopor irruit super Abra- « ham, et horror magnus, et tenebrosus « invasit eum » Talis tamen perturbatio hominis, non tantum homini nocet, ut propter eam debeat angelica apparitio prætermitti. Primo quidem, quia ex hoc ipso quod homo supra seipsum elevatur (quod ad ejus pertinet ad dignitatem) pars ejus inferior debilitatur, ex quo provenit perturbatio prædicta, sicut etiam calore naturali ad interiora reducto, exteriora tremunt. Secundo quia sicut Orig. dicit Hom. 4. in Luc. "An- "gelus apparens sciens hanc esse huma- "nam naturam, primum perturbationi "medetur. Unde tam Zachariæ, quam "Mariæ post turbationem dixit: ne "timeas." Et propter hoc, ut legitur in vita Antonii, non difficilis est beatorum spirituum, malorumque discretio: si enim post timorem successerit gaudium, á Domino sciamus venisse auxilium; quia securitas animæ præsentis majestatis judicium est; si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur: Ipsa etiam turbatio Virginis conveniens fuit verecundiæ virginali, quia ut Amb. dicit lib. 2. in Luc. "Trepidare virginum est, et ad om- "nes viri ingressus pavere, omnes vi- "ri affatus vereri." Quidam tamen dicunt, quod cum Beata Virgo assueta esset visionibus Angelorum, non fuit turbata in visione Angeli, sed in admiratione eorum quæ ei ab Angelo dicebantur, quia de se tam magnifica non cogitabat. Unde et Evangelista non dicit quod turbata fuerit in visione Angeli, sed in sermone ejus. Negatur igitur ad argumentum consequentia. Ad probationem dicitur quod non debuit mens Virginis ab illa perturbatione præservari; tum quia hoc est naturale, tum quia hoc provenit ex elevatione ad superiora, tum etiam quia statim perturbationi adhibetur remedium; tum etiam quia hoc competebat verecundiæ virginali. Secundo dicitur ad antecedens, quod Beata Virgo non fuit perturbata ex apparitione corporali Angeli, cum esset consueta eos videre, sed ex sermone ejus, ut dictum est.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum annuntiatio fuerit convenienti ordine perfecta.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod annuntiatio non fuerit convenienti ordine perfecta.

1. Dignitas matris Dei dependet ex prole concepta. Ergo Angelus debuit primo nuntiare conceptum prolis, quam Mariæ dignitatem exponere eam salutando.

Conseq. prob., quia causa prius debet manifestari, quam effectus.

2. Angelus primo nuntiavit id, de quo Virgo dubitaret, et dubitando quæreret, dicens: *Quomodo fiet istud*, et postea probationem adjunxit, tum exemplo Elisabeth, tum ex Dei omnipotentia. Ergo inconvenienti ordine annuntiatio per Angelum est effecta.

Consequentia probatur, quia probatio aut prætermitti debet in his quæ dubia non sunt, aut præmitti in his quæ dubia esse possunt, et non prius proponere dubium, et postea adducere probationem.

3. Maius fuit virginem parere, quam vetulam. Ergo non fuit sufficiens probatio angeli probantis conceptum virginis ex concepto senis.

Conseq. prob., quia maius non potest probari sufficienter per minus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Angelus missus est á Deo ad hoc, ut Virgini annuntiaret, ut dicitur Luc. 1. Ergo ordinatissime fuit annuntiatio per angelum completa.

Conseq. prob., quia *quæ á Deo sunt, ordinata sunt*, ut dicitur Rom. 13.

*Determinatio.*

Conclusio. Annuntiatio congruo ordine per Angelum est perfecta.

Prob. Tria enim angelus intendebat circa Virginem.

Primo quidem reddere mentem ejus attentam ad tantæ rei considerationem, quod quidem fecit eam salutando quadam nova, et insolita salutatione. Unde Origenes dicit Hom. 6. in Lucam quod « si virgo scivisset ad alium quempiam « similem factum esse sermonem, utpote « quæ habebat legis scientiam, numquam « eam quasi peregrina talis salutatio ter- « ruisset. » In qua quidem salutatione præmissit, idoneitatem ejus ad conceptum, in hoc quod dixit: *gratia plena*; expressit conceptum, in hoc quod dixit: *Dominus tecum*; et prænuntiavit honorem consequentem, cum dixit: *benedicta tu in mulieribus.*

Secundo intendebat eam instruere de mysterio Incarnationis, quod in ea erat implendum; quod quidem fecit in prænuntiando conceptum, et partum ejus dicens: *ecce concipies in utero etc*; et ostendendo dignitatem prolis conceptæ, cum dixit: *hic erit magnus*; et etiam demonstrando modum conceptionis, cum dixit: *Spiritus Sanctus superveniet in te.*

Tertio intendebat animum ejus inducere ad consensum, quod quidem fecit exemplo Elisabeth, et ratione ex divina omnipotentia sumpta, cum dixit: *non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Angelus enim intendebat mentem Virginis attentam reddere ad auditum tanti mysterii, et ideo debuit inchoare ab eo, quod eam maxime attentam redderet; et quia animo humili nihil est mirabilius, quam auditus suæ excellentiæ, cum vere humilis nullam excellentiam laude dignam præsumat habere; admiratio autem maxime attentionem animi facit, ideo cum mater Christi esset humilissima, Angelus ab ejus laude, tamquam ab eo quod maximam admirationem causare in Virgine debebat, salutationem incepit. Ad prob. dici potest, quod etsi causa secundum se præcedat effectum, tamen multoties ex effectu mirabili in notitiam causæ deducimur. Sic et Beata Virgo ex excellentia, quam ex Filii Dei futura incarnatione adepta erat, in notitiam tanti mysterii fuit ab Angelo deducta.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Ambr. expresse dicit super Luc. cap. 1. quod Beata Virgo de verbis Angeli non dubitavit; dicit enim: « temperantior est « Mariæ responsio, quam verba sacerdo- « tis. Hæc ait: quomodo fiet istud? Ille « respondit: unde hoc sciam? Negat ille « se credere, qui negat se scire; ista se « facere profitetur, nec dubitat esse fa- « ciendum, quod quomodo fieri possit, « inquirit. » Augustinus tamen in Quæstionibus novi et vet. test. quæst. 51. videtur dicere, quod dubitaverit; dicit enim « ambigenti Mariæ de conceptu « possibilitatem Angelus prædicat. » Sed talis dubitatio magis est admirationis, quam incredulitatis; et ideo Angelus probationem inducit, non ad auferendam incredulitatem, sed magis ad removendam ejus admirationem.

Ad 3. Dicitur, quod sicut Amb. dicit in Exameron, ob hoc multæ steriles prævenerunt, ut partus virginis credatur; et ideo conceptus Elisabeth sterilis inducitur, non quasi sufficiens argumentum, sed quasi quoddam singulare exemplum: sed ad confirmationem hujus exempli subditur argumentum efficax ex omnipotentia divina, dum dicitur quia non *erit impossibile apud Deum omne verbum.*

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

### EX PRÆCED. 30.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod fuit conveniens, annuntiari Beatæ Virgini illud, quod in ea fiendum erat. Ut Luc. 1. *Ecce concipiens*, etc. ut *in arg. cont.* Per hoc enim, quod Angelus jussu Dei nuntiavit ei illud, quod in ea complendum erat, constat intentum, scilicet quod tale quid fuit conveniens. Cum enim á Deo introducatur factum, ipso jure congruum fuisse monstratur, ut patet. Quod autem á scripturis narratur, ut conveniens, nonnisi conveniens esse potest: quandoquidem non potest solvi scriptura, Joann. 10. Cæterum de hujusmodi convenientia scripturarum universaliter vide 2. 2. qu. 122. art. 2. append. et qu. 140. art. 1. append. Item 1. 2. qu. 68. art. 4. append. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod annuntiatio mysterii incarnationis B. Virgini debuit fieri per Angelum. Ut Luc. 1. secundum quod est *in arg. cont.* At, quod convenienter sic factum fuerit, vide loca citata supra art. 1. append. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Aug. et Ambros. insinuatum, quod Angelus annuntians debuit apparere corporea visione. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A D. Ambros. autem super Luc. 1. de Angeli apparitione ad B. Virginem dicente. "Ipsa autem, ut vidit eum, mota est in introitu ejus. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere; omnes viri affatus vereri. Maria etiam salutationem Angeli verebatur.» Hæc ille. A scripturis vero Luc. 1. "Ingressus Angelus ad eam dixit: *Ave gratia plena.*» Nam secundum morem scripturarum ly *ingressus* dictum de angelis corporale quid importat. Ut quando de Angelo Raphaele dicitur Tob. 5. "Ingressus salutavit eum, et dixit: gaudium tibi sit semper.» Et cap. 7. "Ingressi sunt ad Raguelem.» Nec mirum. Tales enim locutiones denotant motum progressivum, qui, secundum Philos. in lib. de anima, proprie convenit animalibus. Expone tu in proposito ly *animalibus*, scilicet aut vere, aut apparenter, similitudinem animalium habentibus. Quod autem de ly *ingressus* dictum est, intellige etiam de aliis hujusmodi, quæ corporale quid, tamquam animalibus conveniens, sonant. Sic intelligunt D. Aug. et Ambros. "ly venit, ly facie rutilans, ly veste coruscans, ly incessu mirabilis, ly in introitu ejus, ly viri ingressus, ly viri affatus, ly salutationem.» Ad prædictorum quoque intelligentiam, pro quanto per similes locutionum phrases denotatur quid corporale in apparitionibus Angelorum, faciunt illa, quæ circa Angelos corporaliter apparentes describuntur, Genes. 18. 19. 32. Josue c. 5. Judicum, c. 13. Propter ly *debuit*, vide de convenientia scripturarum, 2. 2. etc. ut sup. ar. 1. appen. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis insinuatum, quod anuntiatio facta est per Angelum convenienti ordine. Ut per hoc, quod dicitur Rom. 13. etc. secundum quod est, et applicatur *in arg. cont.* Pro cujus captu meliori recordare illius regulæ lib. Topicor. scilicet, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, ita maxime ad maxime: et hanc applicando præsenti proposito, videbis, quam rationabiliter prædicti argumenti conclusio ex præmissis illis auctoritatibus inferat ly *ordinatissime*. Videbatur quidem solum inferendum ex Rom. 13. quod talis anuntiatio fuit ordinate completa: sed, quia hujusmodi missio Angeli, de qua ibi subsumitur, inter illa, quæ sunt á Deo, maximum quid dicit, ut patet art. 2. ad 4. ideo servata prædicta regula Topicorum, oportuit concludere ly *ordinatissime*. Ex quo etiam datur intelligi quod ly *congruo* in articuli conclusione positum tenetur antonomastice, idest, per excellentiam, ac si dictum fuisset, congruentissimo. Cæterum, ut absque errore intelligas, quod á Deo potest esse, et est aliquid majus, seu melius altero, vide 1. quæst. 20. art. 3. et quæst. 25. art. 6. Item ad intelligentiam ampliorem de ly *congruo* juvabit videre de convenientia

scripturarum, et sufficientia, primæ secundæ quæstio. 68. art. 4. append. Et secundæ secundæ quæstio. 122. art. 2. append. Item quæstio. 140. art. 1. append. Item quæstio. 179. art. 2. append. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA PRIMA,

### DE CONCEPTIONE SALVATORIS QUOAD MATERIAM, DE QUA CORPUS EJUS CONCEPTUM EST, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ipsa conceptione Salvatoris: primo quantum ad materiam de qua ejus corpus conceptum est; secundo quantum ad conceptionis auctorem; tertio quantum ad modum, et ordinem conceptionis.

*Circa primum quæruntur octo.*

Primo, utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam.

Secundo, utrum fuerit sumpta de David.

Tertio, de genealogia Christi, quæ in Evangeliis ponitur.

Quarto, utrum decuerit Christum nasci de fœmina.

Quinto, utrum fuerit de purissimis sanguinibus virginis corpus ejus formatum.

Sexto, utrum caro Christi fuerit in antiquis patribus secundum aliquid signatum.

Septimo, utrum caro Christi in patribus fuerit peccato obnoxia.

Octavo, utrum fuerit decimata in lumbis Abrahæ.

### ARTICULUS I.

*Utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod caro Christi non fuerit sumpta ex Adam.

1. Caro ejus qui est de cœlo non est sumpta ab eo qui est de terra. Sed Christus est de cœlo, Adam vero est de terra. Ergo caro Christi non est sumpta ex Adam.

Maior patet, quia qui est de cœlo, habet aliam originem ab eo, qui est de terra.

Minor probat., quia 1. Cor. 15. dicitur: « primus homo » idest Adam « de « terra terrenus, secundus homo » idest Christus « de cœlo cœlestis. »

2. Caro ejus cujus conceptio debuit esse maxime miraculosa, non debuit desumi ex Adam, sed ex aliqua alia materia formari. Sed conceptio Christi debuit esse maxime miraculosa. Ergo corpus Christi non debuit formari de massa humani generis derivata ab Adam, sed de aliqua alia materia.

Maior prob., quia maius miraculum est formare corpus hominis ex limo terræ, quam ex materia humana, quæ de Adam trahitur.

3. Si corpus Christi fuisset sumptum ab Adam, sequeretur quod etiam Christus in Adam originaliter fuisset, quando peccavit, ac per hoc originale peccatum contraxisset. Sed hoc est inconveniens. Ergo corpus Christi non est formatum ex materia sumpta ab Adam.

Conseq. probatur, quia peccatum in hunc mundum intravit per unum hominem, scilicet per Adam, quia omnes in eo originaliter existentes peccaverunt, ut patet Rom. 5.

Falsitas probatur, quia hoc non decebat Christi puritatem.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Filius Dei *nusquam Angelos apprehendit*, sed *semen Abrahæ apprehendit*, ut dicitur ad Heb. 2. Ergo corpus Christi formatum fuit de materia ex Adam desumpta.

Conseq. prob., quia semen Abrahæ desumptum fuit ex Adam.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit, ut Filius Dei carnem sumeret ex materia ab Adam derivata.

Prob. Filius Dei assumpsit humanam naturam, ut eam á corruptione purgaret. Ergo conveniens fuit, ut carnem sumeret ex materia ab Adam derivata, ut ipsa natura per assumptionem curaretur.

Conseq. prob., quia natura humana non indigebat purgatione, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam, qua ex Adam descendebat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus prob. quod secundus homo, idest Christus dicitur esse de cœlo, non quidem quantum ad materiam corporis, sed vel quantum ad virtutem formativam corporis ejus, vel etiam quantum ad ipsam ejus divinitatem. Secundum autem materiam corpus Christi fuit terrenum, sicut corpus Adæ.

Ad 2. Dicitur dupliciter: primo negatur minor; ut enim dictum est quæst. 29. art. 1. ad 2. mysterium Incarnationis Christi est quiddam miraculosum, non sicut ordinatum ad confirmationem fidei, sed sicut articulus fidei; et ideo in mysterio Incarnationis, non requiritur quid sit maius miraculum, sed quid sit divinæ sapientiæ convenientius, et magis expediens humanæ saluti; quod requiritur in omnibus, quæ sunt fidei. Dicitur secundo negando maiorem. Ad prob dicitur, quod in mysterio Incarnationis non solum attenditur miraculum ex materia conceptus, sed magis ex modo conceptionis, et partus, quia scilicet virgo concepit, et peperit, quod non fuit solum unum, sed plura miracula.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod in Adam peccaverunt omnes, (1) qui fuerunt in eo, secundum seminalem rationem: corpus autem Christi non fuit in Adam secundum seminalem rationem, quia non est conceptum ex virili semine, sed solum secundum corpulentam substantiam, quia scilicet ipsa materia corporis Christi derivata est ab Adam; et ideo Christus non contraxit peccatum originale, sicut cæteri, qui ab Adam per viam virilis seminis derivantur, etc.

(1) Excepta Virgine Maria.

## ARTICULUS II.

*Utrum caro Christi fuerit sumpta de David.*

*Pro negativa.*—Videtur, quod Christus non sumpserit carnem de semine David.

1. Matthæus cap. 1. genealogiam Christi texens, eam ad Joseph perduxit. Ergo videtur, quod Christus non descenderit ex genere David.

Conseq. prob., quia Joseph non fuit pater Christi, ut dictum est quæst. 29. art. 2.

2. Maria mater Christi fuit de tribu Levi. Ergo Christus de semine David non descendit

Anteced. prob., quia Maria erat cognata Elisabeth, quæ est de filiabus Aaron, ut dicitur Luc. 1. Aaron autem fuit de tribu Levi, ut patet Exod. 6.

Conseq. prob., quia David fuit de tribu Juda, Matth. 1.

3. Christus non fuit de semine Jechoniæ. Ergo Christus non fuit de semine David.

Anteced. prob. Ex Jechonia nullus natus est, qui sederet super solium David; dicitur enim Hierem. 22. de Jechonia. "Scribe virum istum sterilem: nec "enim erit de semine ejus vir, qui se- "deat super solium David." De Christo autem dicitur Isaiæ 9. "Super solium "David sedebit."

Conseq. prob., quia Matth. 1. a David per Jechoniam seriem generationum perducit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Rom. 1. dicitur: *qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus specialiter duorum antiquorum patrum filius dicitur, Abrahæ scilicet et David.

Prob. Quia Matth. 1. dicitur: *liber generationis Jesu Christi, Filii David Filii Abraham.* Et hoc triplici ratione.

Primo quidem quia ad hos specialiter de Christo repromissio facta est: dictum est enim Abrahæ Gen. 22. "Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ:» quod Apost. Gal. 3. de Christo exponens dicit. "Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: ex "seminibus, quasi in multis, sed quasi in "uno: et semini tuo qui est Christus." Ad David autem dictum est Psalm. 131. "de fructu ventris tui ponam super sedem "tuam:" unde et populi Judæorum, ut regem honorifice suscipientes, dicebant Matth. 21 *Hosanna Filio David.*

Secunda ratio est, quia Christus futurus erat rex, propheta et sacerdos. Abraham sacerdos fuit, ut patet ex hoc quod dixit ad eum Gen. 15. *Sume tibi vaccam triennem*, etc. Fuit etiam propheta secundum illud quod dicitur Gen. 20. *Propheta est, et orabit pro te.* David autem rex fuit et propheta.

Tertia ratio est, quia in Abraham primo incæpit circumcisio, in David autem maxime manifestata est Dei electio, secundum illud quod dicitur 1. Reg. 13. *Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum*, et ideo utriusque filius Christus specialissime dicitur, ut ostendatur esse in salutem et circuncisioni, et electioni gentilium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod hæc objectio fuit Fausti Manichæi volentis probare Christum non esse Filium David, quia non est conceptus ex Joseph, usque ad quem, seriem generationis Matthæus perducit. Contra quem Aug. respondet 23. lib. contra Faustum, cap. 8. dicens quod "cum idem Evangelista dicat, et virum Mariæ esse Joseph, et Christi matrem virginem esse, et Christum esse ex semine David; quid restat, nisi credere Mariam non fuisse extraneam à cognatione David? et eam Joseph conjugem non frustra appellatam propter animorum confœderationem, quamvis non fuerit ei carne commixtus, et quod potius propter dignitatem virilem, ordo generationum usque ad Joseph perducitur? Sic ergo nos credimus etiam Mariam fuisse de cognatione David, quia scripturis credimus, quæ utrumque dicunt, et Christum ex semine David, secundum carnem, et ejus matrem Mariam, non cum viro concumbendo, sed virginem;" ut enim dicit Hieronym. super Matth. 1. "Ex una tribu fuit Joseph et Maria; et secundum legem eam accipere cogebatur, ut propinquam, propter quod et simul censentur in Bethleem, quasi de una stirpe generati." Ad formam igitur negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi Joseph non fuerit pater Christi, tamen Maria ejus mater erat de semine David, sicut Joseph vir ejus.

Ad 2. Dicitur, quod huic objectioni Aug. de consensu Evang. c. 3. respondet dicens, quod "hoc nutu superno contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi jungeretur, ut Christus, qui rex est, et sacerdos ab utrisque nasceretur secundum carnem:" unde et Aaron, qui fuit primus sacerdos, secundum legem, duxit ex tribu Juda conjugem Elisabeth filiam Aminadab: sic ergo potuit fieri ut pater Elisabeth uxoris Zachariæ aliquam uxorem habuerit de stirpe David, ratione cujus Beata Virgo Maria, quæ fuit de stirpe David, esset cognata Elisabeth. Vel potius é converso quod pater B. Mariæ de stirpe David existens uxorem habuerit de stirpe Aaron. Vel sicut August. dicit lib. 23. contra Faustum, cap. 9. si Joachim pater Mariæ de stirpe Aaron fuit (ut Faustus Hæreticus per quasdam scripturas apochryphas asserebat), credendum est, quod mater Joachim fuerit de stirpe David, ita ut per aliquem mo-

dum Mariam dicamus fuisse de stirpe David. Ad formam igitur negatur consequentia. Fuit enim Maria de tribu Levi et Judæ, ut dictum est, et ex David descendit.

Ad 3. Negatur anteced. Ad prob. dicitur quod per illam auctoritatem propheticam, sicut Amb. dicit lib. 3. super Lucam, « non negatur ex semine Jechoniæ posteros nascituros: et ideo de « semine ejus Christus est. Et quod « Christus regnavit, non contra prophe- « tiam est: non enim seculari honore reg- « navit; ipse enim dixit: regnum meum « non est de hoc mundo. »

## ARTICULUS III.

*Utrum convenienter genealogia Christi ab Evangelistis texatur.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod genealogia Christi inconvenienter ab Evangelistis texatur.

1. Dicitur enim Isaiæ 53. de Christo: *Generationem ejus quis enarrabit?* Ergo non fuit generatio Christi enarranda.

2. Matthæus dicit quod *Jacob genuit Joseph virum Mariæ*, Lucas autem dicit Joseph fuisse filium Heli. Ergo contraria sibi invicem scribunt.

Conseq. prob., quia impossibile est unum hominem duos patres habere.

3. Videntur Evangelistæ in quibusdam á se invicem diversificari. Matth. enim in principio lib. incipiens ab Abraham descendendo usque ad Joseph quadraginta duas generationes enumerat; Lucas autem post baptismum Christi, generationem Christi ponit, incipiens á Christo, et perducens generationum numerum usque ad Deum, ponens generationes septuaginta septem, utroque extremo computato. Videtur igitur, quod inconvenienter generationem Christi describant.

4. Legitur 4. Regum 8. quod Joram genuit Ochoziam, cui successit Joas filius ejus: huic autem successit filius ejus Amasias: postea regnavit filius ejus Azarias, qui appellatur Ozias, cui successit Joatham filius ejus. Matthæus autem dicit quod Joram genuit Oziam, tres reges in medio prætermittens. Ergo videtur inconvenienter generationem Christi describere.

5. Omnes qui in Christi generatione describuntur, patres habuerunt, et matres et plurimi, ex eis etiam fratres habuerunt. Et tamen Matth. in generatione Christi, tres tantum enumerat matres, scilicet Thamar, Ruth, et uxorem Uriæ; fratres autem nominat Judæ et Jechoniæ: et iterum Phares, et Zaram, quorum nihil posuit Lucas. Ergo videntur Evangelistæ inconvenienter Christi genealogiam descripsisse.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In contrarium est auctoritas scripturæ, Matth. 1. et Lucæ 3.

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienti ordine ab Evangelistis Christi genealogia est scripta.

Prob. Ea quæ divinitus fiunt, ordinatissime, et convenientissime fiunt. Sed genealogia Salvatoris est in Evangelio divinitus scripta. Ergo genealogia Salvatoris convenientissime, et ordinatissime in Evangelio ab Evangelistis fuit descripta.

Maior prob., quia *ea quæ á Deo sunt, ordinata sunt*, ut dicitur Rom. 13.

Minor prob. *Omnis scriptura sacra est divinitus inspirata*, ut dicitur 2. Tim. 3.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod generatio Christi est duplex, scilicet divinitatis et humanitatis. Et iterum generatio humanitatis dupliciter consideratur: uno modo quantum ad Incarnationis modum; alio modo, quantum ad patres ex quibus Christus secundum carnem duxit originem.

Ad anteced. dicitur quod sicut Hieronym. dicit super Matth. 1. Isaias loquitur de generatione divinitatis Christi quæ narrari non potest.

Matthæus autem narrat generationem Christi, secundum humanitatem, non quidem explicans modum incarnationis, quia hoc etiam est ineffabile, sed enumerans patres, ex quibus Christus secundum carnem processit.

*Quorumdam responsio.*

*Ad* 2. Dicitur quod ad hanc objectionem, quam movit Julianus apostata, diversimode ab aliquibus respondetur: quidam enim (ut August. lib. 2. quæst. Evang. q. 5. dicit) dicunt eosdem esse, quos uterque Evangelista enumerat, sed sub diversis nominibus, quasi binomios.

*Reprobatio.*

Sed hoc stare non potest, quia Matth. ponit Jacob descendere ex uno filiorum David, scilicet ex Salomone. Lucas autem dicit Heli descendere ex altero filio David, scilicet ex Natham, qui fuit frater Salomonis.

*Aliorum responsiones.*

Alii dixerunt quod Matthæus veram genealogiam Christi tradidit. Lucas autem putativam: unde incepit: *ut putabatur filius Joseph.* Erant enim aliqui ex judæis, qui propter peccata regum Juda credebant Christum ex David non per reges, sed per aliam ejus stirpem hominum privatorum esse nasciturum, et his Lucas satisfacit, scribens putativam Christi genealogiam.

Alii vero dixerunt quod Matth. posuit patres carnales. Lucas vero posuit patres spirituales, scilicet viros justos, qui dicuntur patres propter similitudinem honestatis.

In libro vero Aug. de Qq. novi et vet. test. qu. 56. respondetur quod non est intelligendum, quod á Luca dicatur Joseph esse filius Heli, sed quod Heli, et Joseph fuerunt patres Christi, diversimode á David descendentes: unde patet sensus verborum Lucæ quod Christus putabatur filius Joseph, qui tamen erat etiam filius Heli: quasi diceret quod ea ratione, qua Christus erat filius Joseph, erat etiam filius Heli, et omnium eorum qui ex stirpe David descenderunt, sicut Apostolus Rom. 9. dicit: *ex quibus*, scilicet Judæis, *Chistus est secundum carnem.*

*Judicium de his responsionibus.*

Sed hæ responsiones difficultates patiuntur: et prima quidem: non apparet quomodo Matthæus veram Christi genealogiam tradiderit, cum perducat ipsam ad Joseph, ex cujus semine non est Christus: insuper Lucas posuit, David et alios patres ante David, qui non putativi patres, sed carnales, et veri fuerunt, scilicet Jesse, Obed, Booz, et alii qui præcesserunt.

Et eamdem difficultatem patitur secunda responsio: non enim apparet, quomodo Matthæus posuerit patres carnales, cum Joseph non fuerit pater carnalis Christi, et iterum Lucas posuit patres etiam carnales, ut David, Abraham, et Adam, et medios inter istos, et etiam quia si Lucas patres spirituales Christi ponere intendebat, dereliquit multos patres Christi, ut fuerunt Helias, Helisæus, et Prophetæ Hieremias, Isaias, et alii hujusmodi, qui sanctissimi fuerunt.

Tertia vero difficultatem patitur, quia neuter Evangelista veram Christi genealogiam texuisset; si enim Heli erat pater Christi, sicut Joseph; sicut Joseph non fuit verus pater Christi, ita Heli non fuisset verus pater Christi, ac per hoc impertinens fuisset horum genealogias texere.

*Augustini responsiones.*

Augustinus in Qq. Evang. lib. 2. q. 5. tripliciter solvit dicens. « Tres causæ « occurrunt, quarum aliquam Evange- « lista secutus est: aut enim unus Evan- « gelista patrem Joseph, á quo genitus « est nominavit; alter vero vel avum « maternum, vel aliquem de cognatis ma- « ioribus posuit: aut unus erat Jo- « seph naturalis pater, et alter eum « adoptaverat: aut more Judæorum,

"cum sine filiis unus decessisset, ejus "uxorem propinquus accipiens, filium "quem genuit propinquo mortuo depu- "tavit." Quod etiam quoddam genus adoptionis legalis est, ut August. ipse dicit in lib. 2. de consens. Evang. cap. 3. Et hæc ultima verior videtur, quam et Hieron. super Matth. ponit. Et Eusebius Cæsariensis in lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ c. 6. ab Aphricano historiographo traditam asserit: dicunt enim quod Natham, et Melchi diversis temporibus de una eademque uxore Estha nomine singulos filios procreaverunt; quia Natham, qui per Salomonem descendit, uxorem eam primum cæperat, et relicto filio uno Jacob nomine, defunctus est. Post cujus obitum (quoniam lex alii viro non vetat nubere) Melchi, qui per Natham genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam Natham accepit uxorem, ex qua etiam ipse suscepit filium nomine Heli: et sic ex diverso patrum genere, efficiuntur Jacob, et Heli fratres uterini: quorum alter, idest Jacob fratris sui Heli sine liberis defuncti ex mandato legis accipiens uxorem genuit Joseph, natura quidem generis suum filium, secundum vero legis præceptum efficitur filius Heli; et ideo Matthæus dicit: *Jacob genuit Joseph.* Lucas autem qui legalem generationem describit, nullum nominat aliquem genuisse, sed dicit solum: *Qui fuit Heli.* Sed etiam hæ responsiones habent difficultates. Et prima quidem, quia non apparet aliqua ratio cur Lucas voluerit nominare avum maternum Joseph, cum esset tradenda genealogia Christi, quæ per viros, et non per mulieres erat usque ad Mariam deducenda. Sed dato hoc esse verum, quomodo traditur genealogia Christi, cum Christus ex Joseph non descendat?

Secunda vero responsio non apparet vera, quia non erat texenda genealogia patris adoptantis Joseph, cum hujusmodi legalis genealogia nihil faciat ad ostendendum Christum fuisse filium David secundum carnem.

Tertia vero etsi verior appareat, non tamen caret difficultate. Ad quid enim Lucas texeret genealogiam patris legalis, cum secundum veritatem Joseph á tali patre non descenderit secundum carnem; sed á Jacob:? et iterum si Lucas intendebat tradere genealogiam legalem, sufficiebat ascendere usque ad Natham filium David, quia ipse David, et alii patres, ex quibus David descendit, fuerunt patres Christi secundum carnem et naturam, et non secundum legem tantum. Dicendum igitur videtur quod Lucas tradit genealogiam Virginis Matris Dei. Unde cum dicit: *qui fuit Heli,* potest referri ad Joseph, et sensus erit quod Joseph fuit Heli, idest gener Heli, vel filius Heli, quia erat vir Mariæ filiæ Heli, qui fuit pater matris Dei. Vel ly (qui) potest referri ad Christum; ut sit sensus quod Christus, qui putabatur filius Joseph, erat filius Heli patris matris ejus, tacito nomine matris, ne genealogia á mulieribus inchoaretur. Matthæus autem texuit genealogiam Joseph, quia etiam Maria per aliquem modum descendebat ab illis patribus, quos Matthæus nominat et utrumque horum verum videtur, quia Dam. lib. 4. ort. fid. dicit Mariam ex Melchi, quem Lucas nominat, descendisse, et Amb. lib. 3. Luc. dicit Christum descendisse ex Jechonia, quem Matth. nominat; quod esse non posset, nisi Maria ex David per Salomonem per aliquem modum descenderet; et propter hoc Evangelistæ Spiritu Sancto afflati, unus Virginis Mariæ genealogiam, et alter Joseph texuerunt, ut patres paternos, et maternos Mariæ nominarentur.

Ad 3. Dicitur quod sicut dicit Aug. lib. 2. de consens. Evang. c. 4. "Mat- "thæus regiam in Christo instituerat in- "sinuare personam. Lucas autem sa- "cerdotalem: unde in generationibus "Matthæi significatur nostrorum sus-

"ceptio peccatorum á Domino Jesu Chris-"to:» in quantum scilicet in carnis originem similitudinem carnis peccati assumpsit. «In generationibus autem Lucæ significatur nostrorum abolitio, quæ est per sacrificium Christi. Et ideo generationes Matthæus descendens enumerat: Lucas autem ascendens. Inde etiam est quod Matthæus ab ipso David per Salomonem descendit, in cujus matre ille peccavit: Lucas vero ad ipsum David per Nathan ascendit, per cujus nominis prophetam Deus peccatum illius expiavit. Et inde est etiam, quod quia Matthæus ad mortalitatem nostram Christum descendentem voluit signare, ipsas generationes ab Abraham usque ad Joseph, et usque ad ipsius Christi nativitatem descendendo commemoravit ab initio Evangelii sui; Lucas autem non ab initio, sed á baptismo Christi generationes narrat, nec descendendo, sed ascendendo tamquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans: ubi testimonium Joannes perhibuit dicens: Ecce qui tollit peccatum mundi: ascendendo autem transit ad Abraham, et pervenit ad Deum; cui mundati et expiati reconciliamur. Merito etiam adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filii Dei: per carnalem vero generationem Filius Dei filius hominis factus est. Satis autem demonstravit non se ideo dixisse Joseph filium Heli quod de illo sit genitus, sed quod ab illo fuerit adoptatus, cum et ipsum Adam filium Dei dixerit, cum sit factus á Deo.» Numerus etiam quadragenarius ad tempus præsentis vitæ pertinet, propter quatuor partes mundi: in quo mortalem vitam ducimus sub Christo regnante: «Quadraginta autem quater habent decem, et ipsa decem ab uno usque ad quatuor, progrediente numero, consummantur.» Posset etiam denarius ad decalogum referri, et quaternarius ad præsentem vitam, vel etiam ad quatuor Evangeliæ secundum quæ Christus regnat in nobis: Et ideo Matthæus regiam personam Christi commendans, quadraginta personas posuit, excepto ipso. Sed hoc intelligendum est, si sit idem Jechonias, qui ponitur in fine secundi quaterdenarii, et in principio tertii, ut Aug. vult in lib. 2. de cons. Evang. cap. 4. qui dicit factum esse ad significandum quod in «Jechonia facta est "quædam deflectio ad extraneas gentes "quando in Babyloniam transmigratum "est, quod præfigurabat Christum á "circumcisione ad præputium migratu-"rum.» Hieronym. autem dicit duos fuisse Joachim, idest Jechonias, patrem scilicet et filium, quorum uterque in generatione Christi assumitur, ut constet distinctio generationum, quas Evangelista per tres quaternarios distinguit, quod ascendit ad quadraginta duas personas. Qui etiam numerus sanctæ convenit Ecclesiæ. Hic enim numerus consurgit ex senario, qui significat laborem præsentis vitæ, et septenario, qui significat quietem vitæ futuræ. Sexies enim septem sunt quadraginta duo. Ipse etiam quaterdenarius, quia ex denario, et quaternario constituitur per aggregationem, ad eamdem significationem pertinere potest, quæ attributa est quadragenario, qui consurgit ex eisdem numeris, secundum multiplicationem. Numerus autem quo Lucas utitur in generationibus Christi, significat universitatem peccatorum. Denarius enim tamquam justitiæ numerus in decem præceptis legis ostenditur. Peccatum autem est legis transgressio. Denarii vero numeri transgressio est undenarius. Septenarius autem significat universitatem: quia universum tempus septenario dierum numero volvitur: septies autem undecim sunt septuaginta septem, et ita per hoc significatur universitas peccatorum, quæ per Christum tolluntur.

Ad 4. Dicitur quod sicut Hieron. dicit in Matth. «Quia Joram rex generi "se miscuerat impiissimæ Jezabellis; id-

"circo usque ad tertiam generationem "ejus memoria tollitur, ne in sanctæ nati- "vitatis ordine poneretur. » Et ita ut Chrys. dicit in Homil. 1. in Matth. in op. imperf. «quanta benedictio facta est super «Jehu qui vindictam fecerat super domum «Achab, et Jezabel, tanta est maledictio «super domum Joram; propter filiam «iniqui Achab, et Jezabel, ut usque ad «quartam generationem præcidantur filii «ejus de numero regum; sicut scriptum «est Exod. 20. Reddam peccatum «parentum in filios, usque ad tertiam, et «quartam generationem.» Est etiam attendendum quod et alii reges fuerunt peccatores, qui in genealogia Christi ponuntur; sed non fuit eorum continuata impietas: nam ut dicit August. in lib. quæst. nov. et ver. test. quæst. 81. «Sa- «lomon merito patris sui dimissus in reg- «no est: Roboam merito Asa filii sui: «horum autem trium continuavit im- «pietas.»

Ad 5. Dicitur, quod sicut Hieronym. dicit super Matth. "In genealogia Salva- "toris nulla sanctarum mulierum assu- "mitur; sed eas quas scriptura repre- "hendit, ut qui propter peccatores ve- "nerat, de peccatoribus nascens omnium "peccata deleret.» Unde ponitur Thamar, quæ reprehenditur de socerino concubitu; et Raab quæ fuit meretrix; et Ruth quæ fuit alienigena; et Bersabee uxor Uriæ, quæ fuit adultera, quæ tamen propio nomine non ponitur, sed ex nomine viri designatur: tum propter peccatum ipsius quæ fuit adulterii et homicidii conscia; tum etiam ut nominato viro, peccatum David ad memoriam revocetur. Et quia Lucas Christum designare intendit ut peccatorum expiatorem, talium mulierum mentionem non facit. Fratres autem Judæ commemorat, ut ostendat eos ad Dei populum pertinere; cum tamen Ismael frater Isaac, et Esau frater Jacob á populo Dei fuerint separati, propter quod in generatione Christi non commemorantur. Et etiam, ut superbiam de nobilitate excludat; multi enim fratrum Judæ ex ancillis nati fuerunt; sed omnes simul erant Patriarchæ, et tribuum principes. Phares autem, et Zaram simul nominantur, ut Ambr. dicit super Lucam lib. 3. quia per eos gemina describitur vita populorum: una secundum legem, quæ significatur per Zaram; altera secundum fidem, quæ significatur per Phares: fratres autem Jechoniæ ponit, quia omnes regnaverant diversis temporibus, quod in aliis regibus non acciderat, vel quia eorum similis fuit et iniquitas et miseria.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum decuerit Christum nasci de fœmina.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod materia corporis Christi non debuerit esse assumpta de fœmina.

1. Sexus masculinus est nobilior, quam sexus fœmineus. Ergo videtur, quod Filius Dei non debuerit de fœmina carnem assumere; sed magis de viro, sicut Eva de costa viri sui fuit formata.

Conseq. prob., quia maxime decuit, ut Christus assumeret id quod est perfectum in humana natura.

2. Quicumque ex fœmina concipitur, utero fœminæ includitur. Sed Deo non competit, quod parvo fœminæ utero includatur. Ergo Christus non debuit concipi de fœmina.

Minor prob., quia Deus cœlum et terram implet, ut dicitur Hierem. 23.

3. Illi, qui concipiuntur ex fœmina, quamdam immunditiam patiuntur. Sed in Christo nulla immunditia esse debuit. Ergo non videtur, quod Christus debuerit carnem assumere ex fœmina.

Maior prob., quia Job. 25. dicitur: *numquid justificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere?*

Minor prob., quia ipse est Dei sapientia, de qua dicitur Sap. 7. *Nihil iniquitatum in illam incurrit.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Gal. 4. dicitur: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.*

*Determinatio.*

Conclusio. Filius Dei, etsi carnem humanam assumere potuerit, de quacumque materia voluisset, convenientissimum tamen fuit, ut de fœmina carnem acciperet.

Prob. tripliciter. Primo quia per hoc tota natura humana est nobilitata. Unde Aug. dicit in lib. 83. Qq. q. 11. "Hominis liberatio in utroque sexu debuit "apparere. Ergo quia virum oportebat "suscipere, qui sexus honorabilior est, "conveniens erat ut fœminei sexus libe"ratio hinc appareret, quod ille vir de "fœmina natus est."

Secundo quia per hoc veritas incarnationis astruitur: unde Ambr. dicit in lib. de incarnatione cap. 6. "Multa in Christo secundum naturam invenies, et ultra naturam: secundum conditionem etenim naturæ in utero» fœminei scilicet corporis «fuit; sed supra conditionem virgo concepit, virgo generavit, ut crederes, quia Deus erat, qui innovabat naturam, et homo erat qui secundum naturam nascebatur ex homine." Et August. dicit in Epistola ad Volus. "Si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum non ex materno utero crearet; sed repentinum infferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur, et dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc vero ita inter Deum, et hominem mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret." Tertio quia per hunc modum completur omnis diversitas generationis humanæ; nam primus homo productus est ex limo terræ, sine viro et fœmina, Eva vero producta est ex viro sine fœmina: alii vero homines nascuntur ex viro et fœmina: unde hoc quartum, quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex fœmina sine viro.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod decuit quidem Christum assumere perfectiorem sexum, non tamen debuit despicere imperfectiorem, et ideo assumpsit humanam naturam in sexu masculino, qui est perfectior; ne tamen contemneretur sexus fœmineus, congruum fuit, ut carnem ex fœmina assumeret. Unde Aug. dicit in lib. de agon. christiano c. 11. "Nolite vos ipsos contemnere, viri: Filius Dei virum "suscepit. Nolite vos ipsas contemnere "fœminæ: Filius Dei natus ex fœmina "est."

Ad 2. Dicitur, quod maior est vera de puro homine, non autem de Christo homine. Unde August. dicit in lib. 23. contra Faust. qui hac objectione utebatur cap. 10. "Non plane catholica fides quæ Christum Dei Filium notum secundum carnem credit ex virgine, ullo modo eumdem Dei Filium, sic in utero mulieris includit quasi extra non sit, quasi cœli et terræ administrationem deseruerit, quasi á Patre recesserit; sed vos Manichæi, corde illo quo nihil potestis nisi corporalia phantasmata cogitare, ista omnino non capitis," et in Epist. 3. ad Vol. dicit: "hominum iste sensus est, nihil nisi corpora valentium cogitare, quorum *scilicet corporum* nullum potest esse ubique totum, quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat necesse est. Longe alia est animæ natura, quam corporis, quanto magis Dei, qui creator est animæ et corporis, et novit ubique totus esse, et nullo contineri loco; novit venire non recedendo, ubi erat; novit abire non deserendo quo venerat?"

Ad 3. Dicitur ad maiorem dupliciter. Primo quod in conceptione viri ex fœmina, non est aliquid immundum, in quantum est opus Dei. Unde dicitur Act. 10. *Quod Deus creavit, tu ne com-*

*mune*, idest immundum *dixeris*: est ibi tamen aliqua immunditia ex peccato proveniens, prout cum libidine quis concipitur ex commixtione maris, et fœminæ, quæ immunditia in Christo non fuit, ut dictum est q. 29. art. 2. Dicitur secundo. Dato quod esset ibi aliqua immunditia, ex ea non inquinaretur Dei Verbum, quod nullo modo est mutabile vel alterabile. Unde August. in lib. contra quinque hæreses cap. 5. dicit: "Deus creator hominis filius hominis. Quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem de qua nascerer feci. Si solis radius cloacarum sordes siccare novit, eis inquinari non novit, quanto magis splendor lucis æternæ quocumque radiaverit mundare potest, et ipse pollui non potest?"

## ARTICULUS V.

### *Utrum corpus Christi de purissimis sanguinibus virginis formatum fuerit.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod caro Christi non fuerit concepta ex purissimis sanguinibus virginis.

1. Verbum sumpsit de utero virginis carnem. Ergo corpus Christi non est formatum ex sanguinibus virginis.

Antecedens probatur, quia dicitur in collecta: «Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum carnem suscipere voluisti.»

Conseq. prob., quia caro differt á sanguine virginis.

2. Prima mulier, scilicet Eva, non dicitur esse formata de sanguine viri, sed magis de carne, et ossibus ejus, secundum illud quod dicitur Gen. 2. *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea.* Ergo videtur, quod nec etiam corpus Christi formari debuerit de sanguinibus virginis, sed de carnibus, et ossibus ejus.

Conseq. prob., quia sicut mulier formata est miraculose de viro, sic corpus Christi miraculose formatum est de virgine.

3. Corpora aliorum hominum non formantur ex purissimo sanguine, sed ex semine, et sanguine menstruo. Ergo videtur, quod nec etiam corpus Christi fuerit conceptum ex purissimis sanguinibus virginis.

Conseq. prob., quia corpus Christi fuit ejusdem speciei cum corporibus aliorum hominum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. cap. 2. quod *Filius Dei construxit sibi ipsi ex castissimis et purissimis sanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali.*

*Determinatio.*

Conclusio. Corpus Christi fuit conceptum ex purissimo sanguine Beatæ Virginis, ad ampliorem quamdam digestionem perducto per virtutem generativam.

Prob. Conceptio Christi fuit secundum conditionem naturæ, quantum ad hoc quod conceptus est ex fœmina, et supra conditionem naturæ, quia conceptus est de virgine, ut dictum est art. præced. Ergo corpus Christi fuit conceptum ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis, ad ampliorem digestionem perductis per virtutem generativam.

Conseq. manifestatur: habet enim hoc naturalis conditio quod in generatione animalis fœmina materiam ministret; et quod ex parte matris sit principium activum, ut dicitur in lib. 1. de gen. animal. cap. 19. Fœmina autem, quæ ex mare concepit, non est virgo et ideo ad supernaturalem modum generationis Christi pertinet, quod activum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis divina. Sed ad naturalem modum generationis ejus pertinet, quod materia de qua corpus ejus formatum est, sit conformis materiæ, quam aliæ fœminæ subministrant in conceptione prolis, quæ est sanguis mulieris; non quicumque, sed ille, qui est ad quamdam ampliorem digestionem redactus per virtutem gene-

rativam matris. Et ex tali materia conceptum, et formatum fuit corpus Christi.

Aliter formatur hæc littera.

Conclusio. Corpus Christi formatum est ex purissimis sanguinibus virginis matris.

Prob. Corpus ejus, qui concipitur, et nascitur ex matre virgine, est formatum ex solis puris sanguinibus matris. Sed Christus conceptus est, et natus de matre virgine. Ergo corpus Christi fuit formatum ex purissimis sanguinibus virginis matris.

Maior prob., quia mater in generatione subministrat semper materiam, quæ est sanguis ad ampliorem quamdam digestionem redactus; principium autem activum in generatione est ex parte maris; sed quia conceptio, quæ est ex masculo et fœmina, non est ex virgine, sequitur quod corpus ejus, qui ex virgine concipitur et nascitur, sit formatum ex puris solis sanguinibus matris virginis.

Minor prob., quia conceptio Christi est secundum conditionem naturæ quantum ad hoc quod ex fœmina est, et supra conditionem naturæ, quia est ex virgine, ut art. præced. dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod cum Beata Virgo fuerit ejusdem naturæ cum aliis fœminis, consequens est quòd habuerit carnem, et ossa ejusdem naturæ. Carnes autem et ossa in aliis fœminis sunt actuales corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis, et ideo subtrahi non possunt sine corruptione, vel diminutione corporis: Christus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritati matris ejus inferre debuit, ut dictum est, quæstion. 28. artic. 1. et 2. Et ideo non debuit corpus Christi formari de carne, vel ossibus virginis; sed de sanguine, qui nondum est actu pars, sed est potentia totum, ut dicitur in libro de gener. anim. cit. Cum igitur in collecta dicitur, quod Verbum sumpsit carnem de virgine, non est intelligendum quod sumpserit id, quod erat actu caro in virgine; sed id quod erat in potentia caro, qui est sanguis. Unde ad formam negatur consequentia.

Ad prob. dicitur, quod sanguis differt quidem á carne, quæ est actu caro; sed non differt ab eo quod est potentia caro.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod licet formatio mulieris fuerit miraculosa, sicut et formatio corporis Christi, non tamen est eadem ratio de materia utriusque: sicut enim dictum est 1. par. quæst. 92. art. 3. ad 2. Adam, quia institutus erat ut principium quoddam humanæ naturæ, habebat in suo corpore aliquid carnis et ossis, quod non pertinebat ad integritatem personalem ipsius, sed solum in quantum erat humanæ naturæ principium, et de tali carne formata est Eva, absque viri detrimento. In corpore autem Beatæ Virginis nihil tale fuit actuale non pertinens ad integritatem personæ ipsius, ex quo posset formari corpus Christi sine corruptione, vel diminutione proprii corporis. Et ideo corpus Christi non fuit formatum ex actuali carne et osse, sed ex sanguinibus, qui erant in potentia ossa et caro.

Ad 3. Dicitur ad antec. quod semen mulieris, et menstruum concurrunt quidem in conceptione corporum aliorum hominum, non tamen concurrunt tamquam propria, et necessaria materia, ex qua corpus formetur. In formatione autem corporis Christi nullo modo hæc duo intervenerunt. Et singula hæc ostenduntur: non enim semen mulieris potest esse propria materia, ex qua formatur corpus, quia tale semen est quid imperfectum in genere seminis, et ideo non potest esse aptum generationi, non enim potuit perduci ad perfectum seminis complementum propter imperfectionem virtutis fœminæ, et propterea dicit Phil. in libro de gen. animalium cit. quod tale muliebre semen non est materia, quæ de ne-

cessitate requiratur ad generationem. Quod vero sanguis menstruus non sit materia, ex qua corpus concipiatur, manifestatur: quia hujusmodi menstruus sanguis, quem fœminæ per singulos menses emittunt, habet quamdam impuritatem corruptionis, sicut et cæteræ superfluitates, quibus natura non indiget, sed eas expellit: ex tali autem menstruo corruptionem habente, quod natura repudiat, non formatur conceptus; sed hoc est purgamentum quoddam illius puri sanguinis, qui digestione quadam est præparatus ad conceptum, quasi purior, et perfectior alio sanguine; et hic sanguis est propria materia ex qua formatur corpus in conceptione. In conceptione tamen aliorum hominum intervenit semen et menstruum, non autem in conceptione Christi; quod erat ultimum ostendendum: non enim concurrit in conceptione Christi semen muliebre, qui est quoddam perfectum in genere seminis, et cum quadam concupiscentia resolvitur, sicut et semen maris. In illo autem conceptu virginali concupiscentia locum habere non potuit; et ideo Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. cap. 2. quod corpus Christi non seminaliter conceptum est. Menstruum autem non fuit in generatione Christi propter suam impuritatem, et licet materia ex qua formantur corpora aliorum hominum, sit sanguis matris purgatus ab impuritate menstrui, tamen habet talis sanguis impuritatem libidinis in conceptione aliorum hominum, in quantum ex ipsa commixtione maris, et fœminæ talis sanguis ad locum generationi congruum attrahitur. Quod non fuit in conceptione Christi, quia operatione Spiritus Sancti talis sanguis in utero virginis adunatus est, et formatus in prolem. Et ideo corpus Christi ex castissimis, et purissimis sanguinibus virginis est formatum, cum ibi nulla impuritas concupiscentiæ, quæ est in decisione seminis muliebris, nec quæ est in attractione sanguinis purificati ad locum conceptioni congruum, nec impuritas menstrui intervenerit: antecedens igitur est falsum de materia propria loquendo. Non enim illa duo sunt materia propria, ex qua formantur corpora aliorum hominum, sed sanguis purificatus: unde etsi ad conceptionem Christi illa non concurrerint, non sequitur quod non fuerit corpus ejusdem speciei cum aliis humanis corporibus: fuit enim conceptum ex puro sanguine, sed sine aliqua impuritate.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum corpus Christi fuerit in antiquis Patribus secundum aliquid signatum.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod corpus Christi fuerit in Adam, et in aliis patribus secundum aliquid signatum.

1. Illud quod est in aliquo secundum corpulentam substantiam, est in eo secundum aliquid signatum. Sed caro Christi fuit in Adam et Abraham, *secundum corpulentam substantiam*, ut Aug. dicit 10. super Gen. ad lit c. 19. Ergo caro Christi fuit in Adam, et in Abraham, et in aliis patribus, secundum aliquid signatum.

Maior prob., corpulenta substantia est aliquid signatum.

2. *Christus factus est ex semine David secundum carnem*, ut dicitur Rom. 1. Ergo Christus fuit in David, et eadem ratione in aliis patribus secundum aliquid signatum.

Conseq. prob., quia semen David fuit aliquid signatum in ipso.

3. Christus ad humanum genus affinitatem habet, in quantum ex humano genere carnem assumpsit. Ergo videtur quod caro Christi fuerit in Adam, et in aliis patribus, secundum aliquid signatum.

Conseq. prob., quia si caro illa non fuit secundum aliquid signatum in Adam, nullam videtur habere affinitatem ad humanum genus, quod ex Adam derivatur; sed magis ad alias res, unde materia carnis ejus, scilicet Adæ, assumpta est.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Alii homines non fuerunt in Adam et Abraham, secundum aliquam materiam signatam; sed solum secundum originem, ut in 1. par. qu. et art. ult. ad 4. dictum est. Ergo neque Christus fuit in Adam et Abraham, secundum aliquid signatum, et eadem ratione nec in aliis patribus.

Conseq. prob., quia August. dicit lib. 10. super Gen. ad lit. cap. 19. Quocumque modo Christus fuit in Adam et Abraham, et aliis patribus, alii homines etiam ibi fuerunt; sed non convertitur. Sicut igitur alii homines non fuerunt in Adam, secundum aliquid signatum, nec et Christus.

*Determinatio.*

Conclusio. Corpus Christi non fuit in Adam, et in aliis patribus, secundum aliquid signatum.

Prob. Corpus Christi non fuit secundum aliquid signatum in virgine matre, quod ipsa acceperit á parentibus. Ergo corpus Christi non fuit in Adam, et in aliis patribus secundum aliquid signatum, ita scilicet quod aliqua pars corporis Adæ, vel alicujus alterius posset designari determinate, ut diceretur quod ex hac materia determinate formabitur corpus Christi; sed fuit ibi secundum originem, sicut caro aliorum hominum.

Anteced. prob., quia dictum est art. præced. ad 1. quod materia corporis Christi non fuit caro, et os Beatæ Virginis, nec aliquid quod fuerit actu pars corporis ejus; sed sanguis, qui est potentia caro. Quicquid autem fuit in B. Virgine á parentibus acceptum, fuit actu pars corporis ejus: unde quod fuit in Beata Virgine á parentibus acceptum non fuit materia corporis Christi; ac per hoc caro Christi non fuit in Beata Virgine secundum aliquid actu signatum in Beata Virgine existens á patribus acceptum.

Conseq. probatur, quia corpus Christi habet relationem ad Adam, et ad alios Patres, mediante corpore matris ejus: unde sicut corpus Christi non fuit in matre virgine, secundum aliquid signatum; et corpus matris, sicut et aliorum omnium hominum non fuit in Adam, secundum materiam signatam, ut 1. par. quæst. et art. ult. ad 4. dictum est: ita corpus Christi non fuit in patribus, secundum aliquid signatum, sed solum secundum originem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod esse in aliquo, secundum corpulentam substantiam, potest intelligi dupliciter. Uno modo ut corpulenta substantia denotet aliquid signatum in eo, in quo aliquid esse dicitur, secundum quem modum potest dici, quod Eva fuerit in Adam, *secundum corpulentam substantiam*, quia erat in Adam aliqua pars signata, scilicet costa, ex qua facta fuit Eva. Alio modo ut ly, corpulenta substantia, denotet activam virtutem, ex qua disponitur materia ex qua generatur aliquid, et sic potest dici quod alii homines fuerint in Adam, quia ex virtute generativa Adæ disponitur materia, ex qua alii homines constituuntur. Ad maiorem igitur dicitur quod ille qui est in aliquo, secundum corpulentam substantiam primo modo, est in eo secundum aliquid signatum, non autem quod est in aliquo, secundum corpulentam substantiam secundo modo. Tunc ad minorem dicitur quod cum dicitur Christus fuisse in Adam, secundum corpulentam substantiam, non est intelligendum hoc modo, quod corpus Christi in Adam fuerit quædam corpulenta substantia: sed quia corpulenta substantia corporis Christi, idest materia, quam sumpsit ex virgine fuit in Adam, sicut in principio activo, non autem sicut in materiali principio: quia scilicet per virtutem generativam Adæ, et aliorum ab Adam descendentium, usque ad Beatam Virginem, factum est ut

illa materia præpararetur ad conceptum corporis Christi: et quia materia illa non fuit formata in corpus Christi per virtutem seminis ab Adam derivatam, ideo dicitur Christus fuisse in Adam originaliter secundum corpulentam substantiam, non autem secundum seminalem rationem. Vel aliter potest explicari hæc responsio, dicendo ad minorem, quæ est August. sententia, quod Christum fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam, potest intelligi dupliciter: uno modo, ut in Adam fuerit aliqua pars corporis, ex qua fuerit formatum corpus Christi, et sic falsum est corpus Christi fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam ratione dicta in corpore: alio modo, ut significet materiam corporis Christi ex Adam descendisse, et sic esse in Adam secundum corpulentam substantiam distinguitur ab eo quod est esse in Adam per viam seminalem: dicitur igitur de Christo specialiter, quod fuerit in Adam secundum corpulentam substantiam, ad differentiam modi, quo alii homines fuerunt in Adam. Nos enim fuimus in Adam secundum corpulentam substantiam, et secundum seminalem viam ab eo descendimus. Christus autem fuit in eo tantum per corpulentam substantiam; sed non fuit formatum ejus corpus virtute seminis virilis, ut dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. quamvis enim corpus Christi non fuerit in Adam, et in aliis patribus secundum seminalem rationem, corpus tamen B. Virginis quod ex semine maris est conceptum, fuit in Adam, et in aliis patribus secundum rationem seminalem. Et ideo mediante Beata Virgine, Christus secundum carnem dicitur esse ex semine David per modum originis.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod Christus habet affinitatem ad humanum genus secundum similitudinem speciei. Similitudo autem speciei attenditur non secundum materiam remotam, sed secundum materiam proximam, et secundum principium activum, quod generat sibi simile in specie. Sic igitur affinitas Christi ad humanum genus sufficienter conservatur per hoc, quod corpus Christi formatum est ex sanguinibus virginis derivatis secundum originem ab Adam, et aliis patribus: nec refert ad hanc affinitatem undecumque materia illorum sanguinum sumpta fuerit; sicut nec hoc refert in generatione aliorum hominum, sicut in 1. part. dictum est.

## ARTICULUS VII.

### *Utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod caro Christi in antiquis patribus peccato infecta non fuerit.

1. In divinam sapientiam *nihil inquinatum incurrit*, ut dicitur Sap. 7. Sed Christus est Dei sapientia, ut dicitur 1. Cor. 1. Ergo caro Christi numquam peccato inquinata fuit.

2. Christus assumpsit primitias nostræ naturæ: ut Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. c. 2. Ergo caro Christi non fuit infecta, nec in Adam, nec in aliis patribus.

Conseq. probat., quia in primo statu, in quo primitiæ nostræ naturæ fuerunt, natura humana non erat peccato infecta.

3. «Natura humana semper habuit cum « vulnere vulneris medicinam,» ut Aug. dicit 10. super Gen. ad lit. c. 20. Ergo semper in natura humana fuit aliquid non infectum ex quo postmodum est corpus Christi formatum.

Conseq. prob., quia si tota natura fuit infecta, non posset esse in natura vulneris medicina; sed potius ipsa indigeret medicina, et quodlibet sui, ac per hoc non haberet cum vulnere medicinam.

*Determinatio.*

Circa hoc quæsitum dupliciter contingit errare: uno modo si attribuamus Christo, vel carni ejus conditionem patrum: alio modo si attribuamus patribus conditionem Christi. Ad quorum evi-

dentiam est considerandum primo quod cum dicimus Christum secundum carnem ejus fuisse in Adam, et in aliis patribus, comparamus Christum, vel carnem ejus ad Adam, et ad alios patres. Considerandum est etiam quod alia fuit conditio patrum, et alia fuit conditio Christi; nam patres fuerunt subjecti peccato, Christus autem fuit omnino á peccato immunis. Contingit igitur primo modo errare circa hoc quæsitum, si attribuamus Christo, vel carni ejus conditionem patrum, idest quod Christus, vel caro ejus peccato subjacuerit, puta si dicamus quod Christus in Adam peccavit, quia Christus in Adam aliquo modo fuit. Hoc enim esset error; quia etsi Christus aliquo modo in Adam fuerit, non tamen eo modo fuit in eo, ut ad Christum peccatum Adæ posset pervenire, quia Christus non derivatur ad Adam secundum concupiscentiæ legem, sive secundum rationem seminalem, ut art. præced. ad 1. dictum est. Contingit etiam alio modo errare, si conditionem Christi, vel carnis ejus attribuamus patribus, ut scilicet quia caro Christi, secundum quod in Christo fuit, non fuit peccato obnoxia, ita etiam in Adam, et in aliis patribus fuerit aliqua pars corporis ejus, quæ non fuit peccato obnoxia, ex qua postmodum corpus Christi formaretur, sicut quidam posuerunt. Hoc autem esse non potest: primo quia caro Christi non fuit secundum aliquid signatum in Adam, et in aliis patribus quod posset distingui á reliqua eorum carne, sicut purum ab impuro, ut art. præced. dictum est: secundo quia cum caro humana peccato inficiatur ex hoc, quod est per concupiscentiam accepta, sicut tota caro alicujus hominis per concupiscentiam accipitur, ita etiam tota peccato inquinatur.

Conclusio. Tota caro antiquorum patrum fuit peccato obnoxia, nec fuit in eis aliquid á peccato immune, de quo postmodum corpus Christi formaretur. (1)

Prob. rationibus inductis ad reprobandum secundum errorem: quia scilicet caro Christi non fuit secundum aliquid signatum in patribus, et etiam quia tota caro patrum fuit per concupiscentiam accepta, ac per hoc nihil in eis carnis á peccato immune fuit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Conceditur totum: concludit enim quod caro, quam Verbum assumpsit, non subjacuerit peccato, Verbum enim assumpsit carnem humanam non subjectam peccato, et ideo in sapientiam nihil inquinatum incurrit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Christus dicitur primitias naturæ nostræ assumpsisse, quantum ad similitudinem conditionis, quia scilicet assumsit carnem peccato non infectam, sicut fuerat caro hominis ante peccatum. Non autem hoc itelligitur secundum continuationem puritatis, ita scilicet quod illa caro primi hominis puri conservata fuerit á peccato immunis usque ad formationem corporis Christi.

Ad 3. Dicitur ad antecedens quod in humana natura ante Christum erat vulnus, idest infectio originalis peccati in actu. Medicina autem vulneris non erat ibi in actu, sed solum secundum virtutem originis, prout scilicet ab illis patribus propaganda erat caro Christi, per quam natura erat sananda á vulnere.

## ARTICULUS VIII.

### *Utrum Christus in lumbis Abrahæ fuerit decimatus.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus fuerit in lumbis Abrahæ decimatus.

1. Quando Abraham obtulit decimas sacerdoti Melchisedech, Christus erat in

(1) Corpus Christi factum est ex purissimis sanguinibus Virginis quæ ab omni peccato etiam originali fuit immunis, ut dictum est in art. præcedentibus. Cum igitur loquitur de Patribus, intelligendum est de patribus superioribus virgini Mariæ.

lumbis Abrahæ. Ergo Christus fuit in Abraham decimatus.

Conseq. prob., quia Apost. ad Hebr. 7. probat quod Levi pronepos Abrahæ fuerit decimatus in Abraham, per hoc quod Levi erat in lumbis Abrahæ, quando Abraham obtulit decimas sacerdoti Melchisedech.

2. *Illud in Abraham decimabatur quod curatione indigebat*, ut Aug. dicit 10. super Gen. al lit. c. 20. Sed caro Christi curatione indigebat. Ergo caro Christi fuit in Abraham decimata.

Minor probat., quia caro Christi fuit in patribus peccato obnoxia, ut art. præced. dictum est.

3. Esse decimatum in Abraham non derogat dignitati Christi. Ergo Christus in Abraham fuit decimatus.

Conseq. prob., quia propter hoc dicitur Christum non fuisse decimatum, quia derogare videtur dignitati Christi.

Antec. ostenditur. Nihil enim prohibet (patre alicujus pontificis decimas dante alicui sacerdoti) filium ejus pontificem maiorem esse simplici sacerdote. Licet ergo dicatur Christus decimatus (Abraham dante decimas sacerdoti Melchisedech) non tamen propter hoc excluditur quin Christus, qui fuit Summus Pontifex, sit maior Melchisedech.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit 10. super Gen. ad lit. cap. 20. quod *Christus ibi*, scilicet in Abraham, *decimatus non est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus non fuit in lumbis Abrahæ decimatus.

Prob. Primo: si Christus fuisset decimatus in lumbis Abrahæ, sequeretur quod sacerdotium Christi non esset secundum ordinem Melchisedech, sed minus eo; quod est falsum.

Conseq. prob., quia Apostolus probat quod sacerdotium leviticum fuerit minus sacerdotio Melchisedech, quia Levi erat in lumbis Abrahæ, quando Abraham obtulit decimas sacerdoti Melchisedech.

Aliter. Ille cujus sacerdotium est secundum ordinem Melchisedech, non fuit decimatus in lumbis Abrahæ. Sed sacerdotium Christi est secundum ordinem Melchisedech. Ergo Christus non fuit decimatus in lumbis Abrahæ.

Maior prob., quia Apostolus probat quod maius est sacerdotium Melchisedech, sacerdotio levitico, quia Abraham obtulit decimas Melchisedech, Levi existente in lumbis ejus.

Prob. secundo conclusio: illi qui fuerunt decimati in lumbis Abrahæ, erant imperfecti, et curatione indigebant. Sed Christus non fuit imperfectus, nec curatione indiguit. Ergo Christus non fuit decimatus in lumbis Abrahæ.

Maior prob., quia ille qui decimas dat, novem sibi retinet, et decimam alteri tribuit; decima autem est perfectionis signum, in quantum numerus denarius est quodammodo terminus omnium numerorum, qui procedunt usque ad decem, et inde est, quod ille qui decimas dat, protestatur se imperfectum, et perfectionem alteri attribuit. Per hoc ergo, quod Abraham dedit decimas Melchisedech, præfiguravit se velut peccato conceptum, et omnes, qui ab eo descensuri erant, ea ratione, ut peccatum originale contraherent, scilicet secundum seminalem rationem indigere curatione, quæ est per Christum. Igitur omnes, qui fuerunt decimati in lumbis Abrahæ, ut Isaac, Jacob, et Levi, et omnes alii, qui erant in lumbis Abrahæ, secundum seminalem rationem fuerunt præfigurati imperfecti, et curatione indigentes.

Minor prob., quia imperfectio humani generis est propter peccatum quod indiget curatione ejus, qui á peccato curat. Curare autem á peccato est solius Christi. Ipse enim est *Agnus, qui tollit peccatum mundi*, ut dicitur Jo. 1. Qui etsi fuerit in lumbis Abrahæ, non fuit tamen ibi se-

cundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam, ac per hoc non erat ibi, ut curatione indigens; et ideo Christus non fuit imperfectus, ut præfiguraretur in decimatione tamquam curatione indigens.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod quando Abraham obtulit decimas, Christus erat in lumbis ejus, non quasi indigens curatione, scilicet secundum rationem seminalem, sed solum secundum corpulentam substantiam, ut dictum est.

Ad 2. Negatur minor. Ad probat. dicitur, quod caro Christi dicitur fuisse in antiquis patribus peccato obnoxia, secundum qualitatem, quam habet in patribus, qui fuerunt decimati: non autem secundum qualitatem, quam habet, prout est actu in Christo, qui non est decimatus.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod sacerdotium leviticum secundum carnis originem derivabatur, unde non minus fuit in Abraham, quam in Levi. Unde per hoc quod Abraham decimas dedit Melchisedech, tamquam maiori; ostenditur sacerdotium Melchisedech, in quantum gerit figuram Christi, esse maius sacerdotio levitico. Sacerdotium autem Christi non sequitur carnis originem, sed gratiam spiritualem; et ideo potest esse, quod pater det decimas alicui sacerdoti tamquam minor maiori, et tamen filius ejus, si sit pontifex, est maior illo sacerdote, non propter carnis originem, sed propter gratiam spiritualem, quam habet à Christo.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 31.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Valentini* dicentis Christum, licet sit verus homo, non esse ejusdem naturæ nobiscum, quia á patre missus corpus cœleste secum traxit. Item hæresim *Apollinaris* dicentis, quod Christus carnem non adventitiam suscepit, sed antequam descendisset, carnem in cœlo antesæcularem, et consubstantialem habuit. Item hæresim *Mennonitarum* dicentium: Christum non ex Virginis carne, sed ex Dei Patris substantia cœlitus attulisse corpus. Per hoc enim, quod articulus iste Christum carnem ex Adam derivatam assumpsisse demonstrat, explodit simul, ut patet, omnes dicentes, eum habuisse carnem aliunde provenientem; cujusmodi sunt hæreses prædictæ, quæ pro tanto hic adducuntur, pro quanto negativam hanc, scilicet, Christi carnem ex Adam non fuisse includunt. Consequenter ergo pro tanto hic damnabuntur directe. Si tamen easdem ad literam damnatas fuisse videre delectat, id, quod etiam ad hunc locum quodammodo juvandum valebit, consule supra articulorum numero 7. 34. cum Elucid. et pri. par. articulorum numero 455. cum Elucidat. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, illas quantum ad propositum directum nunc attinet merito damnari ab Hebr. 2. *Nusquam* etc. ut ponitur cum discursu *in arg. cont.* Item á Matth. 1. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.* Hi enim patres descenderunt ex Adam, ut per ordinem patet in *Paralipomenon* lib. 1. cap. 1. 2. Item á Luc. 3. "Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit, etc. qui fuit Seth, qui fuit Adam." Ex progressu namquam usque ad Adam intelligi manifeste datur, quod omnes ibi numerati, et consequenter Christus Jesus, habent carnem derivatam ab Adam. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis declaretur etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Fausti* Mani-

chæi, ut refert D. Aug. lib. 22. contra Faustum, dicentis, quod Christus non fuit ex stirpe David secundum carnem, seu, quod idem est Christum non assumpsisse carnem ex progenie David. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab eodem Aug. lib. contra Faustum. Item ab omnibus scripturis passim, et expresse, quando de tali materia inciderit sermo, cujus rei sit exemplum in Roma. 1. quod est *in arg. cont.* Ubi semper, et ubique in hujusmodi sumitur ly *ex semine David*, secundum corpulentam substantiam, non autem secundum seminalem rationem. Si enim Christus esset ex semine David secundum seminalem rationem, esset utique et ex Adam secundum seminalem rationem, et consequenter ipse Christus peccasset in Adam, et contraxisset peccatum originale, et Beata Maria mater ipsius non fuisset virgo in conceptu, et partu. Quæ omnia cum sint manifestæ hæreses, ut patet art. 1. et quæst. 28. art. 1. 2. in text. et Elucid. maxime in Bulla *Pauli IV.* inibi citata, oportet de necessitate fidei catholicæ dicere, quod Christus est ex semine David solum, quoad corpulentam substantiam, quo et modo sæpe dictum est, eum fuisse ex Adam. Ac si clarius uno verbo dictum fuisset, Christus carnem sumpsit ex sola virgine stirpis David. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis etc

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem tum directam, hæc est in corp., tum indirectam, hæc est solutio argumentorum, quod et semper in similibus appendicum locis intelligitur per ly *rationem*, interimas hæresim *Fausti* Manichæi, qua non minus impudenter, quam imprudenter et ignoranter genealogiæ Christi descriptionem hanc de inconvenientia incusat, ut refert D. Aug. contra Faustum lib. 2. c. 2. 3. 6. et lib. 7. cap. 2. et lib. 22. cap. 5. 8. 9. et Retractationum lib. 2. c. 7. ubi, quia de Julio Africano meminit contra Faustum, vide historiam Ecclesiasticam lib. 1. c. 6. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam hæresim merito damnari ab Ecclesia catholica per hoc, quod recipit Evangelium Sanctorum Matthæi, et Lucæ cum omnibus ejus particulis, inter quas profecto est Christi genealogia ab utroque ipsorum contexta. De hoc in canonibus Apostolorum, quos sexta synodus, ut patet in lib. Decretorum, dist. 6. cap. *placuit hanc sanctæ synodo* recipit, dicitur. " Sint omnibus vobis clericis simul, et laicis venerandi, ac sacri libri. Veteris quidem testamenti, Moysis quinque, etc. Nostri vero, hoc est, novi testamenti, Evangelia quatuor, Matth. Mar. Luc. Joan. » Hæc eadem quatuor Evangelia recipit et approbat Concilium *Laodicenum* c. 59. Quod quidem Concilium fuit confirmatum in sexta synodo generali, quæ in *Trullo* celebrata est. Hæc eadem approbat Concilium *Carthaginense* 3. c. 47. Quod et ab eadem synodo confirmatum est. Hæc eadem approbavit Papa *Innocentius I.* in Epist. 3. ad Exuperium Tholosanum episcopum, cap. 7. Ubi et post receptionem bonarum scripturarum, quatuorque prædictorum Evangeliorum, subjungit. " Cætera autem, quæ vel sub nomine Petri, et Joannis, quæ á quodam Leutio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ á Nexocharide, et Leonide Philosophis, vel sub nomine Thomæ, et si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. » Sed et Concilium *Trident.* eadem quatuor Evangelia, Matth. Mar. Luc. Joan. comprobat dicens sess. 4. Decret. 1. " Sacrosancta generalis Tridentina synodus orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, suscipit, et veneratur. Sunt vero infrascripti, Testamenit Veteris quinque Moysi, etc testamenti novi quatuor Evangelia, secundum Matth. Mar. Luc. et Joann. Actus Apostolorum, etc. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris, et canonicis non susceperit: Anathema sit. » Item à *B. Gregorio*, et á *Gelasio* summis Pontificibus Evangelia illa quatuor reverenter acceptantur. ut patet in lib. Decretorum, dist. 15. cap. sicut et cap. Sancta Romana. Ubi et dist. 11. cap. palam, dicit B Aug. contra Manichæos. " Palam est, quod in re dubia, ad fidem, et certitudinem valeat auctoritas Ecclesiæ catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis

Apostolorum sedibus usque ad hodiernum diem succedentium sibimet et episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur. » Ex quibus patet, quanta sit auctoritas Ecclesiæ catholicæ, idest Romanæ, ut inquit ibidem glossator, et hoc ratione capitis Ecclesiæ catholicæ, idest summi Pontificis, ibi residentis, sic tamquam á principaliori loco denominatæ. Cæterum si quis dicat. Quomodo valet ista consequentia ad damnationem illius hæresis necessario subintellecta, scilicet Evgngelica genealogia Christi tam secundum Matthæum, quam secundum Lucam est inter sacras, canonicasque scripturas per Ecclesiam recepta: ergo genealogia ipsa est convenienter ab eisdem Evangelistis conscripta? Quomodo ex hoc, quod aliqua scriptura est canonica, sequitur mox; quod ipsa nullum inconveniens neque in verbis, neque in sensu, neque in ordine; immo omnia pro hujusmodi convenientia habet;? ad hoc respondit jam supra Concilium *Trid.* sess. 4. per ly *testamenti utriusque unus Deus est auctor.* Cum enim manifestum sit omnibus ratione utentibus, quod nonnisi convenientia Deus facere potest: simul quoque manifestum inde fit illis, quod impossibile est, scripturam, cujus auctor est Deus, inconvenienter esse compactam vel in verbis, vel in sensu, vel in ordinis textura. Rursum. Hujus responsionis universalem doctrinam attulerat prius, quasi præcedentem instantiam, seu interrogationem per responsum satis clarum præoccupans, sapientia divina, dum loquens de seipsa, ut nobis in scripturis revelata est, dicit Prov. 8. " Justi sunt omnes sermones mei: non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. » Quibus omnibus attestatur Sapiens per hoc, quod dicit Deo, Sap. 11. *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Si enim omnia, ergo et sacras scripturas, quæ non minimum locum tenent inter illa, quæ fecit Deus. Verum pro ampliori præmissarum auctoritatum captu, et applicato examine, etc. (ut repetitio evitetur) vide omnino de totali convenientia scripturarum 2. 2. q. 122. ar. 2. app. Item qu. 140. art. 1. append. Item qu. 179. art. 2. append. et 1. 2. qu. 68. art. 4. append. Ex iis omnibus apprime instructus eris pro semper contra quoscumque hæreticos scripturam sacram, in aliquo accusare, violare, adulterare, minorare, vel labefactare contendentes. Item à Beato Augustino multipliciter convincitur *Faustus* in libris suis superius adductis vide tu ibi. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Apellis* dicentis, quod Christus carnem suam non de matre assumpsit, sed ex elementis. Item hæreses *Cerdonis, Valentini, Mennonitarum* recitatas supra artic. num. 7. 33. 34. 168. Elucid. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Galat. 4. *misit,* etc. ut *in arg. cont.* Item á Matth. 1. *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Ibi enim tractatur de generatione Christi secundum carnem, art. 3. ad 1. ideo dictum illud secundum planum contextus Evangelistæ sensum exponitur sic. *De qua natus est,* idest, de qua carnem assumpsit. Item ab Ecclesia in collecta S. Annæ matris B. Virginis, ubi dicit: " Deus, qui B. Annam genitricis tuæ matrem, etc. ex cujus salutari puerperio pro salute mundi humanam naturam assumere dignatus es. » Item in alia collecta, " Deus, qui de B. Mariæ virg. utero Verbum tuum, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti: præsta quæsumus, » etc. Item á locis illis nunc supra citatis per hoc, quod ibi damnantur illæ hæreses *Cerdonis,* etc. Damnatio enim illarum est simul et condemnatio *Appellis,* et confirmatio veritatis hujus art. Faciunt quoque pro præsenti negotio dicta contra hæresim recitatam sup. art. num. 16. 20. append. Item á simbolo fidei: *Incarnatus est, natus ex Maria Virgine, et homo factus est.* Nam. quid sit fieri hominem ex Maria Virgine, declarat Concilium *Ephesinum* 1. in ea epistola, quam Nestorio misit, dicens. " Sequentes itaque omnium Sanctorum Patrum confessiones, quas loquente in eis Spiritu Sancto protulerunt, et intentioni, quæ est in eorum intellectibus, æquis vestigiis inhærentes, profitemur, quod unigen. Dei Verbum, de Deo vero Deus verus, ad exinanitionem sese dignatus est inclinare: natus autem, et homo factus, idest carnem de virgine sancta suscipiens, eamque propriam faciens, nativitatem nostram ex vulva sustinuit. »

Hæc sanctum illud Concilium, quod est unum de primis quatuor generalibus. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á Conciliis simul cum scripturis insinuatum, quod caro Christi fuit concepta ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis. A Conciliis quidem, ut per hoc, quod dicitur á Concilio *Ephesino* 1. ca. 13. (id, quod et habetur in Concilio *Chalcedonensi*) " is, qui natus ante omnia sæcula est ex patre, etiam ex muliere carnaliter est procreatus in tempore. » Et infra. " Naturam sibi copulavit humanam, et processit ex muliere, idcirco dicitur esse natus carnaliter. » Et infra. " In utero virginali secum carnem conjunxit, et sustinuit generationem carnalem; carnis suæ nativitatem suam faciens. » Item per hoc, quod dicitur á Concilio *Lateranensi* sub Papa *Martino I.* can. 3. " Si quis non confitetur; proprie, et vere Dei genitricem semper Virginem immaculatam Mariam absque semine concepisse: Anathema sit. » Et can. 4. " Si quis non confitetur, proprie, et vere Christi duas nativitates existere, etc. alteram autem de Virgine Maria carnaliter in ultimis sæculorum: anathema sit. » A scripturis vero per hoc, quod dicitur Joan. 1. " Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. » His enim verbis Evangelista monstrat, quod homines, qui nascuntur carnaliter ex parentibus suis, ad differentiam nascentium ex Deo, nascuntur ex sanguinibus, tractis videlicet ad locum conceptionis ex voluntate carnis, idest, cum quadam concupiscentia carnali, et ex voluntate viri, idest ex vi activa seminis virilis. Jungas itaque scripturam hanc Conciliis prædictis, et applicans omnia recte videbis intentum. Ut si dicas. Christus ex B. Virgine carnaliter conceptus est, absque semine tamen, ut patet in Conciliis illis. Ergo Christi corpus ex sanguinibus B. Virg. conceptum est, non tamen ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Consequentia ista patet ex Evangelio, quoniam natos carnaliter dicit natos, idest conceptos, ex sanguinibus procul dubio matris suæ, exceptio autem ista, scilicet non tamen, etc. patet ex Conciliis, quia sine ulla concupiscentia carnali, et sine semine virili conceptus fuit Christus. Et, quamvis prædicta conclusa vera sint: tamen adhuc veriora constabunt, seu confirmabuntur ex hac veritate, quod scilicet Christus per omnia nobis similis factus est absque peccato, ut ex scripturis, et Conciliis sæpe habuimus: si nostra igitur caro ex sanguinibus concipitur, oportet dicere, quod et caro Christi ex sanguinibus concepta fuerit. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Augustino, quod caro Christi non fuit in Adam secundum aliquid significatum. A D. August. quidem, ut cum discursiva applicatione ponitur *in arg. cont.* Pro cujus captu, præter allegationem habitorum in 1. qu. 119. art. 1. 2. adverte: quod omnes homines secundum Apostolum fuerunt in Adam, alioquin in illo peccante non peccassent omnes, quod est contra eumdem Rom. 5. Unde si in ipso fuissent secundum aliquid signatum, eo scilicet modo, quo Eva in illo fuit, art. 5. ad 2., tunc oportet dicere, ut patet, quod Adæ corpus fuisset crassissimum, et ultra quam decebat, materialissimum. In corpore enim ejus tunc fuisset actualiter aliquid carnis, vel ossis, vel nervi, vel hujusmodi, de qua carne vel, etc. formandus esset Abel, et iterum aliquid carnis, vel, etc. de qua carne vel, etc. formandus esset Cain, et iterum aliquid carnis vel, etc. de qua carne vel, etc. formandus esset Enoch: et sic deinceps, quasi in infinitum, usque ad ultimum hominem nasciturum in mundo. Ne igitur tam magnum inconveniens sequatur, dicendum necessario est, quod nos omnes fuimus solum originaliter in Adam, hoc est, secundum quod effectus omnes virtualiter contineri in suis causis dicunt philosophi, quantum videlicet causa quælibet habet virtutem ad producendum suum effectum. Neque enim [in sole, qui omnium inferiorum causa est, sunt materialiter inferiora, puta aliquid arboris, aliquid frumenti, vel aliorum terræ nascentium; aliquid bovis, aliquid leonis, capræ, ovis, aut cæterorum: sed ipsa substantia solis habet hanc virtutem, ut possit produ-

cere, et producat, tamquam causa universalis, omnia talia. Et hoc est, effectum esse secundum originem, ut verbo textus utar, in causa: non autem secundum aliquid signatum, idest secundum aliquam materiam signatam modo prædeclarato. A scripturis vero idem insinuatur per hoc, quod de Christo dicitur Hebr. 2. *Semen Abrahæ apprehendit, unde debuit per omnia fratribus assimilari*, scilicet absque peccato, ut subjungitur ibid. ca. 4. Nota ly *unde*. Ac si aperte dixerit. Christus ex eo, quod semen Abrahæ, idest, carnem derivatam ab Abraham, apprehendit, debuit quoad assumptam carnem assimilari per omnia cæteris hominibus. Quia ergo cæterorum hominum caro non est secundum aliquid signatum in Abraham, vel aliis patribus, á quibus derivatur, ut dictum est, ideo voluit, quoad propositum pertinet, dixisse Apostolus, quod Christi caro in patribus ex quibus descendit, non fuit secundum aliquid signatum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et á Magistro sententiarum, quod caro Christi in patribus antiquis fuit peccato infecta. A magistro quidem sententiarum lib. 3. dist. 3. " Quæritur de carne Verbi, an prius, quam conciperetur, obligata fuerit peccato? Et an talis fuerit assumpta á Verbo? Sane dici potest, et credi oportet, juxta sanctorum attestationis convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sed Spiritus Sancti operatione ita mundatam (1) ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo. » Ex quibus patet intentum. A scripturis vero idipsum insinuatur per hoc, quod dicitur et Rom. 3. *Causati sumus omnes sub peccato esse*; et cap. 5. *per unum hominem peccatum intravit in mundum*: et cap. 7. *scio, quod non habitat in carne mea bonum*. His enim tribus sententiis simul junctis manifestat Apostolus (dummodo ad propositum hoc scholasticum suaviter inflectatur) quod in patribus antiquis caro Christi fuit inquinata. Nam omnes illos actualiter subjacuisse peccato saltem originali, exceptis Jesu Christo per se, et Beata Virgine per præservationem ex dono Dei et intuitu meritorum Christi Domini, monstrant c. 3. et c. 5. in eisdem vero non fuisse actualiter aliquam carnem bonam, idest á peccato immunem, cap. 7. commonstrat, quandoquidem sub exemplo sui de omnibus aliis etiam antiquis ibi loquitur, Apostolus. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum, quod Christus in lumbis Abrahæ non fuit decimatus. A Divo August. quidem; ut *in arg. cont.* Pro quo plenius intelligendo facit qu. 15. art. 2. et 1. 2. qu. 81. art. 4. A scripturis vero per hoc, quod 4. Reg. 4. de oleo miraculose facto nihil præcipitur decimandum ab Helisæo, cum solum ab eo ibi dicatur: " vade, vende oleum, et redde creditori tuo: tu autem, et filii tui vivite de reliquo.» Constat enim Helisæum fuisse hominem prophetam, et justum; et consequenter scivisse, quod danda erat decima de oleo secundum illud Deut. 14. *decimam frumenti tui, et vini, et olei*, et consequenter, quod mentionem fecisset de decimando oleo per miraculum multiplicato, si hoc necessarium fuisset. Ex eo igitur, quod de re miraculosa non jubet decimationem faciendam, subintelligendum nobis reliquit hoc, rcilicet quod miraculose factum, et non virtute naturæ non est subjectum decimationi, idest, non debet decimari. Ac si ad hujus differentiam scriptura illa Deuter. ad ly *frumenti, vini, olei* signanter apposuerit ly *tui*, idest, virtute naturæ terræ tuæ producti. Cum ergo caro Christi miraculose simpliciter ex Abraham fuerit propaganda, et de facto postmodum propagata sit, qu. 33. ar. 4. patet, quod Helisæus ibi, si ad hoc propositum scholasticum suaviter inflectatur, dicit á simili conclusionis intentum, scilicet quod Christus in lumbis Abrahæ neque fuit decimatus, neque debuit decimari. *Secundo* vides: etc.

(1) Si loquitur de carne Virginis, potius quam mundata dicendum est quod fuit præservata ab infectione.

## QUÆSTIO TRIGESIMA, SECUNDA,

### DE CONCEPTIONE CHRISTI QUOAD ACTIVUM PRINCIPIUM IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de principio activo in conceptione Christi.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi.

Secundo, utrum possit dici, quod Christus sit conceptus de Spirito Sancto.

Tertio, utrum possit dici, quod Spiritus Sanctus sit pater Christi secundum carnem.

Quarto, utrum B. Virgo aliquid active egerit in conceptione Christi.

### ARTICULUS I.

*Utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Spiritus Sanctus non fuerit principium activum conceptionis Christi.

4. Opera divina non magis sunt attribuenda uni divinæ personæ, quam alteri. Sed efficere conceptionem Christi est quoddam opus divinum. Ergo efficere conceptionem Christi, non est magis attribuendum Spiritui Sancto, quam Patri et Filio.

Maior prob., quia ut Aug. dicit 1. de Trin. c. 4. «Indivisa sunt opera Trinitatis, sicut et indivisa est Trinitatis essentia.»

2. Missio Filii præcipue attribuitur Patri, ut 1. p. q. 43. art. 8. habitum est. Sed conceptio est, qua Filius est missus. Ergo conceptio Christi debet attribui præcipue Patri, et non Spiritui Sancto.

Minor prob., quia Aug. lib. 4. de Trin. c. 20. exponens illud ad Gal. 4. «Cum venit plenitudo temporis, misit «Deus Filium suum factum ex muliere,» dicit «eo utique missum, quo factum ex «muliere;» factus est autem Filius Dei ex muliere secundum conceptionem. Ergo conceptione fuit missus.

3. Prov. 9. dicitur: «Sapientia ædificavit sibi domum.» Ergo efficere conceptionem corporis Christi, debet præcipue attribui Filio, et non Spiritui Sancto.

Conseq. prob., quia sapientia Dei est ipse Filius Dei, secundum illud 1. Cor. 1. «Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.» Domus autem sapientiæ est corpus Christi, quod etiam dicitur templum ejus, secundum illud Joan. 2. «Hoc «autem dicebat de templo corporis sui.»

#### PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 1. dicitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, etc. Ergo conceptio Salvatoris attribuenda est Spiritui Sancto.

*Determinatio.*

Conclusio. Conceptio Christi, licet á tota Trinitate sit, attribuitur tamen rationabiliter Spiritui Sancto.

Probatur tripliciter. Primo, quia hoc congruit causæ incarnationis, quæ consideratur ex parte Dei. Spiritus enim Sanctus est amor Patris, et Filii, ut 1. p. quæst. 37. art. 1. habitum est. Hoc autem ex maximo Dei amore provenit, ut Filius Dei carnem sibi assumeret in utero virginali. Unde Joan. 3. dicitur: «Sic «Deus dilexit mundum, ut Filium suum «unigenitum daret.»

In forma. Illud, quod provenit ex maximo Dei amore, convenienter attribuitur Spiritu Sancto. Sed assumptio carnis Filii Dei in utero virginis ex maximo Dei amore processit, ut dicitur Joan. 3. Ergo assumptio carnis ex utero virginis convenienter attribuitur specialiter Spiritui Sancto.

Maior prob., quia Spiritus Sanctus est amor Patris et Filii.

Secundo, quia hoc congruit causæ incarnationis ex parte naturæ assumptæ. Per hoc enim datur intelligi, quod humana natura assumpta est á Filio Dei in unitatem personæ, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia quæ Spiritui Sancto attribuitur, secundum illud 1.

Cor. 12. « Divisiones gratiarum sunt, « idem autem spiritus. »

In forma. Illud quod factum est, non ex aliquibus meritis, sed ex sola Dei gratia, convenienter attribuitur Spiritui Sancto. Sed conceptio Christi facta est, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia. Ergo conceptio Christi convenienter attribuitur Spiritui Sancto. Præmissæ ex dictis patent.

Et confirmatur, quia August. dicit in Ench. cap. 40. «Iste modus, quo est natus Christus de Spiritu Sancto, insinuat « nobis gratiam Dei, qua homo, nullis « præcedentibus meritis in ipso primo « exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, « Verbo Dei copularetur in tantam per« sonæ unitatem, ut idem ipse esset fi« lius Dei, qui filius hominis, et filius ho« minis, qui filius Dei. »

Tertio, quia hoc congruit termino incarnationis. Quod sic ostenditur: Incarnatio ad hoc terminata est, ut ille homo qui concipiebatur, esset sanctus, et filius Dei. Ergo conceptio Christi convenienter attribuitur Spiritui Sancto.

Conseq. prob., quia utrumque horum, scilicet esse sanctum, et esse filium Dei, attribuitur Spiritui Sancto: efficiuntur enim per Spiritum Sanctum homines filii Dei, quia Apostolus dicit: Gal. 4. «Quo« niam estis filii Dei, misit Deus spiri« tum filii sui in corda vestra, clamantem: « Abba Pater. » Ipse est etiam spiritus sanctificationis, ut dicitur Rom. 1. Sicut ergo alii homines per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter, ut sint filii Dei adoptivi, ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset filius Dei naturalis. Unde Rom. 1. secundum Glos. ord. quod præmittitur, scilicet « qui prædestinatus est filius Dei « in virtute, » manifestatur per id quod immediate sequitur: «secundum spiritum « sanctificationis, » idest per hoc quod est conceptus de Spiritu Sancto, et angelus annuncians ex hoc quod præmiserat: «Spi« ritus Sanctus superveniet in te; » concludit: «ideoque et quod nascetur ex te « sanctum, vocabitur filius Dei » Attribuitur ergo sanctificatio, et Dei filiatio Spiritui Sancto.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod opera divina non magis sunt attribuenda uni personæ, quam alteri, secundum ipsorum operum substantiam; tamen secundum aliquem modum, possunt appropriari magis uni, quam alteri personæ. Ad minorem dicitur, quod opus conceptionis commune quidem est toti Trinitati, secundum substantiam operis; tamen secundum aliquem modum attribuitur singulis personis. Tria enim in Christi conceptione possunt considerari, scilicet auctoritas, qua facta fuit assumptio, ipsa assumptio, et formatio corporis: auctoritas attribuitur Patri respectu Filii, qui per hujusmodi conceptionem sibi assumpsit humanam naturam. Filio attribuitur ipsa carnis assumptio; sed Spiritui Sancto attribuitur ipsa formatio corporis quod assumitur á Filio. Nam ipse Spiritus Sanctus est spiritus Filii: secundum illud Gal. 4. *Misit Deus spiritum filii sui.* Sicut autem virtus animæ quæ est in semine, per spiritum qui in semine includitur, formatur corpus in generatione aliorum hominum; ita virtus Dei quæ est ipse Filius (secundum illud 1. Cor. 1. *Christum Dei virtutem,*) per Spiritum Sanctum corpus formavit, quod assumpsit, et hoc etiam verba angeli demonstrant dicentis; *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*; Spiritus Sanctus superveniet in te, quasi ad præparandam, et formandam materiam corporis Christi; et virtus Altissimi, idest Christus obumbravit tibi, idest corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis. *Umbra enim á lumine formatur, et cõrpore,* ut Greg. dicit 18. Moral. Altissimus autem intelligitur Pater, cujus virtus est Filius.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod conceptio est idem quod missio, subjecto,

non autem ratione. Missio enim refertur ad personam assumentem, quæ á Patre mittitur. Conceptio autem refertur ad corpus assumptum, quod operatione Spiritus Sancti formatur; et ideo missio attribuitur Patri, efficere conceptionem attribuitur Spiritui Sancto, sed carnem assumere attribuitur Filio.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod per domum potest intelligi Ecclesia, quam Christus suo sanguine ædificavit, et sic objectio nullam habet difficultatem; si vero per domum intelligatur corpus Christi, dicitur quod fuit ædificatum á sapientia, quia Spiritus Sancti opus est Filii Dei opus, propter naturæ, et voluntatis unitatem.

## ARTICULUS II.

### *Utrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu Sancto.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debeat dici conceptus de Spiritu Sancto.

1. Qui est conceptus de Spiritu Sancto, est conceptus de substantia Spiritus Sancti. Sed corpus Christi non est conceptum de substantia Spiritus Sancti. Ergo Christus non debet dici conceptus de Spiritu Sancto.

Maior prob., quia super illud Rom. 2. «Ex ipso, et per ipsum, et in ipso «sunt omnia, dicit Glos. August. in lib. de nat. boni, c. 27. «Attendendum quod «non ait de ipso, sed ex ipso: ex ipso «enim cœli sunt, et terra, quia ipse fe«cit ea; non autem de ipso, quia non de «substantia sua.» Illud igitur quod est de aliquo, est de substantia ejus de quo est.

2. Principium activum, de quo aliquid concipitur, se habet sicut semen in generatione. Sed Spiritus Sanctus non se habet sicut semen in conceptione Christi. Ergo non debet dici, quod Christus sit conceptus de Spiritu Sancto.

Minor prob., quia dicit Hiero. in exposit. catholicæ fidei; «non, sicut quidam «sceleratissimi opinantur, Spiritum Sanc«tum dicimus fuisse pro semine; sed po«tentia, ac virtute Creatoris, dicimus es«se operatum, idest formatum corpus Christi.

3. Si Christus dicatur conceptus de Spiritu Sancto, videtur quod facta fuerit commixtio quædam Spiritus Sancti, et materiæ, quam virgo, de qua etiam Christus conceptus dicitur, ministravit; quod patet esse falsum. Ergo Christus non debet dici conceptus de Spiritu Sancto.

Consequentia prob., quia non formatur aliquod unum de duobus, nisi aliquo modo commixtis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 1. dicitur: *antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienter dicere possumus, Christum esse conceptum de Spiritu Sancto.

Prob. in Spiritu Sancto consideratur duplex habitudo ad Christum, scilicet consubstantialitatis, et causalitatis effectivæ. Ergo convenienter dicere possumus Christum esse conceptum de Spiritu Sancto.

Antecedens manifestatur; nam conceptio attribuitur, non solum corpori Christi, sed etiam ipsi Filio Dei, ratione corporis. Et ideo Spiritus Sanctus habet duplicem habitudinem ad Christum: unam habet ad Filium Dei quæ est habitudo consubstantialitatis; sunt enim filius Dei, et Spiritus Sanctus unius substantiæ: alteram ad corpus, et hæc est habitudo causalitatis effectivæ.

Conseq. probatur, quia præpositio (de) utramque designat: possumus enim dicere quod filius sit de patre, et quia est de substantia patris, et quia effective est á patre. Cum igitur dicimus Christum conceptum de Spiritu Sancto, quatenus ly (de) designat habitudinem consubstantialitatis, refertur ad personam Filii Dei assumentem carnem: qua-

tenus vero designat habitudinem causæ effectivæ, refertur ad corpus assumptum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod aliud est loqui de Christo, et aliud est loqui de corpore Christi. Si loquimur de Christo vere et proprie dicimus quod est conceptus de Spiritu Sancto, ut in corpore ostensum est. Si vero loquimur de corpore Christi, dicitur quod quia corpus Christi non est consubstantiale Spiritui Sancto, non proprie potest dici de Spiritu Sancto. Unde Amb. dicit lib. 2. de Spiritu Sancto, cap. 5. «Quod ex aliquo est, aut ex «substantia, aut ex potestate ejus est: «ex substantia, sicut filius, qui á patre «est: ex potestate, sicut ex Deo omnia, «quomodo et in utero habuit Maria ex «Spiritu Sancto.» Ad formam autem argumenti dicitur quod facit transitum á Christo ad corpus Christi; probat enim quod corpus Christi, proprie loquendo, non est de Spiritu Sancto, cum quo stat quod Christus de Spiritu Sancto sit conceptus.

Ad 2. Dicitur quod super hoc videtur esse quædam diversitas Hieronymi ad quosdam alios doctores, qui asserunt in conceptione Christi Spiritum Sanctum fuisse pro semine; dicit enim Chrysost. super Matth. Hom. 1. «Unigenito Dei in «virginem ingressuro, præcessit Spiritus «Sanctus, ut præcedente Spiritu Sancto in «sanctificationem, nascatur scilicet Chris«tus secundum corpus, divinitate ingre«diente pro semine.» Et Damas dicit in 3. lib. ort. fid. cap. 2. «Obumbravit super «ipsam Dei sapientia, et virtus, velut divi«num semen:» cujus contrarium Hieron. asserit in auctoritate inducta in argumento: sed hæc controversia facile tollitur; nam in semine duo intelliguntur, scilicet virtus activa et materia corporalis. Secundum quod in semine intelligitur virtus activa, Chrisost. et Dam. comparant Spiritum Sanctum, vel etiam Filium qui est virtus altissimi, semini. Secundum autem quod in semine intelligitur substantia corporalis, quæ in conceptione transmutatur, negat Hieron. Spiritum Sanctum fuisse pro semine. Ad formam argum. dicitur ad maiorem quod principium activum, ex quo aliquid concipitur, se habet sicut semen, vel quantum ad virtutem activam, vel quantum etiam ad substantiam corporalem, tunc ad minorem dicitur quod Spiritus Sanctus comparatur semini quantum ad virtutem activam, non autem quantum ad corporalem materiam.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod illud habet locum in his quæ concurrunt ad aliquid unum formandum eodem modo, scilicet secundum corporalem materiam; si autem unum concurrat materialiter, et alterum effective tantum non habet locum horum commixtio. Christus autem non eodem modo dicitur conceptus, et natus de Spiritu Sancto, et de Maria Virg. ut August. dicit in Ench. cap. 40. De Maria enim Virgine materialiter est conceptus: de Spiritu Sancto vero est conceptus effective; et ideo non habet hic locum commixtio.

## ARTICULUS III.

*Utrum Spiritus Sanctus debeat dici pater Christi secundum carnem.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Spiritus Sanctus debeat dici pater Christi secundum humanitatem.

1. Ille qui dedit principium activum in generatione Christi, debet dici pater Christi. Sed Spiritus Sanctus dedit principium activum in conceptione Christi. Ergo Spiritus Sanctus debet dici pater Christi.

Maior probatur quia, ut dicitur in lib. 2. de Gen. anim. cap. 3. pater dat principium activum in generatione, mater vero ministrat materiam; unde sicut Maria Virgo dicitur mater Christi, quia ministravit materiam, ita qui principium activum fuit in generatione Christi, debet dici pater Christi.

2. Ille á quo corpus Christi fuit formatum, debet dici pater Christi. Sed á

Spiritu Sancto fuit corpus Christi formatum. Ergo Spiritus Sanctus debet dici pater Christi.

Maior probatur. Sancti dicuntur filii Trinitatis, quia eorum mentes sunt formatæ á Spiritu Sancto. Ergo ille á quo fuit formatum corpus Christi, debet dici pater Christi. Melius: sancti dicuntur filii Trinitatis, et per consequens Spiritus Sancti, quia eorum mentes formantur á Spiritu Sancto. Ergo Christus debet dici filius Spiritus Sancti, quia corpus ejus á Spiritu Sancto fuit formatum.

Conseq. probat., quia sicut mentes sanctorum formantur per Spiritum Sanctum, ita corpus Christi per Spiritum Sanctum fuit formatum.

3. Qui fecit corpus Christi, debet dici pater Christi. Sed Spiritus Sanctus fecit corpus Christi. Ergo Spiritus Sanctus debet dici pater Christi.

Maior prob., quia Deus dicitur pater noster, secundum hoc quod nos fecit, secundum illud Deut 32. *Nonne ipse est pater tuus qui possedit te, et fecit, et creavit te?*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in Enchir. cap. 40. *Natus est Christus de Spiritu Sancto, non sicut filius, et de Maria Virgine sicut filius.*

*Determinatio.*

Conclusio. Nullo modo debet dici Christus filius Spiritus Sancti.

Prob. Ille qui est filius Dei patris, secundum veram et perfectam rationem filiationis, nullo modo debet dici filius Spiritus Sancti. Sed Christus est filius Dei patris secundum propriam, et perfectam rationem filiationis. Ergo Christus nullo modo debet dici filius Spiritus Sancti. Maior primo declaratur, deinde probatur; declaratur, inquam, ostendendo quæ sit filiatio propria, et perfecta; pro quo est sciendum quod nomina paternitatis, maternitatis, et filiationis consequuntur generationem, non quidem quamlibet generationem, sed proprie generationem viventium, et præcipue animalium: non enim dicimus quod ignis genitus, sit filius ignis generantis; nec quod arbor, quæ nascitur ex alia arbore, sit ejus filius, nisi forte secundum metaphoram; sed hoc solum dicimus in animalibus, quorum generatio est magis perfecta. Nec tamen omne quod in animalibus generatur, filiationis accipit nomen, sed solum illud quod generatur in similitudinem generantis. Unde sicut August. dicit in Ench. cap. 39. non dicimus quod capillus qui nascitur ex homine sit filius hominis, nec etiam dicimus quod homo qui nascitur, sit filius seminis; quia nec capillus habet similitudinem hominis, nec homo qui nascitur ex semine, habet similitudinem seminis; filiatio igitur non consequitur quamcumque generationem, sed solum eam quæ est viventis á vivente conjuncto in similitudinem naturæ, de qua diffinitione generationis abunde dictum est 1. par. quæst. 27. art. 2. Et quidem si sit perfecta similitudo, erit perfecta filiatio, tam in divinis, quam in humanis; si autem sit similitudo imperfecta, erit imperfecta filiatio; sicut in homine est quædam similitudo Dei imperfecta, in quantum est creatus ad imaginem Dei, et in quantum recreatus est secundum similitudinem gratiæ. Et ideo utroque modo potest homo dici filius Dei, quia scilicet est creatus ad imaginem Dei, et quia est Deo assimilatus per gratiam; utroque tamen modo est imperfecta filiatio hominis ad Deum, quia est imperfecta similitudo hominis ad Deum. Filius autem in divinis habet perfectam rationem filiationis, quia perfectam habet similitudinem ad patrem: ex quibus patent termini utriusque præmissæ, scilicet quid sit filiatio secundum propriam, et perfectam rationem filiationis: est enim filiatio proprie accepta quæ consequitur generationem viventium secundum similitudinem naturæ. Probatur au-

tem eadem maior, quia illud quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non dicitur de eodem secundum rationem imperfectam; sicut quia sortes dicitur naturaliter homo secundum propriam rationem hominis, numquam dicitur homo secundum illam significationem, qua pictura hominis dicitur homo, licet forte ipse sortes assimiletur alicui alteri homini. Unde ille qui dicitur, et est filius Dei naturalis, secundum propriam, et perfectam rationem filiationis, numquam debet dici filius secundum imperfectam rationem filiationis: et sic patet maior quæ erat probanda. Quamvis igitur Christus secundum humanam naturam sit creatus, et justificatus, non tamen debet dici filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis æternæ, secundum quam est filius solius patris, cujus est filius secundum perfectam rationem filiationis, et sic nullo modo est dicendus filius Spiritus Sancti, secundum quod est homo; nec etiam totius Trinitatis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod ad hoc quod aliquis sit pater, non sufficit quod sit principium activum in ejus generatione; sed cum hoc requiritur etiam quod sit principium secundum similitudinem speciei: et ad minorem dicitur quod Spiritus Sanctus fuit quidem activum principium in conceptione Christi, non tamen Christus ab eo est conceptus secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo; et ideo Christus non est filius Spiritus Sancti: et ex altera parte, quia Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei, ideo Christus dicitur filius Mariæ.

Ad 2. Negatur maior primæ formæ, vel consequentia secundæ. Ad probationem dicitur quod homines, quia spiritualiter formantur á Spiritu Sancto, non possunt dici filii Dei secundum perfectam rationem filiationis, et ideo dicuntur filii Dei, secundum filiationem imperfectam quæ est secundum similitudinem gratiæ, quæ est á tota Trinitate. Sed de Christo est alia ratio, ut in corpore dictum est.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod Deus dicitur pater noster, quia nos fecit, et non propterea dicimur ejus filii, secundum imperfectam rationem filiationis: Christus autem est filius patris secundum perfectam rationem filiationis, et ideo nullo modo debet dici filius Spiritus Sancti.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Beata Virgo aliquid active egerit in conceptione Christi.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod Beata Virgo aliquid active egerit in conceptione Christi.

1. Spiritus Sanctus dedit Beatæ Virgini virtutem generativam activam. Ergo Beata Virgo aliquid active egit in conceptione Christi.

Anteced. prob., quia dicit Dam. in 3. lib. orthod. fid. cap. 2. quod «Spiritus «Sanctus supervenit virgini purgans ip«sam, et virtutem susceptivam Dei Ver«bi tribuens, simul autem, et genera«tivam:» quod non potest intelligi de virtute generativa passiva, quia eam jam Beata Virgo habebat. Ergo Spiritus Sanctus dedit ei virtutem generativam activam.

2. Omnes virtutes animæ vegetabilis sunt activæ, ut Comment. dicit in 2. de An. Sed potentia generativa, tam in mare, quam in fœmina pertinet ad animam vegetabilem. Ergo potentia generativa, tam in mare, quam in fœmina, active operatur ad conceptionem prolis, ac per hoc, per potentiam generativam Beata Virgo aliquid active operata est ad conceptionem Christi.

3. Subministrans in conceptione prolis materiam, ex qua corpus prolis naturaliter formatur, aliquid active agit. Sed Beata Virgo subministravit materiam,

ex qua corpus Christi naturaliter formatum est. Ergo Beata Virgo aliquid active egit in conceptione Christi.

Maior prob., quia natura est principium motus intrinsecum. Unde in materia subministrata, est principium intrinsecum motus, et ideo ministrans materiam, ex qua naturaliter formatur corpus, active aliquid agit.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

"Corpus Christi" inquit August. 10. super Gen. ad lit. cap. 20. "in sola "materia corporali per divinam concep"tionis, formationisque rationem, de "virgine assumptum est, non autem se"cundum aliquam rationem seminalem "humanam." Ergo Beata Virgo nihil active fecit in conceptione corporis Christi.

Consequentia prob., quia principium activum in generatione dicitur ratio seminalis.

*Determinatio.*

*Quorumdam positio.*

Quidam dicunt Beatam Virginem aliquid accive operatam esse in conceptione Christi, et naturali virtute, et supernaturali; naturali quidem virtute, quia ponunt quod in qualibet materia naturali est aliquod activum principium; alioquin credunt quod non esset transmutatio naturalis. Supernaturali autem virtute dicunt aliquid active egisse, quia dicunt ad matrem requiri quod non solum materiam ministret (quæ est sanguis menstruus) sed etiam semen quod commixtum virili semini habet virtutem activam in generatione. Et quia in Beata Virgine nulla fuit facta resolutio seminis, propter integerrimam ejus virginitatem, dicunt quod Spiritus Sanctus supernaturaliter ei tribuit virtutem activam in conceptione corporis, Christi quam aliæ matres habent per semen resolutum.

*Reprobatio.*

Sed hæc positio stare non potest, et quod Beata Virgo non concurrerit active naturaliter, ex hoc quod ministravit materiam, in qua credunt esse activum principium, ostenditur esse falsum, quia non est possibile quod materia agat ad sui formationem, quia materia non est actu antequam sit formata; nec etiam est possibile quod aliquid moveat seipsum, nisi dividatur in duas partes, quarum una sit movens, et altera sit mota, quod in solis animatis contingit, ut prob. 8. Phys. textu 30. In ratione autem quam adducunt ad hoc probandum, ut scilicet transmutatio sit naturalis, manifeste decipiuntur, quia transmutatio dicitur naturalis non solum propter principium intrinsecum activum, sed etiam propter principium intrinsecum passivum: expresse enim Phil. 8. Phys. textu 29. et 30. dicit, quod in gravibus, et levibus est principium passivum motus naturalis, et non activum. Non egit igitur aliquid active naturaliter Beata Virgo in conceptione Christi ex hoc quod ministravit materiam, quia in materia non est aliquod activum principium, sed passivum tantum. Quod autem Beata Virgo non egerit aliquid active in conceptione Christi supernaturali virtute, manifestatur: Beata Virgo non accepit, ut esset pater Christi. Ergo Beata Virgo non accepit virtutem agendi aliquid active in conceptione Christi.

Consequentia prob., quia in generatione eorum, in quibus est distinctio sexus, tota virtus activa est ex parte maris, passio autem ex parte fœminæ, et hoc ostenditur, quia cum quælibet res sit propter suam operationem, ut dicitur 2. Cœl. textu 17. natura non distingueret ad opus generationis sexum maris, et fœminæ, nisi esset distincta operatio maris ab operatione fœminæ; distinctio autem operationis in generatione est agentis, et patientis. Tota igitur virtus activa in generatione eorum, in quibus est distinctio sexus, est ex parte maris: et hoc confirmatur, quia in

plantis, in quibus utraque vis commiscetur, non est distinctio maris, et fœminæ. Ex hoc igitur, quod Beata Virgo non fuit pater, sed mater Christi, sequitur evidenter quod non acceperit virtutem activam concipiendi: nam si accepisset hanc activam virtutem, aut tali virtute aliquid egit, et tunc fuisset pater, et non mater Christi, quia scilicet virtus activa in conceptione convenit mari, et non fœminæ, ut ostensum est; aut tali virtute activa accepta nihil egit, ut quidam dixerunt, et tunc sequitur quod frustra eam accepisset: ex quibus patet falsitas positionis, et rationum quibus innitebatur.

1.ª Conclusio. Beata Virgo nihil active operata est in conceptione Christi, sed solam materiam ministravit.

Remanet hæc conclusio ex dictis probata. Non enim egit aliquid active naturaliter, quia in materia, quam ministravit, nullum fuit activum principium: nec supernaturaliter, quia non accepit, ut esset pater Christi, sed tantum fuit mater; virtus autem activa in generatione animalium perfectorum, in quibus est distinctio sexus, tota est ex parte maris, ut ostensum est.

2.ª Conclusio. Beata Virgo operata est aliquid active ante conceptionem.

Prob. Quia præparavit materiam, ut esset apta conceptui.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod conceptio Christi tria privilegia habuit, scilicet quod esset sine peccato originali; quod esset non puri hominis, sed Dei et hominis; et quod esset conceptio virginis. Et hæc tria habuit á Spiritu Sancto; et ideo dicit Damas. quantum ad primum, quod *Spiritus Sanctus supervenit virgini purgans ipsam*, idest præservans ne cum peccato originali conciperet. Quantum ad secundum dicit: *Et virtutem susceptivam Dei Verbi tribuens*, idest ut conciperet Verbum Dei. Quantum autem ad tertium dicit, *simul autem et generativam*, ut scilicet manens virgo posset generare, non quidem active, sed passive, sicut aliæ matres hoc consequuntur ex semine maris.

Ad 2. Dicitur, quod probat Beatam Virginem per potentiam generativam aliquid operatam fuisse active, non in conceptione Christi, sed solum ante conceptionem præparasse, scilicet materiam: potentia enim generativa in fœmina est quidem activa, sed imperfecta respectu potentiæ generativæ, quæ est in mare. Et ideo sicut in artibus ars inferior disponit materiam, ars vero superior inducit formam, ita virtus generativa fœminæ agit præparando materiam, ut sit apta conceptui; virtus autem activa maris formal materiam præparatam. Unde hoc arg. probat secundam conclus.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod natura est principium intrinsecum activum, vel passivum, et ad hoc quod transmutatio sit naturalis sufficit principium naturale passivum, ut in corpore ostensum est.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 32.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, insinuatum quod efficere conceptionem Christi debet attribui Spiritui Sancto. Ut Luc. 1. *Spiritus Sanctus,* etc. ut *in arg. cont.*. Pro cujus meliori captu, ut scilicet videas, quam aptissime, ac directissime probetur intentum per illam auctoritatem, inspiciendum est, ad quid respondeat Angelus dicendo ly *Spiritus Sanctus superveniet*

*in te.* Interrogarat secundum Evangelii contextum Beata Virgo Angelum ipsum de modo, quo Verbum conceptura erat dicens: *Quomodo fiet istud?* Idest. Quis efficiet istam, quam tu narrasti, conceptionem? Non quidem semen virile erit hujus causa efficiens: *quoniam virum non cognosco*, idest, nec cognosco, nec cognoscere possum, stante voto virginitatis jam absolute emisso, qu. 28. artic. 4. ad 1. quod præterire non licet. Ad hanc de modo, idest, de causa effectrice conceptionis interrogationem prudentissimam, respondit Angelus, ly *Spiritus Sanctus*, et cætera. Ac si aperte totam interrogationem, idest, et interrogationem ipsam, et interrogationis motivum per ly *quoniam*, etc. designatum, evacuans dicat. De causa, quæ efficit conceptionem prolis in utero matris, trahendo scilicet active sanguines ejus puros ad locum proprium concipiendi, ne solicita sis: quia non semen viri (ut in aliis mulieribus) sed Spiritus Sanctus hoc faciet in te. Et sic, stante virginitatis voto illibato, concipies Filium Dei. Ecce, quod, et quomodo Spiritus Sanctus est principium activum conceptionis Christi: quæ duo, scilicet quod sit, et quomodo sit, expressit Angelus illis brevissimis verbis ad totam interrogationem applicatis. Cave tamen, ne hinc inferas, quod aliarum duarum personarum appropriata hic non reperiantur: sed tantum, quod præcipue ibi appropriatum Spiritus Sancti invenitur. Teste enim Damasceno lib. 3. ortbodoxæ fidei cap. 1. In incarnatione manifestatur bonitas, potentia, et sapientia Dei (nam et in qualibet operatione divina trium parsonarum hæc attributa sunt,) ut habetur ex Dionysio cap. 2. de div. nomin., quorum potentia est appropriatum patris, et sapientia appropriatum Filii, sicut bonitas est appropriatum Spiritus Sancti. Quomodo autem tria hæc attributa in hoc opere secundum mentem ejusdem Dasmasceni reluceant, vide qu. 1. artic. 1. arg. cont. Ex his omnibus edoctus videbis: quod ly *convenienter* in conclusione articuli positum dicit quamdam emphasim, hoc est, non solum dicit convenientiam simplicem, idest, quamcumque, sed convenientiam antonomasticam, idest maximam. Ac si dictum ibi fuisset. Efficere conceptionem Christi appropriatur convenientissime Spiritui Sancto, et per consequens magis convenienter huic, quam Patri, vel Filio. Et hoc, quia in tali efficientia magis ostenditur, ut patet ex corp. attributum Spiritui Sancto, scilicet bonitas, quam attributum vel Patris, scilicet potentia, vel Filii, scilicet sapientia. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et in sensu recto intelligas, merito esse á scripturis, symbolo fidei, et Concilio insinuatum: quod Christus debet dici conceptus de Spiritu Sancto. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 1. *Antequam convenirent*, etc. ut *in arg. cont.* Ubi nota ly *in utero habens*, scilicet Christum. Quem accusativum subintelligi debere supra ibidem colligitur ex ly *de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Item per hoc, quod ibi subditur. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Expone tu ex nunc dictis, quod in ea natum est, idest Christus, qui in ea conceptus est. A symbolo vero fidei tum Apostolorum per ly *qui conceptus est de Spiritu Sancto*, tum Patrum per ly *incarnatus est de Spiritu Sancto.* A Concilio autem *Lateranensi* sub Papa *Martino I.* canon. 2. " Si quis non confitetur secundum sanctos Patres, vere, et proprie ipsum unum sanctæ, et consubstantialis, et adorandæ Trinitatis, Deum Verbum incarnatum de Spiritu Sancto, etc. sit condemnatus. » Ubi etiam, quod ad glossandam articuli conclusionem facit, habes, quod propositio hæc, scilicet Christus est conceptus: seu incarnatus de Spiritu Sancto, non tantum dicitur vere, sed et proprie. Et licet idem Concilium can. 3. dicat: " Virginem semper immaculatam Mariam proprie, et vere concepisse ex Spiritu Sancto: » non tamen propterea contradicit sibi ipsi prius dicenti ly *de Spiritu Sancto.* Ratio est, quia refert ly *de Spiritu Sancto* ad verbum incarnatum, ut ibi expresse patet, et refert ly *ex Spiritu Sancto* ad corpus ipsius Verbi conceptum. Quomodo autem ista stent simul, et consequenter Concilium sibi constent, consule resp. ad 1. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Suencfeldianam* dicentem, quod Christi humana natura est genitura Spiritus Sancti. Hoc est

in sensu. Quod Spiritus Sanctus est Pater Christi secundum humanitatem, quia ipsum secundum hanc generavit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim illam damnari á D. Aug. in Enchir. cap. 38. vel 39. dicente. " Numquid dicturi sumus, patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus Sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris Filius secundum Verbum, et Spiritus Sancti Filius secundum hominem, eo quod eum Spiritus Sanctus, tamquam Pater ejus, de matre Virgine genuisset? Quis hoc dicere audebit? Cum hoc ita sit absurdum, ut nullæ fidelium aures id valeant sustinere. Proinde, cum confiteamur Christum natum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: quomodo non sit Filius Spiritus Sancti, et sit Filius Virginis, cum et de illo, et de illa sit natus, explicare difficile est. Proculdubio non sic de illo, ut de patre, sic autem de illa, ut de matre natus est. Non est autem concedendum, quicquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam, aliter de homine nasci filium, aliter capillum, aliter pediculum, vel lumbricum, quorum nihil vilius (ut ergo hæc omittam, quoniam tantæ rei deformiter comparantur) certe, qui nascuntnr ex aqua, et Spiritu Sancto, non aquæ filios eos recte dixerit quispiam, sed dicuntur filii Dei patris, et matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu Sancto natus est Christus, nec tamen filius est Spiritus Sancti. » Ubi, quia dicit ly *non sic de illo, ut de patre natus est,* ipse Aug. aperte significat: quod Spiritus Sanctus non genuit Christnm de B. Virgine. Et re vera sic est. Nam proprie generare est ex sua substantia aliquid producere (ut ait Damascenus) Spiritus Sanctus vero non produxit Christum hominem ex sua substantia, sed tantum sua virtute (secundum B. Hieron. supra art. 2.) cum B. Virgo ex propria substantia Christum ipsum produxerit. Item eadem hæresis damnatur ab Ecclesia per hoc, quod ipsa ex homil. Origenis super illud Matth. 1. dicit, quod Jesus Christus in terra est sine patre. Vide illam homil. in vigilia natalis Domini. Quod quidem dictum ab ea tam solemniter approbatum non esset verum (ut patet) si Spiritus Sanctus, aut Trinitas esset pater Christi hominis; vel (quod in idem redit) si humana natura esset genitura illorum, idest, si Spiritus Sanctus, aut Trinitas genuisset proprie naturam humanam Christi. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum; quod B. Virgo nihil active egerit in conceptione Christi. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* Ac si dixerit ibi August. in sensu, quod alibi parum remote his verbis expressit: Christus visibilem carnis substantiam de carne virginis assumpsit: ratio vero conceptionis non á virili semine, sed longe aliter, ac desuper venit. Ubi per ly *ratio conceptionis* (ut patet consideranti) intelligitur virtus activa in conceptione. Cum ergo virtus hæc, secundum illum, fuerit desuper, sequitur; quod secundum eumdem non fuerit á Virgine: et consequenter, quod ipsa non concurrerit active in illa conceptione prædicta. A scripturis vero idem insinuatur per hoc, quod ubique vocant tantum eam matrem Christi, ut Matth. 1. " De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus: *et*, cum esset desponsata mater Jesu Maria, » etc. (ut supra. Nota post prob. concl.) Ac si per hoc aperte dixerint. B. Maria Virgo ad conceptum Christi, nonnisi, ut mater, se habuit. Quomodo autem se habeat mater in hoc ad filios, monstravit Philosophus in 15. de animalibus dicens. " Vir dat animam, formam, et principium motus; fœmina dat corpus, et materiam. Sicut accidit in lacte coagulato, quod corpus exit ex lacte, et coagulatio ex coagulo. » Et infra. " Manifestum est, quod mas est operans, et fœmina patiens: sicut erat scamnum ex carpentario, et ligno. » Hæc ille. Pro quorum tamen, et consequenter pro totius art. præsentis (cujus declarationem primo intendimus) notitia pleniori adverte, quod circa prolis conceptionem triplex actio considerari potest. Una, quæ et principalis est, scilicet, formatio, et organizatio corporis. Alia actio est, quæ præparat ad hanc actionem, cum enim formatio prolis fieri debeat ex materia, non quacumque, sed convenienti, oportet esse virtutem aliquam agentem, quæ actione sua

præparet materiam ad formationem, seu ad hoc, ut postea inde formetur fœtus. Alia item actio est, quæ concomitatur, aut sequitur actionem illam principalem: nam, sicut locus facit ad bonitatem generationis: ita et bona matricis dispositio juvat ad bonam dispositionem prolis, tamquam præbens ei fomentum. Ex Avicenna cap. de diluv. His tribus actionibus stantibus, adhuc scito; quod respectu principalis actionis mater nihil agit, sed solummodo subministrat materiam agenti, scilicet patri: respectu autem actionis præparatoriæ mater active se habet, quoniam active præparat materiam: respectu vero actionis concomitantis, vel sequentis mater etiam active concurrit, fomentum scilicet dando proli jam formatæ. Ex his ita præmisis, applicando, conclu- das ad propositum art.; quod quantum ad principalem actionem, scilicet, formationis corporis Christi, nihil fuit ex parte B. Virginis, quod esset activum: sed id, quod ipsa Virgo ministravit, se habuit solum materialiter ad hanc actionem. Quantum vero ad secundam, et tertiam rationem, scilicet præparatoriam, et etiam concomitantem, Beata Virgo active operata est: sicut et aliæ matres. Merito igitur ab Ecclesia catholica semper et dictum fuit, et dicitur, et dicetur: quod Beata Virgo est vere mater Christi; ideoque cum Christus sit verus Deus, q. 35. ar. 4. quod ipsa est vere mater Dei veri. *Secundo* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA TERTIA,

### DE MODO, ET ORDINE CONCEPTIONIS CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de modo, et ordine conceptionis Christi.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum corpus Christi in primo instanti conceptionis fuerit formatum.

Secundo, utrum in primo instanti conceptionis fuerit animatum.

Tertio, utrum in primo instanti conceptionis fuerit á Verbo assumptum.

Quarto, utrum conceptio illa fuerit naturalis, vel miraculosa.

### ARTICULUS I.

*Utrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod corpus Christi non fuerit formatum in primo instanti conceptionis.

1. Aug. lib. 4. de Trin. cap. 5. exponens illud Joan. 2. « Quadraginta et sex « annis ædificatum est templum hoc» dicit: « hic numerus perfectioni Dominici cor- « poris aperte congruit,» et lib. 83. Qq. quæst. 56. dicit: «non absurde quadra- « ginta sex annis dicitur fabricatum esse « templum quod corpus ejus figurabat, « ut, quot anni fuerunt in fabricatione « templi, tot dies fuerint in corporis do- « minici perfectione.» Ergo corpus Christi non fuit in primo instanti suæ conceptionis perfecte formatum.

2. Ad formationem corporis Christi requirebatur motus localis, quo purissimi sanguines de corpore virginis ad locum generationi congruum pervenirent. Ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum.

Consequentia prob., quia nullum corpus potest moveri localiter in instanti, eo quod tempus motus dividitur secundum divisionem mobilis, ut prob. 6. Phys. textu 37.

3. Purissimi sanguines B. Virginis, ex quibus formatum est corpus Christi, ut dictum est supra quæst. 31. art. 5. non potuerunt esse in eodem instanti sanguis, et caro. Ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum.

Anteced. prob., quia si materia illa in eodem instanti fuisset sanguis, et ca-

ro, sequeretur quod in eodem instanti fuisset sub formis diversis, quod est impossibile, unde in uno instanti fuit sanguis, et in alio caro.

Consequentia prob., quia inter quælibet duo instantia datur tempus medium.

4. Corpus Christi fuit determinato tempore augmentatum, sicut et aliorum hominum corpora. Ergo videtur, quod pari ratione formatio corporis ejus, quæ pertinet ad vim generativam, non fuerit in instanti facta, sed determinato tempore, quo aliorum hominum corpora formantur.

Consequentia prob., quia sicut potentia augmentativa requirit determinatum tempus in suo actu, ita etiam, et virtus generativa: utraque enim est potentia naturalis ad vegetativam animam pertinens.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Greg. dicit lib. 18. Moral. cap. 35. *Angelo nuntiante, et Spiritu Sancto adveniente mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* In conceptione corporis Christi tria est considerare. Primo quidem motum localem sanguinis ad locum generationis. Secundo, formationem corporis ex tali materia. Tertio augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam. Quorum trium primum est conceptioni præambulum; tertium conceptionem consequitur; secundum vero est, in quo conceptionis ratio consistit.

1.ª Conclusio. Motus localis sanguinis, ex quo formatum est corpus Christi, ad locum generationis, non fuit in instanti.

Prob. Quia motus instantaneus est contra rationem motus localis cujuscumque corporis, utpote cujus partes successive subintrant locum.

2.ª Conclusio. Augmentum corporis Christi oportuit esse successivum.

Prob. Tum quia augmentum non est sine motu locali, tum etiam quia augmentum procedit ex virtute animæ jam in corpore formato operantis, quæ non operatur nisi in tempore.

3.ª Conclusio. Formatio corporis Christi, in qua principaliter ratio conceptionis consistit, fuit in instanti.

Probatur duplici ratione, quarum prima desumitur ex parte principii activi conceptionis Christi quæ est: formatio quæ facta est ab agente infinitæ virtutis, est in instanti. Sed formatio corporis Christi facta est ab agente infinitæ virtutis. Ergo formatio corporis Christi facta est in instanti.

Maior prob., quia tanto citius aliquod agens potest materiam disponere, quanto maioris est virtutis. Unde agens infinitæ virtutis potest in instanti disponere materiam ad formam debitam.

Minor prob., quia formatio corporis Christi facta est á Spiritu Sancto, ut quæst. præced. dictum est, qui infinitam habet virtutem.

Secunda ratio desumitur ex parte personæ Filii Dei humanam naturam assumentis, et est. Corpus humanum non fuit assumptum á Filio Dei, nisi formatum. Ergo corpus humanum assumptum á Filio Dei fuit formatum in instanti.

Consequentia prob., quia si ante perfectam formationem corporis aliquod tempus conceptionis præcessisset, non posset tota conceptio attribui Filio Dei, quæ attribuitur ei tantum ratione assumptionis: et clarius: si corpus Christi fuisset formatum successive, et non in instanti, sequeretur quod non attribueretur Filio Dei tota conceptio, nec tota assumptio. Et prob. consequentia, quia corpus non est assumptum, nisi perfecte formatum. Igitur est assumptum solum in eo instanti, quo est perfecte formatum, ac per hoc si fuisset formatum successive, non fuisset assumptum in tota formatione, idest in principio, sed solum in fine; et ideo non attribue-

retur Filio Dei tota conceptio: quod est inconveniens, cum ipse Filius Dei dicatur conceptus. quod dici non posset si sibi non attribueretur tota conceptio. Igitur in primo instanti, in quo materia adunata ad locum generationis pervenit, corpus fuit formatum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod verbum August. in utroque loco citato non refertur ad solam formationem corporis, sed ad formationem simul cum determinato augmento, usque ad tempus partus: fuit enim in primo instanti corpus Christi formatum, tamen non fuit auctum ad quantitatem, quam habent corpora aliorum hominum in eorum formatione, nisi in tempore quadraginta sex dierum, et ad quantitatem, ad quam perveniunt corpora aliorum hominum, per tempus novem mensium, non pervenit corpus Christi, nisi post novem menses: in hoc ergo differt formatio corporis Christi, á formatione corporum aliorum hominum, quod corpus Christi statim fuit formatum, et habuit omnium membrorum distinctionem; corpora autem aliorum hominum paulatim formantur; quoad augmentum vero eodem modo et tempore auctum fuit corpus Christi, sicut aliorum hominum corpora augentur, et hoc augmentum Augustinus vocat Dominici corporis perfectionem, quæ facta est in tempore, ut dictum est.

Ad 2. Negatur consequentia. Motus enim ille localis præcessit quidem conceptionem, non tamen ad ipsam substantiam conceptionis pertinet. Unde hoc argumentum probat primam conclusionem.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod non est assignare ultimum instans, in quo materia illa fuit sanguis; sed est assignare ultimum tempus, in cujus ultimo instanti sanguis ille fuit caro, inter quod tempus, et ultimum ejus instans, non datur aliquod tempus medium. In toto igitur tempore præcedente instans formationis, materia illa fuit sanguis, in ultimo vero instanti, qui fuit terminus temporis mensurantis motum localem materiæ ad locum generationis, materia illa fuit caro formata, et assumpta á Filio Dei.

Ad 4. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de augmento, et de formatione corporis Christi. Augmentum enim fit per potentiam augmentativam ipsius, qui augetur. Sed formatio corporis fit per potentiam generativam, non ejus qui generatur, sed generantis ex semine, in quo operatur vis formativa ab anima patris derivata. Corpus autem Christi non fuit formatum ex semine viri, ut dictum est art. 1. quæst. præced. sed ex operatione Spiritus Sancti; et ideo talis debuit esse formatio, ut Spiritum Sanctum deceret. Augmentum autem corporis Christi fuit factum secundum potentiam augmentativam animæ Christi quæ cum sit specie conformis animæ nostræ, eodem modo debuit corpus illud augmentari, sicut et alia hominum corpora augmentantur, ut ex hoc veritas humanæ naturæ ostenderetur.

## ARTICULUS II.

*Utrum corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suæ conceptionis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod corpus Christi non fuerit animatum in primo instanti suæ conceptionis.

1. In aliis hominibus non infunditur anima in primo instanti conceptionis. Ergo nec corpori Christi anima debuit infundi in primo instanti suæ conceptionis.

Conseq. prob., quia Leo Papa dicit in Epist. ad Julian. « Non alterius naturæ « erat caro Christi, quam nostra, nec alio « illi, quam cæteris hominibus, anima est « inspirata principio. »

2. Corpus Christi in primo instanti conceptionis non habuit tantam quantitatem, quantam habent corpora aliorum hominum, quando animantur. Ergo corpus Christi non fuit animatum in primo instanti suæ conceptionis.

Consequentia prob., quia anima sicut et quælibet naturalis forma, requirit determinatam quantitatem in sua materia.

Antecedens prob., quia si corpus Christi in primo instanti habuisset tantam quantitatem, quantam habent corpora aliorum hominum, quando animantur, sequeretur quod vel citius fuisset natum quam corpora aliorum hominum; vel quod in sua nativitate fuisset maioris quantitatis, quam sint alii infantes. Quorum primum est contra August. 4. de Trin. cap. 5. ubi probat eum spatio novem mensium in utero virginis fuisse: secundum autem est contra Leonem Papam qui in Serm. 4. Epiph. dicit, quod magi viderunt, et adoraverunt puerum Jesum « in nullo ab humanæ infantiæ ge» neralitate discretum. »

3. Ubicumque est prius, et posterius, oportet esse plura instantia. Sed in generatione hominis requiritur prius, et posterius: prius enim est vivum, et postea animal, et postea homo, ut Phil. dicit in lib. 2. de Gen. an. cap. 4. Ergo non potuit animatio Christi perfici in primo instanti suæ conceptionis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Damas. dicit in 3. lib. cap. 2. *Simul caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata anima rationali, et intellectuali.*

*Determinatio.*

Conclusio. Corpus Christi fuit animatum anima rationali in primo instanti suæ conceptionis.

Prob. Corpus Christi fuit assumptum in instanti conceptionis. Ergo corpus Christi in instanti conceptionis fuit animatum anima rationali.

Antecedens prob., quia conceptio attribuitur Filio Dei: unde in Symbolo confitemur dicentes: *qui conceptus est de Spiritu Sancto:* non posset autem conceptio attribui Filio Dei si in instanti conceptionis non assumpsisset corpus, ut ar. præced. dictum est.

Conseq. prob., quia Verbum Dei assumpsit corpus, mediante anima, et animam mediante spiritu, idest intellectu, ut dictum est quæst. 6. art. 1. Igitur in eodem instanti corpus Christi fuit conceptum, animatum anima rationali, et assumptum.

AD ARGUMENTA.

Ad. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod principium inspirationis animæ potest considerari dupliciter. Uno modo secundum dispositionem corporis, et sic non ab alio principio inspirata est anima corpori Christi, et corporibus aliorum hominum: sicut enim statim formato corpore alterius hominis, infunditur anima, ita fuit in Christo; alio modo potest considerari dictum principium, solum secundum tempus, et sic quia prius tempore perfecte formatum fuit corpus Christi, prius tempore fuit etiam animatum. Verba igitur Leonis intelligenda sunt de principio, prout in eo consideratur dispositio corporis, et sensus est quod sicut animæ aliorum hominum infunduntur in corpora disposita, ita anima Christi; cum quo stat quod anima Christi in instanti conceptionis corpori fuerit infusa.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod anima requirit debitam quantitatem in materia, cui infunditur: sed ista quantitas quamdam latitudinem habet, quia et in maiori, et in minori quantitate salvatur: quantitas autem quam habet corpus, dum primo sibi infunditur anima, proportionatur quantitati perfectæ, ad quam per augmentum perveniet, ita scilicet quod maiorum hominum, maiorem quantitatem corpora habent in prima animatione. Christus autem in perfecta ætate habuit decentem, et mediocrem quantitatem, cui proportionabatur quantitas, quam corpus ejus habuit in tempore, quo aliorum hominum corpora animantur; minorem tamen habuit in principio suæ conceptionis: sed tamen illa parva quantitas non erat tam parva, ut in ea non posset ra-

tio animati corporis conservari, cum in tali quantitate quorumdam parvorum hominum corpora animentur.

Ad 3. Dicitur ad minorem quod in generatione aliorum hominum habet locum quod Phil. dicit, propter hoc quod successive corpus formatur et disponitur ad animam. Unde primo tamquam imperfecte dispositum recipit animam imperfectam, et postmodum, quando perfecte est dispositum, recipit animam perfectam: corpus autem Christi propter infinitam virtutem agentis, fuit perfecte dispositum in instanti, et ideo statim in primo instanti recepit formam perfectam, idest animam rationalem.

## ARTICULUS III.

*Utrum corpus Christi in primo instanti suæ conceptionis fuerit á Verbo assumptum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod caro Christi prius fuerit concepta, et postmodum assumpta.

1. Quod non est, non potest assumi. Sed caro Christi ante conceptionem non erat. Ergo caro Christi fuit á Verbo Dei assumpta, postquam est concepta.

Minor probat., quia caro Christi incepit esse per conceptionem.

2. Caro Christi fuit assumpta in termino conceptionis. Ergo caro Christi prius fuit concepta, et postea assumpta.

Anteced. prob., quia caro Christi assumpsit animam, mediante qua Verbum carnem assumpsit in termino conceptionis.

Conseq. prob., quia in termino conceptionis dicitur jam concepta.

3. In omni generato prius tempore est id quod est imperfectum, eo, quod est perfectum, ut dicitur 9. Metth. textu 13. Sed corpus Christi est quiddam generatum. Ergo ad ultimam perfectionem, quæ consistit in unione ad Verbum Dei, non statim in primo instanti conceptionis pervenit; sed prius fuit caro concepta, deinde assumpta.

### ARTIC. III.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit in lib. de fid. ad Pet. cap. 18. «Firmissime tene, et nullate-«nus dubites, carnem Christi non fuisse «conceptam in utero virginis, priusquam «susciperetur á Verbo.»

*Determinatio.*

Conclusio. Contra fidem est dicere quod caro Christi prius fuerit concepta, et postmodum assumpta á Verbo Dei.

Probatur dupliciter. Primo ex proprietate modi loquendi in mysterio incarnationis. Nam ut dictum est supra in quæst. 16. art. 6. et 7. proprie dicimus Deum factum esse hominem, non autem propie dicimus quod homo factus est Deus; quæ loquendi proprietas significat quod Deus assumpsit sibi id quod est hominis, non autem præextitit quod est hominis, quasi per se subsistens antequam susciperetur á Verbo: si enim aliquid hominis præextitisset assumptioni, proprie diceretur quod homo factus esset Deus.

Secundo. Si caro Christi fuisset concepta antequam susciperetur á Verbo, habuisset aliquando aliquam hypostasim præter hipostasim Verbi Dei, et sic unio incarnationis, vel non fuisset secundum hypostasim, aut in assumptione fuisset destructa hypostasis carnis: quorum primum est contra incarnationis rationem per quam ponimus Dei Verbum unitum esse naturæ humanæ, et omnibus partibus ejus in unitate hypostasis; secundum vero est inconveniens, quod scilicet filius Dei in incarnatione sua aliquid in natura assumpta destrueret.

Aliter formatur hæc littera. Si caro Christi prius fuisset concepta, et postmodum assumpta, sequeretur quod proprie posset dici, quod homo factus esset Deus, cujus contrarium ostensum est quæst. 16. et quod unio incarnationis, vel non esset facta in hypostasi, vel quod hypostasis carnis humanæ fuisset in assumptione humanitatis á Verbo corrupta,

quæ omnia sunt inconvenietia, ut in alia forma ostensum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod si conceptio corporis Christi fuisset successiva, argumentum optime procederet oportere alterum duorum dicere, vel quod assumpta nondum esset caro, vel quod prius fuisset conceptio, deinde assumptio; sed quia conceptio Christi facta est in instanti, ut dictum est, consequens est quod in illa carne simul fuerit concipi, et conceptum esse; probat igitur argumentum quod caro non fuerit assumpta ante conceptionem, quia tunc non erat; non tamen probat quod fuerit assumpta post conceptionem, quia in conceptione corporis Christi datur medium scilicet ipsum instans conceptionis: infert igitur argumentum solum hoc quod assumptio non est facta ante conceptionem, cum quo stat quod fuerit facta in ipso conceptionis instanti: et hoc est quod dicit Augustin. in lib. de fide ad Pet. cap. 18. « Dicimus ipsum Dei Verbum suæ « carnis acceptione conceptum, ipsam- « que carnem Verbi incarnatione concep- «tam. »

Ad 2. Negatur consequentia. Nam cum conceptio carnis Christi fuerit in instanti; in eodem instanti concepta animata, et assumpta á Verbo fuit. Argumentum autem supponit conceptionem hanc factam successive: tunc enim terminus distingueretur ab ipsa conceptione.

Ad 3. Dicitur quod maior vera est de generato succesive, non autem de generato in instanti; corpus Christi in instanti conceptum est, et ideo in ejus conceptione imperfectum non præcessit perfectum. In mysterio enim incarnationis non consideratur assensus, quasi alicujus præexistentis perficientis, usque ad dignitatem unionis, sicut posuit Photinus hæreticus. Sed potius consideratur ibi descensus, secundum quod perfectum Dei Verbum imperfectionem naturæ nostræ sibi assumpsit, secundum illud Joan. 6. *Descendi de cælo.*

## ARTICULUS IV.

*Utrum conceptio Christi fuerit naturalis vel miraculosa.*

*Quod fuerit naturalis.*=Videtur quod conceptio Christi fuerit naturalis.

1. Christus est verus, et naturalis filius hominis, sicut verus et naturalis filius Dei. Ergo ejus conceptio fuit naturalis.

Conseq. prob., quia Christus dicitur filius hominis secundum conceptionem carnis.

2. Conceptio quæ attribuitur creaturæ, non est miraculosa, sed naturalis. Sed conceptio Christi attribuitur creaturæ, scilicet Beatæ Virgini, quæ est pura creatura; dicitur enim quod virgo Christum concepit. Ergo conceptio Christi non est miraculosa, sed naturalis.

Maior prob., quia nulla creatura producit operationem miraculosam.

3. Principium passivum ex parte matris in conceptione Christi, fuit naturale, ut dictum est quæst. 32. art. 4. Ergo conceptio Christi fuit naturalis.

Conseq. prob., quia ad hoc quod aliqua transmutatio sit naturalis, sufficit quod principium passivum sit naturale, ut dictum est quæst. præcedenti, articulo quarto.

*Quod fuerit miraculosa.*

Dion. dicit in Epist. ad Caium Monachum. *Super hominem operabatur Christus ea quæ sunt hominis.* Et *hoc monstrat virgo supernaturaliter concipiens.*

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Conceptio Christi secundum aliquid est naturalis, et secundum aliquid est miraculosa.

Prob. Quia Ambr. dicit in lib. de incarnatione, cap. 6. *Multa in hoc mysterio, et secundum naturam invenies, et ultra naturam.* Si enim consideremus id quod est ex parte materiæ conceptus, quam mater ministravit, totum est naturale. Si vero consideremus id quod est

ex parte virtutis activæ, totum est miraculosum.

2.ª Conclusio. Conceptio Christi simpliciter debet dici miraculosa, et supernaturalis, et secundum quid naturalis.

Prob. Conceptio quæ est naturalis secundum materiam, et supernaturalis ex parte agentis, est dicenda simpliciter supernaturalis, et secundum quid naturalis. Sed conceptio Christi est naturalis solum ex parte materiæ, et supernaturalis ex parte agentis. Ergo conceptio Christi, est dicenda simpliciter supernaturalis, et secundum quid naturalis.

Maior prob., quia unumquodque magis judicatur secundum formam quam secundum materiam, et secundum agens quam secundum patiens.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Christus dicitur naturalis filius hominis in quantum habet veram humanam naturam, per quam est filius hominis, sicut cæcus illuminatus videt naturaliter per potentiam visivam, quam miraculose accepit. Unde negatur consequentia. Et ad probationem dicitur quod filius Dei non dicitur filius hominis per conceptionem; sed per carnem, quam in conceptione assumpsit.

Ad 2. Dicitur ad minorem quod conceptio quæ attribuitur creaturæ, ut activo principio, non est miraculosa; secus si ei attribuatur solum, ut principio ministranti materiam: tunc ad minorem dicitur quod conceptio attribuitur Beatæ Virgini solum, quia ministravit materiam conceptui, et quia conceptio in ejus utero est celebrata.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod principium passivum naturale sufficit ad hoc quod transmutatio dicatur naturalis, quando naturali, et consueto modo movetur á principio activo proprio, quod in proposito non habet locum, et ideo conceptio illa non pótest dici simpliciter naturalis.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 33.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis et Gregorio insinuatum, quod corpus Christi in primo instanti conceptionis suæ fuit formatum. A B. Gregorio quidem, ut *in arg. cont.* Pro cujus notitia adverte, quod ly *mox* non dicit tempus breve, ut Tobiæ 11. *mox aperientur oculi ejus*. Et tamen post dimidiam fere horam hoc factum est; sed dicit mutationem instantaneam, seu instans temporis, ut Tobiæ 3. *Asmodæus occiderat eos mox, ut ingressi fuissent ad eam.* Alioquin, ut patet, nihil concluderet ad propositum suum D. Thomas per hanc auctoritatem. Rursus nota ly *angelo nunciante, et Spiritu Sancto adveniente*, quod scilicet totum hoc sumitur conjunctim ita, quod, licet Angelus nunciaverit, antequam Spiritus Sanctus adveniret, tamen Verbum caro factum non est, nisi tunc primo, quando nunciationi Angelicæ simul conjunctus est adventus Spiritus Sancti. Hoc autem tunc fuit, quando B. Virgo consensum præbuit, obsequiumque Deo in his, quæ ab Angelo audierat, spopondit dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* In eodem enim instanti, quo istius sententiæ, quæ tempore mensuratur, protulit ultimam literam, scilicet, ly *tuum*, mox advenit Spiritus Sanctus de quo Angelus ipse prædixerat ly *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Et sic in illo tunc eodem factum est, quod ex D. Gregor. inquit textus, scilicet, *Verbum in utero, intra uterum Verbum caro.* A scripturis vero idip-

sum insinuatur per hoc, quod dicitur Joann. 1. *Ipse est, qui ante me factus est.* Clarum est enim, quod hoc de Christo quoad divinitatem non potest intelligi, cum de ipso quoad divinitatem Ecclesia in fidei symbolo cantet ly *genitum non factum.* Ubi aperte fatetur, quod ille quantum ad divinitatem non est factus, sed genitus. Oportet ergo intelligere Evangelicam illam sententiam de Christo quoad humanitatem ita, quod Christus homo factus sit ante, quam Joannes Baptista fieret homo. Quod utique non potest intelligi comparando unius conceptionem, qua aliquis fit homo, conceptioni alterius, videndo, scilicet utra illarum sit tempore prior. Nam per dictum Luc. 1. *hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis,* constat, quod Joannes Baptista fuit multo tempore conceptus: ideoque factus homo ante, quam Christus homo conciperetur. Non ergo comparando conceptiones utriusque adinvicem verificatur illa sententia: sed aliter, et hoc est, considerando utriusque conceptionem in seipsa, quænam scilicet illarum secundum se citius facta sit, postquam incœpit fieri. Ut, si dicamus. Conceptio Joannis Baptistæ quanto tempore duravit, antequam essentialiter compleretur, idest antequam corpus Joannis in illa conceptione formaretur? Duravit quadraginta diebus; secundum enim Phil. 9. *de animalibus* masculi conceptio non perficitur, nisi usque ad quadragesimum diem, vel quadraginta quinque, secundum B. Aug. Nam primis sex diebus; inquit ille in Epist. ad B. Hieron., semen quasi lactis habet similitudinem, novem diebus immediate sequentibus vertitur in sanguinem, postea duodecim sequentibus diebus solidatur, deinde diebus decem, et octo mox sequentibus formatur usque ad perfecta membrorum lineamenta. Toto autem reliquo tempore usque ad tempus partus, cum corpus ipsum sic formatum augeatur magnitudine, nihil istius temporis computatur in ipsa essentiali conceptione. Christi vero hominis conceptio essentialis quanto tempore duravit? Nullo, sed in instanti tota consummata est. Vide not. post prob. concl. Harum igitur conceptionum in seipsis consideratarum utra citius facta est? Christi; cum ejus corpus in primo conceptionis instanti formatum fuerit. Quis ergo horum in sui conceptione prius factus est homo; seu, quod in idem redit, quis in sui conceptione ante alium factus est? Proculdubio Christus ante Joannem Baptistam: quandoquidem Christus formatus est homo in primo instanti suæ conceptionis, Joannes autem non in primo, sed in ultimo conceptionis instanti, idest, in fine quadraginta, vel quadraginta quinque dierum. Illa igitur sententia Joan. 1. *Ante me factus est,* exponenda est sic, idest, ipse in sui conceptione factus est homo, antequam ego in mei conceptione factus sim homo. Et hoc ex nobiliori principio, quam ego, scilicet, ex Spiritu Sancto. Id, quod denotat per contextum immediate subjungens ly *cujus ego non sum dignus solvere corrigiam calceamenti. Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis, et Damasceno insinuatum, quod corpus Christi fuit animatum anima rationali in primo instanti suæ conceptionis. A Damasceno quidem, ut *in arg. cont.* Vide supra articulorum num. 35. 36. Elucid. A scripturis autem id insinuatur per hoc, quod dicitur Hierem. 31. "Creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum." Nomine siquidem viri, ut etiam in humanis patet, intelligitur non tantum homo masculus, sed et anima rationali, usuque liberi arbitrii, sapientia, virtuteque præditus. Per ly *novum* intelligitur mysterium incarnationis, ubi fuit novitas tum ex parte prolis conceptæ, tum ex parte modi conceptus. Ex parte quidem agentis conceptionem, quia non virtute ordinaria seminis humani, sed virtute Spiritus Sancti supernaturaliter facta est: ex parte autem prolis conceptæ, quia non homo solus, ut ordinarie contingit, sed homo Deus concipiebatur; ex parte vero modi conceptus, quia non successive, ut consuetum est, proles concepta deducebatur ad perfectum, neque ratione corporis, cum in primo instanti formatum sit, art. 1. neque ratione animæ, cum in primo conceptionis instanti anima intellectiva corpori fuerit infusa, et plenum usum liberi arbitrii, omniumque virtutum habuerit. Alioquin concepta proles non fuisset vir tunc, quam primum fœmina concipiens in utero suo cir-

umdedisset eam, cum tamen scriptura dicat ly *fœmina circumdabit virum*. Hoc est. Non prius erit circumdatio á fœmina, quam sit virilitas in illo, qui circumdabitur: sed mox, ut circumdatio dabitur, quod erit in primo instanti conceptionis, tunc ille, qui circumdabitur, erit vir, idest secundum interpretationem nominis suprapositam, anima intellectiva, virtutibus, earumque usu perfecte dotatus. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice interimas, hæresim *Photini* dicentis: quod Christus fuerit prius homo purus, et postea per meritum bonæ vitæ obtinuerit esse filius Dei. Cum enim monstret articulus iste, quod caro Christi non fuit ante concepta, quam assumpta; necessario intelligitur commonstrare, quod ipse Christus non fuit antea purus homo, qui postea fuerit Deus. Dixi ly *tamquam in radice*: quia *Photinus* supponebat hoc pro suæ positionis firma radice, quod prius fuisset conceptus homo, et postmodum assumptus. Alioquin, quomodo Christus secundum illum fuisset homo purus, antequam ad esse Deum assumeretur? Non tantum ergo articulus præsens radicitus *Photinum* subvertit: sed et quæcumque dicta patrum, etc. carnem Christi non prius conceptam, quam assumptam ponentia. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim illam merito damnari à regulis catholicæ fidei, quæ pro magna, et principalissima parte ponuntur á D. Aug. in suo libro, cujus titulus est de Fide ad Petrum. *Firmissime tene,* etc. ut *in arg. cont.* Item ab Eugenio IV. in Conc. *Florent.* "Sacrosancta Romana Ecclesia Domini Salvatoris nostri voce fundata damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photinum, omnesque similiter blasphemantes: qui Jesum Christum Dominum nostrum esse verum Deum negaverunt: ipsum purum hominem confitentes: qui divinæ gratiæ participatione majori, quam sanctioris vitæ merito suscepisset, divinus homo diceretur.» Hæc ille Papa in Constit. Concil. *Florent.* super union. Jacobinor. Ex quibus per superius declarata patet, et quod isti omnes hæretici supponunt pro radice id, quod supponebat *Photinus*, et quod Papa cum Concilio virtualiter necessario fatetur esse de fide tenendum, quod caro Christi non fuit concepta ante quam Christus esset Deus. Item damnatur illa hæresis á dictis sup. ar. n. 7. 17. 107. 108. 139. cum Eluc. ubique. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, ac Dionysio insinuatum, quod conceptio Christi est miraculosa, et naturalis. A Sancto quidem Dionysio, ut *in arg. cont.* ubi per ly *concipiens* signatur, quod est naturalis, et per ly *supernaturaliter* quod est miraculosa. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Matth. 1. "Hoc totum factum est, ut adimpleretur dictum per prophetam: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium.» Ibi enim ly *in utero habebit* importat quid naturale, et ly *virgo*, scilicet, permanens virgo, habebit in utero, et pariet, dicit quid miraculosum. Hoc autem ultimum tanto magis esse verum patet, quando dictum illud Evangelistæ Matthæi pro signo mirabili dando á Deo est accipiendum: prout patet ex contextu Isaiæ Prophetæ, c. 7. unde originaliter sumptum est, quo in loco ly *signum* pro miraculo magno stat, secundum quod monstrat ibi subjunctus textus ly *virgo concipiet*, etc. Cæterum, quod verus, immo et principalis sensus prophetarum in suis dictis sit ille, in quo ab Evangelistis, aliisque novi testamenti scriptoribus canonicis adducuntur, vide hujus rei pulchram, efficacemque rationem in 1. p. q. art. 10. append. Ex præmisis tamen, pro quanto conceptionem Christi adstruunt esse miraculosam, ne inferas, cave, quod hujusmodi (cum nostra conceptio non sit miraculosa) adversentur sententiæ Apostoli de Christo dicentis Heb. 2. *debuit per omnia fratribus assimiliari.* Non enim ly *omnia* stat ibi universaliter pro quibuscumque ad Christum hominem pertinentibus, ut videtur talem errorem inferre volenti, sed tantum stat universaliter pro quibuscumque in tali genere, puta reparationis humanæ repertis. Nam contextus Apostolicus aperte demonstrat, quod sermo ibidem fit de Christo, prout est mediantibus suis passionibus redemptor generis humani, et consequenter quod ly *per omnia* ad genus redemptionis refertur. Ac si dictum fuisset: Christus debuit per omnia, quæ neces-

saria sunt ad redimendum fratres, fratribus assimilari. Ergo ly *omnia*, ut scholastice proprius ad aures logicorum loquamur, est universale quidem: non tamen universaliter absolute intelligendum, sed universaliter accommode. Satisfactum ergo absque veritatis præmissorum denigratione erit veritati huic Apostolicæ, si universa ad hanc materiam dicta, quantum sufficit, in simul concordando dixerimus. Christus debuit assimiliari fratribus per omnia in his, quæ ad eorum reparationem erant necessaria. Talia autem sunt, in quibus humanæ naturæ veritas consistit, scilicet, partes ipsius naturæ essentiales, et naturales tum proprietates, tum passiones: quoniam his nostræ redemptionis opus explendum erat. In aliis vero, scilicet, conceptionis, nativitatis, etc. quibusdam modis, utpote quæ non sic sunt ad opus hujusmodi complendum necessaria, debuit Christus excellere fratres, tamquam nobilissimus omnium illorum Salvator. Consonæ itaque sunt omnes scripturæ prædictæ. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA, QUARTA,

DE PERFECTIONE PROLIS CONCEPTÆ IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de perfectione prolis conceptæ.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum in primo instanti conceptionis Christus fuerit sanctificatus per gratiam.

Secundo, utrum in eodem instanti habuerit usum liberi arbitrii.

Tertio, utrum in eodem instanti potuerit mereri.

Quarto, utrum in eodem instanti fuerit plene comprehensor.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus, in primo instanti suæ conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus in primo instanti suæ conceptionis non fuerit sanctificatus.

1. Sanctificatio gratiæ pertinet ad spiritualitatem. Ergo Christus non percepit gratiam sanctificationis statim á principio suæ conceptionis, sed post aliquod spatium temporis.

Consequentia probat., quia 1. Cor. 15. dicitur: *Non prius spirituale, sed quod animale, demum quod spirituale est.*

Aliter. Illud quod pertinet ad spiritualitatem, non recepit Christus in primo instanti suæ conceptionis. Sed sanctificatio gratiæ pertinet ad spiritualitatem. Ergo sanctificatio gratiæ non fuit collata Christo in primo instanti suæ conceptionis. Maior patet ex auctoritate Apost. inducta in alia forma.

2. In Christo numquam fuit peccatum. Ergo Christo non convenit sanctificari per gratiam.

Conseq. prob., quia sanctificatio videtur esse á peccato, secundum illud 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuistis aliquando* scilicet peccatores; *sed abluti estis, sed sanctificati estis.*

3. Ille per quem omnes sanctificantur, non est sanctificatus. Sed per Christum omnes sanctificantur. Ergo Christus non fuit sanctificatus.

Maior prob., quia sicut Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, non est factum, ita Verbum, per quod omnes sanctificantur, non est sanctificatum.

Minor prob. Heb. 2. dicitur: *qui sanctificat, et qui sanctificantur ex uno omnes.*

Aliter. Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, non est factum. Ergo Verbum incarnatum, per quod omnes sanctificantur, ut dicit Heb. 2. non est sanctificatum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei.* Et Joan. 10. *Quem pater sanctificavit, et misit in mundum.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus habuit plenitudinem gratiæ sanctificantis animam, et corpus ejus, in primo instanti suæ conceptionis.

Probatur. Corpus Christi in primo instanti suæ conceptionis fuit animatum, et assumptum á Verbo, ut ostensum est quæst. præced. art. 1. Ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit plenitudinem gratiæ sanctificantis ejus animam, et corpus.

Conseq. prob., quia abundantia gratiæ sanctificantis animam Christi derivatur ex ipsa unione Verbi, secundum illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, quasi unigeniti á patre, plenum gratiæ, et veritatis.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. vel maior. Ad probationem dicitur quod ille ordo, quem ponit Apostolus, pertinet ad eos qui per profectum ad spiritualem statum perveniunt; in mysterio incarnationis magis consideratur descensus divinæ plenitudinis in naturam humanam, quam profectus naturæ humanæ, quasi præexistentis in Deum, et ideo in homine Christo á principio fuit perfecta spiritualitas.

Al 2. Negatur conseq. Ad probationem negatur assumptum: non enim sanctificatio est semper á peccato: sanctificari enim est aliquid fieri sanctum: fit autem aliquid, non solum ex contrario, sed etiam ex negative, vel privative opposito, sicut album fit ex nigro, et etiam ex non albo: nos quidem ex contrario, scilicet ex peccatoribus sancti efficimur, et ita sanctificatio nostra, de qua Apostolus loco citato loquitur, est ex peccato: Christus autem secundum hominem factus est sanctus; quia hanc sanctitatem non semper habuit: non tamen factus est sanctus ex peccatore, quia peccatum numquam habuit; sed factus est sanctus ex non sancto secundum hominem; non quidem privative, ut scilicet aliquando fuerit homo, et non fuerit sanctus; sed negative, quia quando non fuit homo non habuit sanctitatem humanam. Et ideo simul factus fuit homo, et sanctus homo. Propter quod angelus dicit Lucæ 1. "Quod "nascetur ex te sanctum:" quod exponens Greg. 18. Moral. c. 34. dicit: "Ad "distinctionem nostræ sanctitatis Jesus "sanctus nasciturus asseritur; nos quippe si sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis "conditione constringimur, ille autem "solus veraciter sanctus natus est, qui "ex conjunctione carnalis copulæ conceptus non est."

Ad 3. Negatur maior primæ formæ, et consequentia secundæ. Ad prob. dicitur, quod aliter operatur pater creationem rerum per Filium, et aliter tota Trinitas operatur sanctificationem hominum per hominem Christum: nam Verbum Dei est ejusdem virtutis, et operationis cum Deo Patre, et ideo Pater non operatur per Filium, sicut per instrumentum quod movet in quantum motum. Humanitas autem Christi est sicut instrumentum divinitatis, ut dictum est quæst. 13. art. 3. et ideo humanitas Christi est sanctificans, et sanctificata. Est igitur maior vera de sanctificante principali, non autem de sanctificante instrumentali, quale est humanitas Christi.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit usum liberi arbitrii.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus secundum quod est homo, non habuerit usum liberi arbitrii in primo instanti suæ conceptionis.

1. Anima Christi in primo instanti suæ

conceptionis incæpit esse, ut art. præced. dictum est. Ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis, non potuit habere usum liberi arbitrii. Conseq. probatur. Esse rei est prius, quam operari. Sed usus liberi arbitrii est quædam operatio. Ergo usus liberi arbitrii est post esse rei, cujus est usus, ac per hoc si anima in primo instanti conceptionis incæpit esse, non potuit in eodem instanti habere usum liberi arbitrii, qui est quædam animæ operatio.

2. Illud, quod præsupponit deliberationem consilii, non potuit Christus habere in primo instanti suæ conceptionis. Sed usus liberi arbitrii præsupponit deliberationem consilii. Ergo usum liberi arbitrii non potuit Christus habere in primo instanti suæ conceptionis.

Maior patet, quia deliberatio consilii exigit tempus.

Minor prob., quia usus liberi arbitrii est electio; electio autem deliberationem consilii præsupponit, ut dicitur 3. Ethic. cap. 3.

3. Actum rationis non potuit Christus habere in primo instanti suæ conceptionis. Sed usus liberi arbitrii est actus rationis. Ergo usum liberi arbitrii non potuit Christus habere in primo instanti suæ conceptionis.

Maior prob., quia actus intellectus, sive rationis, præsupponit actum sensus, qui esse non potest sine convenientia organorum, quæ non videtur fuisse in primo instanti conceptionis Christi.

Minor prob., quia liberum arbitrium est facultas voluntatis, et rationis, ut dictum est 1. par. q. 83. Et ita usus liberi arbitrii est actus voluntatis, et rationis, sive intellectus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Perfectus homo habet usum liberi arbitrii. Sed Christus in primo suæ conceptionis instanti fuit perfectus homo. Ergo Christus in primo suæ conceptionis instanti habuit usum liberi arbitrii.

Minor prob., quia Aug. dicit in lib. de Trin. cap. 9. et seq. quod *mox, ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriæ naturæ* (quod fuit in primo conceptionis instanti) *factum est caro et perfectus homo.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit usum liberi arbitrii.

Prob. Ille, qui in principio suæ conceptionis habuit omnem operationem, quæ in instanti potest haberi, habuit in primo instanti suæ conceptionis usum liberi arbitrii. Sed Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit omnem operationem, quæ in instanti potest haberi. Ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit usum liberi arbitrii.

Maior prob., quia operatio intellectus, et voluntatis, in qua usus liberi arbitrii consistit, subito, et in instanti perficitur magis, quam corporalis visio, eo quod intelligere, velle, et sentire non sint motus, qui est actus imperfecti (qui successive perficitur) sed est actus jam perfecti, ut dicitur in 3. de An. tex. 28. Ille igitur, qui in instanti suæ conceptionis habet omnem humanam perfectionem, quæ in instanti haberi potest, habet usum liberi arbitrii, quia scilicet usus liberi arbitrii est hominis perfectio, quæ in instanti haberi potest.

Minor prob., quia humanæ naturæ, quam Christus assumpsit, convenit spiritualis perfectio, in qua non profecit; sed etiam statim á principio habuit, ut dictum est supra quæst. 7. art. 12. et qu. 19. art. 3. et qu. 33. art. 3. ad 3. Perfectio autem ultima non consistit in potentia, vel in habitu, sed in operatione. Unde in 2. de An. tex. 5. dicitur, quod operatio est actus secundus. Habuit igitur Christus in primo instanti suæ conceptionis omnem operationem, quæ in instanti haberi potest, ac per hoc habuit usum liberi arbitrii qui con-

sistit in operatione intellectus, et voluntatis, quæ in instanti perficitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod esse est prius natura, quam agere; possunt tamen esse simul tempore, quando operatio est talis, ut in instanti perfici possit. Agens enim quando habet esse perfectum, statim incipit agere, nisi sit aliquid impediens, sicut ignis statim dum generatur, incipit calefacere, et illuminare: calefactio tamen non perficitur in instanti; sed per temporis successionem: illuminatio autem in instanti perficitur. Quia igitur usus liberi arbitrii est operatio instantanea, fuit simul perfecta in instanti, in quo Christus fuit conceptus.

Ad 2. Neg. minor. Usus enim liberi arbitrii in Christo non præsupponit consilii deliberationem. Ad prob. dicitur, quod deliberatio consilii non præexigitur ad electionem, nisi propter inquisitionem incerti: electio enim esse potest simul cum terminatur consilium; illi autem, qui deliberatione consilii indigent, non habent certitudinem de eligendis, nisi in ipsa terminatione consilii, et ideo in talibus non potest esse electio, et usus liberi arbitrii nisi præcedente consilii inquisitione: Christus autem in primo instanti suæ conceptionis, sicut habuit plenitudinem gratiæ sanctificantis; ita habuit plenitudinem veritatis cognitæ, secundum illud Joan. 1. *Plenum gratiæ, et veritatis.* Unde, quasi habens omnium certitudinem, potuit statim eligere.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur dupliciter. Primo quod intellectus Christi, secundum scientiam infusam, poterat intelligere, etiam non convertendo se ad phantasmata, ut dictum est, quæst. 11. art. 2. Unde poterat in eo esse operatio intellectus et voluntatis, absque operatione sensus. Secundo dicitur, quod in Christo potuit etiam esse operatio sensus in primo instanti suæ conceptionis, maxime quantum ad sensum tactus, quo sensu proles concepta sentit in matre, etiam antequam animam rationalem obtineat, ut dicitur in 2. lib. de Gen. an. cap. 4. Unde, cum Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit animam rationalem, formato jam et organizato corpore ejus, multo magis poterat in eodem instanti habere operationem sensus tactus.

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus in primo instanti suæ conceptionis mereri potuerit.*

*Pro negativa.*—Videtur, quod Christus in primo instanti suæ conceptionis mereri non potuerit.

1. Diabolus in primo instanti suæ creationis non potuit peccare, ut dictum est 1. par. q. 63. art. 5. Ergo neque anima Christi in primo instanti suæ conceptionis, quod fuit primum instans creationis animæ Christi, potuit mereri.

Conseq. prob., quia sicut se habet liberum arbitrium ad merendum, ita se habet ad demerendum.

2. Per illud quod est alicui naturale, non potest mereri. Sed usus liberi arbitrii fuit Christo naturalis. Ergo per usum liberi arbitrii non potuit Christus in primo instanti suæ conceptionis mereri.

Maior prob., quia in naturalibus non meremur, ut patet ex his quæ in 1. 2. q. 24. art. 1. ad 3. dicta sunt.

Minor prob. Illud quod homo habet in primo instanti suæ conceptionis, videtur esse ei naturale, quia ad hoc terminatur sua naturalis generatio. Sed usus liberi arbitrii convenit Christo in primo suæ conceptionis instanti. Ergo usus liberi arbitrii est Christo naturalis.

3. Si Christus meruisset in primo instanti suæ conceptionis, sequeretur quod postea nihil mereri potuisset. Sed hoc patet esse falsum. Ergo falsum est etiam quod Christus in suæ conceptionis primo instanti meruerit.

Conseq. prob., quia illud quod semel aliquis meruit, jam fecit quodammodo suum; et ita videtur quod iterum non

possit illud mereri; quia scilicet nullus meretur quod suum est.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus non poterat in merito proficere. Ergo Christus meruit in primo instanti suæ conceptionis.

Anteced. prob., quia Aug. dicit super Exod. *Non habuit omnino Christus juxta animæ meritum, quo potuisset proficere.*

Conseq. prob., quia potuisset Christus in merito proficere, si in primo instanti suæ conceptionis non meruisset.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus in primo instanti suæ conceptionis meruit.

Prob. Ille, qui sanctificatus fuit in primo instanti suæ conceptionis perfectissima sanctificatione, meruit in primo instanti suæ conceptionis. Sed Christus in primo instanti suæ conceptionis sanctificatus fuit sanctificatione perfectissima. Ergo Christus in primo suæ sanctificationis instanti meruit.

Maior manifest. Nam sanctificatio est duplex. Una quidem adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur. Altera vero puerorum, qui non sanctificantur secundum proprium actum fidei, sed secundum fidem parentum, vel ecclesiæ. Prima sanctificatio est perfectior quam secunda, sicut actus perfectior est quam habitus, et quod est per se, perfectius est eo quod est per aliud. Sanctificatio igitur perfecta est per proprium actum liberi arbitrii in Deum, qui est meritorius. Et ideo, qui sanctificatur perfectissima sanctificatione in primo instanti suæ conceptionis, potest in eodem instanti mereri.

Minor prob. Et quod Christus fuerit sanctificatus in primo instanti suæ conceptionis habitum est art. 1. hujus q. Quod vero ejus sanctificatio fuerit perfectissima, patet; quia sic sanctificatus est, ut esset aliorum sanctificator, ut etiam ex pluries dictis patet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. negatur assumptum: non enim liberum arbitrium eodem modo se habet ad bonum, et ad malum. Ad bonum enim se habet per se, et naturaliter: ad malum autem se habet per modum defectus, et præter naturam: sicut autem Phil. dicit in 2. de Cœl. tex. 18. posterius est quod est præter naturam eo quod est secundum naturam, quia id quod est præter naturam, est quædam excisio ab eo quod est secundum naturam. Et ideo liberum arbitrium creaturæ in primo instanti creationis potest moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando; si tamen natura sit integra, ut erat natura, quam Christus assumpsit.

Ad 2. Negatur minor. Ad probat. dicitur quod illud quod homo habet in principio suæ creationis secundum communem naturæ cursum, est ei quidem naturale, sed tamen nihil prohibet, quin aliqua creatura in principio aliquod beneficium gratiæ á Deo consequatur, et hoc modo anima Christi in principio suæ creationis consecuta est gratiam, qua posset mereri, et ea ratione gratia illa, secundum quamdam similitudinem, dicitur fuisse homini illi naturalis, ut patet per Aug. in Ench. cap. 40.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod nihil prohibet aliquid esse alicujus ex diversis causis. Et secundum hoc Christus gloriam immortalitatis, quam meruit in primo instanti suæ conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus, et passionibus mereri, non quidem ut esset sibi magis debita, sed ut sibi ex pluribus causis deberetur.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suæ conceptionis.*

*Pro negativa.*=Videtur quod Christus non fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suæ conceptionis.

1. Ille, qui in primo instanti suæ crea-

tionis meruit, non potuit in eodem instanti esse perfectus comprehensor. Sed Christus in primo instanti suæ conceptionis meruit, ut dictum est art. præc. Ergo Christus in primo instanti suæ creationis, non fuit perfectus comprehensor.

Maior prob., quia meritum præcedit præmium, sicut culpa pœnam. Præmium autem principale est status comprehensoris. Unde qui meretur, non est in statu comprehensoris.

2. Christus in primo instanti suæ conceptionis fuit extra gloriam suam. Ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis non fuit perfectus comprehensor.

Anteced. prob., quia dicitur Lucæ ult. «Hæc oportuit pati Christum, et ita « intrare in gloriam suam. » Non fuit igitur Christus in gloria sua, nisi post passionem.

Conseq. prob., quia gloria pertinet ad statum comprehensoris.

3. Illud quod est Deo proprium, non convenit Christo, in quantum est homo. Sed esse semper beatum est Deo proprium. Ergo esse semper beatum non convenit Christo, in quantum est homo.

Minor probat. Esse beatum semper, non convenit Angelo, nec homini; si enim fuissent conditi beati, postmodum non peccassent. Ergo esse semper beatum est proprium Deo, ac per hoc non convenit animæ Christi.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In primo instanti conceptionis fuit assumpta humana natura á Verbo Dei in unitate personæ. Ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis, secundum quod homo, fuit beatus, quod est esse comprehensorem.

Conseq. probat., quia illud Psal. 64. *Beatus quem elegisti, et assumpsisti*, secundum Glos. Aug. in hunc Psalm. refertur ad humanam naturam Christi, *quæ assumpta est á Verbo in unitatem personæ.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus, in primo instanti suæ conceptionis, actu fuit comprensor, videndo Deum per essentiam clarius cæteris creaturis.

Prob. Qui habuit gratiam non ad mensuram, cum suo actu, fuit actu comprehensor, perfectius cæteris ceaturis Deum videns. Sed Christus in primo instanti suæ conceptionis habuit gratiam cum suo actu non ad mensuram. Ergo Christus in primo instanti suæ conceptionis fuit actu perfectus comprehensor, videndo Deum per essentiam perfectius cæteris creaturis.

Maior probat., quia gratia viatoris, cum sit deficiens á gratia comprehensoris, habet mensuram minorem respectu gratiæ comprehensoris. Unde ille, qui habet gratiam non ad mensuram et non sine suo actu, est perfectus comprehensor videns Deum super omnes beatas creaturas.

Minor prob. Et quod Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit gratiam non ad mensuram, patet ex Evang. Joan. 1. quod vero Christus habuerit gratiam cum suo actu, etiam ex dictis patet, quia non fuit conveniens quod Christus in sua conceptione acceperit gratiam habitualem; tamen absque actu. Unde manifestum est quod Christus in primo instanti suæ conceptionis accepit, non solum tantam gratiam, quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod maior vera est de eo qui meretur gloriam animæ, non autem de eo qui meretur sibi tantum gloriam corporis. Tunc ad minorem dicitur quod Christus non meruit gloriam animæ secundum quam dicitur comprehensor, sed gloriam corporis, ad quam per suam passionem pervenit, ut dictum est q. 19. art. 3.

Ad 2. Dicitur ad anteced. Quod Christus in instanti suæ conceptionis, non co-

ruit gloria animæ, secundum quam dicitur comprehensor, sed caruit sola gloria corporis.

Ad 3. Neg. minor. Esse quidem ab æterno beatum est Dei proprium, tamen esse beatum á principio sui esse potest alteri convenire. Ad prob. dicitur quod licet esse beatum á principio sui esse, non conveniat Angelo, nec homini, convenit tamen Christo, qui ex hoc quod fuit Deus, et homo, in sua humanitate habuit aliquid præ cæteris creaturis, ut scilicet statim á principio esset beatus.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 34.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus in primo conceptionis instanti fuit sanctificatus. Ut per illa, quæ dicuntur Luc. 1. et Jo. 10. secundum quod recitatur *in arg. cont.* Ubi pro dicto Luc. nota, quod ly *sanctum*, cum sit quoddam indeterminate positum, plenitudinem sanctitatis importat, ac si diceretur, res, quæ ex te nascetur, erit totaliter ex omni parte sancta. Id, quod conclusio articuli notificavit per ly *plenitudinem gratiæ sanctificantis animam, et corpus*. Ibidem quoque nota, quod, cum Angelus respondeat B. Virgini, ly *nascetur*, stat non tantum pro nasci ex utero, sed etiam pro nasci in utero, idest, concipi. Quæsierat siquidem B. Virgo: quomodo fiendum esset istud, intelligens per ly *istud*, totum id, quod dixerat Angelus de seipsa in utero habitura, idest; quomodo conceptura erat, secundum quod audierat ly *concipies*, et quomodo paritura, secundum quod audierat ly *paries*. Ut igitur ad totum interrogationis sensum, ut decet sapientem, respondeat, Angelus, ne interrogatione nova opus sit, dicendum necessario est, quod ipse per ly *nascetur* comprehendere intendit utrumque, scilicet, conceptionem, et parturitionem. Adde, quod, nisi per ly *nascetur* intelligeretur etiam concipi in utero, Doctor Sanctus ex ista auctoritate non concluderet intentum suum, utpote eam extra propositum adducens. Intendebat enim per eam firmare adhuc veritatem conclusionis, scilicet, quod Christus est sanctificatus in primo instanti conceptionis. Unde, si ly *nascetur* non stat pro conceptione, concludet quidem per hoc, quod Christus fuit ante nativitatem ex utero sanctificatus, quod non quærebatur: non autem, quod in conceptionis primo instanti fuerit sanctificatus, quod quærebatur. Ibidem etiam nota, quod ly *ex* dicit causam materialem, idest, materiam, ex qua aliquid fit. Vult siquidem Angelus dicere, *quod nascetur ex te*, idest, ex tua substantia. Unde per hoc procul dubio et concipiendum designat corpus Christi ex substantia B. Virginis, et condemnat hæresim *Valentini* dicentis, quod Christus corpus cœleste secum traxit, per Virginemque tamquam per rimam quamdam transiens nullam carnem de ea assumpsit. Contra quam hæresim vide et supra art. num. 734. 168. 171. et 1. p. q. 75. art. 7. et q. 91. art. 1. cum Elucid. semper. Quasi ergo aperte, in proposito articuli, dicit Angelus. Christus Sanctus, qui concipietur ex tua substantia, idest, non prius concipietur, quam sit sanctus: hoc est, in primo instanti conceptionis erit sanctificatus. Ad dictum vero illud Joan. *in arg. cont.* adductum transeundo, nota, quod ly *sanctificavit*, quoad humanitatem solum verificatur, si proprie, ut sonat, et tex. articuli vult, exponatur ly *sanctificavit*, idest, sanctum fecit. Non enim Christum quoad divinitatem Pater sanctificavit, quia nec illum fecit, cum Deus filius, ut habetur ex Symbolo fidei, non

sit á Patre factus: licet sit et genitus, et genitus sanctus. Item mihi nota, quod ly *misit in mundum* stat pro incarnari fecit. Quomodo ergo pater sanctificavit hominem Christum, et misit in mundum? Numquid homo Christus fuit prius, et tunc sanctificatus est, antequam incarnaretur? Num ergo erat homo sanctificatus, antequam in utero B. Virginis conciperetur? Absit. Sunt enim hæ sequelæ hæreses ex superius citatis locis multipliciter, et efficaciter condemnatæ; tamquam *Valentini*, et similium, puta *Mennonitarum*, *Apellis*, atque *Apollinaris* dogmata sapientes. Restat igitur ex his, velut ab oppositis, dicendum, quod ideo dicitur ly *sanctificavit*, et *misit*, ut fateri cogamur, quod non fuit missus, idest incarnatus, antequam sanctificatus: et consequenter, quod in instanti eodem, in quo missus, idest conceptus, fuit etiam sanctificatus. Ad hoc etiam denotandum, clariusque ad hanc veritatem dicendam compellendum, non dixit, quem misit, et sanctificavit ne ipsum prius missum, idest conceptum, quod factibile videbatur, posset aliquis suspicari, et postea sanctificatum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Aug. quod Christus in primo instanti conceptionis suæ habuit usum liberi arbitrii. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* Ubi ly *mox ut Verbum*, etc. tanti valet, quanti ly *in instanti, quo Verbum*, etc. De ly *mox* vide q. 33. art. 1. app. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Hierem. 31. *fœmina circumdabit virum*. Hoc enim secundum Doctores ad literam verificatur in mysterio incarnationis de Christo, secundum quod est homo, idest, secundum humanitatem, et de B. Virgine matre ejus. Nam á B. ista fœmina fuit in conceptione circumdatus homo Christus, tamquam vir. Quod quidem, scilicet, ipsum in conceptione tam parvulum secundum corpus, fuisse virum secundum animam, et in speciali (ut stemus in proposito) secundum operationes potentiarum animæ, usumque liberi arbitrii, idest, non quomodocumque, sed ad modum viri absolute dicti, idest, perfecte usum virium suarum habentis, et operantis: hoc, inquam, totum est quoddam novum á Deo creatum super terram, ut ibi contextus prophetæ docet. Notandum vero, quod non ponit circumdationem cujusque rei, puta sanguinis, vel lactis, vel alicujus embrionis (ut in aliis fœtibus conceptis accidit, q. 33. a. 1. append.) sed solum viri, idest, facta mentione circumdationis mox virum circumdatum absque alio intermedio assignat: et hoc, ut ex ipsa litera detur intelligi, ista duo, scilicet, circumdationem á matre, et virilitatem in prole fuisse simultanea, idest, in eodem instanti incœpisse. Non ergo circumdatus á fœmina fuit Christus ante, quam esset vir, sed simul fuit vir, et á fœmina in loco conceptionis carnea substantia circumdatus. Vide q. 33. ar. 2. app. Item á scripturis insinuatur idem per hoc, quod dicitur Jo. 1. *Verbum caro factum est, et vidimus eum plenum gratiæ, et veritatis*. Ecce, quod quamprimum Deus verbum fit caro, est, secundum quod caro, idest, secundum humanitatem, plenum veritatis. Constat autem ex Phil. 2. de anima, quod plenitudo, idest ultima perfectio veritatis non consistit in potentia, vel habitu, sed in operatione, idest in usu potentiæ, vel habitus. Ergo verbum hominem factum fuisse tunc plenum veritatis est, ipsum habuisse usum potentiarum, et habituum ad cognitionem pertinentum, et consequenter (speciatim in subjecta materia loquendo) habuisse tunc, idest in eodem instanti, usum liberi arbitrii. Non ergo prius Verbum caro, quam ad plenum utatur libero arbitrio, sed simul Verbum caro, et ad plenum utens libero arbitrio. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Aug., quod Christus in primo instanti conceptionis meruit. A Divo Aug. quidem, ut recitatur cum applicatione *in arg. cont.* Pro cujus dicto, scilicet *non habuit omnino, quo posset proficere*, nota, quod hoc ideo fuit, quia illius anima fontali bono gratiarum omnium, scilicet Verbo, erat á primo instanti suæ conceptionis in tantum conjuncta, ut nihil supra, ut quæ esset ei substantialiter hypostatice unita. Cum ergo sanctitas nostra, omnisque perfectio, atque ejusdem profec-

tus dependeat ex hoc, quòd sumus conjuncti Deo, magisque in tali conjunctione crescimus, ut constat, et Christi anima non habuerit, quo magis conjungeretur Deo, sed semper ei conjuncta fuerit eòdem modo, scilicet, in summo, sequitur evidenter, quod ipse Christus juxta animæ meritum non habuerit omnino, quo posset proficere. Hinc ergo patet, quod sensus conclusionis fuit antonomasticus, idest, quod Christus in primo conceptionis instanti non tantum meruit, sed et perfectissime meruit. Quemadmodum etiam propter eamdem rationem intelligendæ sunt conclusiones hujus quæst. totius: puta, art. 1. quod Christus fuit tunc perfectissime sanctificatus. Item art. 2. quod tunc habuit perfectissime usum liberi arbitrii: item art. 4. quod tunc fuit perfectissime comprehensor. A scripturis vero id in principio appen. dictum insinuatur per hoc, quod dicitur Joan. 1. *Verbum caro factum est, et vidimus eum plenum gratiæ.* Cum enim plenitudo, idest, ultima perfectio rei consistat, ut habetur ex Philo. 2. *de anima* non in habitu, sed in operatione: exponendum est ly *plenum gratiæ*, idest plene operans secundum gratiam habitam: id, quod est plene, hoc est, perfectissime, mereri. Plenum autem gratiæ fuit Verbum caro mox, ut est factum caro, secundum quod contextum ipsum Evangelii considerantibus patet. Ergo quamprimum Christus fuit conceptus in utero, meritorium actum plenissime habuit. Hæc vero sic exposita confirmari etiam possunt per rationem sequentem: quæ, licet virtualiter in supradictis contineatur, tamen non inutiliter explicabit magis in hunc mundum. Anima perfecta, et prima, et secunda perfectione est perfectior quam anima perfecta tantum prima perfectione, ut ex terminis patet: sed Christo secundum animam nulla accrevit perfectio spiritualis, ut patet ex præmissis, ergo anima Christi in primo instanti quo Verbum caro factum est, fuit perfecta non tantum prima, sed etiam secunda perfectione. Quia igitur secunda perfectio est operatio, et prima est habitus, ut patet in lib. 2. de anima, oportet dicere, quod anima Christi, quandocumque habuit habitum gratiæ, habuerit et operationem ejus. Cum ergo statim, ut Verbum caro factum est, ipsum viderit Evangelista plenum habituali gratia in anima, consequens est, quod et tunc plenum ipsum viderit operatione secundum habitum gratiæ. Tunc ergo, cum tali operatione, seu actu mereamur, vidit ipsum plenum meritis. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum. quod Christus fuit ab initio conceptionis perfectissimus comprehensor. Ut per hoc, quod dicitur in Psal. 64. *Beatus, quem*, etc. secundum quod cum Gloss. et discursu ponitur *in arg, cont.* Item per hoc, quod dicitur Colos. 2. «In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei absconditi.» Et nota, quod ibi contextus dicit ly «mysterii Dei patris, et Christi Jesu,» per quod significatur incarnationis Christi mysterium ex obedientia mysteriosissima, idest, altissima. Dei patris factum, Apostolus ergo secundum planum sensum litteræ denotat ibi, quod in Christo homine sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei. Si omnes; ergo et visio clara divinæ essentiæ, atque fruitio. Quoniam scientiam grandem, atque sapientiam importat, cum talis visio dicat excelsam Dei cognitionem sapidissimam. Nam «saptentia est secundum nomen ejus.» Eccles. 7. Idest, sapientia est scientia cum sapore, idest, sapientia secundum etymologiam suam est sapida scientia. Porro visione aperta Dei quid scientificum magis, atque sapidius? Quandoquidem una hæc omnes thesauros scientiæ, et sapientiæ in unum colligit, continet, seu complectitur. Ponere ergo in Christo homine omnes thesauros sapientiæ, et scientiæ est idem, quod dicere, ipsum, secundum quod homo erat, fuisse comprehensorem. Quia vero hoc dicens Apostol. meminit de mysterio incarnationis Christi, ut supra, ideo per id connotavit, quod in tali mysterio incœperunt esse in eo isti omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei, idest, ista plenissima comprehensio. Et quia, non quomodocumque, sed tamquam effectus ipsius mysterii incœpit ut dictum est *art.* 2. 3. *Elucid.* et posita causa sufficienti ponitur effectus: ideo voluit, consideratis considerandis, per eadem verba designare Apost. quod ab instanti primo conceptionis ipsorum thesaurorum Christus fuit possessor.

Cave tamen, ne umquam dixeris ex hoc, quod anima Christi adeo Verbum comprehendit, sicut Verbum ipsum comprehendit seipsum. Hæresis enim hæc est, quod tam clare Christus, secundum quod homo, videat Deum, quantum Christum, secundum quod Deus: Ut patet ex sui damnatione supra «art. num. 68. 90. 104. 145. et Addit. art. num. 398. eum Eluc.» ubique. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA QUINTA,

### DE NATIVITATE CHRISTI, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Consequenter post Christi conceptionem agendum est de ejus nativitate. Et *primo*, quantum ad ipsam nativitatem. *Secundo*, quantum ad nativitatis manifestationem.

*Circa primum quæruntur octo.*

Primo, utrum nativitas sit naturæ, vel personæ.

Secundo, utrum Christo sit attribuenda alia nativitas præter æternam.

Tertio, utrum secundum nativitatem temporalem B. Virgo sit mater ejus.

Quarto, utrum debeat dici mater Dei.

Quinto, utrum Christus secundum duas filiationes sit filius Dei patris, et virginis matris.

Sexto de modo nativitatis.

Septimo, de loco.

Octavo, de tempore nativitatis.

### ARTICULUS I.

*Utrum nativitas sit naturæ vel personæ.*

*Quod sit naturæ.* = Videtur nativitas magis conveniat naturæ, quam personæ.

1. Naturæ divinæ convenit concipi et nasci ratione humanæ naturæ. Ergo concipi et nasci multo magis convenit ipsi humanæ naturæ.

Antec. prob., quia Aug. dicit in lib. de fid. ad Pet. c. 40. «Natura æterna, «atque divina non posset concipi, et nasci ex humana natura, nisi secundum «veritatem humanæ naturæ.»

Conseq. patet ex illa regula: propter quod unumquodque tale, et illud magis.

2. *Nomen naturæ dicitur á nascendo*; ut dicit Phil. 5. Metaph. tex. 5. Ergo nativitas magis pertinet ad naturam, quam ad personam.

Conseq. prob., quia denominationes fiunt secundum similitudinis convenientiam.

3. Ei quod per nativitatem incipit esse, convenit nasci. Sed natura humana in Christo, per nativitatem incæpit esse, non autem ejus persona. Ergo nativitas pertinet magis ad naturam, quam ad personam.

*Quod conveniat personæ.*

Dam. dicit in 3. lib. cap. 6. *Nativitas hypostasis est, non naturæ.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Nativitas potest attribui alicui dupliciter. Uno modo sicut subjecto; alio modo sicut termino; sicut subjecto attribuitur nativitas ei quod nascitur; sicut termino attribuimur ei, ad quod nativitas terminatur.

1.ª CONCLUSIO. Nativitas attribuitur sicut subjecto personæ, et non naturæ.

Prob. Ei, cui proprie competit esse, attribuitur nativitas, ut subjecto. Sed personæ et non naturæ per se et proprie competit esse. Ergo personæ et non naturæ attribuitur nativitas, ut subjecto.

Maior prob., quia nasci est quoddam generari. Unde sicut generatur aliquid ad hoc, ut sit, ita nascitur aliquid ad

hoc ut sit: unde ei quod nascitur proprie competit esse.

Minor prob., quia esse proprie est rei subsistentis: nam forma, quæ non subsistit, dicitur solum esse, quia ea aliquid est; et quia persona significatur per modum subsistentis, non autem natura; ideo esse proprie convenit personæ, et non naturæ.

2.ª Conclusio. Nativitas attribuitur naturæ sicut termino.

Prob. Ei quod significatur per modum formæ, convenit nativitas, ut termino; sed natura significatur, ut forma. Ergo naturæ convenit nativitas ut termino.

Maior prob., quia terminus cujuslibet generationis, et cujuslibet nativitatis, est forma. Et confirmatur conclusio. Quia nativitas dicitur esse via ad naturam ut patet 2. Phys. tex. 14. terminatur enim naturæ intentio ad formam, seu ad naturam speciei.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. antecedens. Ad prob. dicitur quod propter identitatem, quæ est in divinis inter naturam, et hypostasim, quandoque natura ponitur pro persona, vel hypostasi, et secundum hoc dicit Aug. loc. cit. naturam divinam esse conceptam, et natam, quia scilicet persona divina est concepta, et nata, secundum humanam naturam.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod denominatio motus, vel mutationis, non fiunt á subjecto quod movetur; sed á termino, á quo motus speciem habet; et propter hoc nativitas non denominatur á persona quæ nascitur: sed á natura ad quam nativitas terminatur.

Ad 3. Negatur minor. Natura enim proprie loquendo non incipit esse; sed magis persona incipit esse in aliqua natura. Quia sicut dictum est in corpore, natura significatur, ut quo aliquid est; persona autem significatur, ut quæ habet esse subsistens.

## ARTICULUS II.

*Utrum attribuenda sit Christo aliqua nativitas temporalis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christo non sit attribuenda aliqua temporalis nativitas.

1. Ei, qui fuit ab æterno, non est attribuenda aliqua nativitas temporalis. Sed Christus fuit ab æterno. Ergo Christo non est attribuenda aliqua nativitas temporalis.

Maior prob., quia nasci est velut quidam motus rei non existentis, antequam nascatur indigens beneficio nativitatis ut sit.

2. Illud quod est in se perfectum, nativitate non indiget. Sed persona Filii Dei fuit ab æterno perfecta. Ergo Filius Dei non indiget temporaliter nasci.

3. In Christo est tantum una persona. Ergo in Christo est tantum una nativitas, quæ est æterna; et sic non est ei attribuenda temporalis nativitas.

Conseq. prob., quia nativitas proprie personæ convenit.

4. Qui duabus nativitatibus nascitur, bis nascitur. Sed Christus non est bis natus. Ergo Christo non est attribuenda duplex nativitas.

Minor prob. Nativitas Christi, qua de patre est natus, interruptionem non patitur cum sit æterna. Ergo Christus non potest dici bis natus.

Conseq. probat., quia ad hoc adverbium, bis, requiritur interruptio; ille enim dicitur bis currere, qui cum interruptione currit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. c. 7. *Confitemur duas Christi nativitates. Unam quæ est ex parte, æternam, et unam quæ est in ultimis temporibus propter nos.*

*Determinatio.*

Conclusio. Necesse est attribuere Christo duas nativitates. Unam, qua æternaliter natus est á patre, alteram, qua temporaliter natus est á matre.

Prob. Ei, qui habet duas naturas, quarum unam accepit æternaliter, et alteram in tempore, oportet attribuere duas nativitates, unam æternam, et aliam temporalem. Sed in Christo sunt duæ naturæ, divina scilicet, et humana; quarum unam accepit ab æterno à patre, alteram accepit temporaliter á matre. Ergo necesse est attribuere Christo duas dictas nativitates.

Maior prob., quia cum natura comparetur ad nativitatem, sicut terminus ad motum, vel mutationem; et motus diversificetur secundum diversitatem terminorum, ut dicitur 5. Phys. tex. 41. necesse est ut ei, qui habet duas naturas unam ab æterno acceptam, et alteram ex tempore, attribuatur nativitas æterna et temporalis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod hæc fuit objectio cujusdam Feliciani hæretici, quam Aug. in lib. contra Felic. cap. 12. sic solvit. Fingamus, inquit, sicut plerique volunt, esse in mundo animam generalem, quæ sic ineffabili modo semina cuncta vivificet, ut non sit concreta cum genitis. Nempe cum hæc in utero passibilem materiam ad usus suos formatura pervenerit, unam facit esse personam ejus rei, quæ non eamdem constat habere substantiam: et sic, operante anima, et patiente materia ex duabus substantiis unus homo, sicque animam nasci fatemur ex utero, non quia antequam nasceretur (quantum ad se attinet) ipsa penitus non fuisset. Sic ergo, immo sublimius natus est de matre filius Dei secundum hominem, eo pacto, quo cum corpore nasci docetur et animus; non quia utriusque sit una substantia, sed quia ex utraque sit una persona. Non tamen ab initio carnis incæpisse dicimus Dei filium, ne temporalem credat aliquis deitatem: non ab æterno filii Dei novimus carnem, ne non veritatem humani corporis, sed quamdam eum suscepisse putemus imaginem. Hæc Aug. Ex quibus ad formam argumenti dicitur negando maiorem: potest enim ab æterno aliquid esse, et ei competere nativitas in carne. Ad prob. dicitur quod non omne quod nascitur, necesse est quod incipiat esse taliter quod prius nullo modo fuerit; sed sufficit, ut per nativitatem incipiat esse in natura, quæ prius non erat. Si enim humana anima fuisset ab initio mundi creata, cum postea infunderetur corpori, nasceretur anima simul cum corpore, et tamen anima per nativitatem non acquisivisset esse simpliciter, sed nasci diceretur, quatenus fuisset in corpore.

Ad 2. Dicitur quod hæc fuit ratio Nestorii, quam solvit Cyrillus in Epist. ad Nest. dicens, non dicimus quod filius Dei indiguerit necessario propter se secunda nativitate, post eam quæ ex patre est: est enim fatuum, et indoctum, existentem ante omnia sæcula, et consempiternum patri dicere indigere initio, ut sit secundo. Quoniam autem propter nos et propter nostram salutem, uniens sibi secundum subsistentiam quod est humanum, processit ex muliere; ob hoc dicitur nasci carnaliter. Hæc Cyrillus. Ex quibus ad formam dicitur ad maiorem, quod illud quod est perfectum non indiget nativitate, potest tamen nasci; vel non indiget nativitate, ut sit; sed indiget nativitate, ut sit in natura, in qua nascitur.

Ad 3 Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod nativitas convenit personæ, ut subjecto; naturæ autem, ut termino, ut art. præced. dictum est. Possibile est autem uni subjecto plures transmutationes inesse, quas tamen necesse est variari secundum terminos: quod non dicimus quasi æterna nativitas sit transmutatio, aut motus, sed quia significatur per modum mutationis, aut motus.

Ad 4. Negatur minor. Potest enim Christus dici bis natus secundum duas nativitates. Sicut enim dicitur bis currere, qui currit duobus temporibus, ita

potest dici bis nasci, qui semel nascitur in æternitate, et semel in tempore, quia æternitas, et tempus multo magis differunt, quam duo tempora, cum tamen utrumque designet mensuram durationis. Ad prob. igitur negatur conseq. Ad prob. dicitur quod ad hoc ut filius Dei dicatur bis nasci, non requiritur interruptio æternæ nativitatis; sed sufficit quod natus fuerit etiam in tempore.

## ARTICULUS III.

*Utrum Beata Virgo possit dici mater Christi secundum ejus temporalem nativitatem.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod secundum temporalem nativitatem Christi Beata Virgo non possit dici mater Christi.

1. Ministrans solam materiam in conceptione Christi non potest dici mater ejus. Sed beata Virgo Maria, nihil active in generatione Christi operata est, sed solam materiam ministravit, ut dictum est quæst. 32. art. 4. Ergo videtur quod Beata Virgo non possit dici mater Christi.

Maior prob., quia ministratio solius materiæ non videtur sufficere ad rationem matris, alioquin lignum diceretur esse mater lecti aut scamni.

2. Illa ex qua quis nascitur miraculose, non potest dici mater ejus qui ex ea nascitur. Sed Christus miraculose ex Beata Virgine est natus. Ergo non videtur quod Christus possit dici filius B. Virginis.

Maior prob., quia miraculosa generatio non sufficit ad rationem maternitatis vel filiationis: non enim dicimus Evam fuisse filiam Adæ, ex quo fuit mirabiliter formata.

3. Ex ea quæ dicitur mater, facta est decisio seminis. Sed ex B. Virgine, in conceptione Christi, non est facta decisio seminis. Ergo Beata Virgo non debet dici mater Christi.

Maior prob., quia ad matrem pertinere videtur decisio seminis.

Minor prob., quia Dam. dicit in 3. lib. c. 2. Corpus Christi non seminaliter sed conditive á Spiritu Sancto formatum est.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 1. dicitur: « Christi generatio « sic erat; cum esset desponsata Mater « Jesu Maria Joseph. » Maria igitur est Mater Jesu Christi; qui ex ea natus est. »

*Determinatio.*

Conclusio. Beata Virgo est vera, et naturalis mater Christi.

Prob. Illa, ex qua corpus Christi fuit formatum, est vera, et naturalis mater Christi. Sed ex Beatæ Virginis purissimis sanguinibus corpus Christi fuit formatum. Ergo Beata Virgo est vera, et naturalis Christi mater.

Maior prob., quia hoc solum requiritur ad rationem matris, ut patet ex dictis quæst. 31. art. 5.

Minor prob., quia, ut dictum est quæst. 5. articulo 2. corpus Christi non est de cœlo allatum, sicut Valentinus hæreticus posuit; sed de virgine matre sumptum et ex purissimis ejus sanguinibus formatum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod sicut dictum est supra q. 32. art. 3. paternitas, sive maternitas, et filiatio non competunt cuicumque generationi; sed inveniuntur in sola generatione viventium, et ideo si aliqua inanimata ex aliqua materia fiant, non propter hoc consequitur in eis relatio maternitatis et filiationis, sed solum in generatione viventium, quæ proprie nativitas dicitur, et propter hoc lignum non dicitur pater scamni, quia, inquam, hæc viventia non sunt.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod illa, ex qua quis nascitur omnino miraculose, ita ut in tali nativitate nihil sit secundum naturam, non est mater ejus qui nascitur, sicut fuit formatio Evæ ex costa Adæ. Si autem in tali nativitate sit ali-

quid naturale ex parte ejus, ex qua quis nascitur, illa ex qua nascitur, dicitur mater ejus, qui ex ea nascitur. Tunc ad minorem dicitur, quod sicut dicit Dam. in 3. lib. cap. 7. nativitas temporalis, qua Christus est natus propter nostram salutatem, est quodammodo secundum nos, quoniam natus est homo ex muliere, et tempore conceptionis debito, super nos autem quoniam non ex semine, sed ex Spiritu Sancto, et sancta virgine supra legem conceptionis; sic igitur nativitas illa ex parte operationis Spiritus Sancti fuit miraculosa; ex parte vero matris fuit naturalis, propter quod Beata Virgo est vera, et naturalis mater Jesu Christi.

Ad 3. Negatur maior: nam resolutio seminis fœminæ non pertinet ad necessitatem conceptus, ut dictum est quæst. 31. art. 4. Et ideo resolutio seminis non ex necessitate requiritur ad matrem.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum Beata Virgo debeat dici mater Dei.*

*Pro negativa.* ═Videtur, quod Beata Virgo non debeat dici mater Dei.

1. In Sacra Scriptura numquam legitur quod Beata Virgo sit mater, aut genitrix Dei. Ergo non est dicendum quod Beata Virgo sit mater Dei.

Conseq. prob., quia circa divina mysteria non est dicendum nisi quod ex Sacra Scriptura habetur.

2. Divina natura non accepit principium essendi ex Virgine. Ergo Beata Virgo non debet dici mater Dei.

Conseq. prob., quia Christus dicitur Deus secundum divinam naturam.

3. Si Beata Virgo est mater Dei, videtur sequi quod Beata Virgo sit mater Patris, Filii, et Spiritus Sancti; quod est inconveniens. Ergo Beata Virgo non debet dici mater Dei.

Conseq. prob., quia hoc nomen, Deus communiter prædicatur de Patre, Filio, et Spiritu Sancto.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In capitulis Cyrilli approbatis in Ephesina Synodo Can. 1. legitur: *Si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem, Emmanuel, et propter hoc Dei genitricem sanctam virginem: genuit enim carnaliter carnem factum Dei verbum, Anathema sit.*

*Determinatio.*

Conclusio. Beata Virgo vere dicitur mater Dei.

Prob. Illa, quæ concepit, et genuit Deum, vere potest, et debet dici mater Dei. Sed Beata Virgo concepit, et genuit Deum. Ergo Beata Virgo vere dicitur mater Dei.

Maior prob., quia ex hoc dicitur aliqua mulier alicujus mater quod eum concepit, et genuit.

Minor prob. B. Virgo concepit, et genuit verbum Dei. Ergo Beata Virgo concepit, et genuit Deum.

Antecedens hoc patet, quia in ipso principio conceptionis humana natura fuit assumpta á divina persona, ut dictum est quæst. 32. art. 3. Et cum concipi conveniat personæ, vel hypostasi, secundum naturam illam, in qua concipitur, consequens est quod verbum Dei dicatur conceptum ex virgine.

Consequentia vero manifestatur, quia nomen Dei potest supponere pro persona verbi, etiam ut natura humana subsistit. Pro quo est considerandum quod omne nomen significans in concreto naturam aliquam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturæ, ut dictum est q. 16. art. 1. Sicut hoc nomen, homo, quod significat naturam humanam in concreto, potest supponere pro qualibet humana persona. Unde potest dici quod homo currit, et homo legit, quia Socrates currit, et Plato legit. Et quia hoc nomen, Deus, significat naturam divinam in concreto, potest supponere pro qualibet divina persona. Unde potest dici Deus generat, generatur, spirat, spiratur, creat

gubernat, et his similia. Cum autem unio incarnationis sit facta in persona, ut q. 2. art. 2. et 3. dictum est, manifestum est quod hoc nomen, Deus, potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam, et divinam. Et ideo quidquid convenit naturæ divinæ, vel humanæ, potest attribui illi personæ, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans divinam naturam; sive secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Potest igitur dici, quod homo ille est conceptus, et quod persona divina in humana natura sit concepta, et sic potest dici quod Deus sit conceptus, quia scilicet divina persona, pro qua supponit nomen Dei in humana natura, est concepta. Ex hoc igitur quod B. Virgo, concepit, et genuit verbum Dei in humana natura assumpta, evidenter sequitur quod genuerit Deum et per hoc vere sit Dei mater.

Et confirmatur conclusio, quia sic solum posset negari Beatam Virginem esse matrem Dei, si, vel humanitas prius fuisset subjecta conceptioni, et nativitati, quam homo ille fuisset Filius Dei, sicut Photinus posuit, vel humanitas non fuisset assumpta in unitatem personæ, vel hypostasis verbi Dei, sicut posuit Nestorius, quorum utrumque est erroneum. Unde hæreticum est negare Beatam Virginem esse matrem Dei.

### AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod hæc fuit objectio Nestorii, quæ quidem solvitur ex hoc quod licet non inveniatur expresse in scriptura dictum quod Beata Virgo sit mater Dei, invenitur tamen expresse in scriptura quod Jesus Christus est verus Filius Dei, ut patet 1. Jo. ult. et quod Beata Virgo est mater Jesu Christi, Matt. 1. Unde sequitur ex necessitate, ex verbis scripturæ quod sit mater Dei. Ad formam igitur dicitur ad antecedens, quod etsi in Sacra Scriptura non inveniatur expresse quod Beata Virgo sit mater Dei, tamen ex verbis scripturæ sequitur necessario quod sit mater Dei.

Dicitur secundo negando ipsum antecedens: invenitur enim in scriptura hoc expresse. Dicitur enim Rom. 9. quod ex Judæis est secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Non est autem Christus ex Judæis, nisi mediante Beata Virgine. Unde ille, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, est vere natus ex Beata Virgine, sicut ex sua matre.

Ad 2. Dicitur, quod illa est objectio Nestorii; sed Cyrillus in quadam Epistola contra Nestorium, eam solvit, sic dicens. Sicut hominis anima cum proprio corpore nascitur, et tamquam unum reputatur, et si voluerit quispiam dicere, quod est genitrix carnis, non tamen est animæ genitrix: nimis superflue loquitur. Tale aliquid gestum percipimus in generatione Christi. Natum est enim ex Dei Patris substantia Dei verbum, quia vero carnem assumpsit, necessarium est confiteri quod natum est secundum carnem ex muliere. Dicendum est ergo quod Beata Virgo dicitur mater Dei non quia sit mater divinitatis; sed quia est mater personæ habentis divinitatem, et humanitatem, secundum humanitatem. Unde ad formam, negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod Christus dicitur Deus secundum divinitatem; sed tamen dicitur natus temporaliter secundum humanitatem, secundum quam est virginis filius.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis hoc nomen Deus, sit commune tribus divinis personis, tamen potest supponere aliquando pro una sola persona. Unde quandoque supponit pro sola persona Patris, ut cum dicimus Deus generat, quandoque pro sola persona filii, ut cum dicimus, Deus generatur, vel est de virgine natus, et quandoque pro persona Spiritus Sancti, ut cum dicimus: Deus est spiratus, ut plenius dictum est. 1. par. q. 39. art. 7. et ita cum dicitur, Beata Virgo est mater Dei,

hoc nomen, Deus, supponit pro sola persona filii incarnata.

## ARTICULUS V.

*Utrum in Christo sint duæ filiationes.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod in Christo sint duæ filiationes.

1. In eo, in quo sunt duæ nativitates, sunt duæ filiationes. Sed in Christo sunt duæ nativitates, ut dictum est artic. 2. Ergo in Christo sunt duæ filiationes.

Maior prob., quia nativitas est causa filiationis.

2. Christus non est filius matris filiatione æterna. Ergo Christus, aut nullo modo est filius matris, quod est contra prædicta, art. 4. aut oportet quod sit filius ejus, quadam alia filiatione temporali et ita erunt in Christo duæ filiationes.

Antecedens prob. Filiatio æterna, qua Christus est Filius Dei Patris, non dependet á matre, quia nullum æternum dependet á temporali. Ergo Christus non est filius matris filiatione æterna.

Conseq. hæc prob., quia filiatio, qua quis dicitur filius alicujus, ut matris, vel patris, dependet aliqualiter ab ipso patre, vel matre. Quia esse relationis est ad aliud aliqualiter se habere. Unde et interempto uno relativorum, interimitur et aliud.

3. In eo, qui dicitur filius patris æterni, et matris temporalis, sunt duæ filiationes. Sed Christus dicitur filius patris æterni, et matris temporalis. Ergo in Christo sunt duæ filiationes.

Maior prob. Eadem relatio non potest terminari ad extrema omnino diversa. Sed pater æternus, et mater temporalis, sunt extrema omnino diversa. Ergo eadem relatio filiationis non potest terminari ad Patrem æternum, et ad matrem temporalem.

Maior hujus prob., quia cum unum relativorum ponatur in diffinione alterius, unum relativorum, ex altero specificatur; unum autem, et idem non potest esse in diversis speciebus; ac per hoc una relatio non potest habere terminos omnino diversos. Unde ille, qui est filius patris æterni, et matris temporalis, non una, sed duabus relationibus ad patrem, et matrem refertur.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ea quæ pertinent ad personam in Christo, non multiplicantur: sed filiatio maxime pertinet ad personam. Ergo in Christo est una tantum filiatio.

Maior prob., quia Dam. dicit lib. 3. Ortod. fid. cap. 1. *Ea, quæ sunt naturæ multiplicantur in Christo, non autem ea, quæ sunt personæ.*

Minor prob., quia relatio filiationis est proprietas personalis, ut patet ex his, quæ 1. par. q. 40. art. 2. dicta sunt.

*Determinatio.*

*Diversorum opiniones.*

Quidam attendentes causam filiationis, quæ est nativitas, sicut sunt duæ Christi nativitates, ponunt duas Christi filiationes, scilicet æternam, qua sit filius Patris; et temporalem, qua sit filius matris. Alii vero attendentes filiationis subjectum quod est persona, vel hypostasis, ponunt in Christo unam filiationem, sicut in eo est una hypostasis. Ratio primæ opinionis est primum argumentum inductum pro affirmativa. Ratio vero secundæ est argumentum allatum pro negativa.

*Vera sententia.*

1.ª CONCLUSIO. In Christo sunt duæ filiationes, una temporalis, et altera æterna. Prob. In eo, in quo sunt duæ causæ filiationum diversæ secundum speciem, sunt duæ filiationes. Sed in Christo sunt duæ causæ filiationum diversæ secundum speciem, scilicet nativitas æterna, qua natus est ex patre, et nativitas temporalis, qua natus est ex matre. Ergo in Christo sunt duæ filiationes; una, qua est filius æterni patris, et altera, qua est filius matris in tempore.

Maior manifestatur. Pro quo est considerandum quod ad relationem tria con-

currunt, scilicet subjectum, causa, et terminus. Sicut in relatione paternitatis invenitur causa, quæ est nativitas filii ex patre; subjectum quod est persona patris: et terminus, qui est filius, ad quem pater tamquam ad terminum paternitate refertur. Cum igitur hæc tria concurrant ad ipsam relationem, videndum est penes quid horum attendatur pluralitas relationis, ut ex causa pluralitatis relationis possimus arguere pluralitatem relationum in aliquo. Dicitur ergo primo quod unitas, vel pluralitas relationis non attenditur secundum terminos: si enim pluralitas relationis attenderetur secundum terminos, sequeretur quod quilibet homo haberet in se duas filiationes, unam, qua referretur ad patrem, et alteram qua referretur ad matrem: quod tamen est falsum: nam recte consideranti apparet eadem relatione referri unumquemque ad suum patrem, et matrem propter unitatem causæ, quæ est nativitas: eadem enim nativitate homo nascitur ex patre, et matre, unde eadem relatione ad utrumque refertur. Pluralitas igitur relationis desumitur á causa relationis. Unde magister, qui eamdem doctrinam docet multos discipulos, et dominus, qui eadem potestate gubernat diversos servos, eadem relatione ad ipsos (respective) referuntur. Si vero sint causæ differentes secundum speciem, ex consequenti videntur relationes ipsæ, specie differre; quæ tamen possunt esse in eodem subjecto. Sicut si aliquis est aliquorum magister in grammatica, et aliorum in logica, alia est ratio magisterii utriusque; et ideo unus, et idem homo, relationibus diversis, potest esse magister, vel diversorum, vel eorumdem secundum diversas doctrinas, quas docet. Contingit tamen quandoque quod aliquis habet relationem ad plures secundum diversas causas, ejusdem tamen speciei: sicut cum aliquis est pater diversorum filiorum secundum diversos generationis actus, unde paternitas non potest specie differre, cum actus generationum sint iidem specie. Et quia plures formæ ejusdem speciei non possunt inesse eidem subjecto, non est possibile quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum, generatione naturali. Secus autem esset, si esset pater unius, generatione naturali, et alterius per adoptionem: tunc enim duabus relationibus referretur ad filium naturalem, et adoptivum; quia causæ relationis essent secundum speciem diversæ. Ex quibus omnibus patet, quod pluralitas relationum non desumitur ex subjecto, nec ex termino, sed ex causa. In eo ergo, in quo sunt duæ causæ diversæ secundum speciem duarum filiationum, sunt duæ filiationes, quia scilicet pluralitas filiationum, quæ sunt relationes, ex pluralitate causarum desumitur. Et sic patet maior, quæ erat probanda.

Minor vero patet: manifestum est enim quod nativitas, qua Christus ex patre nascitur ab æterno, est diversa secundum speciem á nativitate temporali, qua ex matre est ortus.

2.ª Conclusio. Filiatio, qua Christus refertur ad matrem, non potest esse realis relatio; sed secundum rationem.

Prob. Relatio, quæ est in Deo ex tempore, non est realis, sed rationis. Sed filiatio, qua Christus refertur ad matrem, est relatio adveniens Deo ex tempore. Ergo filiatio, qua Christus refertur ad matrem, non est relatio realis; sed rationis.

Maior prob., quia relatio, quæ ex tempore de Deo dicitur, non ponit in ipso Deo æterno aliquid secundum rem; sed secundum rationem tantum, ut dictum est prima parte quæst. 13. art. 7.

Minor probatur. Nam subjectum filiationis, non est natura aut pars naturæ; sed solum persona, vel hypostasis, in Christo autem non est persona nisi æterna: unde filiationis relatio est in persona divina; et sic relatio, qua Christus refertur ad matrem, advenit Deo,

scilicet divinæ personæ, cui, ut dictum est, non potest aliqua realis relatio ex tempore advenire.

*Prædictarum opinionum concordia.*

Et sic dicitur. Quantum ad aliquid, utraque opinio inducta in principio, verum dicit. Nam si attendimus ad perfectam rationem filiationis, oportet dicere in Christo esse duas filiationes secundum dualitatem nativitatum: si autem attendimus ad subjectum filiationis quod in Christo non potest esse, nisi suppositum æternum, non potest in Christo realiter esse, nisi filiatio æterna. Dicitur tamen relative filius ad matrem relatione rationis, quæ cointelligitur relationi reali maternitatis ad Christum. Sicut etiam Deus dicitur Dominus relatione rationis, quæ cointelligitur reali rationi, qua creatura subjicitur Deo. Et quamvis relatio domini non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter Dominus, ex reali subjectione creaturæ ad ipsum. Sic etiam Christus dicitur realiter filius virginis matris, ex relatione reali maternitatis ad Christum.

Sunt igitur in Christo duæ relationes filiationis, una realis, qua refertur ad patrem, et altera rationis qua refertur ad matrem. Et dicitur Christus realiter filius patris ex reali filiatione in ipso existente, filius autem matris dicitur, non ex reali relatione in ipso existente; sed ex reali relatione maternitatis, cui cointelligitur relatio rationis filii Dei ad ipsam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Jam dictum est quod probat primam conclusionem, scilicet quod in Christo sint duæ filiationes; sed in quantum potest tangere secundam conclusionem, scilicet, ut potest probare quod in Christo sint duæ reales filiationes, sicut in eo sunt duæ nativitates, respondetur quod maior est vera de eo, in quo subjectum est capax duplicis realis filiationis; non autem est vera de Christo, in quo non est subjectum capax filiationis realis temporalis. Ad probationem dicitur, quod nativitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem si esset ibi subjectum capax hujusmodi filiationis: hoc autem esse non potest, quia in Christo non est nisi suppositum æternum quod non potest esse susceptivum filiationis, quæ sit realis relatio temporalis, ut in corpore dictum est. Nec potest dici quod suppositum æternum Verbi, sit susceptivum filiationis temporalis realis, sicut est susceptivum realis temporalis nativitatis, quia natura nullo modo est subjecta filiationi, sicut est subjecta aliqualiter nativitati: Aethiops enim dicitur albus ratione dentium, quia subest albedini secundum dentes, natura autem nullo modo potest esse subjectum filiationis, quia filiatio directe respicit personam. Dicitur ergo filius Dei realiter temporaliter natus, quia natura humana assumpta nativitati aliquo modo subjicitur, ut art. 1. dictum est. Non autem dicitur filius relatione reali temporali in ipso existente, quia persona filii Dei relationem realem ex tempore non recipit.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur quod filiatio æterna non dependet quidem á matre temporali; sed huic filiationi æternæ cointelligitur quidam respectus temporalis, dependens á matre secundum quem Christus dicitur filius matris.

Ad 3. Negatur maior, loquendo de filiationibus quæ sunt reales relationes: de quibus in proposito loquimur. Ad maiorem probationis, et ad ejusdem probationem dicitur quod unum, et ens se consequuntur, ut dicitur 4. Met. tex. 3. et ideo sicut contingit quod in uno extremorum relatio sit quoddam ens; in alio autem non sit ens; sed ratio tantum; sicut de scibili, et scientia dicitur 5. Met. tex. 20. Ita contingit quod ex parte unius extremi est una relatio, ex parte autem alterius extremi sint multæ relationes; sicut in hominibus, ex parte parentum invenitur duplex relatio, una

paternitatis, et alia maternitatis, quæ sunt specie differentes propter hoc quod alia ratione pater, et alia ratione mater sunt generationis principium; ex parte autem prolis est una sola filiatio; secundum rem: sed duplex secundum rationem, in quantum correspondet utrique relationi parentum, secundum duos respectus intellectus, et sic etiam in Christo quantum ad aliquid est una tantum filiatio realis, quæ respicit patrem æternum, est tamen ibi alius respectus temporalis, qui respicit matrem temporalem.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum Christus fuerit natus sine dolore matris.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod Christus non fuerit natus sine dolore matris.

1. Christus subire voluit mortem. Ergo pari ratione ejus partus debuit esse cum dolore.

Conseq. prob. Quia sicut mors hominum subsecuta est ex peccato primorum parentum (secundum illud Gen. 2. *quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini*) ita etiam dolor partus secundum illud Gen. 3. *In dolore paries filios.*

2. Finis vitæ Christi fuit cum dolore, secundum illud Isaiæ 53. *Vere dolores nostros ipse tulit.* Ergo videtur quod etiam in sua nativitate fuerit dolor partus.

Conseq. prob., quia finis proportionatur principio.

3. Ad Christi nativitatem obstetrices occurrerunt, ut legitur in lib. de ortu Salvatoris. Ergo Beata Virgo peperit cum dolore.

Conseq. prob., quia obstetrices videntur esse necessariæ parienti propter dolorem.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. in Serm. 14. de Nativit. Virginem matrem alloquens dicit: « Nec in « conceptione inventa es sine pudore, « nec in partu inventa es cum dolore. »

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Christus natus est sine dolore matris.

Prob. Partus, in quo nulla facta fuit violentia aperitionis meatuum, fuit sine dolore matris parientis. Sed in partu Virginis matris nulla facta fuit violentia aperitionis meatuum. Ergo Christus natus est sine dolore Matris.

Maior prob., quia dolor parientis causatur ex aperitione meatuum, per quos proles egreditur.

Minor prob., quia Christus egressus est ex clauso utero matris, ut dictum est supra q. 28. art. 2.

Et confirmatur concl., quia in partu illo nulla fuit corruptio.

2.ª Conclussio. In illo partu fuit maxima matris jocunditas.

Prob. Primo. Quia in illo partu natus est Deus homo in mundum.

Secundo, quia Isaias c. 35. loquens de partu Virginis matris dicit: « Germinans germinabit sicut lilium, et « exultabit lætabunda, et laudans. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod dolor partus consequitur in muliere commixtionem virilem. Unde Gen. 3. postquam dictum est *in dolore paries filios*; subditur, et sub viri potestate eris. Sed sicut dicit August. in Serm. de assumptione Beatæ Mariæ Virginis cap. 13. « ab hac sententia excipitur Virgo Mater Dei, quæ quia sine « peccati colluvione, et sine virilis admixtionis detrimento Christum susce« pit sine dolore genuit et sine integri« tatis violatione, pudore virginitatis in« tegro, permansit. » Sententiam autem mortis Christus subire voluit, ut pro nobis satisfaceret non quasi ex necessitate illius sententiæ, cum ipse mortis debi-

tor non esset, sicut nec peccato obnoxius sed propria voluntate.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de doloroso partu, et de morte. Christus enim, sicut sua morte mortem nostram destruxit, ita suo dolore nos á doloribus liberavit, et propter hoc cum dolore mori voluit. Dolores autem partus non pertinebant ad Christum; sed ad matrem parientem, et ideo non oportebat quod ejus mater cum dolore pareret. Ad prob. quod non est necessarium ut in omnibus finis principio semper respondeat.

Ad 3. Negatur antecedens. Nam Lucæ 2. dicitur quod Beata Virgo, puerum, quem pepererat, pannis involvit, et posuit in præsepio, quæ obstetrices fecissent, si adfuissent. Unde Hierony. dicit contra Helvidium. Epist. 1. « Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum « sedulitas intercessit, et mater, et obstetrix fuit: Pannis, inquit, involvit infantem, et posuit in præsepio. Ad probationem dicitur, quod liber ille est apochryphus, et ejus narratio, ex evangelica dicta narratione, et ex Hieronymi sententia ostenditur falsa, et convincitur esse deliramentum.

## ARTICULUS VII.

### *Utrum Christus debuerit in Bethleem nasci.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit in Bethleem nasci.

1. *Lex, et verbum Domini de Hierusalem exire debebant*, ut dicitur Isaiæ 2. Sed Christus est vere Verbum Dei. Ergo Christus debebat prodire in mundum de Hierusalem, et non de Bethleem.

2. Christus vocandus erat Nazarenus. Ergo Christus debebat nasci in Nazareth, ubi conceptus fuit, et nutritus.

Antecedens prob. Quia Matth. 2. dicitur, scriptum esse de Christo, quod *Nazarenus vocabitur*, quod sumitur ex eo quod dicitur Isaiæ 11. *flos de radice ejus ascendet*; Nazareth enim flos interpretatur.

Consequentia prob., quia maxime aliquis denominatur á loco suæ nativitatis.

3. Dominus natus est in mundo ad hoc, ut veritatis fidem annunciaret, secundum illud Jo. 18, "In hoc natus "sum, et in hoc veni in mundum, ut tes- "timonium perhibeam veritati. » Ergo videtur quod non debuerit in Bethleem nasci.

Conseq. prob. Quia hoc facilius fieri potuisset, si natus fuisset in civitate Romana quæ tunc dominatum orbis habebat. Unde et Paulus romanis scribens dicit Rom. 1. *Fides vestra annunciatur in universo mundo.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Micheæ 5. "Et tu Bethleem "Ephrata, parvulus es in millibus Juda, "ex te mihi egredietur, qui sit domi- "nator in Israel. »

*Determinatio.*

Conclusio. Christus convenienter in Bethleem natus est.

Probat. Duplici ratione. Prima; quia *Christus factus est ex semine David secundum carnem*, ut dicitur Rom. 1. Cui etiam facta fuerat repromissio specialis de Christo secundum illud 2. Reg. 23. *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob*, et ideo in Bethleem, de qua natus fuit David, nasci voluit, ut ex ipso loco nativitatis promissio ei facta, impleta ostenderetur. Et hoc designat evangelista dicens, *eo quod esset de domo, et familia David.*

Secunda, quia, ut Greg. dicit hom. 8. in Evang. « Bethleem domus panis in- « terpretatur; ipse autem Christus est, « qui ait: ego sum panis vivus, qui de « cœlo descendi. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod sicut David in Bethleem natus est, ita elegit Hierusalem, ut in ea sedem regni constitueret,

et templum Dei ibi ædificaret, et sic Hierusalem elegit, ut esset simul civitas regalis, et sacerdotalis: sacerdotium autem Christi, et ejus regnum, præcipue consummatum est in ejus passione, et ideo convenienter Bethleem elegit nativitati, Hierusalem vero passioni. Similiter etiam per hoc hominum gloriam confutavit, qui gloriantur de hoc quod de civitatibus nobilibus originem ducunt in quibus etiam præcipue volunt honorari. Christus autem é converso, in civitate ignobili nasci voluit, et in civitate nobili pati voluit opprobrium. Ad formam igitur dicitur ad maiorem, quod Verbum Domini debebat exire de Hierusalem, non per nativitatem; sed per passionem Christi.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod Christus florere voluit secundum virtuosam conversationem, non secundum carnis originem, et ideo in civitate Nazareth educari voluit, et nutriri; in Bethleem autem voluit peregre nasci. Quia ut Greg. dicit Hom. 8. « Per humanitatem, quam assumpse-« rat, quasi in alieno nascebatur, non « secundum potestatem; sed secundum « naturam. » Et etiam (ut Beda dicit in cap. 2. Lucæ) « in diversorio loco ege-« bat, ut nobis in domo patris sui multas « mansiones præpararet. » Non debuit igitur Christus denominari á civitate Bethleem, in qua quasi peregre est natus; sed à Nazareth, in qua fuit conceptus, et nutritus, ut sic ostenderetur ejus florida conversatio.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut dicitur in quodam, Serm. Ephes. conc. « Si maximam Ro-« mam elegisset civitatem, propter po-« tentiam civium, mutationem orbis ter-« rarum putarent. Si filius fuisset impe-« peratoris, potestati utilitatem ascribe-« rent, sed ut divinitas cognosceretur or-« bem transformasse terrarum, pauper-« culam elegit matrem, et patriam pau-« periorem. Elegit autem Deus infirma « mundi, ut confundat fortia, » sicut dicitur 1. Cor. 1. Et ideo ut suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quæ caput mundi erat, etiam caput Ecclesiæ suæ statuit in signum perfectæ victoriæ, ut exinde fides derivaretur ad universum mundum, secundum illud Isaiæ 26. *Civitatem sublimem humiliabit, et conculcabit eam pes pauperis*, scilicet Christi, *gressus egenorum*, idest Apostolorum Petri, et Pauli. Ad formam igitur probationis, negatur assumptum: fuit enim tam facile Christo manifestare veritatem mundo, nascendo in Bethleem sicut si natus fuisset in Romana civitate: sed in paupere civitate nasci voluit, et ex paupere matre, ut mundi conversio, non humanæ potentiæ, sed divinæ tribueretur potestati.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum Christus fuerit tempore congruo natus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fuerit congruo tempore natus.

1. Christus natus est tempore servitutis, quo scilicet totus orbis præcepto Augusti describitur, quasi tributarius factus, ut dicitur Lucæ 2. Ergo Christus non fuit natus congruo tempore.

Conseq. prob., quia Christus venerat ad hoc, ut suos in libertatem revocaret. Unde debuit nasci tempore libertatis, et non tempore servitutis.

2. Christus natus est tempore quo rex alienigena dominabatur, sicut patet Matth. c. 2. *Cum natus esset Jesus in diebus Herodis regis.* Ergo Christus non fuit congruo tempore natus.

Consequentia prob., quia promissiones de Christo nascituro, gentibus non fuerant factæ, ut dicitur Rom. 9.

3. Christus non est natus in æstate, quando dies sunt longiores, sed in hyeme, quando dies sunt brevissimi, scilicet 8. Kal. Jan. Ergo Christus non est congruo tempore natus.

Conseq. prob., quia tempus præsentiæ Christi in mundo comparatur diei

propter id quod ipse est lux mundi, et Jo. 9. dicitur. «Me oportet operari ope- «ra ejus, qui misit me, donec dies «est.» Ergo debuit nasci, quando dies sunt longiores.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Gal. 4. dicitur «Cum venit plenitudo «temporis, misit Deus filium suum, fac- «tum ex muliere, factum sub lege.»

*Determinatio.*

Conclusio. Christus convenientissimo tempore est natus.

Prob. Christus tamquam dominus, et conditor omnium temporum elegit sibi tempus, in quo nasceretur, sicut elegit sibi matrem, et locum. Ergo Christus convenientissimo tempore est natus.

Anteced. prob., quia hæc est differentia inter Christum, et alios homines, quod alii homines nascuntur subjecti necessitati temporis, non autem Christus temporum dominus, et conditor.

Conseq. prob., quia ea, quæ á Deo sunt, ordinata sunt, et convenienter disposita.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod Christus venerat nos in statum libertatis reducere de statu servitutis. Et ideo sicut mortalitatem nostram suscepit, ut nos ad vitam reduceret, ita eo tempore, ut Beda dicit in 2. «hic dignatus est incarnari, quo mox na- «tus censui Cæsaris ascriberetur, atque «ob nostri liberationem ipse servitio sub- «deretur.» Dicitur etiam quod quia tempore illo, quo totus orbis sub uno principe vivebat, maxima pax fuit in mundo, decebat ut illo tempore Christus nasceretur, qui est pax nostra faciens utraque unum, ut dicitur ad Ephes. 2. Unde Hierony. super illud Isaiæ 2. «Non levabit gens contra gentem,» etc. dicit: «Veteres revolvamus historias et «inveniemus usque ad vigesimum octa- «vum annum Cæsaris Augusti in toto or- «be terrarum fuisse discordiam; orto «autem domino, universa bella cessave- «verunt,» secundum illud Isaiæ 2. «Non «levabit gens contra gentem gladium.»

Congruebat etiam, ut in illo tempore, quo unus princeps dominabatur in mundo, Christus nasceretur, qui venerat congregare suos in unum, ut esset unum ovile, et unus pastor, ut dicitur Jo. 10.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod ideo Christus regis alienigenæ tempore nasci voluit, ut impleretur prophetia Jacob dicentis Gen. 49. «Non auferetur «sceptrum de Juda, et dux de femore «ejus, donec veniat, qui mittendus est.» Quia ut Chrysost. dicit Hom. 2. in Matth. «Quamdiu Judaica gens sub Judaicis re- «gibus, quamvis peccatoribus tenebatur, «Prophetæ mittebantur ad remedium «ejus. Nunc autem quando lex Dei sub «potestate regis iniqui tenebatur, nasci- «tur Christus; quia magna, et despera- «bilis infirmitas, medicum artificiosio- «rem quærebat.» Ad formam igitur negatur consequentia, fuit enim congruum tempus, ut nasceretur illo tempore, quo rex alienigena Judæis dominabatur. Ad prob. dicitur: etsi dominaretur rex alienigena, tamen Christus ad Judæos, quibus factæ fuerant promissiones venit.

Ad 3. Dicitur ad antecedens. Quod Christus nasci voluit, quando lux diei incrementum incipit accipere, ut ostenderetur quod ipse venerat, ut homines crescerent in divinam lucem, secundum illud Lucæ 1. «Illuminare his, qui in te- «nebris, et in umbra mortis sedent.» Similiter etiam asperitatem hyemis elegit ad nativitatem, ut ex tunc carnis afflictionem pateretur pro nobis. Ad formam igitur negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod quia Christi præsentia diei comparatur: sufficit quod natus fuerit, quando dies incrementum incipiunt accipere.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

### EX PRÆCED. 35.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, in symbolo fidei, et Damasceno, quod nativitas convenit magis personæ quam naturæ. A Damasceno quidem, ut *in arg. cont.* A symbolo autem fidei per hoc; quod de persona, non de natura dicitur: *Qui conceptus est, et natus ex Maria Virgine.* Nam in fidei symbolo ponuntur propositiones non tantum veræ, sed etiam propriæ. Si enim veritas sola in propositionibus ibi attenderetur, diceretur, natura humana passa est, crucifixa, mortua, sepulta. Quia vero cum veritate in illis etiam proprietas attenditur, dicitur: *Qui,* scilicet Deus humanatus, *passus est, crucifixus, mortuus, sepultus.* Ex his ergo ostenditur, quod nativitas convenit proprie non naturæ, sed personæ. A scripturis vero idem insinuatur per hoc, quod dicitur Matth. 2. *Cum natus esset Jesus.* Non enim dicit, cum nata esset natura Jesus, sed Jesus, quod est nomen personæ. Item ibidem. *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Nam ly *qui* dicit personam. Item Luc. 2. *Natus est vobis Salvator.* Item Joan. 9. *In peccatis natus es totus.* Et cap. 16. *Natus est homo in mundum.* Et cap. 18. *In hoc natus sum.* Numquid umquam dicit, natura mea nata est? Aut nata est humanitas aliqua in mundum? Aut tua natura in peccatis nata est tota? Aut natura Salvatoris nata est? Cum igitur ly *Ego,* ly *homo,* ly *tu,* ly *Salvator* importent personam, ex his abunde habetur intentum, quod quærebatur. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim ponentium in Christo unam solam nativitatem, vel divinam vel humanam, *Proclianitarum* videlicet, et *Arrianorum. Procliani* siquidem divinam tantum in eo nativitatem agnoscere se ostendebant per hoc, quod Christum ipsam naturam tantum divinam habuisse asseruerunt, ut habetur quæst. 2. art. 1. append. *Arriani* autem nativitatem solum humanam in ipso esse innuebant per hoc, quod in Christo solum humanam naturam posuerunt, ut habetur ibid. *Secundo* habes: quomodo utrorumque horum hæreticorum radicem infectam, scilicet, de unica natura, per contrapositionem radicis sanæ, scilicet, de duabus naturis evellas, maxime si catholica dicta in qu. 2. art. 1. app. adversus illam addideris, et consequenter habes: quomodo per rationem ostendas, illorum hæresim de una tantum in Christo nativitate merito damnari á Damasc. prout orthodoxæ fidei definitiones refert, secundum quod vides *in arg. cont.* Item á Concilio *Quinto Generali Constantinopoli* celebrato actione, seu confessione secunda, capitulo secundo: " si quis non confitetur, Dei Verbi esse duas nativitates; unam siquidem ante sæcula, et sine tempore ex patre incorporaliter, aliam vero ejusdem in ultimis diebus descendentis de cœlo, et incarnati ex sancta gloriosa Dei genitrice, semperque Virgine Maria, qui natus est ex ea: talis anathema sit. » Item á Concilio *Lateranensi* sub Papa *Martino* 1. Canone 4. " Si quis non confitetur, proprie, et vere ipsius Dei, et Domini Nostri JESU Christi duas nativitates existere: unam ante sæcula ex Deo patre incorporaliter, et sempiternaliter; alteram autem de Virgine Maria carnaliter in ultimis sæculorum; sit condemnatus. » Item á Concilio *Nicæno* 1. in symbolo fidei, per hoc, quod de filio Dei dicunt. *Natum ex patre,* hoc est, ex substantia patris; *omoúsion,* hoc est, consubstantialem patri, et postea subjungunt *Qui propter nos descendit, et incarnatus, et homo factus est,* idest, ut habetur in symbolo Apostolorum, *natus ex Maria Virgine.* Item ab omnibus aliis legitimis Conciliis: quoniam omnia eamdem omnino fidem, quam sancti Patres Nicænæ synodi exponendo symbolum Apostolorum docuerunt, profitentur, et non sunt in eis schismata. Natus igitur ex patre, natus ex Maria Virgine, secundum fidem à conciliis unanimiter prædicatam, est Christus: ergo duæ nativitates, secundum ipsam catholicam fidem, in Christo sunt: ergo secundum eamdem catholicam fidem, contrarium est hæresis concorditer ab Apostolis, aliisque sanctis patribus condemnata. Vide art. 1. append. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem catholicam phantasiæ hæreticali oppositam interimas ex phantasia ipsa aliam *Valentini* hæresim necessario consequentem, scilicet quod Beata Virgo non est vera mater Christi. Si namque Christus per eam tamquam per fistulam nihil ex ipsa sumens transivit (ut *Valentinus* dixit) utique non erit mater ejus, ut quæ non ministret materiam conceptui solitam ministrari á matribus. Huic ergo hæresi, scilicet, quod non esset vera mater Christi, consentiunt etiam necessario, ex sua tamen præsuppositione, *Apelles*, *Apollinaris*, *Mennonitæ*, ac similes. Dixit siquidem *Apelles*, quod Christus non de matre, sed ex elementis carnem suam assumpsit. *Apollinaris* autem, quod carnem non adventitiam suscepit, sed antequam descendisset de cœlo antesæcularem, et consubstantialem habuit: *Mennonitæ* item, quod non ex virginis carne, sed ex Dei patris substantia cœlitus attulit corpus. Quorum hæresum damnationes directas, vide supra art. num. 34. 166. 171. 184. Et nota, quod illæ damnationes, idest, illa, quibus prædictæ hæreses damnantur, faciunt pro isto articulo, scilicet, quod Beata Virgo est vera mater Christi. Dixi ly *directas*: quoniam per hunc articulum, sed tamen indirecte, possunt etiam condemnari. Ut si dicamus. Beata Virgo est vera, naturalisque mater Christi; ergo Christus non aliunde, sed ex ipsa virgine corpus assumpsit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim ex eorum phantasiis necessario consequentem, scilicet Beata Virgo non est mater Christi, merito damnari á Matth. 1. secundum quod est *in arg. cont.* Item á Luc. 2. " dicit mater ejus ad illum: fili quid, » etc. Item à Joan. 2. " erat mater Jesu ibi. Dicit mater ejus ministris. » Et c. 19. " Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. Cum vidisset matrem, et discipulum quem diligebat, dicit matri suæ. » Pro horum omnium clariori notitia memento legi Matth. 1. *Jesus, qui vocatur Christus*. Item merito damnari à Conciliis *Constantinopolitano*, et *Lateranensi*, ut art. 2. append. Item ab Ecclesia dicente in officio B. Virginis: " Sancta Maria mater Christi audi rogantes servulos. » Et iterum: " Felix es sacra Virgo Maria, quia ex te ortus est Christus Deus noster. » Item á symbolo Apostolorum: "Qui (scilicet Christus) conceptus est, et natus ex Maria Virgine. » Hoc est (ut exponit D. Athanasius in symbolo: " Quicumque, etc.) homo est ex substantia matris in sæculo natus. » Item ex his, quæ leguntur in Bulla Papæ *Pauli IV.* recitata sub quæst. 16. art. 8. append. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens Angelica vicissim declaretur.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem tum directam, tum indirectam, quod semper in similibus locis subintelligitur, ut alias annotatum est, et declaratum, interimas hæresim *Ibæ Edisserii*, *Theodori*, *Theodoti*, *Nestorii*, dicentium: Mariam non esse Dei genitricem, nec dicendam matrem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari à c. Cyrilli, ut *in arg. cont.* et hoc est capitulum primum inter decreta *Ephesini primi* Concilii. Item á 1. Jo. ult. et á Rom. 9. ut in resp. ad 1. Item á Concilio generali *quinto Constantinopoli* celebrato, act. seu consess. 8. c. 6. " Si quis abusive, et non vere Dei genitricem dicit sanctam, gloriosam, semperque Virginem Mariam: aut per relationem, tamquam homine puro nato (non enim Deo Verbo ex ea incarnato; sed relato, secundum illos, hominis nativitate in Deum Verbum, tamquam cohærente nascenti homini) et criminatur sanctam Chalcedonensem synodum, tamquam secundum impium intellectum à Theodoro commentatum, Dei genitricem virginem asserentem; aut si quis hominis, vel Christi genitricem vocat eam, utpote Christo non existente Deo: et non specialiter, et secundum veritatem Dei genitricem eamdem confitetur ob id, quod ante sæcula á patre genitus Deus Verbum in ultimis diebus ex ea incarnatus, et natus est, atque ita pie sanctam Chalcedonensem synodum eam Dei genetricem confiteri, talis anathema sit. » Item á quadam Epist. Cyrilli ad *Nestorium* in Conciliis *Ephes.* 1. et *Calcedonensi* approbata, quæ incipit: " Ait magna, et sancta synodus: Sancti Patres non dubitaverunt, S. Virginem dicere *theotokon*: non quia Verbi natura, Deitasque in sancta virgine sumpsit exordium; sed, quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum

anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum esse dicitur. » Item á dictis Concilii *Lateranensis*, etc. in veritatibus aureis super legem veterem, Genes. 36. concl. Item ab Ecclesia in collecta: " Deus, qui de B. Mariæ Virginis utero verbum tuum Angelo nunciante carnem suscipere voluisti ; præsta quæsumus: ut qui vere eam genitricem Dei credimus: ejus apud te, » etc. Hæc illa. In quibus nota ly *vere*. Non enim solum cadit super ly *credimus*: sed etiam, et principaliter super ly *esse Dei genitricem*. Item ab eadem in salutatione Angelica: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro*, etc. Item à bulla Papæ *Pauli IV.* quam videas sub qu. 16. art. 8. append. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et Athanasio: quod in Christo est tantum una filiatio, qua refertur ad patrem æternum, et ad matrem temporalem. A D. Athanasio quidem in suo symbolo. *Quicumque*, etc. quod á Concilio *Florentino* vocatur compendiosa regula fidei. Ibi enim loquens de Christo, non obstante, quod ipsum fuisse bis natum præmiserat per ly " Deus est ex substantia patris ante sæcula genitus, homo est ex substantia matris in sæculo natus. » inquit; " Qui, licet Deus sit, et homo; non duo tamen, sed unus est Christus. « Hoc est; tamquam ex præmissis objicienti respondeat. Licet Christus sit bis natus: non tamen ob hoc est duo filii, sed unus tantum filius ; seu (quod in idem redit) non tamen in eo realiter sunt duæ filiationes, seu una tantum, scilicet æterna. Vide etiam quæst. 17. art. 1. 2. A scripturis vero per id, quod legitur Joan. 3. " Exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Vide, quod unus, et idem Christus numero vocatur unus filius et Dei, et hominis. *Exaltari* (inquit) *filium hominis*. Quasi vero diceres: quis est iste filius hominis ? respondit; iste, quem dixi, est filius unigenitus Dei. Non duo igitur filii, unus Dei, et alter hominis, est Christus, qui loquitur; sed unus filius, et Deo patri æternaliter, et homini, idest virgini matri, temporaliter correspondens. Tantoque magis hoc de unica filiatione credendum esse declarat: quanto ipsi filio utrobique eumdem prorsus effectum assignat: ac si velit (ut vult) quod ex numerali identitate effectus identitatem filii numeralem, utrobique positi intelligas. Quis est iste effectus ? " Ut (inquit) omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. » Quod autem sana sit prædicta expositio, idest, quod sensus verus Evangelii sit talis, confirmatur abunde ex B. Aug. in hom. ib. dicente. " Notandum, quod eadem de filio Dei unigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato præmiserat, dicens, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Profecto idem conditor, et redemptor noster filius Dei ante sæcula existens filius hominis factus est in fine sæculorum: ut, qui per divinitatis suae potentiam nos creaverat, ad perfruendam vitae perennis beatitudinem ipse per fragilitatem humanitatis nostrae nos restauraret ad recipiendam, quam perdidimus, vitam. » Ex quibus patet secundum illum unitas filiationis in Christo. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina haec Angelica, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis et conciliis insinuatum quod beata virgo peperit sine dolore. Á scripturis quidem per hoc, quod legitur Ezech. 44. « Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam dominus Deus Israël ingressus est per eam. Hoc enim exponitur de beatæ virginis utero á Concilio *Telensi* in rescripto ad *Siricium* Papam dicentem. « Quæ autem est sanctuarii illa porta, porta illa exterior ad orientem: quæ manet clausa, et nemo pertransibit per eam, sed solum Deus Israel transibit per eam? Nonne hæc porta Maria est, per quam in hunc mundum redemptor intravit? Hæc porta est Maria: et erit clausa: quia et virgo concepit, et genuit. » Ex quibus constat, scripturam sic interpretatam, cum beatam virginem asserat utero clauso genuisse, ostendere radicaliter intentum, quod quærebatur. A Concilio autem gene-

rali *sexto Constantinopoli* celebrato idipsum insinuatur, canon 79. « Absque ullo dolore Virginis partum esse, confitentes, ut, qui sine semine constitutus sit, eos, qui propter ignorantiam aliquid indecens faciunt, correctioni subjicimus. Unde, quando aliqui post diem natalis Christi Dei nostri reperiuntur coquentes similam. et se hac mutuo donantes, prætextu scilicet honoris secundinarum impollutæ virginis matris statuimus, ut deinceps nihil tale fiat á fidelibus. Nec enim hoc est honor virginis, quæ supra mentem, et sermonem, verbum, quod comprehendi non potest, peperit carnem, ex communibus, et iis, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum metiri, ac describere? Si quis hoc fecerit: clericus deponatur, laicus segregetur.» *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus debuit in Bethlehem nasci. Ut per hoc, quod dicitur *Mich.* 5. secundum quod est *in arg. cont.* Pro quo nota, quod propheta loquitur de Bethlehem, in qua natus est David: id. quod annotavit per ly *Ephrata.* Unde legitur Genes. 35. « Mortua est Rachel, et sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Ex quo loco designatur: quod illa civitas primum vocata est Ephrata: postea Bethlehem ex quodam eventu, qui narratur in lib. Ruth. cap. 1. Eventus autem hic fuit abundantia panis ibi reperta, postquam magna caristia inibi præcessisset. Legitur siquidem in illo libro sic, « Facta est fames in terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda ut peregrinaretur, *etc. et infra.* Ephratæi de Bethlehem Judæ *etc.* Surrexit, ut in patriam pergeret. Audierat enim, quod respexisset dominus populum suum: et dedisset eis escas, *etc.* Profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. » Quia ergo hoc nomen Bethlehem interpretatur domus panis, et in civitate Ephrata fuit á domino post famem illam data magna copia panis: ideo nomine mutato ipsa civitas dicta est Bethlehem. Nec obstat, quod etiam tempore famis dictum est ly *abiit homo de civitate Bethlehem*; quia hæc denominatio intelligitur tunc dici per anticipationem (sicut et in multis scripturæ locis fit) quasi dicatur. Abiit homo Ephratæus de civitate Ephrata: quæ in brevi tempore, idest, decem annorum, vocanda erat Bethlehem. Hic (ut prædiximus) natus est David. Nam legitur ibidem cap. quarto fin. «Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai, Isai genuit David regem.» Hæc pro necessitate præsentis textus recte intelligendi, cum ex semine, immo et civitate David fuerit Christus, *quæst. trigesima prima, artic. secundo, et Luc.* 2. annotata sint: ut fiat distinctio ab altera Bethlehem, quæ est in tribu Zabulon (*lib. Josue cap.* 19.) de qua propheta Michæas in textu allegatus non loquitur, et in qua nec David, nec Christus natus est. Item idipsum in principio appendicis positum insinuatur per illud Matth. 2. « Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ et inf. Tu Bethlehem terra Juda: Ex te exiet dux.» idest (ut habetur in translatione Chaldaica) *Mesias*, idest (ut interpretatur græce) *Christus.* Item luc. 2. « In Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, cum Maria, etc. Cum essent ibi, peperit filium suum primogenitum.» Porro, quia dicebatur ly *debuit nasci*, quod est dicere: conveniens fuit nasci, sive convenienter nasciturus erat, et natus est: ideo de convenientia scripturarum (applicando postea ad hoc propositum) vide secundum secundæ quæst. 122. art. 2. append. et q. 140. art. 1. append. et 1. 2. quæst. 68. art. 4. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus congruo tempore natus est. Ut per illud, quod dicitur *Gal.* 4. secundum quod est *in arg. contr.* Ubi notandum est, quod tempus illud ratione maxime congruitatis ad nativitatem Christi vocatur *plenitudo temporis*, idest, tempus plenitudinis. Ac si per talem vocationem dicatur: quod ad Christi missionem in mundum tempus illud non tantum fuit congruum, sed etiam congruentissimum. Alioquin non fuisset tempus plenitudinis, scilicet et prophetiarum, et promissionum, et gratiarum, et (ut semel dicam) omnium bonorum; quandoquidem præsentia Christi, quæ tunc etiam corporaliter ad oculum exhibebatur, continebat

omnia bona. Unde, ut hanc temporis denominationem sic aptissime factam ab Apostolo fuisse, cognoscas melius, nota á simili. Sicut illa pars anni, quæ autumnus dicitur, potest respectu aliarum partium vocari plenitudo temporis ipsius anni, eo quod quæcumque in hyeme seminata fuerunt, et in vere creverunt, et in æstate ad maturitatem venerunt, colliguntur in autumno pro sustentatione hominum in vita corporali: ita particula temporis, quæ pro nativitate Christi á Deo præfinita est, respectu aliarum partium temporis recte vocatur plenitudo temporis, (seu quod in idem redit) tempus plenitudinis, eo quod quæcumque bona á Deo in Patriarcharum tempore seminata de Christo fuerunt, et in oraculis prophetarum pullularunt, seu creverunt, et in toto decursu legis Mosaicae ad nativitatem appropinquaverunt: haec omnia inquam, pro sustentatione hominum in vita spirituali collecta sunt in cumulo suo tunc temporis, quando Christus natus est: utpote qui omnium praemisorum scopus existat, Apostolo universaliter dicente, *finis legis Christus est*. Ne mireris autem de hoc: quod D. Thomas illam de tempore adduxit auctoritatem in proposito nativitatis Christi ex beata Virgine, cum Apostolus nec verbum quidem facere videatur de hac re. Non enim dicit, natum ex muliere: sed *factum ex muliere*. Respondetur namque ad hoc: quod, licet ibi non exprimatur verbatim ly *natum*: tamen in sensu habetur sub ly *factum*. Voluit siquidem dicere ibi Apostolus, quod filius Dei natus est ex muliere: sed tamen, ut multa unico verbo diceret, praelegit suum hunc sensum denotare per ly *factum*, et non per ly *natum*. Audi. Proles, quae naturali modo ordinario procedit ex muliere, dicitur proprie (ut quotidiana locutio monstrat) nasci ex illa, non autem fieri ex illa. Ut ergo notificaret nobis Apostolus, quod Christus et natus est, et extraordinario modo, idest, supernaturali: ideo ad comprehendendum istorum utrumque, usus est hoc vocabulo *factum ex muliere*. Ac si aperte dixisset. Natus est absque semine virili ex matre. Taceo: quod per similem phrasim loquendi exclusit haeresim futuram *Valentini*, et similium, *Nestorii*, et similium. Si enim transiret Christus per beatam Virginem nihil inde accipiens, ut qui ferret corpus é cœlo, aut ex elementis, aut ex substantiae Dei patris (ut dixit *Valentinus*, etc, de quibus supra *articulorum num.* 33. 34. 168. 171. 184. 190.) utique non esset factus ex muliere. Et si Christus esset alius in persona á filio Dei (ut blasphemavit *Nestorius* cum suis, de quibus supra *articulorum num.* 42. 107. 113. 139.) utique filius Dei non esset factus ex muliere. Apostolus ergo per ly *factum* ex matre damnat *Valentinum*, etc. et per ly *Deus filium suum factum ex muliere* reprobat *Nestorium*, etc. Porro ad propositum textus, unde parum digressi sumus revertentes, dicimus quod D. Thomas aspexit ad sensum Apostoli importatum per ly *factum ex muliere*, et non solum ad verba: ideoque adduxit praedictam auctoritatem optime ad propositum nativitatis Christi. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis declaretur vicissim etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA SEXTA,

### DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de manifestatione Christi nati.

*Et circa hoc quæruntur octo.*

Primo, utrum nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.

Secundo, utrum debuerit aliquibus manifestari.

Tertio, quibus manifestari debuerit.

Quarto, utrum debuerit ipse se manifestare, vel potius manifestari per alios.

Quinto, per quæ alia manifestari debuerit.

Sexto, de ordine manifestationum.

Septimo, de stella, per quam manifestata fuit ejus nativitas.

Octavo, de veneratione Magorum, qui per stellam Christi nativitatem cognoverunt.

## ARTICULUS I.

*Utrum nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta.

1. De promissione adventus Christi dicitur Psalm. 49. *Deus manifeste veniet.* Ergo videtur, quod ejus nativitas per quam in mundum venit, debuerit esse omnibus manifesta.

Conseq. prob., quia impletio debet respondere promissioni.

2. *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, ut dicitur 1. Tim. Ergo videtur, quod Christi nativitas debuerit esse omnibus manifesta.

Conseq. prob., quia hoc non fit, nisi in quantum eis gratia Christi manifestatur, secundum illud Tit. 3. « Apparuit « gratia Dei, et Salvatoris nostri erudiens « nos, ut abnegantes impietatem, et sæ- « cularia desideria, sobrie, et juste, et « pie vivamus in hoc sæculo. »

3. Christus in secundo adventu, in quo in justitia judicabit, veniet omnibus manifestus, secundum illud Matth. 24. « Sicut fulgur exit ab oriente, et paret « usque in occidentem, ita erit adventus « filii hominis. » Ergo multo magis primus adventus, quo natus est in mundo secundum carnem, debuit esse omnibus manifestus.

Conseq. prob., quia Deus super omnia pronior est ad miserendum, secundum illud Psal. 144. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Isaiæ 45. Dicitur, *Vere tu es Deus absconditus sanctus Israel salvator.* Et Isaiæ 53. Dicitur, *quasi absconditus est vultus ejus, et despectus.*

*Determinatio.*

Conclusio. Nativitas Christi non debuit esse omnibus communiter manifesta.

Prob. tripliciter. Primo quia per hoc fuisset humana redemptio, quæ per crucem peracta fuit, impedita; « si enim « cognovissent numquam Dominum glo- « riæ crucifixissent, » ut dicitur 1. Cor. 2. Secundo si nativitas Christi omnibus fuisset manifesta, diminutum esset meritum fidei, per quam Christus venerat homines justificare, secundum illud Rom. 3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi.*

Conseq. ostenditur. Quia si manifestis indiciis Christo nascente, ejus nativitas omnibus appareret, jam tolleretur ratio fidei, quæ est *argumentum non apparentium*, ut dicitur Heb. 11. ac per hoc ejus meritum minueretur.

Tertio. Quia per hoc venisset in dubium veritas humanitatis ipsius; mirabile enim fuisset, et præter naturam, si nativitas Christi statim omnibus fuisset manifesta: et per hoc potuisset dubitari, an veram naturam acceperit, et an esset homo, qui nascebatur. Unde Aug. dicit in Epist. 8. ad Vol. « Si nullas ex parvulo « in juventutem mutaret ætates, nullos « cibos, nullos caperet somnos, nonne « opinionem confirmaret erroris, nec ho- « minem verum ullo modo suscepisse cre- « deretur, et dum omnia mirabiliter fe- « cisset, auferret quod misericorditer « fecit. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod auctoritas illa intelligitur de adventu Christi ad judicium, ut Glos. ibi exponit.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod gratia Dei Salvatoris erudiendi erant homines ad salutem, non in principio nativitatis ejus; sed postea tempore procedente, postquam operatus est salutem in medio terræ. Unde post passionem, et resurrectionem suam dicit discipulis suis: « euntes docete omnes gen- « tes. » Matth. ult.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est

eadem ratio de adventu Christi ad judicium, et de adventu per assumptionem humanitatis. Ad judicium enim requiritur quod auctoritas judicis cognoscatur, et propter hoc oportet quod adventus Christi ad judicium sit omnibus manifestus. Primus autem adventus fuit ad omnium salutem, quæ est per fidem, quæ quidem est de non apparentibus et ideo primus Christi adventus debuit esse occultus.

## ARTICULUS II.

*Utrum nativitas Christi debuerit aliquibus manifestari.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod nativitas Christi nulli debuerit manifestari.

1. Christus venerat, ut omnes salvaret, secundum illud 1. Tim. 4. «Qui est «salvator omnium, maxime fidelium.» Ergo nativitas Christi nulli debuit manifestari.

Conseq. prob., quia art. præced. dictum est quod erat congruum humanæ saluti quod primus Christi adventus esset occultus; igitur sicut pro salute omnium nascebatur, omnibus ejus nativitas debuit occultari.

2. Antequam Christus nasceretur, manifestata est ejus nativitas futura B. Virgini, et Joseph. Ergo non erat necessarium, Christo nato, eamdem aliis manifestare.

3. Illud, ex cujus manifestatione sequitur turbatio et aliorum damnum, non debet manifestari. Sed manifestata Christi nativitate, subsecuta est turbatio: dicitur enim Matth. 2. quod audiens Herodes Christi nativitatem, «turbatus est, «et omnis Hierosolyma cum illo:» cessit etiam hoc in detrimentum aliorum, quia ex hac occasione «Herodes occidit pue«ros in Bethleem, et in omnibus finibus «ejus á bimatu, et infra;» ergo videtur, quod non fuerit conveniens Christi nativitatem aliquibus manifestari.

Maior prob., quia nullus sapiens manifestat id ex quo turbatio, et detrimentum aliorum nascitur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Si Christi nativitas omnibus fuisset occulta, nulli fuisset proficua: quod est inconveniens. Ergo nativitas Christi debuit aliquibus manifestari.

Inconveniens ostenditur, quia si nativitas Christi nulli fuisset proficua, frustra natus fuisset.

*Determinatio.*

Conclusio. Nativitas Christi debuit manifestari, non omnibus; sed aliquibus, per quos posset ad aliorum notitiam devenire.

Prob. Ad divinæ sapientiæ ordinem pertinet quod Dei dona, et secreta sapientiæ suæ non æqualiter ad omnes; sed immediate ad quosdam perveniant, et per eos ad alios deriventur: sed Christi nativitas fuit magnum Dei donum, et divinæ sapientiæ secretum. Ergo nativitas Christi debuit manifestari, non communiter omnibus immediate; sed aliquibus, per quos posset ad aliorum notitiam devenire.

Maior prob. dupliciter. Primo auctoritate Apostoli dicentis ad Rom. 13. *Quæ á Deo sunt, ordinata sunt.* Unde Dei mysteria et secreta debent non immediate omnibus; sed ordine quodam manifestari.

Secundo á simili de mysterio resurrectionis Christi, quæ est manifestata aliquibus immediate, per quos ad notitiam aliorum est derivata. Unde dicitur Act. 10. quod *Deus dedit* Christum resurgentem *manifestum fieri, non omni populo; sed testibus præordinatis á Deo.* Et hoc idem debuit in Christi nativitate servari.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut fuisset præjudicium salutis humanæ, si Christi nativitas omnibus hominibus innotuisset, ita etiam si nulli nota fuisset. Utroque enim modo tollitur fides, tam scilicet per hoc quod aliquid est totaliter manifestum, quam etiam per hoc quod á nullo cognoscitur,

á quo possit testimonium audiri; *fides enim est ex auditu*, ut dicitur ad Rom. 10. ut igitur Christi nativitas omnibus proficeret, debuit esse, non omnibus, sed quibusdam manifesta.

Ad 2. Dicitur, quod Maria, et Joseph instruendi erant de Christi nativitate, antequam nasceretur, quia ad eos pertinebat revenrentiam exhibere proli conceptæ in utero, et obsequi nascituræ. Negatur autem consequentia; erat enim necessarium quod postea aliquibus aliis manifestaretur; quia testimonium Mariæ, et Joseph, fuisset habitum suspectum propter hoc quod erat domesticum. Unde manifestata erat extraneis, quorum testimonium suspectum esse non posset.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod ipsa turbatio subsecuta ex manifestata Christi nativitate, congruebat Christi nativitati. Primo quidem, quia per hoc manifestatur cœlestis Christi dignitas. Unde Greg. dicit Hom. 10. in Evang. "Cœli rege nato, rex terræ turbatus "est, quia imirum terrena altitudo "confunditur, cum celsitudo cœlestis "aperitur" Secundo, quia per hoc figurabatur judiciaria Christi potestas. Unde Augus. dicit in Serm. 2. Epiph. "Quid "erit tribunal judicantis, quando super"bos reges cunabula terrebant infantis?» Tertio, quia per hoc figurabatur dejectio regni diaboli. Quia (ut Leo Papa dicit in Serm. 4. Epiphan. "non tantum "Herodes, in semetipso turbatur, quan"tum diabolus in Herode. Herodes enim "terrenum hominem æstimabat; sed "diabolus Deum cognoscebat, et uter"que regni sui successorem timebat, "diabolus cœlestem; sed Herodes ter"renum."

Turbatio tamen Herodis superflua fuit, quia Christus non venerat regnum in terra habere; unde Leo Papa cit. dicit Herodi loquens; "Non capit Christum "regio tua, nec mundi Dominus potes"tati sceptri est contentus angustiis."

Quod autem Judæi turbabantur, qui tamen magis gaudere debuerant, aut hoc est, quia ut Chrysost. dicit Hom. 2. in Matth. *de adventu justi non poterant gaudere iniqui*. Aut volentes favere Herodi, quem timebant; populus enim plus justo favet eis quos crudeles sustinet.

Quod autem pueri ab Herode sunt interfecti, non cessit in eorum detrimentum; sed in eorum profectum. Dicit enim Aug. in Serm. 13. de Epiph. "Absit ut "ad liberandos homines Christus ve"niens, de illorum præmio, qui pro eo "interficiuntur, nihil egerit, qui pen"dens in ligno pro eis, á quibus interfi"ciebatur oravit." Si igitur loquamur de turbatione, secundum quod est ex Christo nato, sapienter fuit á Deo causata ex manifestatione nativitatis Christi, quia per hoc manifestabatur nascentis dignitas, præfigurabatur ejusdem potestas; et regni diaboli dejectio. Si autem attendamus turbationem ex parte Herodis, et Judæorum, superflua et vana fuit; infantibus autem nullum detrimentum ex Christi nativitate provenit: nam vita mortalis, quam amiserunt æterna gloria fuit remunerata.

## ARTICULUS III.

*Utrum sint convenienter electi illi, quibus est Christi nativitas manifestata.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non sint convenienter electi illi, quibus est Christi nativitas manifestata.

1. Dominus mandavit discipulis. Matt. 10. *In viam gentium ne abieritis*, ut scilicet adventus Christi manifestaretur prius Judæis, quam gentibus. Ergo videtur quod multo minus á principio fuerit revelanda Christi nativitas gentilibus qui ab oriente venerunt, ut habetur Matth. 2.

2. Manifestatio divinæ veritatis præcipue debet fieri ad Dei amicos, secundum illud Jo. 36. *Annunciant de ea amico suo*. Sed magi non sunt Dei amici, sed potius Dei inimici. Dicitur enim Lævit. 19. "Non declinetis ad magos,

"nec ab Ariolis aliquid sciscitemini." Ergo non debuit Christi nativitas magis manifestari.

3. Christus venerat ad liberandum totum mundum á potestate diaboli. Unde dicitur Malach. 1. «Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen «meum in gentibus.» Ergo non solum his qui erant in oriente; sed ubique terrarum debuit Christi nativitas manifestari.

4. Sacramenta veteris legis dispensabantur per ministerium sacerdotum legalium. Ergo videtur, quod Christi nativitas magis debuerit manifestari sacerdotibus in templo, quam pastoribus in agro.

Conseq. prob., quia omnia sacramenta veteris legis erant Christi figura.

5. Christus ex virgine matre natus est, et ætate parvulus. Ergo convenientius fuisse videtur quod Christus manifestaretur juvenibus, et virginibus, quam senibus, conjugatis, vel viduis, sicut Simeoni et Annæ, ut dicitur Lucæ 2.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ea quæ fiunt secundum Dei sapientiam, convenienter fiunt. Sed qui fuerunt electi ad hoc, ut eis nativitas Christi manifestaretur, electi sunt ex Dei sapientia. Ergo convenienter sunt electi illi, quibus est manifestata Christi nativitas.

Maior patet, quia Jo. 13. dicitur, *ego scio quos elegerim.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienter electi sunt illi, quibus est nativitas Christi manifestata, scilicet pastores, et magi, Simeon, et Anna.

Prob. Salus, quæ erat futura per Christum, ad omnem diversitatem hominum pertinebat, quia sicut dicitur ad Coloss. 2. "In Christo Jesu, non est "masculus, et fœmina, gentilis et Ju"dæus, servus et liber," sic de aliis hujusmodi. Ergo nativitas Christi convenienter manifestata fuit pastoribus, qui erant Israelitæ, et magis, qui erant gentiles. His qui erant longe, ut erant magi, et his qui erant prope, ut pastores, qui tamen ad angularem lapidem cucurrerunt. His, qui erant sapientes et potentes, ut erant magi, et simplicibus, et vilibus, ut erant pastores. Peccatoribus, quales erant magi, et justi, quales erant Simeon, et Anna. Viris, ut erant pastores, magi, et Simeon, et mulieri, scilicet Annæ: et sic nulla hominum conditio exclusa est á salute, quæ facta est per Christum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod manifestatio nativitatis Christi, quæ fuit facta pastoribus, et magis, fuit quædam prælibatio plenæ manifestationis, quæ erat futura: et sicut in secunda manifestatione primo annunciata est gratia Christi per Christum, et per ejus Apostolos judæis, et postea gentilibus, ita ad Christum primo pervenerunt pastores, qui erant primitiæ judæorum, tamquam prope existentes, et postea venerunt magi á remotis, *qui fuerunt primitiæ gentium*, ut Aug. dicit in Serm. 2. Epiphan. Dominus igitur prohibuit discipulos abire in vias gentium, non ut gentes non docerent; sed ut primo manifestaretur veritas Judæis.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sicut Aug. dicit in serm. cit. de Epiph. "Sicut prævalet imperitia in rusticitate "pastorum, ita prævalet impietas in sa"crilegiis magorum; utrosque tamen "lapis ille angularis applicuit, quippe "qui venit stulta eligere, ut confunde"ret sapientes, et non vocare justos; "sed peccatores, ut nullus magnus su"perbiret, et nullus infirmus despera"ret." Manifestatio igitur divinæ veritatis ex bonitate divina facta est imperitis et impiis, atque sacrilegis, ne quis glorietur de sua salute.

Dicitur tamen ad minorem, quod isti magi non fuerunt malefici, ut quidam dicunt; sed sapientes astrologi, qui apud

Persas, vel Chaldæos magi vocantur.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam, quod sicut Chrysost. dicit Ho. 2. in Matth. "ab oriente venerunt magi, quia unde "dies nascitur, inde initium fidei pro- "cessit, quia fides lumen est animarum:» vel quia omnes qui ad Christum veniunt ab ipso, et per ipsum veniunt. Unde dicitur Zach. 6. *Ecce vir oriens nomen ejus.* Dicuntur autem ab oriente ad literam venisse, vel quia de ultimis orientis partibus venerunt, secundum quosdam, vel quia de aliquibus vicinis partibus Judeæ venerunt, quæ tamen sunt regioni Judæorum ad orientem. Etsi igitur manifestatio adventus Christi esset facienda omnibus ubique existentibus, tamen propter dictas rationes primo facta est ad eos qui erant in oriente.

Dicitur secundo, quod credibile est etiam in aliis partibus mundi aliqua indicia nativitatis Christi apparuisse, sicut Romæ fluxit oleum. Et in Hispania apparuerunt tres soles, paulatim in unum coeuntes.

Ad 4. Dicitur ad consequentiam, quod sicut Chrys. dicit, "Angelus manifes- "tans Christi nativitatem non ivit Hie- "rosolymam, non requisivit Scribas et "Pharisæos, erant enim corrupti, et præ "invidia cruciabantur. Sed pastores "erant synceri, antiquam conversatio- "nem Patriarcharum et Moysis collen- "tes.» Per hos etiam pastores significabantur doctores Ecclesiæ, quibus Christi mysteria revelantur, quæ Judæos latebant. Quamvis igitur antiquæ legis sacramenta, quæ novæ legis mysteria signabant, per illius legis sacerdotes ministrarentur, tamen novæ legis sacramenta pastoribus manifestantur, qui doctores Ecclesiæ significant.

Ad 5. Dicitur ad consequentiam, quod sicut Amb. dicit lib. 2. in Luc. «Gene- "ratio domini, non solum à juvenibus; "sed etiam à senioribus, et justis acci- "pit testimonium,» quorum testimonio propter justitiam, magis credebatur.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus per se ipsum nativitatem suam manifestare debuerit.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus per se ipsum nativitatem suam manifestare debuerit.

1. Christus manifestavit suam nativitatem per alios: scilicet pastoribus per Angelos, et magis per stellam. Ergo multo magis per seipsum debuit suam nativitatem manifestare.

Conseq. prob., quia causa, quæ est per se semper est potior ea quæ est per aliud, ut dicitur 8. Phys. tex. 39.

2. Si Christus non manifestasset plenitudinem sapientiæ et gratiæ, quam á principio suæ conceptionis habuit per opera, et per verba, fuisset ei frustra data plenitudo sapientiæ et gratiæ. Quod est inconveniens, quia Deus, et natura nihil frustra faciunt, ut dicitur in lib. 1. de Cœlo. tex. 32. Ergo debuit Christus per seipsum, seipsum ab initio manifestare.

Conseq. prob., quia Eccles. 20. dicitur: *sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?*

3. In libro de infantia salvatoris legitur quod Christus in sua pueritia multa miracula fecit. Ergo videtur quod suam nativitatem per seipsum manifestaverit.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Alii infantes non manifestant seipsos. Ergo neque decuit quod Christus per seipsum suam nativitatem manifestaret.

Conseq. prob., quia Leo Papa dicit in Serm. 4. de Epiphan. «Magi vide- "runt, et adoraverunt puerum Jesum in "nullo ab humanæ infantiæ generalitate "dissimilem.»

*Determinatio.*

Conclusio. Christus, non per seipsum, sed per alias creaturas, suam nativitatem manifestare debuit.

Prob. Nativitas Christi ad humanam salutem, quæ est per salutarem fidem, ordinabatur. Ergo nativitas Christi, non

per ipsum Christum: sed per alias creaturas debuit manifestari.

Conseq. probat., quia fides salutaris divinitatem, et humanitatem Christi confitetur; oportebat igitur ita manifestari nativitatem Christi, ut demonstratio divinitatis ejus, fidei humanitatis ipsius non præjudicaret. Hoc autem factum est, dum Christus in seipso nativitatem similem infirmitati humanæ exhibuit, et tamen per Dei creaturas divinitatis virtutem in se monstravit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod via generationis, et motus oportet per imperfecta ad perfectum pervenire. Et ideo Christus prius manifestatus est per alias creaturas quasi imperfecte, et postea manifestavit seipsum, per seipsum manifestatione perfecta.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur quod licet sapientia abscondita sit inutilis, non tamen ad sapientem pertinet, ut quolibet tempore manifestet seipsum; sed tempore congruo. Dicitur enim Eccl. 20: « Est tacens non habens sensum loquelæ, et est tacens sciens «tempus apti temporis.» Sic ergo sapientia Christo data non fuit inutilis, quia postea seipsum tempore congruo manifestavit, et hoc ipsum, quod ejus sapientia pro tempore congruo abscondebatur est sapientiæ indicium.

Ad 3. Dicitur quod liber ille de infantia salvatoris est Apochryphus. Et Chrysost. dicit super Jo. Hom. 22. Quod Christus non fecit miracula antequam aquam converteret in vinum, secundum illud quod dicitur Jo. 2. « Hoc fecit ini- "tium signorum Jesus. Si enim secun- "dum primam ætatem miracula fecisset "non indiguissent Israelitæ alio mani- "festante eum» cum tamen Joannes Baptista dicat Jo. 1. «Ut manifestetur "in Israël, propterea veni in aqua bap- "tizans: decenter autem non incæpit "facere signa in prima ætate, quia exis- "timassent phantasma esse incarnatio- "nem, et ante opportunum tempus livo- "re liquefacti, morti tradidissent.»

## ARTICULUS V.

*Utrum nativitas Christi debuerit per Angelos, et stellam manifestari.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non debuerit nativitas Christi per Angelos manifestari.

1. Nativitas Christi erat secundum carnem, et non secundum spiritualem ejus substantiam. Ergo nativitas Christi non debuit per Angelos manifestari.

Conseq. prob., quia Angeli sunt spirituales substantiæ, secundum illud Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus.*

2. Justis, scilicet Simeoni, et Annæ non est manifestata Christi nativitas per Angelos. Ergo nec pastoribus per Angelos manifestari debuit.

Conseq. probat., quia maior est affinitas justorum ad Angelos, quam ad quoscumque alios, secundum illud Psal. 33. *Immitet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.*

3. Illud, quod potest esse erroris occasio, non est conveniens; sed quod magis fuerit manifestata Christi nativitas per stellam, videtur quod fuerit erroris occasio. Ergo non debuit magis per stellam Christi nativitas manifestari.

Maior, quia occasiones peccandi sunt hominibus auferendæ.

Minor prob., quia hoc potest esse erroris occasio quantum ad illos, qui æstimant sedera nativitatibus hominum dominari.

4. Signum oportet esse certum ad hoc quod per ipsum aliquid manifestetur. Sed stella non videtur fuisse signum certum nativitatis Christi. Ergo inconvenienter fuit Christi nativitas per stellam manifestata.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

*Opera Dei sunt perfecta*, ut dicitur Deut. 32. Sed talis manifestatio fuit opus divinum. Ergo per convenientia signa fuit perfecta.

*Determinatio.*

Conclusio. Nativitas Christi convenienter manifestata fuit per Angelos pastoribus, per stellam magis, et per inspirationem justis Simeoni, et Annæ.

Prob. manifestatio debet fieri per signa familiaria illis quibus manifestatio fit. Sed apparitiones Angelorum erant signa familiaria Hebræis, stella erat familiare signum gentilibus, et inspirationes erant signa familiaria Justis. Ergo convenienter nativitas Christi est demonstrata pastoribus Hebræis per apparitiones Angelorum, magis gentilibus per apparitionem stellæ. Et justis Annæ, et Simeoni per internam inspirationem.

Maior prob. A simili in manifestatione syllogistica: sicut enim syllogistica manifestatio fit per ea quæ sunt magis nota ei cui est aliquid manifestandum, ita manifestatio, quæ fit per signa, debet fieri per illa signa, quæ sunt familiaria illis, quibus fit manifestatio.

Minor prob. Nam viris justis est familiare et consuetum interiori Spiritus Sancti instinctu edoceri absque signorum sensibilium demonstratione; scilicet per spiritum prophetiæ; et ideo justis, scilicet Simeoni, et Annæ manifestata est Christi nativitas per interiorem instinctum Spiritus Sancti, secundum illud Lucæ 2. « Responsum accepit Simeon á " Spiritu Sancto, non visurum se mor- " tem, nisi prius videret Christum do- " mini. » Et Anna similiter, dum inducerent puerum Jesum in templum, venit in spiritum et ipsa in templum. Alii autem corporalibus rebus dediti, per sensibilia ad intelligibilia adducuntur: Judæi quidem consueti erant divina responsa per Angelos accipere, per quos etiam legem acceperant, secundum illud act. 7. *Accepistis legem in dispositione Angelorum*: et ideo pastoribus Hebræis manifestata est Christi nativitas per visibilem apparitionem Angelorum. Gentiles vero et maxime astrologi, consueti sunt stellarum cursus inspicere: et ideo eis demonstrata est Christi nativitas per visibilem stellæ apparitionem. Et quia nativitas Christi non erat pure terrena; sed quodammodo cœlestis, propterea per signa cœlestia utrisque Christi nativitas revelatur. Ut enim glos. ord. in cap. 2. Matth. dicit " Cœlos Angeli habitant, et " sydera cœlos ornant.» Utrisque ergo, scilicet pastoribus, et magis, « cœli enar- " rant gloriam Dei. »

Et confirmatur concl. quoad hanc partem, scilicet quod convenienter fuerit Christi nativitas monstrata pastoribus per apparitionem Angelorum, et magis per apparitionem novæ stellæ; quia, ut inquit Chrisost. Hom. 6. in Matth. *Per consueta eos dominus vocare voluit, eis condescendens.* Et quia Judæis frequentes factæ fuerunt angelicæ apparitiones: ideo convenienter pastoribus tamquam Judæis revelata est Christi nativitas per Angelos magis autem assuetis in consideratione corporum cœlestium; manifestata est per apparitionem stellæ.

Est etiam hujus partis conclusionis alia ratio; quia, ut Greg. dicit Ho. 10. in Evang. «Judæis tamquam ratione utentibus, rationale animal, idest Angelus, " prædicare debuit. Gentiles vero, quia " uti ratione nesciebant, ad cognoscen- " dum dominum, non per vocem, sed " per signa perducuntur. Et sicut domi- " num jam loquentem annuntiaverunt " gentilibus prædicatores loquentes, ita " eum nondum loquentem elementa mu- " ta prædicaverunt."

Est, et alia ratio conclusionis, quoad illam partem quod magis convenienter per stellæ apparitionem monstrata est Christi nativitas; quia, ut Aug. dicit in serm. Epiph. " Abrahæ inumerabilis " fuerat promissa successio, non carnis " semine; sed fidei fœcunditate generan- " da; " et ideo stellarum multitudini est comparata, ut cœlestis progenies speraretur: ideo gentiles in syderibus designati, ortu novi sideris excitantur, ut per-

veniant ad Christum, per quem semen Abrahæ efficiuntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod etsi nativitas Christi esset secundum carnem, tamen manifestanda erat incarnata divinitas. Illud enim manifestatione indiget, quod de se est occultum; non autem illud, quod de se est manifestum. Caro autem ejus qui nascebatur erat manifesta, sed divinitas erat occulta et ideo convenienter manifesta est illa nativitas per Angelos, qui sunt Dei ministri. Unde et cum claritate Angelus apparuit, ut ostenderetur quod ille, qui nascebatur, erat splendor paternæ gloriæ.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod justi non indigebant visibili apparitione Angelorum; sed eis sufficiebat interior instinctus Spiritus Sancti, propter eorum perfectionem.

Ad 3. Negatur minor. Ad probat. dicitur quod stella nativitatem Christi manifestans, omnem erroris occasionem subtraxit. Ut enim Aug. dicit, lib. 2. contra Faust. cap. 5. "Nulli astrologi "ita constituerunt nascentium hominum "fata sub stellis, ut aliquam stellarum, "aliquo homine nato, circuitus sui or- "dinem reliquisse, et ad eum, qui natus "est perrexisse assererent, sicut acci- "dit circa stellam, quæ nativitatem "Christi demonstravit." Et ideo per hoc non confirmatur error eorum qui sortem nascentium hominum astrorum ordini colligari arbitrantur: non enim credunt astrorum ordinem ad hominis nativitatem posse mutari. Similiter etiam ut Chrysost. dicit Hom. 6. in Matth. "nec est hoc astronomiæ opus á stel- "lis scire eos, qui nascuntur sed ab "hora nativitatis futura prædicere." Magi autem tempus nativitatis non cognoverunt, ut hinc sumentes initium á stellarum motu futura cognoscerent, sed potius é converso. Remota igitur fuit erroris occasio, tum quia stella illa ad locum nativitatis Christi ~~perrexit~~; tum etiam quia ex stella magi natum puerum noverunt, quæ astrologiæ regulas excedunt.

Ad 4. Neg. minor: fuit enim stella illa magis certum signum demonstrans Christi nativitatem: refert enim Chrysost. Hom. 2. in Matth. quod in quibusdam Apochryphis scripturis legitur, quod "quædam gens in extremo orientis, jux- "ta Occeanum scripturam quamdam ha- "bebat ex nomine Seth de apparitura "hac stella, et muneribus hujusmodi of- "ferendis quæ gens diligenter observa- "bat hujus stellæ exortum, positis ex- "ploratoribus duodecim qui certis tem- "poribus de nocte ascendebant in mon- "tem, in quo postmodum eam viderunt "habentem in se quasi parvuli formam, "et super se crucis similitudinem." Vel dicendum quod sicut dicitur in lib. de quæst. vet. et nov. test. quæst. 39. "Magi illi traditionem Balaam seque- "bantur qui dixit: orietur stella ex Ja- "cob. Unde videntes stellam extra mun- "di ordinem, hanc esse intellexerunt, "quam Balaam futuram indicem regis "Judæorum prophetaverat."

Vel dicendum sicut Augustin. dicit in Serm. 7. de Epiphan. quod ab angelis aliqua admonitione revelationis audierunt magi quod stella Christum natum significaret, et probabile videtur quod á bonis angelis hoc didicerint, quando in Christo adorando salus eorum jam quærebatur.

Vel sicut Leo Papa dicit in Serm. 4. de Epiph. "Præter illam speciem quæ "corporeum incitavit obtutum, fulgen- "tior veritatis radius, eorum corda per- "docuit quod ad illuminationem fidei "pertinebat." Ex uno igitur horum stella fuit certum signum nativitatis Christi.

## ARTICULUS VI.

*Utrum nativitas Christi ordine convenienti fuerit manifestata.*

*Pro negativa.*—Videtur, quod incon-

venienti ordine nativitas Christi fuerit manifestata.

1. Illis qui Christo fuerunt propinquiores, et magis Christum desiderabant, primo debuit ejus nativitas manifestari. Sed justi erant Christo propinquissimi per fidem, et maxime ejus adventum desiderabant. Unde dicitur Luc. 2. de Simeone quod "erat homo justus, "et timoratus expectans redemptionem "Israel." Ergo prius debuit manifestari Christi nativitas Simeoni, quam pastoribus, vel magis.

Maior prob., quia Sap. 6. dicitur: "præoccupat eos, qui se concupiscunt, "ut se priorem illis ostendat."

2. Plenitudo gentium primo intratura est ad fidem, et postmodum omnis Israel salvus fiet, ut dicitur Rom. 11. Ergo nativitas Christi prius debuit manifestari magis qui fuerunt primitiæ gentium, quam pastoribus qui fuerunt primitiæ Judæorum.

3. Magi non pervenerunt ad Christum natum nisi post duos annos. Ergo inconvenienter post tantum tempus fuit gentilibus Christi nativitas manifestata.

Anteced. prob., quia Matth. 2. dicitur, quod "Herodes occidit omnes pue- "ros qui erant in Bethleem, et in om- "nibus finibus ejus á bimatu, et infra, "secundum tempus quod exquisierat á "magis."

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dan. 2. dicitur: *Ipse mutat tempora, et ætates:* et ita tempus manifestationis nativitatis Christi videtur congruo ordine esse dispositum.

*Determinatio.*

Conclusio. Nativitas Christi primo manifestata est pastoribus ipso die nativitatis Christi.

Prob. Quia Lucæ 2. dicitur: "Pasto- "res erant in regione eadem vigilantes, "et custodientes vigilias noctis super "gregem suum. Et ut discesserunt ab "eis angeli in cœlum, loquebantur ad "invicem: transeamus usque Bethleem, "et venerunt festinantes."

2.ª Conclusio. Secundo magi pervenerunt ad Christum tertia decima die nativitatis ejus, quo die festum Epiphaniæ celebratur.

Prob. Quia si revoluto anno, vel etiam revolutis duobus annis venissent, non invenissent eum in Bethleem, cum scriptum sit Lucæ 2. quod "Postquam "perfecerunt omnia, secundum legem "Domini" (offerentes scilicet puerum Jesum in Templum) "reversi sunt in "Galilæam, in civitatem suam Nazareth."

3.ª Conclusio. Tertio nativitas Christi manifestata est justis in templo quadragesimo die ab ipsa Christi nativitate.

Prob. Quia hoc habetur Lucæ 2. quod manifestata fuit Simeoni Seni, et Annæ viduæ.

4.ª Conclusio. Nativ. Christi convenienter, et rationabiliter manifestata est primo pastoribus, secundo magis, et tertio justis.

Prob. Quia per pastores significantur Apostoli, et alii credentes ex Judæis, quibus primo manifestata est fides Christi; inter quos "non fuerunt multi po- "tentes, nec multi nobiles," ut dicitur 1. Cor. 1. Secundo fides Christi pervenit ad plenitudinem gentium quæ est præfigurata per magos. Tertio autem pervenit ad plenitudinem Judæorum quæ est præfigurata per justos, unde et in Templo Judæorum est eis Christus manifestatus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod sicut Apostolus dicit Rom. 9. "Israel sectan- "do legem justitiæ in legem justitiæ non "pervenit;" sed gentiles qui non quærebant justitiam, Judæos communiter in justitia fidei prævenerunt. Et in hujus figuram Simeon qui expectabat consolationem Israel, ultimo Christum natum cognovit, et præcesserunt eum magi, et pastores qui Christi nativitatem non ita solliciti expectabant. Christus igitur inte-

rius justis se prius ostendit per gratiam. Nativitatem tamen ejus, secundum carnem, ultimo manifestare voluit justis, quia Judæos qui legis justitiam sectabantur, figurabant.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod licet plenitudo gentium prius intraverit ad fidem, quam plenitudo Judæorum; tamen primitiæ Judæorum, quas pastores figurabant, prævenerunt in fide primitias gentium per magos præfiguratas. Et ideo pastoribus prius manifestata est Christi nativitas, quam magis.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod de apparitione stellæ quæ apparuit magis, est duplex opinio. Chrysost. enim Hom. 10 in Matth. et August. in Serm. 7. Epiphan. dicunt quod stella apparuit magis per biennium ante Christi nativitatem, et tunc meditantes, et se ad iter præparantes á remotissimis partibus orientis pervenerunt ad Christum tertiadecima die á sua nativitate. Unde et Herodes statim post recessum magorum, videns se ab eis illusum, mandavit occidi pueros á bimatu, et infra, dubitans, ne tunc Christus natus esset, quando stella apparuit, secundum quod á magis audierat.

Alii vero dicunt stellam apparuisse primo, quando Christus natus est, et quod statim magi visa stella iter arripientes longissimum iter in tredecim diebus peregerunt, partim quidem divina adjuti virtute, partim vero dromedariorum velocitate; et hoc si de extremis orientis partibus venerunt.

Quidam tamen dicunt eos venisse de regione propinqua, unde fuerat Balaam, cujus doctrinæ sectatores fuerunt. Dicuntur autem secundum hanc sententiam, ab oriente venissse, quia terra illa est ad orientalem partem terræ Judæorum, et secundum hoc non statim recedentibus magis; sed post biennium pueros interfecit. Vel quia (ut dicitur) interim Romam accusatus ivisse, vel aliquorum periculorum terroribus agitatus á cura interficiendi puerum interim destitisse; vel quia potuit credere "magos fallacis stellæ visione deceptos, postquam non invenerunt, quem natum putaverunt, erubuisse ad se redire," ut August. dicit in secundo libro de consensu Evang. capit. 11. Ideo autem non solum bimos pueros interfecit; sed etiam infra, quia (ut dicit Gloss. ordin. in cap. 2. Matth.) "timebat ne puer, cui sydera famulantur, speciem suam paulo supra ætatem, vel infra, transformaret." Negatur igitur, ad formam respondendo antecedens. Pervenerunt enim Magi ad Christum natum tertiodecimo die post Nativitatem ejus. Ad probationem jam dictum est.

## ARTICULUS VII.

*Utrum stella, quæ Magis apparuit, fuerit una de cœlestibus stellis.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod stella quæ Magis apparuit, fuerit una de cœlestibus stellis.

1. August. dicit in Serm. 2. Epipha. "Dum pendet ad ubera, et vilium pannorum, retitur Deus involumenta pannorum, repente novum de cœlo sydus effulsit." Fuit igitur cœlestis stella quæ Magis apparuit.

2. Angeli qui pastoribus apparuerunt, vere de cœlestibus Angelis fuerunt. Ergo et stella quæ Magis apparuit, fuit vere de cœlestibus stellis.

Conseq. probatur, quia dicit August. in Serm. 2. Epiphan. "Pastoribus angeli, Magis stella Christum demonstrat, utrisque loquitur lingua cœlorum, quia lingua cessavit prophetarum."

3. Stella quæ designat regis nativitatem, est una de cœlestibus stellis. Sed stella quæ Magis apparuit designabat regis nativitatem; unde Magi dicunt Matth. 2. «Ubi est qui natus est Rex Judæorum? "Vidimus enim stellam ejus in Oriente." Ergo stella quæ Magis apparuit, fuit vere una de cœlestibus stellis.

Maior prob., quia stellæ quæ non sunt in cœlo; sed in aere, dicuntur stel-

læ cometæ quæ non apparent in nativitatibus regum; sed magis sunt indicia mortis eorum.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. dicit libro 2. contra Faustum cap. 5. "Non ex illis erat hæc stellis "quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub creatoris lege cus"todiunt; sed novo virginis partu, novum Sydus apparuit."

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Stella quæ magis apparuit, non fuit una cœlestium stellarum.

Probatur quinque rationibus, quas Chrysost. inducit Hom. 6. in Matth.

Prima ratio est, quia stella quæ magis apparuit, ferebatur á septentrione in meridiem: ita enim Judæa jacet ad Persidem, unde magi venerunt, qua via nulla cœlestium stellarum incedit.

Secunda, quia stella quæ magis apparuit, non solum apparebat in nocte; sed etiam in media die, quod non est virtutis cœlestium stellarum; sed nec etiam Lunæ.

Tertia, quia hæc stella quandoque apparebat, et quandoque occultabatur; cum enim intraverunt Hierosolymam, occultavit seipsam; deinde ubi Herodem reliquerunt, seipsam monstravit; quod stellæ cœlestes efficere non possunt.

Quarta, quia non habebat continuum motum; sed cum oportebat ire magos, ibat; cum oportebat stare, stabat: sicut de columna nubis erat in deserto, quod cœlestes stellæ non faciunt.

Quinta, quia non sursum manens, partum Virginis demonstrabat; sed deorsum descendens, hoc faciebat: dicitur enim Matth. 2. quod "stella quam viderant "magi in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat "puer." Ex quo patet quod Verbum magorum dicentium: "vidimus stellam "ejus in oriente," non est sic intelligendum, quasi ipsis in oriente existentibus stella apparuerit existens in terra Juda; sed quia viderunt eam in oriente existentem, et præcessit eos usque in Judæam, quamvis hoc á quibusdam sub dubio relinquatur. Non autem potuisset distincte domum demonstrare, nisi esset terræ vicina. Et sicut ipse Chrysost. dicit, "hoc non videtur proprium esse "stellæ; sed virtutis rationalis cujusdam." Unde videtur hæc stella virtutis invisibilis fuisse in talem apparentiam transformata.

*Quæ, et qualis fuerit illa stella.*

Quidam dicunt quod illa stella fuit Spiritus Sanctus in forma stellæ apparens: ajunt enim quod sicut Spiritus Sanctus descendit super baptizatum Dominum in specie columbæ, ita magis in stellæ specie apparuit.

Probabilius tamen videtur quod fuerit stella de novo creata: non in cœlo; sed in aere terræ vicino quæ secundum divinam voluntatem movebatur. Unde Leo Papa dicit in Serm. 1. Epiphan. "Tribus "magis in regione orientis stella novæ "claritatis apparuit quæ illustrior cæteris, pulchriorque syderibus in se intuentium oculos, animosque converteret, ut confestim adverteretur non esse "otiosum quod tam insolitum videbatur."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad sententiam August. quod cœlum in Sacra Scriptura quandoque dicitur aer, secundum illud, *volucres cœli, et pisces maris;* et secundum hoc, sensus verborum August. est, repente de cœlo, idest de aere sydus apparuit.

Ad 2. Negatur consequentia. Ipsi enim angeli cœlestes, ex officio suo habent, ut ad nos descendant in ministerium missi. Stellæ autem cœlestes suos situs non mutant. Unde non est similis ratio de angelis, et de cœlestibus stellis.

Ad 3. Negatur maior: non enim est universaliter vera. Ad probationem dicitur, quod sicut stella illa non est secuta motum cœlestium stellarum, ita non est secuta motum cometarum quæ nec de die apparent, nec suum cursum ordina-

tum mutant. Nec tamen omnino aberat significatio cometarum, quia cœleste Christi regnum *comminuit, et consumpsit universa regna terræ, et ipsum in æternum stabit,* ut dicitur Dan. 2.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum magi convenienter venerint ad adorandum Christum.*

*Pro negativa.* =Videtur, quod magi non convenienter venerint ad venerandum Christum.

1. Magi non erant de regno Judæorum. Ergo inconvenienter veniunt ad adorandum Regem Judæorum quem ex visione stellæ natum esse cognoscerent.

Conseq. probat., quia unicuique regi reverentia debetur á suis subditis, et subditi suo regi honorem deferre tenentur.

2. In regno Judæe regnabat Herodes. Ergo stulte fecerunt magi alterius regis nativitatem annuntiantes.

Conseq. prob., quia stultum est, vivente rege aliquo, extraneum regem in eo regno annuntiare.

3. Magi ducatu cœlestis indicii ab oriente venerant in Judæam. Ergo stulte egerunt, præter ducatum stellæ humanum indicium requirendo, dicentes: *ubi est qui natus est rex Judæorum.*

Conseq. prob., quia certius est cœleste indicium, quam humanum.

4. Magi non invenerunt Christum regia dignitate fulgentem. Ergo inconvenienter ei munera, et reverentiam regiam exhibuerunt.

Conseq. prob., quia munerum oblatio et adorationis reverentia non debetur, nisi regibus jam regnantibus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illi qui divino lumine ducuntur, non errant. Sed magi divino lumine ducebantur: dicitur enim Isaiæ cap. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Ergo magi, absque errore, Christo reverentiam exhibuerunt.

*Determinatio.*

Conclusio. Credendum est magos á Spiritu Sancto inspiratos, sapienter Christo reverentiam exhibuisse.

Prob. Magi sunt primitiæ gentium in Christum credentium, in quibus apparuit, sicut in quodam præsagio, fides, et devotio gentium venientium á remotis ad Christum. Ergo credendum est magos á Spiritu Sancto inspiratos sapienter Christo reverentiam exhibuisse.

Conseq. prob., quia devotio, et fides gentium est absque errore, per inspirationem Spiritus Sancti: unde credendum est etiam quod fides, et devotio primitiæ gentium eadem Spiritus Sancti inspiratione absque errore fuerit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod magi adorabant regem, cui se subditos esse credebant. Unde Aug. dicit in Serm. 2. Epiphan. "Cum multi "reges Judæorum nati fuissent, et de- "functi; nullum eorum magi adorandum "quæsierunt; non itaque regi Judæo- "rum, quales illic esse solebant, hunc "tam magnum honorem longinqui alie- "nigenæ, et ab eodem regno prorsus "extranei á se deberi arbitrabantur; sed "talem natum esse didicerunt, in quo "adorando se salutem quæ secundum "Deum est, consecuturos minime dubi- "bitaverunt."

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod per illam annuntiationem magorum præsignabatur constantia gentium Christum usque ad mortem confitentium. Unde Chrys. dicit super Matth. Hom. 2. quod "dum considerabant re- "gem futurum, non timebant regem "præsentem: adhuc non viderant Chris- "tum, et jam parati erant pro eo mori" Sapienter igitur, et constanter fecerunt magi annunciantes regem cœlestem, ubi rex terrenus regnabat.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod sicut August. dicit in Serm. 6. Epipha. "Stella quæ

"magos produxit ad locum, ubi erat cum "matre virgine Deus infans, poterat eos "ad ipsam civitatem Bethleem, in qua "natus est Christus, producere; tamen "subtraxit se donec de civitate, in qua "Christus nasceretur, etiam Judæi tes- "timonium prohiberent, ut sic geminato "testimonio confirmati," ut Leo Papa dicit Serm. 4. Epiphan. "attentiori fide "expeterent, quem et stellæ claritas, et "prophetiæ manifestabat auctoritas. Et "ita ipsi annuntiant Judæis Christi nati- "vitatem, et interrogant locum, cre- "dunt, et quærunt, tamquam significan- "tes eos qui ambulant per fidem, et de- "siderant speciem," ut Aug. dicit in Serm. 6. Epiph. Judæi autem indicantes eis locum nativitatis Christi, "similes fac- "ti sunt fabris arcæ Noe qui aliis, ubi "evaderent, præstiterunt, et ipsi diluvio "perierunt. Audierunt, et abierunt in- quisitores, dixerunt, et remanserunt "doctores, similes lapidibus miliariis qui "viam ostendunt, et non ambulant." Divino etiam nutu factum est, ut aspectu stellæ subtracto, magi humano sensu in Hierusalem irent quærentes in civitate regia regem natum, ut in Hierusalem Christi nativitas primo publice annuntiaretur, secundum illud Isaiæ 2. *de Syon exibit lex, et Verbum Domini de Hierusalem*, et ut etiam studio magorum de longe venientium, damnaretur Judæorum pigritia prope existentium.

Ad 4. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod sicut Chrysost. dicit Hom. 2. in Matth. "Si magi ter- "renum regem quærentes venissent, "fuissent confusi, quia tanti itineris la- "borem sine causa suscepissent, unde "nec adorassent, nec munera obtulis- "sent. Nunc autem, quia cœlestem re- "gem quærebant, etsi nihil regalis ex- "cellentiæ in eo viderent, tamen solius "stellæ testimonio contenti, eum adora- "verunt: vident enim hominem, et Deum "cognoscunt. Et offerunt munera dig- "nitati Christi congruentia; aurum qui- "dem quasi regi magno. Thus quod in "Dei sacrificio ponitur, immolatur ut "Deo. Myrrha, qua mortuorum corpo- "ra condiuntur, præbetur tamquam pro "salute omnium morituro." In quo etiam (ut Greg. dicit Hom. 10. Evang.) instruimur, "ut nato regi, aurum, per "quod significatur sapientia, offeramus, "in conspectu ejus, sapientiæ luminæ "splendentes. Thus autem," per quod exprimitur orationis devotio, "offerimus "Deo, si per orationis studia Deo redo- "lere valeamus." Myrrham autem quæ mortificationem significat carnis, "offe- "rimus, si carnis vitia per abstinentiam "mortificemus." Sapienter igitur egerunt magi Christum regem regum in præsepio jacentem adorando, et ei munera offerendo.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 36.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod nativitas Christi non debuit esse omnibus manifesta. Ut per hoc, quod dicitur Isa. 45. et 53. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi nota ly *quasi*. Ac si in proposito dicatur. Abscondita erit et non abscondita, despecta erit, et non despecta Salvatoris nativitas: abscondita erit aliquibus, et his erit despecta; non erit abscondita quibusdam aliis, et his non erit despecta sed pretiosa: intelligitur enim hoc per figuram, quæ minus dicendo, significat plus. Ergo, secundum Isaiam, nativitas Salva-

toris non debuit tunc manifestari omnibus. Item insinuatur idipsum per dictum Psal. 71. *descendet, sicut pluvia in vellus.* Hoc enim intelligitur de Christi descensu, quo natus est in mundum: dicente Ecclesia ad ipsum. " Quando natus es inffabiliter ex virgine, tunc impletæ sunt scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti. » Hæc illa in festo Circumcisionis Domini. Propheta igitur assimilavit nativitatem Christi pluviæ in vellus descendenti. Pluvia descendens super terram duram, eoquod multum sonitum tamquam ex duritie terræ concitatum facit, auditur ab omnibus ibi existentibus etiam quod in domo sint, vel parum ad pluviæ descensum attendant: sed pluvia descendens super vellus, eoquod nullum, aut vix ullum sonitum præ velleris mollitie facit, non percipitur ab omnibus, etiam quod circum circa in domo existant, vel extra existentes parum attendant. Ac si ergo dixerit David per illam similitudinem. Nativitas Christi, quod non futura esset tunc temporis omnibus manifesta, conspicitur, si ad simile, quod adduco, scilicet ad pluviæ descensionem in vellus, attendatur. Cæterum propter ly *debuit* in conclusione positum quod importat convenientiam, vide 2. 2. qu. 122. artic. 2. append. et quæst. 140. art. 1. append. et 1. 2. qu. 68. art. 4. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod nativitas Christi aliquibus debebat esse manifesta. Ut per hoc, quod dicitur Isa. 53. *Quasi absconditus est vultus ejus.* Applica tu istud ad nativitatem, et pondera ly *quasi*, ut in art. 1. append. Item per hoc, quod ditur Ps. 71. *Descendet sicut pluvia in vellus.* Vicinis enim, et quibusdam aliis attente descensum pluviæ talis considerantibus, solet notitia descensus pluviæ in vellus provenire, quamvis non omnibus. Vide ar. 1. append. Propheta ergo regius ad digitum ferme ostendit, quibus notificanda tunc esset Christi nativitas: vicinis, scilicet, hoc est, pastoribus in eadem regione vigilantibus, Luc. 2. et Magis attente ortum stellæ novæ expectantibus, atque considerantibus Matth. 2. Insinuatur quoque idipsum prædictum lib. Tobiæ, c. 12. " Tunc dixit eis occulte: opera Dei revelare, et confiteri honorificum est. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam occultum sermonem. » Si enim opera Dei (teste Angelo) revelare occulte, idest, aliquibus (ut ipse fecit) est honorificum, utique secundum hanc regulam recte in proposito dicemus, Angelum á simili dicere hic, quod honorificum erat revelare Christi nativitatem occulte, idest aliquibus, et consequenter, quod debuit manifestari non omnibus, sed quibusdam, per quos posset ad aliorum notitiam pervenire, ut fuit hic de facto Tobiæ, quod scilicet manifestavit postea aliis revelata sibi ab Angelo. Vide cap. 13. 14. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et ab Ecclesia insinuatum, quod convenienter electi sunt illi, quibus Christi nativitas fuit manifestata. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Joan. 13 *Ego*, etc. ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Ubi nota, quod dictum illud Christi universaliter extendi debet ad omnia ab ipso electa; quamvis tunc specialiter quoad electionem, qua hos potius, quam alios pro discipulis elegerat, loqueretur. Ratio extensionis universalis est sapientia, qua Christus eligit, infinitas, atque immutabilitas non accidentalis in Deo ipso, idest, quandoque adesse, et quandoque abesse potens, sed substantialis, idest, semper eodem modo præsens, et numquam abesse valens. Item expone ly *scio*, *quos elegerim*, idest, non á casu, nec probabiliter solum credens. me benefacere tales eligendo, nec ignorans qualitatem eventus eorum, quos eligebam: sed prudentissima ratione, certissimaque scientia tum de benefacta electione mea, tum de bonitate, vel malitia eventus in his, quos eligebam. Applica, pro quanto opus est, ad propositum hujus art. Insinuatur et idem in principio dictum á Ps. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Si omnia, ergo et electionem eorum quibus nativitas Christi revelanda erat. Item per hoc, quod dicitur Sapien. 11. *Omnia in numero, pondere, et mensura disposuisti Domine.* Pro quo, et hujusmodi, vide 1. 2. quæst. 68. art. 4. append. et 2. 2. qu. 122. art. 2. append. et qu. 140. ar. 1. append. De ly *conve-*

*nienter*, idest, convenientissime, prout materia proportionaliter requirit, vide supra qu. 35. art. 8. notat. post probat. Ab Ecclesia vero idipsum insinuatur per hoc, quod in collecta Domin. 7. post Octa. Trinita. dicit; *Deus, cujus providentia in sua dispositione non fallitur.* Ex eo enim, quod universaliter loquitur, quid dicendum sit in hoc, vel alia speciali materia, notificat: quoniam particularia sub universali comprehenduntur. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis declaretur vicissim, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Papa, quod Christus non debuit manifestare suam nativitatem per seipsum, puta, dicendo, se tunc recenter natum esse Messiam, vel confirmando hoc miraculis per seipsum visibiliter tunc factis, secundum quod postea procedente juventutis tempore fecit. A Papa *Leone* quidem, ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Á scripturis vero per hoc, quod de Christo dicitur Isa. 8. " Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ. » Hoc est, secundum B. Aug. in Sermone 4. de Epiphania. " antequam per humanam carnem Christus humana verba proferret, » etc. Ita quod ly *antequam sciat vocare* stat pro antequam proferat vocem, qua solent pueri primitus vocare patrem, et matrem. Immo, quod plus est, antequam sciat proferre hanc vocem: secundum literam ipsius prophetæ. Hoc est. Antequam ostendat se scire proferre hanc vocem, idest, vocare patrem suum putativum Joseph, Luc. 3. et veram matrem suam Mariam. Matth. 1. more illo, videlicet, quo in scripturis dicitur tunc aliquid fieri, quando innotescit, ut Genes. 22. *Nunc cognovi*, idest, cognoscere te, vel etiam alios feci, et Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas*, idest, manifestatum est nunc, ac manifestabitur, quod data est mihi omnis potestas. Ex eo igitur, quod Christus in puerili ætate prima non ostendebat, se scire vocare patrem, et matrem, intelligendum patenter per hoc esse vult Propheta, quod ipse in pueritia conformis extra esse voluit aliis parvulis. Cum ergo alii pueri tunc neque prædicent, neque miracula faciant, ad aliquam de seipsis imprimendam virtutis notitiam in cordibus hominum: voluit ibi propheta, si ad propositum suaviter inflectatur, consignificare, quod Christus per seipsum manifestare non debuit propriam nativitatem. Insinuatur et idem per hoc, quod de Christo dicitur Hebr. 2. " Debuit per omnia fratribus assimilari absque peccato. » Quomodo autem assimilatus per omnia fratribus fuisset, si contra ordinarium cursum puerilis ætatis existens puer se habuisset? et quomodo non se habuisset contra talem talis ætatis cursum, si tunc per seipsum nativitatem suam manifestasset? *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art 5. habes *primo* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christi nativitas convenienter manifestata fuit per Angelos, et stellam. Ut per dictum Deut. 8. secundum quod cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Item per illud Sap. 11. *omnia in numero, pondere, et mensura disposuisti Domine.* Ubi á simili de omnibus etiam quocumque tempore á Domino fiendis hoc idem vult cointelligi esse verificandum: et hoc propter unam, eamdemque rationem, scilicet simplicissimam Dei, atque sapientissimam, ac immutabilissimam ideo vim operandi. Item per dictum Ecclesiast. 3. " Non possumus eis quicquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur. » Ubi expone tu ly *fecit*, idest, et faciet: propter rationem efficacissimam simplicis virtutis divinæ nunc dictam. Ex his omnibus collectis potes verissimam propositionem construere, videlicet. Omnia opera Dei in tantum perfecta sunt, ut et in numero, pondere, mensuraque sint disposita, et illis nos totis nostris quibuscumque viribus utentes non possimus quicquam addere, nec auferre. Adhuc exinde subinferas. Omnia opera Dei in tam convenienti numero, pondere, et mensura sunt disposita, ut eis nos totis nostris quibuscumque, sive intellectus, scilicet, sive, etc. viribus utentes non possimus quicquam addere, nec auferre. Hæc, si ad particulare hoc, quandoquidem possunt applicari, et debent, inflectas, aperte dicunt, quod nativitas Christi convenienter per antonomasiam, idest, convenientissime

manifestata est per Angelos, et stellam. Vide, et inde in proposito te juva, art. 3. append. locaque ibi citata. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod ordine convenienti nativitas Christi manifestata est illis, quibus manifestata fuit. Ut per hoc, quod dicitur Daniel. 2. *Ipse*, etc. ut cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Quid vero sit mutare tempora, et ætates, potes faciliter intelligere ex B. Aug. dicente. " In hoc autem, quod dicit: venit hora, ostendit omne tempus, et quid et quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est. Quoniam, quæ futura fuerant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. » Hæc ille in hom. super Joan. 17. Ex Daniele igitur sic declarato patet intentum de ordine convenienti: quandoquidem ad sapientiam, quæ omnia in quocumque tempore facta disponit, pertinet ordinare, 1. qu. 1. art. 6. Item idipsum insinuatur ex supradictis, et citatis ar. 3 append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et Augustino, quod stella Magorum non fuit de stellis cœlestibus, sed de novo creata. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* Ubi ad intelligendum ly *novum sidus*, quomodo scilicet hoc stet cum ly *nihil novum sub sole*, Eccles. 1. et consequenter quomodo hoc sidus fuerit novum, vide in 1. q. 72. a. 1. ad 3. A scripturis vero per dictum Num. 24. *orietur stella ex Jacob*. Si enim de ortu stellarum cœlestium jam á principio mundi creatarum loqueretur Balaam, non diceretur hic prophetasse, quod est contra sensum Doctorum, quoniam nihil dixisset procul á nostra cognitione, cum tamen prophetia importet hujus contrarium, 2. 2. q. 171. a. 1. Nam vident homines, stellas diversas oriri quotidie juxta diversum earum cursum in cœlo, et per respectum ad nos. Oportet igitur dicere, quod Balaam ibi per ly *orietur stella* locutus fuerit non de alicujus stellæ antiquitus creatæ ortu super hemisphærium nostrum: sed de ortu, idest creatione nova unius stellæ, quæ esset in signum rerum illarum, quæ inibi connectit, scilicet consurrectionis virgæ de Israel, percussionisque Ducum Moab, etc. idest, nativitatis Christi ex Virgine, secundum Ecclesiam dicentem: *orta est stella ex Jacob*, *Virgo peperit Salvatorem*, percussuri regna mundi, etc. ut ex Daniele exponitur ad 3. et artic. 2. ad 3. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Ecclesia, quod Magi convenienter ad Christum adorandum venerunt, idest, quod non tantum convenienter eum adoraverunt, sed etiam convenientibus mediis, puta itinere tam longo, collocutione ad Herodem, et cæteris, quae narrantur de magis ipsis, Matth. 2. usi sunt in suo processu ad finem hunc, idest, ad adorationem Christi. A scripturis quidem per hoc, quod legitur Isa. 60. *Ambulabunt* etc. secundum quod est cum discursu *in arg. cont.* Pro quo nota, quod nomine illorum regum intelliguntur praecipue magi, tamquam gentium omnium illarum, de quibus loquitur ibi propheta, primitiae; id quod patet ex hoc, quod prophetia ipsa recitatur in celebritate missarum festi de Epiph. Ab Ecclesia vero per hoc, quod festivitatem solemnem celebrat non tantum de fine, idest, de adoratione Magorum, qua ipsi Christum adoraverunt, sed etiam de mediis ad hunc finem, idest de adventu Magorum, quo scilicet modo, et ordine processerunt ad adorationem ipsam, quam solemnitatem vocat Epiph. Quod autem de utroque praedictorum, idest, de fine et de mediis ad finem intendat tunc celebrare, patet ex officio ipsius festi. Nam ibi de fine meminit ex Psalm. 61. " Coram illo procident Æthiopes, Reges Tharsis, et insulae munera offerent, etc. De mediis vero ad finem tum in Antiphona 1. ad Magnificat, tum in Responsoriis 2. et 3. nocturni, ubi etiam, et alibi, ut in Evangelio, Epistola, etc. passim finem Magorum commemorat, idest, adorationem, munerum oblationem, devotamque reverentiam erga Christum. Porro in collecta, " Deus, a quo, quaecumque sunt, ordinata sunt, » Rom. 13. hoc scilicet quod Magi ad Christum adorandum venerint, attribuit dicens: " Deus, qui hodierna die unigenitum tuum gentibus stella

duce revelasti, concede, » etc. Quibus omnibus Ecclesia facto suo celeberrimo efficacissime, abundantissimeque probat intentum, quod in princ. append. positum fuit. De abundantia patet, ut diximus, ex dictis in officio. De efficacia vero patet ex dictis S. Doct. circa consuetudinem, seu auctoritatem Ecclesiae, 2. 2. q. 10 art. 12. corp. in princ. Pro ly convenienter vide q. 35. art. 8. not. post prob. concl. Item de convenientia scripturarum, 1. 2. qu. 68. a. 4. app. et 2. 2. qu. 16. ar. 2. app. et qu. 122. ar. 2. app. et q. 140. ar. 1. app. Item de sufficientia illarum, 2. 2. q. 79. ar. 2. app. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA SEPTIMA,

### DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM JESUM OBSERVATIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de circumcisione Christi. Et quia circumcisio est quædam professio legis observandæ, secundum illud Galat. v. 3. *Testificor omni circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*, simul cum hoc quærendum est de aliis legalibus circa puerum Jesum observatis.

*Unde quæruntur quatuor.*

Primo, de ejus circumcisione.
Secundo, de nominis impositione.
Tertio, de ejus oblatione.
Quarto, de matris purgatione.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus debuerit circumcidi.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit circumcidi.

1. Circumcisio fuit præcepta Abrahæ in signum fœderis quod erat de semine ejus Christus nasciturus, ut patet Gen. 17. Quod fœdus fuit in Christi nativitate completum. Ergo circumcisio, nato Christo, statim cessare debuit, nec eam Christus subire debebat.

Conseq. prob., quia veniente veritate, cessat figura.

2. Nos non debemus circumcidi, secundum illud ad Gal. 5. Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit. Ergo nec Christus debuit circumcidi.

Conseq. prob., quia omnis Christi actio, nostra est instructio; unde dicitur Joan. 13. «exemplum dedi vobis, ut «quemadmodum ego feci, ita et vos fa«ciatis.»

3. Christus non contraxit originale peccatum, ut patet ex dictis quæst. 15. art. 1. Ergo Christus non debuit circumcidi. Prob. consequentia, quia circumcisio est ordinata in remedium originalis peccati.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 2. Dicitur: *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus debuit circumcidi.

Probatur septem rationibus. Prima, voluit Dominus circumcidi, ut ostenderet veritatem humanæ carnis, quam assumpserat, contra Manichæum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum, et contra Appollinarium, qui dixit corpus Christi esse divinitati consubstantiale. Et contra Valentinum qui dixit Christum de cœlo corpus attulisse.

Secunda, ut probaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat.

Tertia, ut comprobaret se esse de genere Abrahæ qui circumcisionis mandatum acceperat, in signum fidei, quam de Deo habuerat.

Quarta, ut Judæis excusationem tol-

leret, ne eum reciperent si esset incircumcisus.

Quinta, ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo; unde et octava die circumcisus est, sicut in lege præceptum erat.

Sexta, ut quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo caro peccati consueverat mundari, non respueret,

Septima, ut legis onus in se sustinens, alios á legis onere liberaret, secundum illud ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens. Quod circumcisio per remotionem carnalis pelliculæ in membro generationis facta, significabat spoliationem vetustæ generationis, á qua quidem vetustate liberamur per passionem Christi, et ideo veritas hujus figuræ non fuit plene impleta in Christi nativitate; sed in ejus passione, ante quam circumcisio suam virtutem, et statum habebat. Et ideo decuit Christum ante suam passionem tamquam filium Abrahæ circumcidi. Fuit igitur data Abrahæ circumcisio, non solum in signum fœderis Christi nascituri; sed etiam ad significandam remotionem vetustæ generationis per Christi passionem, et licet quoad primum fuerit figura impleta in Christi nativitate; quoad secundum tamen non fuit impleta, nisi post Christi passionem, quando circumcisio, et alia legalia mortua fuerunt.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod Christus suscepit circumcisionem eo tempore, quo erat sub præcepto, et ideo sua actio in hoc est nobis imitanda, non ut circumcidamur; sed ut observemus ea quæ sunt nostro tempore in præcepto, quia *unicuique negotio est tempus, et opportunitas* ut dicitur Eccles. 8. Et præterea, ut Orig. dicit Hom. 14. in Luc. "sicut "mortui sumus cum illo moriente, et "consurreximus, Christo resurgente, ita "circumcisi sumus spirituali circumci-"sione per Christum, et ideo carnali "circumcisione non indigemus," et hoc est quod Apostolus dicit Col. 2. "In "quo" scilicet Christo "circumcisi estis "circumcisione non manufacta, in expo-"liatione corporis carnis, sed in circum-"cisione domini nostri Jesu Christi."

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod sicut Christus propria voluntate mortem nostram suscepit quæ est effectus peccati, nullum in se habens peccatum, ut nos á morte liberaret, et spiritualiter nos faceret mori peccato; ita etiam et circumcisionem quæ est remedium originalis peccati, suscepit, absque hoc quod haberet originale peccatum, ut nos á legis jugo liberaret, et ut nobis spiritualem circumcisionem efficeret, ut scilicet suscipiendo figuram, impleret veritatem. Et formalius, et brevius dicitur ad consequentiam, quod etsi Christus non contraxerit peccatum originale, voluit tamen remedium originalis peccati accipere, ut nos à jugo legis liberaret, et in nos spiritualem circumcisionem efficeret, sicut mortem subiit quæ est peccati effectus, ut nos á morte liberaret.

## ARTICULUS II.

*Utrum convenienter fuerit Christo nomen impositum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod inconvenienter fuerit Christo nomen impositum.

1. Prophetæ aliud nomen prænunciaverunt de Christo ab eo quod ei fuit impositum. Ergo inconvenienter vocatum est nomen ejus Jesus.

Anteced. prob., quia Isaiæ 7. dicitur: "ecce virgo concipiet, et pariet filium, "et vocabitur nomen ejus Emmanuel," et Isaiæ 8. "Voca nomen ejus, accelera, "spolia detrahe, festina prædari:" et Isaiæ 9. "Vocabitur nomen ejus admira-"bilis, consiliarius, Deus fortis, Pater "futuri sæculi, princeps pacis." Et Zach.

6. dicitur: «ecce vir oriens nomen ejus:» inter quæ nulla fit mentio de nomine Jesu.

Consequentia prob., quia veritas Evangelica debet prænuntiationi propheticæ respondere.

2. Hoc nomen Jesus non est nomen novum; sed pluribus fuit in veteri testamento impositum, ut patet etiam ex ipsa genealogia Christi, Lucæ 3. Ergo videtur, quod inconvenienter vocatum sit nomen ejus, Jesus.

Conseq. prob., quia nomen Christo imponendum debebat esse novum, dicitur enim Isaiæ 6. "Vocabitur tibi nomen "novum quod os Domini nominavit."

3. Hoc nomen Jesus, salutem significat, ut patet per id quod dicitur Matth. 1. "Pariet filium, et vocabis nomen ejus, "Jesum: ipse enim salvum faciet popu-"lum suum á peccatis eorum." Ergo incovenienter fuit Christo hoc nomen impositum in sua circumcisione.

Conseq. prob., quia salus per Christum non est facta solum in circumcisione; sed etiam in præputio, ut patet per Apost. Rom. 4.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Est auctoritas scripturæ Lucæ 2. Quod *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienter Christo impositum est nomen Jesus: idest Salvator.

Prob. Ei cui collatum est divinitus hoc munus gratiæ, ut per ipsum omnes salvarentur, convenienter divinitus impositum fuit nomen Jesus. Sed Christo divinitus hoc munus gratiæ collatum est, ut omnes per ipsum salvarentur. Ergo convenienter vocatum est divinitus nomen ejus Jesus, idest Salvator; angelo hoc nomen prænuntiante, non solum matri, sed etiam Joseph qui futurus ejus erat nutritius.

Maior manifestatur. Nomina enim quæ singularibus hominibus imponuntur, sunt in duplici differentia: quædam enim imponuntur humanitus, seu ab homine. Quædam vero imponuntur divinitus. Nomina quæ ab hominibus aliquibus rebus imponuntur, significant aliquam illarum proprietatem. Nomina enim debent proprietatibus rerum nominatarum respondere quod patet in nominibus generum, et specierum, quia ut dicitur 4. Met. tex... "ratio quam significat nomen est "diffinitio" quæ designat propriam rei naturam. Imponuntur autem humanitus nomina singularibus hominibus, vel á tempore, sicut imponuntur nomina aliquorum sanctorum his qui in eorum festis nascuntur; vel á cognatione, sicut cum filio imponitur nomen patris; vel alicujus de cognatione ejus, sicut propinqui Joannis Baptistæ volebant eum vocare nomine patris sui Zachariam, non autem Joannem, quia *nullus erat in cognatione ejus qui vocaretur hoc nomine*, ut dicitur Lucæ 1. Vel etiam ab eventu, sicut Joseph vocavit primogenitum suum Manassem, dicens. "Oblivisci fecit me "Deus omnium laborum meorum," ut dicitur Gen. 41. Vel etiam ex aliqua qualitate ejus, cui nomen imponitur, sicut Gen. 25. dicitur quod quia «qui "primus egressus est de utero matris, "rufus erat, et totus in morem pellis "hispidus, vocatum est nomen ejus "Esau» quod interpretatur rubens. Nomina autem quæ imponuntur aliquibus divinitus semper significant aliquod gratuitum donum eis quibus nomen imponitur divinitus datum. Sicut Gen. 17. dictum est Abrahæ. «Appellaberis Abra-"ham, quia patrem multarum gentium "constitui te.» Et Matth. 16. dictum est Petro: «tu es Petrus, et super hanc "Petram ædificabo Ecclesiam meam.» Verum est igitur quod cui confertur divinitus hoc gratiæ munus, ut per ipsum omnes salutem consequantur, convenienter ei nomen divinitus imponitur

significans hoc gratiæ donum, ut maior propositio dicebat quæ ex his remanet probata. Minor autem patet, quia de Christo dictum est Matth. 1. quod salvum faciet populum suum á peccatis eorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem quod in omnibus illis nominibus quæ prophetæ de Christo prænuntiaverunt, significatur quodammodo hoc nomen Jesus quod est significativum salutis. Nam in hoc quod dicitur Emmanuel quod interpretatur nobiscum Deus, designatur causa salutis quæ est unio divinæ et humanæ naturæ in persona filii Dei; per quam unionem factum est ut Deus esset nobiscum, quasi particeps nostræ naturæ. Per hoc autem quod dicitur *voca nomen ejus accelera, spolia detrahe* etc. Designatur á quo nos salvabit, scilicet á diabolo, cujus spolia abstulit, secundum illud Colos. 2. *Expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter.* In hoc autem quod dicitur *vocabitur nomen ejus admirabilis*, etc. designatur via, et terminus nostræ salutis, in quantum scilicet admirabili divinitatis consilio, et virtute ad hæreditatem futuri sæculi perducimur, in quo erit pax perfecta filiorum Dei, sub ipso principe Deo. Quod vero dicitur: *ecce vir oriens nomen ejus*, ad idem refertur ad quod refertur primum, scilicet ad incarnationis mysterium, secundum quod exortum est in tenebris lumen rectis corde. Nomina igitur quæ prophetæ prænuntiaverunt de Christo, etsi quoad vocem alia à nomine Jesu videantur, significatum tamen eorum non est diversum á significato nominis Jesu.

Ad 2. Negat. antecedens. Hoc enim nomen, Jesus, secundum quod convenit Christo, est novum, et nulli alteri convenire potest. Ad probationem dicitur quod his qui fuerunt ante Christum, potuit convenire hoc nomen, Jesus, secundum aliquam aliam rationem, puta, quia aliquam particularem, et temporalem salutem attulerunt; sed secundum rationem spiritualis, et universalis salutis, hoc nomen proprium est Christo, et secundum hoc dicitur ejus nomen esse novum. Quia scilicet solus Christus spiritualem, et universalem salutem attulit.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod ex hoc quod per Christum facta est salus etiam in præputio, non sequitur quod non debuerit in circumcisione nomen accipere. Sicut enim legitur Gen. 17. Abraham suscepit simul nominis impositionem, et circumcisionis mandatum á Deo. Et ideo apud Judæos consuetum erat ut ipso die circumcisionis pueris nomina imponerentur, quasi ante circumcisionem perfectum esse non habuerint. Sicut etiam nunc in baptismo pueris nomina imponuntur. Unde super illud Prov. 4. « Ego filius fui patris mei tenellus, et « unigenitus coram matre mea, » dicit Glos. « quare Salomon se unigenitum « coram matre nominat, quem fratrem « uterinum præcessisse scriptura testa- « tur nisi quia ille mox natus, sine no- « mine, quassi numquam fuisset, deces- « sit? » Et secundum hunc morem Christus simul cum circumcisione nomen accepit.

## ARTICULUS III.

### *Utrum Christus convenienter fuerit in templo oblatus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod inconvenienter Christus fuerit in templo oblatus.

1. Illi ex legis præcepto erant in templo offerendi qui aperiebant matris vulvam. Sed Christus non aperuit matris vulvam. Ergo Christus non debebat ex legis præcepto in templo præsentari.

Maior prob., quia Exod. 13. dicitur: *sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel.*

Minor prob., quia Christus exivit de clauso Virginis utero.

2. Ille qui est semper præsens alicui, non potest ei præsentari. Sed Christi humanitas semper fuit Deo maxime præ-

sens, utpote semper ei conjuncta in unitate personæ. Ergo non oportuit quod coram domino sisteretur.

3. Hostiæ non debet esse alia hostia. Sed Christus est hostia principalis, ad quam omnes hostiæ veteris legis referuntur, sicut figura ad veritatem. Ergo non fuit conveniens ut pro Chisto offerretur hostia.

4. Inter legales hostias præcipua fuit agnus, qui erat juge sacrificium, ut habetur Num. 28. Unde etiam Christus dicitur agnus Joan. 1. *Ecce Agnus Dei.* Ergo magis fuit conveniens quod pro Christo offerretur agnus quam par turturum, vel duo pulli columbarum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Est auctoritas scripturæ quæ testatur Christum fuisse in templo præsentatum, et oblatum pro eo fuisse sacrificium, seu hostiam, Lucæ 2.

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienter Christus fuit in templo præsentatus, et pro eo fuit oblatum sacrificium.

Prob. Christus ex muliere natus quasi primogenitus voluit sub lege fieri, ut eos qui sub lege erant, redimeret, et ut justificatio legis in suis membris spiritualiter impleretur, ut art. 1. dictum est. Ergo convenienter Christus fuit in templo cum oblatione præsentatus.

Consequentia prob. Nam de prole nata duplex præceptum in lege traditur. Unum quidem generale quoad omnes, ut scilicet completis diebus purificationis matris offerretur sacrificium pro filio, sive pro filia, ut habetur Levit. 12. Et hoc sacrificium erat ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta, et nata, et etiam ad consecrationem quamdam ipsius, quia tunc primo præsentabatur in templo, et ideo aliquid offerebatur in holocaustum, et aliquid pro peccato. Aliud autem præceptum legis erat speciale, de primogenitis, tam in hominibus quam in jumentis. Dominus enim deputaverat sibi omne primogenitum filiorum Israel pro eo quod ad liberationem populi Israel percusserat primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus, primogenitis filiorum Israel servatis. Et hoc mandatum ponitur Exod. 13. In quo etiam præfigurabatur Christus qui est *primogenitus in multis fratribus*, ut dicitur Rom. 8. Quia igitur Christus ex muliere natus, erat quasi primogenitus, et voluit fieri sub lege; hæc duo Evangelista Lucas circa eum fuisse observata ostendit. Primo quidem id quod pertinet ad primogenitos, cum dicit: « tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur. » Secundo illud quod pertinet communiter ad omnes, cum dicit, « ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum. » Ex hoc igitur quod Christus natus est ex muliere, et erat primogenitus, et voluit fieri sub lege, manifeste sequitur quod convenienter fuerit in templo præsentatus, et quod fuerit pro eo hostia oblata, quia scilicet hæc duo in lege circa primogenitum masculum præcipiebantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Ad maiorem, et ad ejus probationem dicitur quod sicut Gregor. Nissenus dicit « illud præceptum legis in solo incarnato Verbo singulariter, et ab aliis differenter impleri: videtur. Ipse namque solus ineffabiliter conceptus, ac incomprehensibiliter editus, virginalem uterum non aperuit, non antea connubio reseratum, servans post partum inviolabiliter signaculum castitatis.» Unde quod dicit: adaperiens vulvam, designat quod nihil ante inde intraverat, vel exierat. Et per hoc etiam Christus dicitur specialiter masculinus, quia nihil de fœmeneitate culpæ portavit: singulariter etiam dicitur sanctus, quia terrenæ contagia corruptelæ imma-

culati partus novitate non sensit. Vel potest dici quod Christus non comprehendebatur sub præcepto legis, propter quod dictum est, omne primogenitum adaperiens vulvam; non enim fuisset necessarium adjungere: adaperiens vulvam, nisi ad excludendum Christum, qui primogenitus fuit, et per clausam portam exivit. Voluit tamen eam servare ea ratione, qua alia legis præcepta adimplere dignatus est.

Ad 2. Dicitur quod sicut filius Dei non propter seipsum factus est homo, et circumcisus in carne; sed ut nos per gratiam faceret Deos, et ut spiritualiter circumcidamur, sic propter nos sistitur Domino, ut discamus Deo præsentare nosmetipsos. Et hoc post circumcisionem ejus factum est, ut ostendat neminem, nisi circumcisum vitiis, dignum esse divinis conspectibus. Unde ad formam dicitur ad maiorem quod qui est alicui præsens, non potest ei præsentari eo modo, quo est ei præsens. Et ad minorem dicitur quod Christus, secundum humanitatem erat Deo præsens per essentiæ visionem, et per hypostaticam unionem, tamen non erat ei præsens in materiali templo, in quo propter dictas rationes voluit præsentari.

Ad 3. Negatur maior: hostia enim, secundum veritatem, potest esse hostia figuralis, et propter hoc ipsum Christus vera hostia voluit hostias legales pro se offerri, ut figura conjungeretur veritati, et per veritatem figura approbaretur contra illos qui Deum legis negant á Christo fuisse in Evangelio prædicatum. *Non enim putandum est* (ut Origenes dicit Hom. 14. in Lucam) *quod filium suum bonus Deus sub lege inimici fecerit, quam ipse non dederat.*

Ad 4. Dicitur ad anteced. quod Levit. 12. præcipitur, ut qui possent agnum pro filio, aut filia simul, et turturem sive columbam, offerrent. Qui vero non sufficerent ad offerendum agnum, duos turtures, vel duos pullos columbarum offerrent. Dominus autem qui cum dives esset, propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus, ut dicitur 2. Corint. 8. pro se pauperum hostiam voluit offerri, sicut et in ipsa nativitate pannis involvitur, et reclinatur in præsepio: nihilominus tamen hujusmodi aves figuræ congruunt; turtur enim, quia est avis loquax, prædicationem, et confessionem fidei significat; quia vero est animal castum, significat castitatem; quia vero est animal solitarium, significat contemplationem. Columba vero est animal mansuetum, et simplex mansuetudinem et simplicitatem significans. Est etiam animal gregale, unde significat vitam activam. Et ideo hujusmodi hostia præfigurabat perfectionem Christi, et membrorum ejus. Utrumque etiam, animal propter consuetudinem gemendi, præsentes sanctorum luctus designat. Sed turtur quæ est solitaria, significat secretas orationum lachrymas. Columba vero quæ est gregalis, significat publicas orationes Ecclesiæ. Utrumque vero animal duplicatum offertur, ut sanctitas sit non solum in animâ, sed etiam in corpore.

## ARTICULUS IV.

*Utrum mater Dei convenienter ad templum purganda acceserit.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod inconvenienter mater Dei ad templum purganda accesserit.

1. In Beata Virgine nulla fuit immunditia, ut patet ex dictis art. præced. ad 1. Ergo non debuit purganda ad templum accedere.

Conseq. prob., quia purgatio non videtur esse nisi ab immunditia.

2. Illa quæ peperit masculum sine virili semine, non debuit ad templum venire purganda. Sed Beata Virgo peperit masculum sine virili semine. Ergo Beata Virgo non debuit accedere ad templum purganda.

Maior prob., quia Levit. 12. dicitur: *mulier quæ susceplo semine peperit masculum, immunda erit septem diebus*: et

ideo ei præcipitur quod non ingrediatur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis ejus. Mulier igitur quæ concepit non suscepto semine, ad hoc legis præceptum non tenebatur.

3. Sacramenta veteris legis gratiam non conferebant; sed ipsa potius secum gratiæ auctorem habebant. Ergo non fuit conveniens Beatæ Virgini, ut ad templum purganda veniret.

Conseq. prob., quia purgatio ab immunditia non fit, nisi per gratiam.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 2. Dicitur quod *impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi.* Ergo convenienter Beata Virgo ad templum purganda accesit.

*Determinatio.*

Conclusio. Mater Dei convenienter ad templum purganda accesit.

Probatur. Christus, etsi non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem, et alia legis onera subire ad demonstrandum humilitatis et obedientiæ exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumniæ occasionem Judæis tolleret. Ergo propter easdem rationes convenienter voluit matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.

Conseq. prob., quia sicut plenitudo gratiæ á Christo derivatur in matrem, ita decuit ut mater humilitati filii conformaretur. *Humilibus* enim *Deus dat gratiam*, ut dicitur Jacobi 4.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod etsi Beata Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis observantiam implere, non propter indigentiam; sed propter legis præceptum. Et ideo signanter evangelista dicit quod impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem: ipsa enim secundum se purgatione non indigebat. Negatur igitur consequentia. Ad probationem dicitur: quod illa purgatio non solum erat facienda propter immunditiam, sed etiam propter legis observantiam.

Ad 2. Dicitur ad maiorem. Quod illa quæ concepit non suscepto virili semine non tenebatur ad illud legis præceptum. Et quia Beata Virgo sola concepit sine virili semine, ipsa non erat legis precepto obnoxia. Unde signanter Moyses videtur fuisse locutus, ad excipiendam ab immunditia matrem Dei; voluntarie tamen purgationis observantiam adimplevit, ut in corp. dictum est.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur: quod purgatio quæ non fit nisi per gratiam, est purgatio ab immunditia culpæ. Sacramenta autem veteris legis non purgabant ab immunditia culpæ, sed hanc purgationem solum præfigurabant. Purgabant autem purgatione quadam carnali ab immunditia irregularitatis cujusdam, sicut in 1. 2. quæst. 102. dictum est. Neutram tamen immunditiam Beata Virgo contraxerat: et ideo non indigebat purgari.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 37.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus debuit circumcidi. Ut per hoc, quod dicitur Luc. 2. secundum quod est *in arg. cont.* Ex eo enim, quod Lucas monstrat, eum fuisse circumcisum, cointelligitur quoque demonstrasse, eum debuisse circumcidi. Nam fuisse circumcisum, includit hoc, scilicet, quod ipse voluerit circumcidi, et Deo est debi-

tum reddere sibi, quod vult, idest adimplere voluntatem suam, 1. q. 21. ar. 1. ad 3. Et omne, quod Deus vult, est bonum, atque conveniens, 1. qu. 19. art. 9. Dum ergo Evangelista docet, Christum fuisse circumcisum, eo ipso simul docet et eum voluisse circumcidi, et eum circumcidi fuisse conveniens: et hoc; scilicet eum circumcidi, fuisse sibi debitum, ut adimpleretur id, quod est, eum debuisse circumcidi. Hæc omnia ergo in textu illo argumenti contr. virtualiter includuntur. Item per hoc, quod dicitur Deuter. 18. " Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui." Si enim Christus, qui fuit iste propheta, futurus erat similis Moysi: utique debuit esse circumcisus quandoquidem Moyses circumcisus erat, Exod. 2. cum esset Hebræus, et ex bonis parentibus. De hoc vide veritates aureas super totam legem veterem, Exod. 2. concl. 1. 2. et Deut. 18. concl. 6. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod Christo fuit convenienter nomen impositum. Ut Luc. 2. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi nota; quod impossibile est, nomen á Deo impositum, et ab Angelo notificatum, non esse conveniens, et consequenter videbis, hanc necesitatem convenientiæ fuisse ab Evangelista indicatam per ly " quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur." Sic enim in text. Evangelii sequitur immediate post ly *vocatum est nomen ejus Jesus.* Rursus nota, quod ly *convenienter* stat antonomastice, ac si dicatur, convenientissime. Rationem hujus, et similium vide q. 35. art. 8. not. post prob. concl. Item insinuatur per hoc, quod dicitur Abachuch. 3. *exultabo in Deo Jesu meo.* Patet enim hic, quod Deus á propheta nominatur Jesus: id, quod postea adimpletum est de Deo incarnato. Prophetia vero simpliciter dicta, qualis est hæc, cum sit á Deo solum 2. 2. q. 172. a. 1. 5. non potest non esse id conveniens. Item per hoc, quod dicitur Genes. 41. " vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi." Pro quo adverte hoc, tamquam regulam, quod, sicut apparitiones in veteri testamento factæ apparitionis Verbi in carne figura fuerunt, q. 5. ar. 1. arg. 3. ita nominationes in veteri testamento factæ de multis, qui dicebantur Salvatores, figura erant impositionis hujus nominis Verbo incarnato. Sicut tamen figura deficit à figurato, et figuratum est quid nobilius, quam figura, prout etiam de illis apparitionibus patet, q. 5. a. 1. ad 3. ita illi Salvatores deficiebant á figurato, in quantum illi salvabant secundum rationem particularem, figuratum autem, idest, Christus, salvat secundum rationem universalem, ut hic declaratur ad secundum. Quod ergo Christus nominandus esset Jesus prophetatum est per ly " clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem," Judic. 3. et per ly " dedit Dominus Salvatorem," 4. Reg. 13. et per ly " dedisti eis Salvatores," Nehem. 9. et per ly " mittet eis Salvatorem," Isa. 19. et per ly " aperiatur terra, et germinet Salvatorem," ib. 45. et per ly " ecce Salvator tuus veniet," ib. 62. et per ly " Salvator noster in tempore," Hier. 14. et per ly " non est Salvator præter me," idest hoc nomen Jesus est proprium mihi, Ose. 13. et per ly " expectabo Deum Salvatorem, meum," Mich. 7. Cæterum per ly *convenienter* vide de convenientia scripturarum 1. 2. q. 68. a. 4. app. et 2. 2. q. 122. a. 2 app. et qu. 140. ar. 1. app. et qu. 179. a. 2. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, et Ecclesia, quod Christus convenenter est in templo oblatus. A scripturis quidem per hoc, quod narrant factum Lucæ 2. Item per hoc, quod fuerat de tali facto prophetatum Malach. 3. " Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis." Hoc est, Christus: qui vocatus est magni consilii Angelus, Isa. 9. secundum unam translationem, quæ cantatur pro introitu in tertia Missa Natalis Domini. Quæcumque enim sunt à Deo, convenientia sunt, utpote modo suavi, idest, unicuique accommodato, ordinata, Sap. 7. Rom. 13. Ab Ecclesia vero per hoc, quod idem factum esse testatur dicens in collecta festi purificat. " Deus cujus unigenitus cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus." De auctoritatis Ecclesiæ vigore vide 2. 2. qu. 10. art. 12. cor. art.

Pro ly *convenienter* vide citata de convenientia scripturarum supra art. 2. append. Item pro eodem vide qu. 35. art. 8. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, quod Beata Virgo convenienter post partum ad templum accessit purganda, idest, accessit secundum legem purgationis datam. Ut per hoc, quod dicitur Luc. 2. prout est *in arg. cont.* Item á simili per hoc, quod de Christo circa solutiones didrachmatis legitur Matthæi 17. *Quid tibi videtur Simon*? etc. usque in finem capituli. Ecce Solutioni talis tributi et non erat obnoxius, et se non esse obnoxium ibi tunc ex ratione monstraverat Christus, qui tamen convenienter, ne scilicet scandalizarentur tributi exactores, solvit ipsum censum. Dixi ly *á simili*: tum, quia mater præ omnibus aliis debuit conformari filio, tamquam sibi simili, idest, tamquam, suo exemplari, ut patet, tum, quia casus similis tunc occurrebat Christo, qualis nunc occurrit suæ matri. Sicut enim mater pepererat, quod judæi noverant, et manserat Virgo, quod judæi non noverant: ita Christus erat homo, quod illi exactores cognoscebant: et erat Deus, quod exactores ignorabant. Item, sicut mater á judæis ex notis ab ipsis, scilicet quod pepererat, judicabatur obligata ad servandum legem de parientibus, quamvis revera ex ignotis ab illis, scilicet quod esset virgo, non obligaretur, ita Christus ab exactoribus ex notis ab ipsis, scilicet quod erat homo, judicabatur obligatus ad servandum superioris, idest, Cæsaris legem de solvendo tributo: quamvis revera ex ignotis ab illis, scilicet quod esset Deus, non haberet aliquem superiorem, et consequenter legi de tributis non obligaretur. Sicut etiam scandalizati fuissent exactores, si Christus non solvisset tributum: ita scandalizati fuissent judæi, si mater non accessisset ad templum juxta legem purificationis matrum. Sicut ergo convenienter fecit Christus in hoc, quod scandalo exactorum, ne eveniret, occurrit per solutionem tributi: ita convenienter fecit mater in hoc, quod scandalo judæorum, ne eveniret, occurrit per accessionem illam ad templum. Eo optime insinuatum á simili, quod fuerat promissum. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA OCTAVA,

### DE BAPTISMO JOANNIS, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de baptismo quo Christus baptizatus est; et quia Christus baptizatus est baptismo Joannis, primo considerandum est de baptismo Joannis in communi; secundo de baptizatione Christi.

*Circa primum quæruntur sex.*

Primo, utrum conveniens fuerit quod Joannes baptizaret.

Secundo, utrum ille baptismus fuerit à Deo.

Tertio, utrum contulerit gratiam.

Quarto, utrum alii, præter Christum, illo baptismo debuerint baptizari.

Quinto, utrum baptismus ille cessare debuerit Christo baptizato.

Sexto, utrum baptizati baptismo Joannis essent postea baptizandi baptismo Christi.

### ARTICULUS I.

*Utrum conveniens fuerit quod Joannes baptizaret.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod non fuerit conveniens Joannem baptizare.

1. Jannes non introduxit novam legem. Ergo non fuit convenies quod novum ritum baptizandi introduceret.

Consequentia probatur, quia omnis ritus sacramentalis ad aliquam legem pertinet. Unde qui non introduxit legem novam nec novum sacramentalem ritum debet introducere.

2. Prophetæ qui fuerunt ante Christum, non introduxerunt novum ritum; sed ad observantiam legalium rituum in-

ducebant, ut patet Malach. ult. *Mementote legis Moysi servi mei.* Ergo nec Joannes novum ritum baptizandi introducere debuit.

Conseq. probat., quia Joannes fuit missus á Deo in testimonum tamquam propheta, secundum illud Luc. 1. *Tu puer propheta altissimi vocaberis.*

3. Judæi excedebant in superfluitate baptismatum: dicitur enim Marc. 7. quod « Pharisæi, et omnes Judæi, nisi crebro « laverint manus, non manducant, et á « foro venientes; nisi baptizentur, non « comedunt, et alia multa sunt quæ tra- « dita sunt illis servare baptismata cali- « cum, et urceorum, et æramentorum, « et lectorum. » Ergo inconveniens fuit quod Joannes novum ritum baptizandi introduxerit.

Consequentia prob,, quia ubi est alicujus rei superfluitas, non est ad illud aliquid addendum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Est auctoritas Scripturæ Matth. 3. Ubi præmissa sanctitate Joannis, subditur quod *exibant ad eum multi, et baptizabantur in Jordane.*

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Conveniens fuit Joannem baptizare.

Prob. Quadrupliciter: primo quia oportebat Christum á Joanne baptizari, ut baptismum consecraret, ut August. dicit in Serm. 1. Epiph.

Secundo, ut Christus manifestaretur: unde ipse Joannes Baptista dicit Joan. 1. *Ut manifestetur*, scilicet Christus in Israel, *propterea veni ego in aqua baptizans.* Concurrentibus enim turbis ad baptismum, annuntiabat Christum, quod quidem facilius sic factum est, quam si per singulos discurrisset, ut Chrys. dicit Hom. 10. super Joannem.

Tertio ut suo baptismo assuefaceret homines ad baptismum Christi. Unde Greg. dicit Hom. 7. in Evang. Quod « ideo Joannes baptizavit, ut præcursio- « nis suæ ordinem servans, qui nascitu- « rum Dominum nascendo prævenerat, « baptizando quoque baptizaturum domi- « num præveniret. »

Quarto ut ad pœnitentiam homines inducens, eos præpararet ad digne suscipiendum baptismum Christi: unde ibidem Beda dicit: quod « quantum cathe- « cumenis nondum baptizatis prodest doc- « trina fidei; tantum profuit baptismus « Joannis ante baptisma Christi. » Quia sicut ille prædicabat pœnitentiam, et baptismum Christi prænuntiabat, et in cognitionem veritatis, quæ mundo apparuit attrahebat: sic ministri Ecclesiæ primo erudiunt, post peccata eorum redarguunt, demum in baptismo Christi remissionem peccatorum promittunt.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod baptismus Joannis non erat per se sacramentum; sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi. Et ideo aliqualiter pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysi.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod Joannes non solum fuit propheta, sed ut dicitur Matth. 11. *plusquam propheta:* fuit enim terminus legis, et initium Evangelii. Et ideo magis pertinebat ad eum verbo, et opere inducere homines ad legem Christi, quam ad observantiam veteris legis.

Ad 3. Dicitur ad anteced. Quod baptismata illa Pharisæorum erant inania, utpote ad solam munditiam carnis ordinata. Baptismus autem Joannis ordinabatur ad munditiam spiritualem: inducebat enim homines ad pœnitentiam, ut in corp. dictum est. Unde negatur conseq. Ad prob. patet quid sit dicendum.

## ARTICULUS II.

*Utrum baptismus Joannis fuerit á Deo.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod baptismus Joannis non fuerit á Deo.

1. Baptismus qui est á Deo, non de-

nominatur á puro homine. Sed baptismus Joannis denominatur á puro homine, scilicet ab ipso Joanne, secundum illud Matth. 21. *Baptismus Joannis, unde erat? de cælo, an ex hominibus?* Ergo baptismus Joannis, non erat á Deo.

Maior prob., quia nihil sacramentale, quod est á Deo denominatur á puro homine. Sicut baptismus novæ legis non dicitur Petri vel Pauli, sed Christi.

Aliter sacramentale quod denominatur á puro homine, non est á Deo. Sed baptismus Joannis erat sacramentale quoddam, quod denominabatur ab homine puro. Ergo baptismus Joannis non erat á Deo. Præmissæ probantur, sicut in alia forma.

2. Omnis doctrina, sive ritus de novo procedens á Deo, aliquibus signis confirmatur. Sed baptismus Joannis nullo divino signo fuit confirmatus. Ergo baptismus quo Joannes baptizavit, non erat á Deo.

Maior prob., quia Dominus dedit Moysi, qui novam legem promulgaturus erat potestatem faciendi signa. Exod. 4. et ad Heb. 2. dicitur. *Cum* fides nostra principium *accepisset enarrari á Deo ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis.*

Minor prob., quia de Joanne Baptista dicitur Joan. 10. *Joannes signum fecit nullum.*

3. Sacramenta quæ sunt divinitus instituta, aliquibus Sacræ Scripturæ præceptis continentur. Sed baptismus Joannis non præcipitur aliquo præcepto Sacræ Scripturæ. Ergo videtur, quod baptismus Joannis non fuerit á Deo.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joannes fuit missus á Deo ad baptizandum. Ergo baptismus Joannis erat á Deo.

Anteced. prob., quia Joannis 1. dicitur de Joanne, *qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris spiritum, etc.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* In baptismo Joannis duo possunt considerari, scilicet ritus baptizandi, et effectus baptismi.

1.ª Conclusio. Ritus baptizandi non fuit ab hominibus, sed á Deo.

Prob. Quia Deus familiari Spiritus Sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit, ut dicit Joan. 1.

2.ª Conclusio. Effectus baptismi Joannis fuit ab homine.

Prob. Quia nihil in illo baptismo efficiebatur, quod homo facere non posset. Unde hic effectus non fuit á Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod sacramenta et sacramentalia denominantur ab eo, á quo est principalis eorum effectus. Unde baptismus novæ legis non denominatur á ministro, sed á Deo, quia effectus principalis ipsius, qui est interior emundatio, non est á ministro, sed á solo Deo. Et quia per baptismum Joannis solum corpus mundabatur, secundum illud Matth. 3. *Ego baptizo vos aqua ille* scilicet Christus, *baptizabit vos Spiritu Sancto*, ideo baptismus Joannis donominatur ab ipso, quia scilicet nihil in eo agebatur, quod ipse non ageret. Unde ad formam primam dicitur ad maiorem quod baptismus qui est á solo Deo quantum ad principalem ejus effectum, qualis est baptismus novæ legis, non denominatur ab homine. Baptismus tamen qui est á solo Deo quantum ad ritum, non autem quantum ad effectum, qualis est baptismus Joannis, ab homine denominari debet. Et ad aliam formam dicitur etiam ad maiorem; quod sacramentale quod denominatur á puro homine, non est á solo Deo quantum ad ejus effectum, et talis erat Joannis baptismus.

Ad 2. Dicitur dupliciter. Primo ad maiorem, quod doctrina quæ est á Deo, confirmatur per aliqua divina signa facta vel ab ipso qui doctrinam prædicat, vel ab alio. Doctrina et operatio Joannis fuit

confirmata, non per signa facta á Joanne, (si enim Joannes signa fecisset, omnes homines, non intendissent principaliter Christo, sed ipsi Joanni, sicut et Christo intendissent, quod ne fieret non est datum Joanni, ut faceret signa,) sed per signa facta á Christo, qui signorum multitudinem, et doctrinam propriam et doctrinam Joannis, quæ ad Christi doctrinam ordinabatur, confirmavit.

Vel dicitur secundo ad eamdem maiorem, quod doctrina, quæ est á Deo, non oportet quod semper per signa confirmetur, sed sufficit quod auctoritate Scripturæ comprobetur, et ex probitate vitæ ejus, qui doctrinam prædicat, commendetur. Tunc ad minorem dicitur quod Joannes confirmavit doctrinam suam testimonio Scripturæ; unde Judæis quærentibus, quare baptizaret, confirmavit officium suum auctoritate Scripturæ, dicens: *Ego vox clamantis in deserto*, etc. Joan. 1. Ipsa etiam austeritas vitæ Joannis, ejus officium commendabat, quia ut Chrysost. dicit Hom. 10. in Matth. *Mirabile erat in humano corpore tantam patientiam videre.*

Ad 3. Dicitur, quod maior non est vera de sacramentis, quæ ordinata sunt, ut durarent tantum modico tempore. Et quia baptismus Joannis non fuit ordinatus á Deo, nisi ut modico tempore duraret propter causas dictas, art. 1. hujus quæst, ideo non fuit commendatus aliquo præcepto communiter edito in Sacra Scriptura, sed familiari quadam revelatione Spiritus Sancti, ut in corpore dictum est.

## ARTICULUS III.

### *Utrum in baptismo Joannis gratia daretur.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod in baptismo Joannis gratia daretur.

1. In baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum datur gratia. Sed baptismus Joannis erat baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Ergo in baptismo Joannis dabatur gratia.

Maior prob., quia pœnitentia et remissio peccatorum est per gratiam.

Minor prob., quia Marci 1. dicitur: « fuit Joannes in deserto baptizans, et « prædicans baptismum pœnitentiæ in re« missionem peccatorum. »

2. Baptizati á Joanne confitebantur peccata sua. Ergo in Baptismo Joannis conferebatur gratia.

Conseq. prob., quia confessio peccatorum ordinatur ad remissionem peccatorum, quæ fit per gratiam.

3. Per circumcisionem remittebatur peccatum originale, quod non fit sine gratia. Ergo multo magis baptismus Joannis remissionem peccatorum operabatur, quod sine gratia fieri non potest.

Anteced. prob., quia Beda dicit in Hom. circumcisionis: «Idem salutiferæ « curationis auxilium circumcisio in lege « contra originalis peccati vulnus agebat, « quod nunc baptismus agere revelatæ « gratiæ tempore consuevit.

Conseq. prob., quia baptismus Joannis propinquior erat baptismo Christi, quam circumcisio.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Baptismo ejus, qui baptizat non in spiritu, sed in aqua tantum, non confertur gratia baptizato, nec peccata solvit. Sed Joannes non in spiritu, sed in aqua baptizabat, nec peccata solvebat. Ergo baptismo Joannis non conferebatur gratia.

Maior prob., quia gratia est á spiritu Sancto, et per eam peccata solvuntur.

Minor prob., quia super illud Matth. 3. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam* dicit Greg. Hom. 7. in Evang. *Joannes non in spiritu, sed in aqua baptizat, quia peccata solvere non valet.*

*Determinatio.*

Conclusio. Baptismus Joannis gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam præparabat.

Prob. Baptismus ejus, cujus tota doc-

trina, et operatio præparatoria erat tantum ad eum, per quem conferenda erat gratia hominibus, sicut ministri et inferioris artificis operatio est præparatoria ad operationem principalis agentis, non confert gratiam, sed solum ad gratiam præparat. Sed Joannis doctrina et operatio, tota ordinabatur ad Christum, per quem conferenda erat hominibus gratia, sicut operatio ministri et inferioris artificis ad operationem principalis agentis. Ergo Joannis baptismus non conferebat gratiam, sed solum ad gratiam præparabat.

Maior prob., quia ministri et inferioris artificis non est introducere formam, sed est præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Unde baptismus ejus, cujus tota operatio ordinabatur, tamquam ad principalem agentem, ad eum qui confert gratiam hominibus, non conferebat gratiam, sed homines ad gratiam Christi præparabat.

Minor quoad primam partem, scilicet quod tota doctrina, et operatio Joannis ordinaretur ad Christum, patet ex dictis art. 1. hujus quæst. in corp. in quarta ratione. Quoad aliam partem autem, scilicet quod gratia conferatur hominibus per Christum, prob. quia Joan. 1. dicitur: *gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

Declaratur conclusio quantum ad ultimam partem. Præparabat enim baptismus Joannis homines ad gratiam tripliciter. Uno modo per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Christi; alio modo assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi; tertio modo per pœnitentiam præparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem et ad ejus prob. quod in illis verbis, scilicet: fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, ut Beda dicit, potest intelligi duplex baptismus. Unus quidem quem Joannes baptizando conferebat, et hic dicitur baptismus pœnitentiæ, quia erat quoddam inductivum ad pœnitentiam, et quasi quædam protestatio, qua profitebantur homines se pœnitentiam acturos. Alius autem est baptismus Christi, per quem peccata remittuntur, quem Joannes dare non poterat, sed solum prædicabat, dicens: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Et secundum hanc expositionem respondetur ad argumentum, negando minorem. Non enim baptismus, quem dabat Joannes, erat in remissionem peccatorum, sed solum erat baptismus pœnitentiæ, idest in quo homines, qui baptizabantur, protestabantur se pœnitentiam acturos; baptismum autem pœnitentiæ in quo remittenda erant peccata, non conferebat Joannes, sed solum prædicabat.

Vel dicitur secundo ad eamdem minorem, et ad ejus probationem, quod Joannes prædicabat baptismum pœnitentiæ, idest inducentem ad pœnitentiam, quæ quidem pœnitentia ducit homines in remissionem peccatorum. Et secundum hoc baptismus, quem Joannes dabat et prædicabat, dicebatur baptismus pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, non quia ipse baptismus peccata remitteret; tunc enim in eo daretur gratia; sed quia inducebantur per ipsum baptismum, et per Joannis prædicationem homines ad pœnitentiam, quæ ducit in remissionem peccatorum.

Vel tertio dicitur ad eamdem minorem, quod sicut Hieronymus dicit super prædicta verba Marci 1. per baptismum Christi *gratia datur, qua peccata gratis dimittuntur: quod consummatur per sponsum*, idest per Christum, *initiatur per paranymphum*, idest per Joannem. Unde dicitur, quod baptizabat, et prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non ideo quia ipse perficeret, sed quia præparando ad hoc homines disponebat.

Ad 2. Dicitur ad antecedens: quod

illa confessio peccatorum non fiebat ad remissionem peccatorum statim per baptismum Joannis exhibendam, sed consequendam per sequentem pœnitentiam, et per baptismum Christi, ad quem pœnitentia illa præparabat. Et ad formam negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod confessio peccatorum ordinatur ad peccatorum remissionem; non tamen statim post pœnitentiam illam exhibebatur peccatorum remissio.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi baptismus Joannis fuerit propinquior baptismo Christi, quam circumcisio; non tamen sequitur, quod remitteret peccata: circumcisio enim erat instituta in remedium originalis peccati, baptismus autem Joannis ad hoc non erat institutus; sed solum, ut esset præparatorius ad baptismum Christi, ut dictum est. Sacramenta autem habent effectum ex vi suæ institutionis, non ex maiori, vel minori propinquitate ad Christum. Et ideo quia circumcisio erat instituta contra originale peccatum, ex vi suæ institutionis illud delebat modo, quo suo loco dicetur. Baptismus autem Joannis hoc non operabatur, quia ad hoc non fuerat institutus.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum alii præter Christum baptismo Joannis baptizari debuerint.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod baptismo Joannis solus Christus debuerit baptizari.

1. Illud quod est proprium Christo, non debet aliis convenire. Sed baptismus Joannis erat proprius Christo. Ergo baptismo Joannis solus Christus debuit baptizari.

Minor probat., quia sicut dictum est art. 1. ad hoc Joannes baptizavit, ut Christus baptizaretur, ut etiam August. dicit tract. 13. in Joan.

2. A baptismo Joannis nullus aliquid recipere poterat, quia in eo gratia non conferebatur, ut dictum est articulo præcedenti. Nec illo baptismo aliquis poterat aliquid conferre præter Christum, quæ *tactu mundissimæ suæ carnis aquas sanctificavit*. Ergo videtur quod solus Christus baptismo Joannis debuerit baptizari.

Conseq. prob., quia quicumque baptizatur, aut accipit aliquid à baptismo, vel aliquid confert baptismo, alioquin in vanum baptizaretur.

3. Baptismus Joannis non conferebatur gentilibus, nec parvulis, sed solis Judæis adultis. Ergo pari ratione nulli alteri conferri debuit, nisi soli Christo.

Anteced. prob., quia Marci 1. dicitur: *egrediebantur ad eum Israelitæ universi, et baptizabantur ab illo.*

Conseq. prob., quia si alii baptismo Joannis baptizabantur, hoc non erat, nisi ut præpararentur ad baptismum Christi, et sic conveniens videbatur quod sicut baptismus Christi omnibus confertur et magnis et parvis, gentilibus et Juæis; ita et baptismus Joannis debuerit omnibus conferri, quod tamen non est factum: unde sicut non est collatum gentilibus, et parvulis; ita videtur quod non debuerit Judæis adultis conferri, sed soli Christo.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 3. dicitur: « Factum est, cum « baptizaretur omnis populus, et Jesu « baptizato, et orante, aperti sunt Cœli. »

*Determinatio.*

Conclusio. Oportuit alios á Christo baptismo Joannis baptizari.

Prob. dupliciter: primo quia (ut Aug. dicit tract. 4. in Joan. « Si solus Chris- « tus baptismo Joannis baptizatus esset, « non deessent, qui dicerent baptismum « Joannis quo Christus est baptizatus, « digniorem esse baptismo Christi, quo « alii baptizantur. »

Secundo, quia oportebat per baptismum Joannis, alios ad baptismum Christi præparari, ut dictum est art. 1. et 3.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur,

quod non propter hoc sòlum fuit Joannis baptismus institutus, ut Christus baptizaretur, sed etiam propter alias causas, ut dictum est art. 1. hujus quæst. Et tamen si ad hoc solum Joannis baptismus esset institutus, ut Christus baptizaretur, oportebat inconveniens, de quo in corp. dictum est, vitari, per hoc quod alii Joannis baptismo baptizati fuerunt.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod alii qui ad Joannis baptismum accedebant, non poterant aliquid baptismo illi conferre, nec á baptismo gratiam accipiebant, sed solum pœnitentiæ signum. Negatur igitur anteced. quoad primam partem, ad cujus prob. dicitur quod etsi non reciperent gratiam, recipiebant tamen aliquid aliud, scilicet pœnitentiæ signum.

Ad 3. Neg. conseq. quia enim ille baptismus erat pœnitentiæ, quæ pueris non convenit, ideo baptismo illo pueri non baptizabantur. Conferre autem gentibus viam salutis, soli Christo reservabatur, qui est expectatio gentium, ut dicitur Gen. penult. Sed et ipse Christus Apostolis inhibuit gentilibus evangelium prædicare ante passionem et resurrectionem. Unde multo minus conveniebat, per Joannem gentiles ad baptismum admitti. Rationabiliter igitur Joannis baptismus non fuit datus parvulis et gentilibus, et tamen fuit datus Judæis adultis.

## ARTICULUS V.

### *Utrum baptismus Joannis debuerit cessare, Christo baptizato.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod baptismus Joannis cessare debuerit statim postquam Christus fuit baptizatus.

1. Baptismus, qui institutus fuit ad hoc ut Christus manifestaretur in Israel, Christo baptizato, debuit cessare. Sed baptismus Joannis institutus fuit ad hoc, ut Christus manifestaretur in Israel. Ergo Christo baptizato, baptismus Joannis debuit cessare.

Maior prob., quia Christo baptizato fuit sufficienter manifestatus, tum per testimonium Joannis, tum per descensum columbæ, tum etiam testimonio paternæ vocis.

Minor probat., quia Joan. 1. dicitur: *ut manifestetur in Israel, propterea veni in aqua baptizans.*

2. August. dicit tract. 4. in Joan. *Baptizatus est Christus, et cessavit Joannis baptismus.* Ergo videtur quod Joannes post Christum baptizatum, non debuerit baptizare.

3. Baptismus Christi incepit statim Christo baptizato. Ergo videtur quod baptismus Joannis cessaverit, Christo baptizato.

Anteced. prob., quia Christus « tactu "suæ mundissimæ carnis vim regenera- "tivam contulit aquis, » ut Beda dicit super Luc. 3.

Conseq. prob., quia baptismus Joannis erat præparatorius ad baptismum Christi.

### PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 3. dicitur quod « venit Jesus "in Judæam terram, et baptizabat; erat "autem et Joannes baptizans. » Ergo videtur quod postquam Christus fuit baptizatus, adhuc Joannes baptizabat.

Conseq. prob., quia Jesus non baptizavit, nisi postquam fuit à Joanne baptizatus.

### *Determinatio.*

Conclusio. Baptismus Joannis non debuit cesare, statim Christo baptizato.

Prob. quadrupliciter: primo quia (ut Chrysost. dicit Hom. 28. in Joan.) « Si "Joannes cessasset baptizare, Christo "baptizato, existimaretur quod zelo, "vel ira hoc faceret. »

Secundo quia si cessasset á baptizando, Christo baptizante, discipulos suos in maiorem zelum immisisset.

Tertio quia persistens in baptizando, suos auditores mittebat ad Christum.

Quarto quia, ut Beda dicit in Joan. 3. "Adhuc permanebat umbra veteris

"legis, nec debuit præcursor cessare, "donec veritas manifestaretur."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod nondum Christus erat plene manifestatus eo baptizato, et ideo adhuc necessarium erat quod Joannes baptizaret.

Ad 2. dicitur anteced. quod baptizato Christo cessavit baptismus Joannis, non quidem statim, sed eo incarcerato; unde Chrysost. dicit super Joan. Hom. 28. "Æstimo, propter hoc permissam "esse mortem Joannis, et eo sublato é "medio, Christum maxime prædicare "cœpisse, ut omnis multitudinis affectio "ad Christum transiret, et non ultra "his, quæ de utroque erant, sententiis "scinderetur."

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod baptismus Joannis præparatorius erat, non solum ad hoc quod Christus baptizaretur, sed etiam ad hoc quod alii ad Christi baptismum accederent, quod non fuit impletum statim post Christi baptizationem.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum baptizati baptismo Joannis essent postea baptismo Christi rebaptizandi.*

*Pro negativa.*=Videtur quod baptizati baptismo Joannis non fuerint baptizandi baptismo Christi.

1. Illi qui baptizabantur ab Apostolis, non iterum baptizabantur, sed solummodo addebatur eis impositio manuum. Ergo videtur quod baptizati à Joanne non debuerint baptizari baptismo Christi.

Anteced. prob., quia Act. 8. dicitur quod aliqui baptizati tantum erant à Philip. *in nomine Domini Jesu, et tunc apostoli,* scilicet Petrus et Joannes, *imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.*

Conseq. prob, quia Joannes non fuit minor Apostolis, sed maior; cum de eo scriptum sit Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Joanne Baptista.*

2. Apostoli fuerunt baptizati baptismo Joannis, et tamen non fuerunt baptizati baptismo Christi. Ergo videtur quod nec alii baptizati baptismo Joannis debuerint baptizari baptismo Christi.

Anteced. quoad primam partem prob. quia quidam eorum fuerunt discipuli Joannis, ut patet Jo. 1. quantum autem ad aliam partem probat. quia ut dicitur Joan. 4. *Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus.*

Non videtur autem quod discipuli seipsos baptizaverint, vel quod fuerint baptizati ab aliquo alio à Christo.

3. Joannes non legitur baptizatus baptismo Christi. Ergo multo minus illi, qui à Joanne baptizabántur, indigebant baptismo Christi.

Conseq. probat., quia minor est qui baptizatur, quam qui baptizat. Unde si Joannes, qui fuit tantæ perfectionis, non indiguit baptismo Christi, nec alii qui ab eo baptizati sunt, qui multo minoris perfectionis erant, baptismo Christi indiguerunt.

4. Baptizati baptismo Joannis habentes plenam Trinitatis notitiam non fuerunt iterum baptizandi. Sed quidam fuerunt baptizati baptismo Joannis, qui habebant plenam notitiam Trinitatis. Ergo non erant baptizandi iterum baptismo Christi.

Maior prob., quia ratio quare aliqui baptizati baptismo Joannis fuerunt baptizati baptismo Christi, fuit, quia nesciebant, an esset Spiritus Sanctus: dicitur enim Act. 19. quod Paulus invenit quosdam de discipulis, «dixitque ad "eos: si Spiritum Sanctum accepistis "credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed "neque, si Spiritus Sanctus est, audivi-"mus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati "estis? Qui dixerunt: in Joannis bap-"tismate.» Et sequitur quod «baptizati sunt» iterum «in nomine Domini nostri "Jesu Christi.» Sic ergo videtur quod quia esse Spiritum Sanctum nesciebant,

oportuit eos iterum baptizari, sicut Hieronym. dicit super Joëlem cap. 2. et in Epist. de viro unius uxoris, et Amb. in lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. Unde baptizati baptismo Joannis habentes plenam Trinitatis fidem non erant iterum baptizandi.

5. Baptizati baptismo, cujus forma significabat fidem Christi, non erant rebaptizandi baptismo Christi. Sed baptismi Joannis forma significavit fidem Christi, in qua nos baptizamur. Ergo non oportebat baptizatos baptismo Joannis iterum baptizari baptismo Christi.

Maior prob. Quia Glos. Aug. tract. 80. in Joannem super illud Rom. 10. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*, dicit: « Unde est ista tanta virtus aquæ, ut « corpus tangat, et cor abluat, nisi fa- « ciente verbo, non quia dicitur, sed quia « creditur? » Ex quo patet quod virtus baptismi dependet ex fide. Et quod baptizati baptismo, cujus forma est significativa fidei Christi, non sunt alio baptismo baptizandi.

Minor prob., quia dicit Paulus Act. 19. « Joannes baptizabat baptismo pœ- « nitentiæ populum, dicens, in eum, qui « venturus est post ipsum, ut crederent, « hoc est, in Jesum. » Forma igitur baptismi Joannis, fidem Christi significabat.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit tract. 5. super Joan. « Qui « baptizati sunt baptismate Joannis, « oportebat, ut baptizarentur baptismate « Christi. »

*Determinatio.*

*Opinio Magistri sententiarum.*

Magister sentent. in 2. dist. quarti lib. volens huic quæsito satisfacere, primo distinguit quod baptizati baptismo Joannis fuerunt in duplici differentia: quidam enim nesciebant Spiritum Sanctum esse, et totam spem ponebant in baptismo Joannis; quidam vero habebant notitiam Trinitatis, et non posuerunt spem in baptismo Joannis. Tunc dicebat quod primi fuerunt postea baptizati baptismo Christi, ut erant illi de quibus habetur Act. 19. Alii vero non fuerunt iterum baptizati, sed impositione manuum ab Apost. super eos facta, Spiritum Sanctum acceperunt.

*Judicium de opinione Magistri.*

Opinio Magistri quantum ad primum dictum, scilicet quod baptizati baptismo Joannis, non scientes Spiritum Sanctum esse, ac spem ponentes in illo baptismo erant baptizandi baptismo Christi, vera est: quod multis auctoritatibus ab ipso confirmatur. Sed quantum ad secundum dictum, est penitus irrationabile, quod ostenditur dupliciter. Primo: baptizati baptismo, qui neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, etiamsi fidem et spem haberent, erant iterum baptizandi baptismo Christi, qui et gratiam conferebat, et characterem imprimebat. Sed baptismus Joannis, neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, sed erat solum in aqua, ut ipsemet dicit Matth. 3. Et per hoc non poterat fides et spes, quam hoc baptismo baptizati habebant, hunc defectum supplere. Ergo baptizati baptismo Joannis, etiam si haberent fidem Trinitatis, et spem salutis, erant iterum baptismo Christi baptizandi. Maior jam probata est: quia scilicet fides et spes baptizatorum baptismo Joannis, non poterant supplere illos duos defectus, scilicet gratiæ et characteris. Secundo: baptizati baptismo, in quo omittebatur id quod est de necessitate baptismi, erant iterum baptizandi. Sed in baptismo Joannis omittebatur illud quod erat de necessitate baptismi. Ergo baptizati baptismo Joannis erant rebaptizandi baptismo Christi.

Maior probatur, quia quando in sacramento omittitur, quod est de necessitate sacramenti, non solum oportet suppleri quod fuerat omissum, sed oportet totaliter innovari.

Minor prob. Est enim de necessitate

baptismi Christi, quod fiat non solum in aqua, ut fiebat baptismus Joannis, sed etiam in Spiritu Sancto, secundum illud Joan. 3. "Nisi quis renatus fuerit ex "aqua, et Spiritu Sancto, non potest "introire in regnum Dei:» Unde illis qui tantum in aqua baptizati erant baptismo Joannis, non solum erat supplendum, quod deerat, (ut scilicet daretur eis Spiritus Sanctus per manuum impositionem,) sed erant iterato totaliter baptizandi in aqua et Spiritu. Ex quibus sequitur conclusio responsiva cum suis rationibus.

Conclusio. Omnes baptizati baptismo Joannis fuerunt postea baptizandi baptismo Christi.

Quæ conclusio remanet probata ex auctoritate Aug. inducta pro affirmativa, ex 1. par. positione Magistri, et ex rationibus inductis contra secundam partem opinionis ejusdem Magistri.

AD ARGUMENTA.

Ad. 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod etsi Joannes non esset minor Apostolis, tamen quia non dabat baptismum Christi, ut faciebant discipuli baptizantes, sed suum, erant rebaptizandi baptizati á Joanne, non autem baptizati á discipulis Christi. Unde Aug. super Joan. tract. 5, dicit: "Ideo post Joannem baptizatum est, "quia non dabat baptismum Christi, "sed suum: quod autem dabatur á Pe"tro, et si quod datum est á Juda, "Christi erat: et ideo si quos baptizavit "Judas, non sunt iterum baptizandi: bap"tisma enim tale est, qualis est ille, "in cujus potestate datur, non qualis "ille, cujus ministerio datur.» Et inde est etiam quod baptizati á Philippo diacono, qui baptismum Christi dabat, non sunt iterum baptizati, sed acceperunt manuum impositionem per Apostolos, sicut baptizati per sacerdotes confirmantur per episcopos.

Ad 2. Negatur anteced. quoad secundam ejus partem. Fuerunt enim Apostoli baptizati baptismo Christi ab ipso Christo, quamvis Christus alios non baptizaverit. Unde Aug. dicit in Epist. 108. ad Seleucianum: «Intelligimus discipulos «Christi fuisse baptizatos, sive baptismo «Joannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive "(quod magis credibile est) baptismo «Christi. Neque enim ministerio bapti«zandi defuit, ut haberet baptizatos ser«vos, per quos cæteros baptizaret, qui «non defuit illius memorabilis humili«tatis ministerio, quando eis pedes «lavit.»

Ad 3. Dicitur ad anteced., quod sicut Chrysost. dicit super Matth. Hom. 4. per hoc quod Christus Joanni dicenti. *Ego á te debeo baptizari*, respondit: *sine modo*, ostenditur quod postea Christus baptizavit Joannem. Et hoc dicit in quibusdam libris apocryphis manifeste scriptum esse. Certum tamen est, ut Hieron. dicit super Matth. cap. 3. quod «sicut «Christus fuit babtizatus aqua á Joanne, «ita Joannes á Christo erat in spiritu «baptizandus.»

Ad 4. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod non est tota causa quare illi fuerunt baptizati post baptismum Joannis, quia Spiritum Sanctum non cognoverant, sed quia non erant baptismo Christi baptizati.

Ad 5. Negatur maior. Joannis enim baptismi forma significabat fidem Christi futuri, et propterea baptizati baptismo Joannis erant iterum baptizandi baptismo, cujus forma significaret fidem Christi præsentis. Unde Aug. dicit lib. 19. contra Faust. cap. 13. Sacramenta nostra sunt signa præsentis gratiæ, sacramenta vero veteris legis fuerunt signa gratiæ futuræ. Unde ex hoc ipso quod Joannes baptizavit in nomine venturi, datur intelligi quod non dabat baptismum Christi, qui est sacramentum novæ legis.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

### EX PRÆCED. 38.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Joannem baptizare, fuit conveniens. Ut per hoc, quod Matth. 3. *præmissa*, etc. ut *in arg. cont.* Pro cujus meliori notitia facit illud Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Sanctitas enim Joannis ibi narrata monstrat: quod ipse, tamquam adoptivus filius Dei, á spiritu ejus agebatur. Porro apertissime constat: quod convenientia facit, quicumque spiritu Dei agitur. Nam talis sapienter graditur, alioquin á spiritu Dei, qui aufert se etiam á cogitationibus, *quæ sunt sine intellectu*, Sap. 1. non ageretur: et per consequens viam, tum pulchram, cum pacificam ambulat, quandoquidem de sapientia, cum qua tunc graditur, scriptum est Prov. 3. *viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ*. Esse vero pulchrum consistit in quadam debita proportione; quare et pulchra dicuntur, quæ visa placent, cum tamen visus non delectetur, nisi in rebus debite proportionatis, 1. qu. 5. a. 4. ad 1. Esse autem pacificum est circa non apparenter, sed vere bonum, 2. 2. q. 29. ar. 2. Textus ergo argum. contr. ideo baptismum Joannis sanctitati ejusdem conjungit, conformiter ad Evangelium, ut ex tali conjunctione detur intelligi, quod baptismus ille erat prudenti intellectu excogitatus, tempori illi cum aliis debitis circumstantiis, (1. 2. qu. 6. 7. ar. 3. 4.) proportionatus, et vere bonus. Dum ergo textus ipse intendit ex hoc, scilicet ex baptizatione Joannis connexa ejus sanctitati, concludere, quod baptismus Joannis fuit conveniens: tunc per ly *conveniens* vult cointelligere etiam tria hæc jam dicta, scilicet esse et prudenti intellectu excogitatum, et debitis circumstantiis, pro tempore proportionatum, et non apparens, sed vere bonum. *Secundo* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis: quod baptismus Joannis fuit á Deo, et quod fuit ab homine. Quod quidem fuerit á Deo: ut Joan. 1. *Qui me misit*, etc. secundum quod *in arg. contr.* et nequis forsan spiritu pharisaico ductus ipsi Joanni replicaret: "Tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum non est verum:» Evangelista, tamquam huic supercilio se opponens ex semetipso de hac re sic ibi testificatur: "Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes: Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.» Hoc est. Fuit homo missus à Deo ad testificandum de lumine. Patet autem, quod Joannes Baptista non tantum verbo, sed etiam baptismo suo testificatus est de lumine, idest, de Christo ad baptizandum in Spiritu Sancto, et igne, Matth. 3. ex consequenti per illam auctoritatem constat, quod Joannes missus est á Deo ad baptizandum. Sed et ex contextu ejusdem Evangelistæ patet hoc ipsum, dum tractaturus ibidem post pauca de baptismo Joannis præmonuit universaliter de Joanne, quod est missus á Deo, ac si aperte ex serie verborum dixerit. Cum videris Joannem baptizare, scito, quod baptismus suus est á Deo. Quod autem idem baptismus fuerit ab homine, insinuatur per hoc, quod Joannes ad malignantes pharisæos de hoc quod baptizaret, respondit Joannis primo: *Ego baptizo in aqua*, ac si dicat apertius. Ne contra me de hoc indignemini: quia baptizando solum facio, et facere intendo effectum ego quem quilibet vestrum, utpote homo purus, facere posset. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod baptismus Joannis non conferebat gratiam, ut per illud Matth. 3. *Ego*, etc. ut cum expositione Beati Gregorii ponitur *in arg. cont.* Item per illud Marc. 1. "Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.» Ubi nota comparationem, et adversativam. Per hoc enim, quod comparantur isti baptismi ad invicem, ostenditur, quod distincti sunt: alioquin comparari non possent, cum relatio, et comparatio præsupponant extrema, idest quæ ad invicem referuntur, et comparantur, esse distincta. In quo autem distinguantur, monstrat adversativa ly *ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto*. Ac si scholastice dicatur: Ex hac adversativa relinquitur,

quod esse in Spiritu Sancto, non intelligatur in baptismo condiviso, scilicet Joannis. Isti ergo baptismi distinguuntur in effectu: quoniam effectus baptismi Christi est quid supernaturale, scilicet, Spiritus Sancti gratia, effectus autem baptismi Joannis est quid naturale, scilicet, lotio aquæ. Hæc voluit dixisse Evangelista per illam adversativam. Natura enim adversativæ sententiæ (ut patet discurrenti per omnia hujusmodi) est intelligendum relinquere, quod illud, quod ipsa dicit, non verificatur de sua collaterali propositione. Adversativam illam esse sententiam, quæ inter comparatas propositiones duas ponitur secundo loco cum ly *sed*, vel ly *autem*, vel ly *vero*, aut aliquo hujusmodi: et dicitur adversativa, quia continet aliquid diversum á priori propositione. Ut in proposito patuit de ly " Ego baptizavi aqua, ille vero baptizavit Spiritu Sancto. » Insinuatur quoque idipsum per hoc, quod Act. 16. narratur, á ly *Spiritum Sanctum accepistis*, etc. usque ad ly *baptizati sunt in nomine Domini Jesu*. Patet siquidem ibi, quod Spiritus Sanctus non dabatur in baptismo Joannis, cum sic baptizati nec scirent, nec audissent, utrum Spiritus Sanctus sit aliquid, idest, existat in rerum natura. Nec ergo gratia Spiritus Sancti in illo dabatur: alioquin Joannes ipsos adultos instruxisset dicendo, quod præpararentur ad gratiam Spiritus Sancti, cum in adultis necessario prærequirat dispositionem secundum Concilium Trid. sess. 6. c. 5. 6. et sic nominasset saltem Spiritum Sanctum, et per hoc baptizati ab eo audissent, quod Spiritus Sanctus erat. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod baptismo Joannis alii etiam præter Christum debuerunt baptizari. Ut per illud dictum Luc. 3. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus applicatione ad intentum probandum scito, quod, si non debuissent illi, idest si non fuisset conveniens, illos baptizari á Joanne: procul dubio Joannes sanctus, et justus eos non baptizasset, immo á suo baptismo libera increpatione (pro zelo sibi familiari), repulisset eosdem. Ex eo igitur, quod advenientes baptizabat, intelligendum aperte relinquit, quod alios baptizari suo baptismo et erat conveniens, et sibimet erat gratum, utpote qui horum utrumque facto suo probaret. Insinuatur quoque idem per hoc, quod Act. 19. intelligens Apostolus, quod quidam erant baptizati baptismate Joannis non redarguit, sed ad meliora animavit, scilicet ad baptizari baptismo Christi. Quos utique (pro suo fervido spiritu) redarguisset, ut olim Petrum, ac si in hoc reprehensibiles fuissent, idest, si ad baptismum Joannis accedendo fecissent, quod non debuissent. Ex non redargutione ergo, quin et ex ad meliora animatione, declaratum esse voluit Apostolus; quod hi suscipiendo baptismum Joannis bonum fecerunt. Provocare enim ad melius præsupponit bonum in eo, qui provocatur (ut patet), alioquin is provocaretur à malo ad bonum, et non á bono ad melius. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod baptismus Jo. Christo baptizato, cessare statim non debuit. Ut per illud Joan. 2 *Quod venit*, etc. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Ad cujus, et aliorum similium notitiam, nota quod supponitur hic: quod Jo. non fecisset id, quod facere non debuisset, et consequenter, quod, si fecit, debuit. Nec immerito supponuntur hæc, quoniam Joan. erat sanctus, et justus, et per consequens erat filius Dei adoptivus, quorum filiorum est á Spiritu Sancto agi, Rom. 8. Tenent ergo hæ sequelæ: Joannes baptizavit, ergo baptizare debuit. Non cessavit baptizare mox Christo baptizato, ergo tunc cessare non debuit. Porro quod nunc audis in subjecta materia de Joanne dici, de omnibus etiam aliis Joanni similibus, idest sanctis, et justis in aliis quoque materiis dictum puta. *Secundo* vides: etc.

Ex art 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Aug. quod baptizati baptismo Joan. erant iterum baptizandi baptismo Christi. A D. Augustino quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc quod Jo. ad baptizatos á se loquens, expresse dicit Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*, ubique enim explicat ly *vos*; ex hoc quasi ad digitum demonstrans, quod illæ personæ signatæ, quas ipse baptizaverat, erant baptismo Christi de

novo baptizandæ; et quod erat suiipsius intentum, ut á se baptizati ad Christi baptismum postea accederent. Hæc omnia importantur per ly *vos:* quod hic facit suppositionem personalem. Nam easdem numero personas, quas Joan. in suam scholam sive simpliciter docendo, sive etiam baptizando recepit, mittebat, tamquam fidelissimus præcursor, ad Christum: ut patet ex eo, quod ipse coram discipulis suis dixit Jo. 1. *Ecce agnus Dei*, proculdubio, ut agnum illum sequerentur. Adde secundum doctrinam sanctorum, quod Joa. non tantum verbo prædicando, sed etiam aqua baptizando, præcurrit Christum. Hoc autem proprie non fuit solum ex eo, quod ipse ante Christum prædicavit, et baptizavit: sed principalius ex eo, quod eos, quos docebat, et baptizabat, mittebat ad doctrinam, et baptismum Christi, commonens scilicet eosdem numero homines, quod deberent accedere ad Christum, ut edocerentur, et baptizarentur ab illo. Præcursoris namque, ut præcursoris, est dirigere, quos ducit, ad eum, cujus præcursor vere dicitur. Item insinuatur idem per hoc, quod dicitur Joan. 3. " Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. » Constat enim, quod per baptismum Joan. nemo renascebatur, sed nec ipse hoc de baptismo suo dixit umquam: et quod per baptismum Christi homo regeneratur. Ergo baptizatos á Joanne, oportuit secundum scripturam hanc, baptizari vel in re, vel in voto, si facultas non affuisset, baptismo Christi; ut possent introire in regnum Dei. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO TRIGESIMA NONA,

### DE BAPTIZATIONE CHRISTI, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de baptizatione Christi.

*Et circa hoc quæruntur octo.*

Primo, utrum Christus debuerit baptizari.

Secundo, utrum debuerit baptizari baptismo Joannis.

Tertio, de tempore baptismi.

Quarto, de loco.

Quinto, de hoc quod ei sunt cœli aperti.

Sexto, de Spiritu Sancto apparente in specie columbæ.

Septimo, utrum illa columba fuerit verum animal.

Octavo, de voce paterni testimonii.

### ARTICULUS 1.

*Utrum fuerit conveniens Christum baptizari.*

*Pro negativa.*— Videtur, quod non fuerit conveniens Christum baptizari.

1. Ei, quem conveniens est baptizari, convenit ablui. Sed Christo non convenit ablui. Ergo Christum non est conveniens baptizari.

Maior prob., quia baptizari est ablui.

Minor prob., quia in Christo nulla fuit impuritas.

2. Baptismus non pertinebat ad legem. Ergo Christus non debebat baptizari.

Conseq. prob., quia Christus suscepit circumcisionem, ut impleret legem.

3. Primum baptizans non debuit baptizari. Sed Christus fuit primum baptizans. Ergo Christus non debuit baptizari.

Maior probatur, quia primum movens in quolibet genere, est immobile secundum illum motum quo movet, sicut cœlum quod est primum alterans, non est alterabile.

Minor probatur, quia Joan. 1. dicitur: *super quem videris spiritum descendentem, et manentem, hic est qui baptizat.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contrà.*

Matth. 3. dicitur, quod *venit Jesus á*

*Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum baptizari.

Prob. tripliciter. Primo, quia (ut Amb. dicit lib. 2. super Luc. cap. ult.) « Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, qui peccatum non cognovit, baptismatis vim haberent, et ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis; » sicut Chrysost. dicit hom. 4. super Matth.

Secundo, quia ut Chrysost. dicit super Matth. Hom. 4. « Quamvis ipse non esset peccator, tamen naturam suscepit peccatricem, et similitudinem carnis peccati, propterea etsi pro se baptismate non indigebat, tamen in aliis carnalis natura baptismate opus habebat. » Et sicut Greg. Nazianz. dicit in Orat. Epiph. « Baptizatus est Christus, ut totum veteranum Adam immergat aquæ. »

Tertio, baptizari voluit, sicut August. dicit in Serm. de Epiph. « quia voluit facere, quod faciendum omnibus imperavit. » Et hoc est quod ipse dicit: « Sic decet nos implere omnem justitiam. » Ut enim Ambr. dicit super Luc. eodem lib. « Hæc est justitia, ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Potest enim quis baptizari, non ut abluatur, sed ut abluat. Et sic Christus est baptizatus, non ut ablueretur, sed ut ablueret, ut dictum est in corp.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod Christus non solum debebat implere ea quæ sunt veteris legis, sed etiam inchoare ea quæ sunt novæ legis: et ideo voluit non solum circumcidi, sed etiam baptizari.

Ad 3. Dicitur ad maiorem: quod primum baptizans non debuit baptizari eo baptismo, quo ipse baptizat: tunc ad minorem dicitur, quod Christus est primum babtizans spiritualiter, et sic non est babtizatus, sed solum in aqua.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus debuerit baptismo Joannis baptizari.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit baptizari baptismo Joannis.

1. Ei, qui baptizatur baptismo Joannis, convenit pœnitentia. Sed Christo non convenit pœnitentia. Ergo Christus non debuit baptizari baptismo Joannis.

Maior prob., quia baptismus Joannis fuit pœnitentiæ.

Minor prob., quia Christus nullum peccatum habuit.

2. Christus non fuit baptizatus baptismo legali, nec baptismo suo. Ergo pari ratione, nec debuit baptizari baptismo Joannis.

Conseq. prob., quia baptismus Joannis medius fuit inter baptismum Judæorum, et baptismum Christi, ut dicit Chrysost. Homil. 12. in Matth. Et cum medium naturam sapiat extremorum, sicut non est baptizatus aliquo extremorum baptismatum, nec medio debuit baptizari.

3. Omne quod attribuitur Christo, debet esse optimum. Sed baptismus Joannis non tenet supremum locum inter baptismata. Ergo baptismo Joannis non convenit Christo baptizari.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 3. dicitur, quod *venit Jesus in Jordanem, ut baptizaretur à Joanne.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus baptizatus fuit baptismo Joannis.

Prob. Christus baptizabat per suos discipulos, baptismo proprio. Ergo non est baptizatus baptismo proprio, sed Joannis.

Conseq. prob., quia ut dicit August. super Joan. tract. 13. « Baptizatus Dominus baptizabat, non eo baptismate, quo baptizatus est. »

2.° Conclusio. Conveniens fuit Christum baptizari baptismo Joannis.

Prob. tripliciter. Primo: qui non indigebat baptizari spirituali baptismate, convenienter baptizatus est baptismo Joannis. Sed Christus non indigebat baptizari spirituali baptismate. Ergo Christus convenienter baptizatus est baptismo Joannis.

Maior prob., quia Joannes non baptizavit in spiritu, sed solum in aqua.

Minor prob., quia Christus á principio suæ conceptionis gratia Spiritus Sancti repletus fuit, ut patet ex dictis quæst. 34. art. 4. Et hæc est ratio Chrysost. cit.

Secundo, quia ut Beda dicit c. 4. in Marc. 4. « Baptizatus est Christus baptis-« mo Joannis, ut baptismo suo baptis-« mum Joannis comprobaret. »

Tertio, quia ut Gregor. Nazianz. dicit in Orat. 39. Epiph. « Accedit Christus ad « baptismum Joannis sanctificaturus bap-« tismum. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Est enim vera de aliis, qui indigebant baptismo, non autem de Christo, qui non indigebat baptismo; sed baptizari voluit, ut nos suo exemplo induceret ad baptismum. Et ideo ad hoc quod esset efficacior inductio, voluit baptizari baptismo, quo manifeste non indigebat, ut homines accederent ad baptismum, quo indigebant. Unde Ambr. dicit super Luc. loc. cit. « Nemo refugiat lavacrum gratiæ, quan-« do Christus lavacrum pœnitentiæ non « refugit. »

Ad 2. Neg. conseq. Baptismus enim qui in lege præcipiebatur, erat solum figuralis. Et quia Christus est veritas, non competebat ei id, quod sola figura gerebatur. In baptismate autem proprio, scilicet Christi mundantur á peccato, qui ipso baptizantur, et eis confertur gratia. Christus autem non indigebat mundari á peccato, nec indigebat gratia, cum jam esset plenus gratia: et propterea non debuit baptizari proprio baptismo. Baptizatus est autem baptismo Joannis rationibus dictis in corpore: hic enim baptismus non erat pure figuralis, sed aliqualiter realis, quatenus homines ad pœnitentiam peccatorum inducebat.

Ad 3. dicitur ad minorem, quod baptismus est quoddam spirituale remedium: quanto autem aliquid est magis perfectum, tanto minori remedio indiget. Unde ex hoc ipso, quod Christus est maxime perfectus, conveniens fuit quod non baptizaretur perfectissimo baptismo; sicut ille qui est sanus, non indiget efficaci medicina.

Maior igitur non est vera de his, quæ adhibentur in remedium malorum, sive defectuum.

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus convenienti tempore fuerit baptizatus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fuerit convenienti tempore baptizatus.

1. Fideles Christi laudabiliter baptizantur, non solum ante trigesimum annum, sed in infantili ætate. Ergo Christus non convenienter baptizatus est in ætate triginta annorum.

Conseq. prob., quia ad hoc Christus baptizatus est ut suo exemplo alios ad baptismum provocaret.

2. Christus non legitur docuisse, aut miracula fecisse ante baptismum. Ergo videtur, quod Christus, qui pro utilitate hominum venerat, ante trigesimum annum debuerit baptizari.

Conseq. prob., quia utilius fuisset mundo, si priori tempore docuisset incipiens á vigesimo anno, vel etiam prius docere, et miracula facere.

3. In Daniele demonstratum est judicium sapientiæ sibi divinitus infusæ tempore suæ pueritiæ, secundum illud Dan. 13. « Suscitavit Dominus spiritum pueri « junioris, cujus nomen Daniel. » Ergo multo magis Christus in sua pueritia debuit baptizari, et docere.

Conseq. prob., quia judicium sapientiæ divinitus infusæ maxime debuit manifestari in Christo.

4. Baptismus Joannis ordinatur ad baptismum Christi, sicut ad finem. Ergo vel Christus debuit primus á Joanne baptizari, vel ultimus.

Conseq. prob., quia finis est prior in intentione, et posterior in executione.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 3. dicitur: *Factum est, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante*, etc. Et infra. *Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta.*

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Christus convenienter fuit in trigesimo anno baptizatus.

Prob. triplic. Primo: Christus baptizabatur, quasi ex tunc incipiens docere, et prædicare. Ergo Christus convenienter baptizatus est trigesimo anno ætatis suæ.

Conseq. prob., quia ad prædicandum, et docendum requiritur perfecta ætas, quæ est triginta annorum. Unde legitur Gen. 41. quod "triginta annorum erat "Joseph, quando accepit regimen "Ægypti." Similiter etiam 2. Reg. c. 5. legitur de David, quod "triginta an- "norum erat, cum regnare cœpisset." Ezech. etiam in trigesimo anno cœpit prophetizare, ut habetur Ezech. c. 1.

Secundo, quia sicut Chrysost. dicit Homil. 10. in Matth. futurum erat, ut post baptismum Christi lex cessare inciperet, et ideo hac ætate Christus ad baptismum venit, quæ potest omnia peccata suscipere, ut lege servata, nullus dicat quod ideo eam solvit, quia implere non potuit.

Tertio, quia per hoc quod Christus in ætate perfecta baptizatur, datur intelligi quod baptismus parit viros perfectos, secundum illud ad Ephes. 4. "Donec oc- "curramus omnes in unitatem fidei, et "agnitionis filii Dei, in virum perfec- "tum, in mensuram ætatis plenitudinis "Christi." Unde et ipsa proprietas numeri ad hoc pertinere videtur; consurgit enim trigenarius numerus ex ductu ternarii in denarium. Per ternarium intelligitur fides Trinitatis; per denarium autem impletio mandatorum legis. Et in his duobus perfectio vitæ christianæ consistit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de Christo, et de Christi fidelibus. Sicut enim dicit Greg. Nazianzen. in orat. Epiph. Christus non est baptizatus, "quasi indigeret purgatione, "nec quod aliquod ei immineret periculum "differendo baptismum; sed cuivis alte- "ri non in parvum redundat periculum, "si exeat ex hac vita non indutus veste "incorruptionis," scilicet gratia. Et licet bonum sit post baptismum baptismi munditiam custodire, «potius tamen est, "(ut ipse dicit) interdum paulisper ma- "culari, quam gratia omnino carere." Quia igitur Christo nullum imminebat periculum ex dilatione baptismi, propter rationes in corpore dictas, convenienter usque ad perfectam ætatem baptizari distulit. Quia vero aliis periculum magnum imminet ex dilatione baptismi, quam primum ad baptismum properare debemus.

Ad prob. dicitur, quod Christus baptizatus est non solum, ut exemplo suo alios ad baptismum provocaret; quod fecit suscipiendo baptismum: sed etiam propter alias causas, propter quas in perfecta ætate convenienter baptizatus est.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod utilitas, quæ á Christo hominibus provenit præcipue est per fidem, et humilitatem: ad quorum utrumque valet, quod Christus in pueritia vel adolescentia, non cœpit docere, sed in perfecta ætate. Ad fidem quidem, quia per hoc apparet in eo vera natura humanitatis, quod per temporum incrementa corporaliter profecit; et ne hujusmodi profectus

putaretur esse phantasticus, noluit sapientiam suam, vel virtutem manifestare ante perfectam corporis ætatem. Ad humilitatem vero ne ante perfectam ætatem aliquis præsumptuose prælationis gradum, et docendi officium assumat.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod Christus proponebatur hominibus in exemplum omnium, et ideo oportuit in eo ostendi id quod competit omnibus, secundum communem legem, ut scilicet in ætate perfecta doceret. Sed (sicut Gregor. Nazianz. dicit) *non est lex communis, quod raro contingit; sicut nec una hirundo ver facit*: aliquibus enim ex quadam speciali dispensatione, secundum divinæ sapientiæ ordinem et rationem, concessum est præter legem communem ut ante perfectam ætatem, officium præsidendi, vel docendi haberent, sicut Salomon, Daniel, et Hieremias.

Ad 4. Negatur conseq. Christus enim, nec primus, nec ultimus debuit á Joanne baptizari, quia ut Chrysost. dicit super Matth. Hom. 4. Christus ad hoc baptizabatur, «ut confirmaret prædicationem et baptismum Joannis, et ut testimonium acciperet á Joanne:» non autem creditum fuisset testimonium Joannis, nisi postquam fuerunt multi baptizati ab ipso; et ideo non debuit primus á Joanne baptizari. Similiter etiam nec ultimus; quia sicut ipse ibidem subdit: "Sicut lux solis non expectat occasum "luciferi, sed eo procedente egreditur, "et suo lumine obscurat illius candorem; "sic et Christus non expectavit ut cursum Joannes impleret, sed adhuc eo "docente, et baptizante, apparuit."

## ARTICULUS IV.

### *Utrum Christus debuerit in Jordane baptizari.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit baptizari in Jordane.

1. Figura baptismi præcessit in transitu maris rubri, ubi Ægyptii sunt submersi, sicut peccata delentur in baptismo. Ergo videtur quod Christus magis debuerit baptizari in mari rubro, quam in Jordanis flumine.

Conseq. prob., quia veritas debet figuræ respondere.

2. Jordanis interpretatur descensus. Ergo videtur inconveniens fuisse quod Christus baptizaretur in Jordane.

Conseq. prob., quia per baptismum, ille qui baptizatur, magis ascendit quam descendat. Unde etiam Matth. 3. dicitur quod *baptizatus Jesus, confestim ascendit de aqua.*

3. Transeuntibus filiis Israël, aquæ Jordanis conversæ sunt retrorsum, ut legitur Josuæ 4. et in Psal. 113. dicitur. Ergo non fuit conveniens quod Christus in Jordane baptizaretur.

Conseq. probat., quia illi, qui baptizantur, non retrorsum, sed antea progrediuntur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Marci 1. dicitur quod *baptizatus est Jesus á Joanne in Jordane.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit, ut Christus in Jordane baptizaretur.

Prob. Jordanis fluvius fuit, per quem filii Israel in terram promissionis intraverunt. Ergo conveniens fuit quod Christus in Jordane baptizaretur.

Conseq. prob., quia hoc speciale habet baptismus Christi præ omnibus aliis baptismatibus, quod introducit in regnum Dei, quod per terram promissionis significatur. Unde dicitur Joan. 3. «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.» Ad quod etiam pertinet quod Helias divisit aquas Jordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in cœlum, ut dicitur 4. Reg. 2. quia scilicet transeuntibus per aquam baptismi, per ignem Spiritus Sancti patet aditus ad cœlum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod transitus maris rubri præfiguravit bap-

tismum quantum ad hoc quod baptismus delet peccata; sed transitus Jordanis fuit figura baptismi, quantum ad hoc quod aperit januam regni cœlestis, et quia januæ Paradisi; et introductio in regnum cœleste, est principalior effectus baptismi, et per solum Christum impletus, ideo convenientius fuit quod Christus baptizaretur in Jordane, quam in mari rubro.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur quod in baptismo est ascensus per profectum gratiæ, qui ascensus requirit descensum humilitatis, secundum illud Jac. 4. *Humilibus dat gratiam*, et ad talem descensum referendum est nomen Jordanis.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. dicitur ex Augu. in Serm. de Epiph. "Sicut antea aquæ Jordanis retrorsum "conversæ fuerant; ita modo Christo "baptizato, retrorsum peccata conversa "sunt." Vel etiam per hoc significatur quod contra descensum aquarum benedictionum fluvius sursum ferebatur.

## ARTICULUS V.

### *Utrum Christo baptizato, cœli debuerint aperiri.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christo baptizato, non debuerint cœli aperiri.

1. Ei, qui semper erat in cœlo, non debent cœli aperiri. Sed Christus semper erat in cœlo. Ergo Christo non debuerunt cœli aperiri.

Maior prob., quia cœli aperiendi sunt ei, qui indiget intrare cœlum, quasi extra cœlum existens.

Minor prob., quia Joan. 3. dicitur *Filius hominis, qui est in celo.*

2. Aperitio cœlorum quæ legitur facta in baptismo Christi, aut intelligitur quod fuerit corporalis, aut spiritualis. Sed non potest intelligi, quod fuerit corporalis, nec quod fuerit spiritualis. Ergo inconvenienter dicitur quod baptizato Christo aperti fuerint ei cœli.

Minor probatur. Non potest intelligi corporaliter, quia corpora cœlestia sunt impassibilia et infrangibilia, secundum illud Job. 37. «Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi «ære fusi sunt?» Nec spiritualiter potest intelligi quod cœli aperti fuerint Christo, quia ante oculos Filii Dei antea cœli clausi non fuerant.

3. Fidelibus apertum est cœlum per passionem Christi, secundum illud Heb. 10. «Habemus fiduciam in introitu "sanctorum in sanguine Christi.» Unde etiam nec baptizati baptismo Christi, si qui ante ejus passionem decesserunt, cœlos intrare potuerunt. Ergo magis debuerunt aperiri cœli, Christo patiente, quam eo baptizato.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Lucæ 3. *Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienter Christo baptizato, et orante, aperti sunt ei cœli.

Prob. In baptismo Christi debuerunt demonstrari ea, quæ pertinent ad efficaciam nostri baptismi. Ergo convenienter Christo baptizato, et orante, aperti sunt cœli.

Anteced. prob., quia Christus baptizari voluit, ut suo baptismo consecraret baptismum, quo nos baptizaremur. Unde in ejus baptismo debuerunt demonstrari ea quæ pertinent ad efficaciam baptismi nostri.

Conseq. probat. Nam ad efficaciam baptismi nostri tria pertinent. Primum est principalis virtus, ex qua efficacia baptismi dependet, quæ quidem virtus est cœlestis, et ideo, baptizato Christo apertum est cœlum, ut ostenderetur, quod de cætero cœlestis virtus baptismum sanctificaret. Secundo operatur ad efficaciam baptismi nostri fides Ecclesiæ, et ejus qui baptizatur: unde et baptizati fidem profitentur. Per fidem autem inspicimus cœlestia, quæ sensum et rationem humanam excedunt. Et ad hoc significandum, Christo baptizato, aperti sunt

cœli. Tertio, quia per baptismum Christi specialiter aperitur nobis introitus regni cœlestis, qui primo homini præclusus fuerat per peccatum. Unde baptizato Christo, aperti sunt cœli, ut ostenderetur quod baptizatis patet via in cœlum. Et quia post baptismum necessaria est homini jugis oratio ad hoc, ut cœlum introeat (licet enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnans interius; et mundus et dæmones, qui impugnant exterius,) ideo signanter dicitur Lucæ 3. quod *Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum*: quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum. Vel dicitur (et orante) ut detur intelligi quod hoc ipsum, quod per baptismum cœlum aperitur credentibus, est ex virtute orationis Christi. Unde signanter Matth. 3. dicitur quod apertum est ei cœlum, idest omnibus per eum. Sicut si imperator alicui pro alio petenti dicat, ecce hoc beneficium non illi, pro quo petis, do, sed tibi, idest propter te illi ut Chrisostom. dicit super Matth. Homil. 4.

Fuit igitur conveniens, ut Christo baptizato, et orante, aperiretur ei cœlum, ut ostenderetur virtus cœlestis, fides cœlestium, et effectus cœlestis, et quod post baptismum necessaria est nobis oratio, et quod virtute orationis Christi apertum est cœlum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod ei, qui est in cœlo, non debent aperiri cœli, propter se, et secundum id quod est in cœlo; potest tamen indigere, ut ei aperiantur propter alios, qui in cœlo non sunt, nec cœlum ingredi poterant. Tunc ad minorem dicitur, quod Christo non sunt aperti cœli, quasi ipse indigeret propter se, cum ipse secundum divinitatem semper in cœlo fuerit, tamen aperti sunt ei cœli propter nos, secundum ejus humanitatem, quæ in terris erat. Sicut enim dicit Chrysost. super Matth. "Sicut Christus secundum dispensationem humanam baptizatus est, "quamvis ipse propter se baptismo non "indigeret; sic etiam secundum humanam dispensationem aperti sunt ei cœli.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod aperitio illa non fuit corporalis, seu materialis, quasi cœli corporaliter scissi fuerint, sed fuit spiritualis. Unde Hieron. dicit super Matth. cap. 3. "Cœli aperti "sunt, Christo baptizato, non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis: sicut et Ezechiel in principio voluminis sui cœlos apertos esse commemorat;" et hoc probat Chrysost. super Matth. Homil. 4. dicens: quod «si «ipsa creatura,» (scilicet cœlorum.) «rupta "fuisset, non dixisset: aperti sunt ei, "quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum.» Unde etiam Marci primo expresse dicitur quod «Jesus "statim ascendens de aqua, vidit apertos cœlos,» quasi ipsa aperitio cœlorum ad visionem Christi referatur. Verum est igitur quod ipsa aperitio cœlorum non fuit corporalis, sed spiritualis. Sed an visio ipsius aperitionis fuerit corporalis, vel spiritualis diversimode dici potest: quidam enim dicunt hanc visionem aperitionis fuisse corporalem, dicentes quod circa Christum baptizatum tantus splendor fulsit in baptismo, ut viderentur cœli aperti; et si sic dicatur, potest credi quod non solum ipse Christus viderit cœlos apertos, sed etiam Joannes, et alii qui tunc præsentes aderant. Potest etiam referri ad visionem imaginariam, per quem modum Ezechiel vidit cœlos apertos: formabatur enim virtute divina, et voluntate rationis talis visio in imaginatione Christi, quod appareret ei cœlum esse apertum ad designandum quod per baptismum cœli aditus hominibus aperitur. Potest etiam, et ad visionem intellectualem referri, prout scilicet Christus vidit, idest cognovit, jam baptismo sanctificato, apertum esse cœlum hominibus, quod tamen prius vide-

derat, idest sciverat esse fiendum. Ad formam igitur argumenti, conceditur prima pars minoris, scilicet quod illa aperitio non fuit corporalis; ita quod cœli rupti fuerint, sicut bene probat inducta ratio. Sed fuit spiritualis, licet hæc spiritualis aperitio potuerit apparere visui corporali per splendorem circa Christum, vel per condensationem, et rarefactionem aëris, ac si formata fuerit aliqua concavitas in aëre, ita ut videretur cœlum apertum. Potuit etiam apparere per visionem imaginariam, vel intellectualem, ut dictum est. Negatur autem eadem minor, quantum ad secundam ejus partem; fuit enim aperitio illa spiritualis: ad cujus improbationem dicitur quod Christo apertum fuit semper cœlum, propter se tamen in baptismo vidit cœlos esse apertos etiam aliis; quod tamen prius cognoverat esse fiendum.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod per passionem Christi apertum fuit cœlum omnibus sicut per causam communem aperitionis cœlorum: oportet autem hanc causam communem aperitionis cœlorum singulis applicari ad hoc, ut cœlum introeant: quod quidem fit per baptismum, secundum illud Rom. 6. " Quicumque baptizati sumus in Christo " Jesu, in morte ipsius baptizati su- " mus. » Et ideo potius fit mentio de aperitione cœlorum in baptismo, quam in passione Christi.

Vel sicut Chrysost. dicit: « Baptizato " Christo, tantum ei sunt cœli aperti: " postquam vero tyrannum vicit per cru- " cem, quia non erant necessariæ portæ " cœlo numquam claudendo, non dicunt " Angeli: aperite portas, jam enim " erant apertæ, sed: tollite portas » per quod dat intelligere Chrisostomus quod obstacula, quibus prius obsistentibus, animæ defunctorum introire non poterant cœlos, sunt totaliter per passionem Christi ablata. Sed in baptismo Christi sunt aperta, quasi manifestata jam via, per quam homines erant in cœlum intraturi. Negatur igitur consequentia, vel quia in passione sunt apertæ portæ solum tamquam per communem causam aperitionis, in baptismo autem singulis baptizatis aperiuntur; vel quia in baptismo aperiuntur; in passione vero tolluntur portæ, idest obstacula, quibus baptizatis impediebatur cœlorum ingressus.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum convenienter Spiritus Sanctus super Christum baptizatum descénderit in specie columbæ.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod inconvenienter Spiritus Sanctus super Christum baptizatum dicatur descendisse in specie columbæ.

1. Super eum in quo fuit plenitudo gratiæ á principio suæ conceptionis, inconvenienter dicitur descendisse Spiritus Sanctus in specie columbæ. Sed in homine Christo fuit plenitudo gratiæ á principio suæ conceptionis, quo fuit *unigenitus á patre*, ut dictum est quæst. 34. art. 4. Ergo non debuit Spiritus Sanctus ad eum mitti in baptismo.

Maior prob., quia Spiritus Sanctus habitat in homine per gratiam. Unde ad eum, in quo jam est gratiæ plenitudo, non debet amplius Spiritus Sanctus mitti.

2. Spiritus Sanctus non est incarnatus. Ergo inconvenienter dicitur quod Spiritus Sanctus descenderit super Christum baptizatum.

Conseq. probat., quia Chistus dicitur in mundum descendisse per mysterium incarnationis, quando *exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Unde divina persona, quæ non est incarnata, inconvenienter dicitur descendisse.

3. In nostro baptismo non fit aliqua visibilis missio Spiritus Sancti. Ergo nec in Baptismo Christi debuit fieri visibilis missio Spiritus Sancti.

Conseq. prob, quia in baptismo Christi ostendi debuit, sicut in quodam exemplari, id quod fit in baptismo nostro.

4. Spiritus Sanctus descendit super

Apostolos non in specie columbæ sed in specie ignis. Ergo nec super Christum debuisset descendere in specie columbæ, sed in specie ignis.

Conseq. prob., quia Spiritus Sanctus á Christo in omnes derivatur, secundum illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Sic ergo debuit in Christum Spiritus Sanctus descendere, sicut á Christo in alios derivatur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Lucæ 3. *Descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit, ut super Christum baptizatum Spiritus Sanctus descenderet.

Prob. Omnes, qui baptismo Christi baptizantur, Spiritum Sanctum recipiunt, nisi ficte accedant. Ergo conveniens fuit, ut super Christum baptizatum Spiritus Sanctus descenderet.

Antecedens prob., quia Matth. 3. dicitur: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.*

Conseq. prob., quia hoc quod circa Christum factum est in ejus baptismo, sicut Chrysost. dicit super Matth. Hom. 4. pertinet ad mysterium omnium, qui postmodum fuerant baptizandi. Sicut igitur omnes baptizati baptismo Christi Spiritum Sanctum recipiunt, sic debuit, ad hoc significandum, Spiritus Sanctus super Christum baptizatum descendere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod ad Christum non est missus Spiritus Sanctus in baptismo, quasi tunc sibi data fuerit gratia; sed solum ad significandum quod baptizati baptismo Christi recipiunt Spiritum Sanctum. Unde August. dicit 15. lib. de Trin. cap. 26. "Absurdissimum est dicere quod Christus, cum jam triginta "esset annorum, acceperit Spiritum "Sanctum; sed venit ad baptismum, sicut sine peccato, ita non sine Spiritu "Sancto. Si enim de Joanne scriptum est "quod Spiritu Sancto replebitur ab utero matris suæ, quid de homine Christo "dicendum est, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis "fuit? Tunc ergo," idest in baptismo, "corpus suum," idest Ecclesiam «præfigurare dignatus est, in qua baptizati "præcipue accipiunt Spiritum Sanctum.» Argumentum igitur probat quod Spiritus Sanctus non descenderit super Christum baptizatum tamquam conferens ei tunc gratiam: quod verum est; cum quo tamen stat, quod descenderit, ut præfiguraret baptizandos baptismo Christi esse gratiam recepturos.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut August. dicit lib. 2. de Trin. cap. 6. Spiritus Sanctus descendisse dicitur super Christum corporali specie, sicut columba; non quia ipsa substantia Spiritus Sancti videretur, quæ est invisibilis, neque ita quod illa visibilis creatura in unitatem personæ divinæ assumeretur; neque enim dicitur quod Spiritus Sanctus sit columba: sicut filius Dei dicitur homo ratione unionis. Neque etiam hoc modo Spiritus Sanctus visus est in specie columbæ, sicut Joannes vidit agnum occisum in Apocal. 2. Illa enim visio facta fuit in spiritu per spirituales imagines corporum. De illa vero columba nullus umquam dubitavit, quin oculis visa sit. Nec etiam hoc modo Spiritus Sanctus in specie columbæ apparuit, sicut dicitur: 1. Corint. 10. *Petra autem erat Christus.* Illa enim petra jam erat in creatura, et per actionis modum nuncupata est nomine Christi quem significabat. Illa autem columba ad hoc tantum significandum repente extitit, et postea cessavit, sicut flamma quæ in rubo apparuit Moysi. Dicitur ergo Spiritus Sanctus descendisse super Christum, non ratione unionis ad columbam, sed vel ratione ipsius columbæ significantis Spiritum Sanctum qui descendendo super Christum venit; vel etiam ratione spiritualis gratiæ quæ á Deo per modum cu-

jusdam descensus in creaturam derivatur, secundum illud Jacob. 1. *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens á Patre luminum.*

Ad probationem igitur consequentiæ dicitur, quod Christus dicitur descendisse per assumptionem carnis, quia carnem humanam in unitate personæ assumpsit, tamquam sanctificationem nostram operaturus. Spiritus Sanctus vero descendisse dicitur solum per hoc, quod sanctificationem nostram indicavit. De quibus abunde satis dictum est 1. par. qu. 43. artic. 7 præcipue ad 2. et ad 4.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut Chrysost. dicit Homil. 12. in Matth. "In principiis spiritualium "rerum semper sensibiles apparent vi- "siones propter eos, qui nullam intelli- "gentiam incorporalis naturæ suscipere "possunt, ut si postea non fiant, ex his, "quæ semel facta sunt, recipiant fidem.» Et ideo circa Christum baptizatum corporali specie Spiritus Sanctus visibiliter descendit, ut super omnes baptizatos invisibiliter postea credatur descendere.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod Spiritus Sanctus á Christo in omnes nos derivatur; non tamen est necesse quod in Christum, sicut in alios descenderit; descendit enim Spiritus Sanctus specie columbæ super Christum baptizatum propter quatuor.

Primo quidem ad significandum dispositionem, quæ requiritur in baptizando, ut scilicet non fictus accedat. Quia sic dicitur Sap. 1. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Columba autem est animal simplex, astutia, et dolo carens; Unde dicitur Matth. 10. *Estote simplices sicut columbæ.*

Secundo; ad designandum septem dona Spiritus Sancti, quæ columba suis proprietatibus significat: primo enim columba secus fluenta habitat, ut inde viso accipitre, mergat se, et evadat: quod pertinet ad donum sapientiæ, per quam sancti secus Scripturæ fluenta resident, ut incursum diaboli evadant.

Secundo columba meliora grana eligit: quod pertinet ad donum scientiæ, qua sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt.

Tertio. Columba alienos pullos nutrit: quod pertinet ad donum consilii, quo sancti homines eos, qui fuerunt pulli, idest imitatores diaboli, doctrina nutriunt et exemplo.

Quarto. Columba non lacerat rostro: quod pertinet ad donum intellectus, quo sancti bonas sententias lacerando, hæreticorum more, non pervertunt.

Quinto. Columba felle caret: quod pertinet ad donum pietatis, per quam sancti ira irrationabili carent.

Sexto. Columba in caverúis petræ nidificat: quod pertinet ad donum fortitudinis, qua sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, idest suum refugium et spem.

Septimo. Columba gemitum pro cantu habet, quod pertinet ad donum timoris, quo sancti delectantur in gemitu pro peccatis.

Tertio. Apparuit Sriritus Sanctus in specie columbæ propter effectum proprium baptismi, qui est remissio peccatorum, et reconciliatio ad Deum. Columba enim est animal mansuetum. Et ideo sicut Chrysost. dicit Hom. 12. in Matth. "In diluvio apparuit hoc animal, "ramum ferens olivæ, et communem or- "bis terrarum tranquilitatem annuntians; "et nunc etiam columba apparet in bap- "tismo liberatorem nobis demonstrans.»

Quarto apparuit Spiritus Sanctus super Dominum baptizatum in specie columbæ ad designandum communem effectum baptismi, qui est conjunctio ecclesiasticæ unitatis. Unde dicitur ad Ephes. 5. quod "Christus tradidit seme- "tipsum, ut exhiberet sibi gloriosam "Ecclesiam non habentem maculam aut "rugam, aut aliquid hujusmodi, lavans "eam lavacro aquæ in verbo vitæ.» Et

ideo convenienter Spiritus Sanctus in baptismo Christi demonstratus est in specie columbæ; quæ est animal amicabile et gregale. Unde Cant. 5. dicitur de Ecclesia. *Una est columba mea.* Super Apostolos autem Spiritus Sanctus in specie ignis apparuit propter duo. Primo ad ostendendum fervorem, quo corda eorum erant commovenda ad hoc quod Christum ubique inter pressuras prædicarent. Et ideo etiam in igneis linguis apparuit. Unde August. dicit super Joan. tract. 6. "duobus modis ostendit visibiliter Dominus Spiritum Sanctum, scilicet per columbam super Dominum baptizatum, et per ignem super discipulos congregatos: ibi simplicitas, hic fervor ostenditur. Ergo ne spiritu sanctificati dolum habeant, in columba demonstratus est. Et ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratus est. Nec te moveat, quia linguæ divisæ sunt: unitatem in columba cognosce."

Secundo quia sicut Chrysost. dicit: "cum oporteret delictis ignoscere» (quod fit in baptismo) "mansuetudo necessaria erat, quæ demonstratur in columba: "sed, ubi adepti sumus gratiam, restat "judicii tempus, quod significatur per "ignem."

## ARTICULUS VII.

*Utrum illa columba in qua apparuit Spiritus Sanctus, fuerit verum animal.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod illa columba, in qua apparuit Spiritus Sanctus, non fuerit verum animal.

1. Illud quod apparuit sicut columba, non fuit vera columba, et verum animal. Sed *descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba*; ut dicitur Lucæ 3. Ergo non fuit vera columba, sed quædam similitudo columbæ.

Maior patet, quia si fuisset vera columba, non dixisset, sicut columba, sed columba

2. Frustra illa columba, quæ apparuit in baptismo Christi, fuisset vera columba, et verum animal. Ergo illa columba non fuit verum animal.

Anteced. prob., quia cum columba illa non advenerit, *nisi ut aliquid significaret, atque præteriret*, ut Aug. dicit in 2. de Trinit. cap. 6. hoc idem fieri potuisset per columbæ similitudinem, ac per hoc frustra fuisset vera columba.

Conseq. prob., quia sicut natura nihil facit frustra, ita nec Deus, ut dicitur 1. Cœl. t. 32.

3. Si illa columba fuisset verum animal, proprietates columbæ significassent naturam veri animalis, non autem effectus Spiritus Sancti. Ergo videtur, quod illa columba non fuerit verum animal.

Anteced. prob., quia proprietates cujuslibet rei ducunt in cognitionem naturæ illius rei.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in lib. de agone christiano, cap. 22. «Neque hoc ita dicimus, ut «Dominum Jesum Christum dicamus «solum verum corpus habuisse: Spiritum «autem Sanctum fallaciter apparuisse «oculis hominum; sed ambo illa corpora «vera esse credimus.»

*Determinatio.*

Conclusio. Columba quæ descendit super Christum baptizatum, fuit verum animal.

Prob. Quia non decebat ut Filius Dei, qui est veritas Patris, aliqua fictione uteretur. Et ideo non phantasticum, sed verum corpus accepit: sic quia Spiritus Sanctus, qui dicitur *spiritus veritatis* Joan. 16. non decebat ut aliqua uteretur fictione, veram columbam formavit, in qua appareret, licet non assumpserit ipsam in unitatem personæ.

Et confirmatur, quia Augu. post prædicta verba citata ex lib. de agone christiano subdit, "sicut non oportebat, ut "homines falleret filius Dei, sic etiam "non oportebat, ut falleret Spiritus Sanc"tus; sed omnipotenti Deo, qui univer-

" sam creaturam ex nihilo fabricavit, non " erat difficile verum corpus columbæ si- " ne aliarum columbarum ministerio fi- " gurare, sicut non fuit ei difficile verum " corpus in utero matris sine virili se- " mine fabricare; cum creatura corpo- " rea, et in visceribus fœminæ, ad for- " mandum hominem, et in ipso mundo " ad formandum columbam, imperio, vo- " luntatique Domini serviret. "

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Spiritus Sanctus dicitur descendisse in specie columbæ, non ad excludendam veritatem columbæ, sed ad ostendendum quod ipse non apparuit in specie suæ substantiæ.

Ad 3. Negat. antecedens. Non enim fuit superfluum formare veram columbam, ut in ea Spiritus Sanctus appareret; quia per ipsam veritatem columbæ significatur veritas Spiritus Sancti, et effectuum ejus; quod non potuisset fieri si non fuisset vera columba, ut in probatione perperam assumitur.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem, quod proprietates columbæ eodem modo ducunt ad significandum columbæ naturam, et ad significandos effectus Spiritus Sancti. Per hoc enim quod columba habet tales proprietates, ostenditur quod columba significat Spiritum Sanctum.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum convenienter Christo baptizato, fuerit vox Patris audita Filium protestantis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod inconvenienter Christo baptizato fuerit vox Patris audita, Filium potestantis.

1. Personæ divinæ, quæ sensibiliter apparet, convenit mitti. Sed personæ Patris non convenit mitti, ut patet per Aug. 2. de Trin c. 12. Ergo personæ Patris non convenit sensibiliter apparere.

Maior prob., quia Filius, et Spiritus Sanctus secundum hoc quod sensibiliter apparuerunt, dicuntur missi.

2. Pater non est Verbum. Ergo pater inconvenienter manifestatur per vocem.

Conseq. prob., quia vox est significativa verbi in corde concepti. Unde persona quæ non est verbum, non convenienter per vocem manifestatur.

3. Homo Christus non incepit esse filius Dei in baptismo, sicut quidam hæretici putaverunt; sed á principio suæ conceptionis fuit filius Dei. Ergo magis in nativitate debuit vox Patris potestari Christi divinitatem, quam in ejus baptismo.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 3. dicitur: "Ecce vox de cœ- " lis dicens; Hic est filius meus dilectus " in quo mihi complacui. »

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit quod in baptismo Christi Pater declararetur in voce.

Prob. Baptismus quo baptizantur fideles, consecratur in invocatione, et virtute Trinitatis secundum illud Matth. ult. " Euntes docete omnes gentes bap- " tizantes eos in nomine Patris, et Filii, "et Spiritus Sandti. » Ergo in baptismo Christi debuit tota Trinitas manifestari, quod factum est, ut Hieronym. dicit in Matth. 3. dum Dominus noster Jesus Christus Dei Filius in humana natura baptizatur, Spiritus Sanctus descendit in specie columbæ, et vox Patris Filio testimonium perhibentis auditur.

Conseq. prob., quia ut dictum est artic. 6. in baptismo Christi, qui fuit exemplar baptismi nostri, demonstrari debuit quod in nostro baptismo perficitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior: missio enim visibilis addit aliquid super apparitionem, scilicet auctoritatem mittentis, et ideo Filius, et Spiritus Sanctus, qui sunt ab alio, dicuntur non solum apparere, sed visibiliter mitti. Pater autem qui non

est ab alio, apparere quidem potest, visibiliter autem mitti non potest. Unde ad prob. negatur assumptum: nam filius et Spiritus Sanctus non solum apparuerunt, sed fuerunt missi.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod vox est quidem significativa verbi, sed est etiam manifestativa loquentis, et formantis verbum. Pater igitur demonstratur in voce, sicut auctor vocis vel sicut loquens per vocem: et quia proprium est Patri producere Verbum quod est dicere, vel loqui, ideo convenientissime Pater per vocem, quæ Verbum significat, manifestatus est. Unde et ipsa vox á Patre emissa filiationem Verbi protestatur: et sicut species columbæ, in qua demonstratus est Spiritus Sanctus non est ipsa natura Spiritus Sancti; nec species hominis, in qua demonstratus est ipse Filius, est ipsa natura Filii Dei, ita etiam ipsa vox non pertinet ad naturam Verbi, vel Patris loquentis. Unde Joan. 5. Dominus dicit, *neque vocem ejus*, idest Patris, *unquam audistis, neque speciem ejus vidistis.* Per quod (sicut Chrysost. dicit Hom. 39. in Joan.) "Paulatim eos ad philosophicum "dogma inducens, ostendit, quod neque "vox circa Deum est, neque species, "sed superior est et figuris, et loquelis "talibus." Et sicut columbam, et humanam naturam á Christo assumptam, tota Trinitas operata est, ita etiam et formationem vocis. Sed tamen in voce declaratur solus Pater, sicut naturam humanam solus Filius assumpsit, et in columba solus Spiritus Sanctus demonstratus est, ut August. dicit lib. de fid. ad Pet. cap. 9.

Ad 3. Negat. conseq. Divinitas enim Christi non debuit omnibus in ejus nativitate manifestari, sed magis occultari in defectibus infantilis ætatis. Sed quando jam pervenit ad perfectam ætatem in qua oportebat eum docere, et miracula facere, et homines ad se convertere; tunc testimonio Patris erat ejus divinitas manifestanda, ut ejus doctrina credibilior fieret. Unde et ipse dicit Joan. 5. "Qui misit me pater, ipse testimonium "perhibet de me," Et hoc præcipue in baptismo, per quem homines renascuntur in filios Dei adoptivos. Filii autem Dei adoptivi instituuntur ad similitudinem filii naturalis, secundum illud Rom. 8. "Quos præscivit, hos et prædesti-"navit conformes fieri imaginis filii sui." Unde Hilarius dicit super Matth. ca. 2. quod "super Jesum baptizatum descen-"dit Spiritus Sanctus, et vox Patris au-"dita est dicentis: Hic est filius meus "dilectus, ut ex his quæ consummaban-"tur in Christo, cognosceremus post "aquæ lavacrum, et de cœlestibus por-"tis sanctum in nos spiritum involare "et paternæ vocis adoptione, Dei filios "fieri."

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 39.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum, quod conveniens fuit Christum baptizari. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 3. *Venit*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus, aliorumque similium captu adverte: quod ad demonstrandum, aliquod factum Christi esse conveniens: seu, quod in idem redit, conveniens esse, Christum fecisse sic, vel sic, sufficit ostendere, quod Christus tale quid fecit, ut fit in proposito. Ex hoc enim, quod Christum fuisse baptizatum narratur in Evangelio, vult habere Sanctus Doctor, factum istud, idest Christum baptizari, fuisse conveniens. Et merito qui-

dem. Nam, si de filiis Dei adoptivis, ut sic, verificatur regula hæc, scilicet, quod ipsos aliquid fecisse, est ipsos illud convenienter fecisse, ut probatur quæst. 38. art. 1. append. et art. 5. append. multo magis utique ipsa verificatur de Christo, qui est filius Dei naturalis, ut patet ex terminis. Præterea Christum crucifixum esse Dei sapientiam, dixit Apostolus 1. Corinth. 1. per quod dictum impossibile esse monstravit, quod aliqua Christi actio sit inconveniens, vel minus recta: immo et per hoc indicavit, quod necesse est, omnem Christi actionem esse convenientissimam. et ex omni parte tam bene rationi consonam, et rectam, ut nihil ei addi possit. Non enim tantum dixit, quod Christus est sapiens, sed etiam quod est sapientia. Ex philosophia vero habemus: quod abstractum nihil prorsus de opposito secum potest compati, licet concretum possit. Ut potest quidem album, idest res alba fieri aliquo modo nigra, sicut et calidum, id est res calida potest secum aliquid frigiditatis habere, et in remisso gradu illa participare albedinem, sicut et hæc caliditatem: sed albedo non potest fieri, immo nec fingi aliqualiter nigra, aut compati secum, etiamsi fingendi locus detur, aliquid minimum nigredinis, aut non esse secundum omnem gradum suum, ut ita dicam, alba, id est perfecta. Sic in proposito. Potest quidem res sapiens admittere secum, idest, admixtum habere aliquid insipientiæ, aut etiam in remisso aliquantulum gradu participare sapientiam: sed non potest fieri, immo nec fingi, quod sapientia aliquid vel parvissimum insipientiæ secum habeat admixtum, aut etiam quod non sit secundum omnem gradum suum perfecta, idest habens omnes gradus ad esse suum, idest ad sapientiam, requisitos. Poterit ergo res sapiens facere aliquid convenienter, sed non in summo, neque ex omni parte: non poterit autem sapientia facere aliquid convenienter, quod non sit in summo convenientiæ, et ex omni parte convenientissimum. De Christo igitur, cum sit sapientia, dicendum omnino esse ex prædictis patet: quod omnes actiones suæ necessario fuerunt in summo, et ex omni parte convenientissimæ: et consequenter, quod Christum baptizari fuit conveniens per absolutam antonomasiam (sic intellexit articuli conclusio) idest in summo, et ex omni parte convenientissimum. Quod si adhuc veritatem conjunxeris, quod Christus non soulm est sapientia, sed et Dei, idest, divina sapientia: tunc omnes, singulasque ejus acionest non tantum in summo, et omni ex parte convenientissimas necessario dices, sed etiam in summo in infinitum, et ex omni parte in infinitum, seu (quod in idem redit) infinite in summo, et infinite ex omni parte. Ergo per ly *venit*, *ut baptizaretur*, insinuatum est, quod eum baptizari fuit tam convenientissimum, ut nihil supra. A D. Aug. autem, quod idipsum fuerit conveniens, insinuatur in sermone appropriato, qui incipit. " *Proxima.* Baptizatus Dominus nos regeneravit ad salutem. Adam abluit peccatorem. Illum currentes aquæ tunc infundebant, sed peccata nostra secum portabant. De illo guttæ baptismatis fluebant, sed nostra in guttis crimina defluebant. Nec dum eramus in mundo, et jam abluebamur in baptismo. Nam ipsa fuit baptismatis ratio; ut aquæ, quæ purgaturæ erant, ab illo purgarentur. Tunc enim Christum Dominum non tam lavit unda, quam lota. Tibi ergo nascendo advenit Christus, tibi vivendo militavit, tibi moriendo conflixit. Quem pro te vides mortuum, pro te intellige baptizatum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod debuit Christus baptizari, idest, quod conveniens fuit, ipsum baptizari, idest, quod convenienter baptizatus est baptismo Joannis. Sic, idest, omnibus his modis, ut qui in idem redeant. expone omnia similia, et supra, et infra. Insinuatur vero per hoc, quod dicitur Matth. 3. *quod*, etc. ut est *in arg. cont.* Quomodo autem ista á Sanct. Doctore subintellecta valeat consequentia, scilicet baptizari voluit à Joanne, ergo conveniens fuit eum à Joan. baptizari, vide art. 1. append. et inde applica, quantum sufficit ad propositum. Non solum enim dicta ibi faciunt pro loco illo, sed etiam pro isto, et omnibus aliis similibus. Item per hoc, quod dicitur Sap. 11. " omnia in numero, pondere, et mensura disposuisti Domine. » Ergo (applica tu) multo magis actionem hanc tuam, scilicet baptizari á Joanne. Item per dictum

Prov. 8. " Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. » Ergo, applica tu; justæ sunt, rectæ, et æquæ omnes, et singulæ actiones meæ, ergo et hæc, scilicet á Joanne baptizari. Universalia enim illa dicta scripturarum sunt, et consequenter pro lectoris prudenti judicio applicabilia ad hæc, et illa, et hujusmodi particularia. Quod, ut plenius agnoscere, et in practica studiorum exercere possis, vide 1. 2. quæst. 68. 5. append. et 2. 2. quæst. 122. art. 2. append. et quæst. 140. art. 1. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus tempore convenienti baptizatus est. Ut per hoc, quod dicitur Luc. 3. *factum est*, etc. ut *in arg. cont.* De ista consequentia inde subintenta, alioquin ex illa auctoritate non concluderet articuli propositum, scilicet, ergo tempore convenienti est baptizatus, quomodo valeat, cognosce ex dictis art. 1. append. Item per hoc quod de viro justo, et consequenter multo magis de Christo, qui est justus antonomastice Isa. 23. dicitur in Psal. 1. *Fructum suum dabit in tempore suo.* Item per hoc, quod de sapientis, et consequenter multo magis de Christi, qui est Dei, sapientia, 1. Corinth. 1. negotiis dicitur, Eccl. 8. *Omni negotio tempus, et opportunitas.* Hoc est. Omne sapientis negotium ab eo fit in tempore opportuno. Item per hoc, quod, de Deo, qui Christus est, dicitur, Ecclesiastici 3. *Cuncta fecit bona in tempore suo.* Item Eccl. 39. *opera Domini universa, bona valde.* Et quomodo essent bona, si non fierent tempore opportuno ? Nam bonitas rei dependet etiam ex circumstantiis, 1. 2. q. 17. a. 3. inter quas circumstantias est tempus, 1. 2. quæst. 7. art. 3. Applica tu supradicta universaliter dicta ad particulare hoc, scilicet, ad baptizari, et mox videbis, per singula scripturarum illarum probari intentum, quod pro articulo quæritur, vide et art. 2. append. pro ampliori instructione. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus convenienter in Jordane baptizatus est. Ut per hoc, quod dicitur Marc. 1. *Quod*, etc, ut *in arg. cont.* De valore consequentiæ hic á Sancto Doctore subintellectæ patet in suis similibus supradictis art. 3. append Item per hoc, quod dicitur Ecclesiastici 39. *Opera Domini universa, bona valde.* Ad bonitatem enim rei faciunt circumstantiæ ejus, 1. 2. qu. 18. art. 3. et inter has est locus, ibidem quæst. art. 3. Item per dicta in art. 1. et 2. append. Quæ tamen, ut universalia debes applicare ad particulare hoc, scilicet, ad baptizari in loco isto, idest, in Jordane. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod convenienter cœli aperti sunt Christo baptizato. Ut per dictum Luc. 3. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi dicas: Apertum esse cœlum, Christo baptizato, esse idem, quod dicere, cœlum debuit aperiri, seu convenienter apertum est, ipso baptizato. Quod vero tria hæc, sicut et similia in Evangelio de Christo, dicta æquivaleant, cognosce ex artic. 1. 2. 3. appendicibus. Ly *convenienter* stat pro convenientissime, ut á simili de hoc, et aliis hujusmodi videre potes ex dictis qu. 35. art. 8. not. post prob. conclusio. Vide et loca citata supra de 1. 2. et de 2. 2. Nam ex scripturis ibi jam narratis, si applicentur ad hoc particulare factum, insinuatur optime, quod hic quæritur. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod convenienter Spiritus Sanctus super Christum baptizatum descendit. Ut per hoc, quod dicitur Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Hoc enim dictum de Spiritu Sancto verificatur: dum baptizatis donatur. Sic enim hoc intellexit, et exposuit Ecclesia: ut constat in sequentia prima diei Pentecostes, ubi ad Spiritum Sanctum loquens dicit. " Quando machinam per verbum suum fecit Deus cœli, terræ, marium. Tu super aquas, foturus eas, numen tuum expandisti, Spiritus. Tu animabus vivificandis aquas fœcundas. » Ubi ex contextu verborum notificat,

quod tunc, tamquam in figura, monstratum est, quod Spiritus Sanctus aquas animabus vivificandis erat fœcundaturus: quando in principio creationis rerum spiritus Domini ferebatur super aquas. Quod autem in nostri baptismo fiendum erat, debuit prius in baptismo Christi, tamquam exemplari nostro præcedere, juxta illud Ps. 132. " Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus. » A simili enim hoc demonstratur universaliter: quod in capite nostro Christo, qu. 8. art. 1. antea debet apparere id, quod postea ex eo descensurum est in oram vestimenti ejus, idest, in Ecclesiam usque ad ultimum inibi repertum. Ut in proposito. Unguentum Spiritus Sancti á capite Christo descendit in baptizatos, non solum quoad ejus barbam, idest, Apostolos fortes, eique præ omnibus adhærentes, sed etiam quoad vestimentum, idest, cæteros omnes, usque ad oram inclusive, idest, usque ad ultimum baptizatum. Secundum scripturas ergo tum Genes. tum Psal. præmissas conjunctim sumptas constat, quod Spiritus Sanctus super Christum baptizatum convenienter descendit. Insinuatur vero ab eis, quod convenienter in specie columbæ, per hoc, quod dicitur Luc. 3. secundum quod est *in arg. cont.* De veritate autem consequentiarum harum necessario in proposito subintellectarum, scilicet: venit super eum Spiritus Sanctus, ergo convenienter venit; venit in specie columbæ, ergo convenienter in specie columbæ venit: vide artic. 1. 2. 3. 4. 5. appendices. Multa quoque ibi dicta scripturarum pro præsenti loco stare conspicies: si á sua ipsarum universalitate ad hanc particularem materiam applicentur. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, á communi hominum conceptione, in quodam simili, et August. quod columba, in qua Spiritus Sanctus super Christum baptizatum apparuit, fuit verum animal. A D. August. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per locum á simili ex Matth. 2. *Vidimus stellam ejus.* Hæc enim stella apparuit et ipsa, ut aliquid significaret, atque præteriret, qu. 36. art. 7. sicut et de columba dicitur in arg. 2. Sicut ergo illa stella ad id apparens fuit vera, ut dicitur ibid. ita hæc columba ad hoc apparens fuit vera: per locum á simili, ut diximus, inferendo. A communi autem hominum conceptione (quæ et experientia posse dici videtur) in quodam simili. Quando per plures annos Spiritus Sanctus visibili signo Archiepiscopos Ravennæ, quæ civitas Italiæ maritima est, creare dignatus est, res sic acta á majoribus refertur. Post mortem prioris Archiepiscopi, conveniebat frequens populus ad signum campanæ in Ecclesiam, ut sibi á Domino Deo successorem pastorem, divinitus juxta solitum, devotis precibus insimul effusis impetrarent. Illis ita congregatis, et orantibus: Ecce columba per fenestram quamdam intrans, volitando parumper, descendebat tandem super humerum futuri pastoris, atque in aurem ipsius rostro immisso expectanti populo, quem sibi consecraret Archiepiscopum, quasi ad digitum demonstrabat. Is vero designatus præsul in virum alterum doctrina, ac moribus subito mutabatur: et columba, peracto hoc suo officio, præteribat. His, ut apud majores compertum est, stantibus, quis non videat, columbam illam fuisse verum animal, in cujus specie descendebat Spiritus Sanctus super hominem pro pastore creandum? Non mirum igitur, si ab hoc facto, tamquam á quodam simili, dixerimus insinuari præsentis articuli intentum. Cæterum (ne á sensu recto deviare contingat) scito hanc in articulo determinationem esse de mente Sancti Doctoris probabiliorem, non autem necessariam, ut ipse fatetur. Nam super Evangelium Jo. c. 1. lect. 14. movens quæstionem de columba in baptismo Christi, utrum vera fuerit: dicit, quod rationabiliter dicitur vera columba. Solet enim cum philosopho accipere ly *rationabiliter* pro ly *probabiliter*: ut patet in sua expositione super libros physicorum. Illic enim lib. 1. text. 42. dicente Aristotele, *et hoc rationabiliter*, D. Thom. exponendo subdit, *ponit probabilem rationem.* Item lib. 3. text. 40. dicente ipso: *Rationabiliter quidem speculantibus*, idem expositor inquit, « ostendit per rationes logicas, scilicet, ex communibus, et probabilibus. » Item l. 8. text. 37. dicente eo, *et rationabiliter hoc accidit*, sanctus

subjungit. *Probat idem alia probabili ratione.* Ex suis ergo dictis monstrat, quod illa positio super Joannem, scilicet *rationabiliter dicitur vera columba*, æquivalet huic, scilicet probabiliter dicitur vera columba. Ex quibus patet, esse de mente sua, ut dicebamus, quod conclusio præsentis articuli de veritate columbæ est probabilis (absolute loquendo) et consequenter (comparative ad suam oppositam loquendo) est probabilior, et pro tali acceptanda, non autem pro necesaria. Hoc ipsum quoque esse de mente sua suadetur ex eo, quod idem S. Doctor nunc seipso doctior effectus, quam olim, non curavit retractare positionem suam contrariam, 1. dist. 16. artic. 3. ad 3. quam tamen, si hoc necessarium judicasset, retractasset expresse, juxta morem suum á nobis annotatum, 1. q. 1. art. 3. not. post. ad 2. Non ergo semper cum seipso doctior factus dicit unum, retractare intendit antea dictum, quasi oppositum: sed relinquere studiosis materiam exercendi ingenium pro concordia. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 8. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod convenienter in Christi baptismo audita est vox patris filium protestantis. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 3. secundum quod est *in arg. cont.* Narrando enim factum intendit scriptura hoc aliud, scilicet, quod conveniens fuerit sic fieri, ut patet in articulorum prædictorum append. Item insinuatur á dictis etc. ut in articuli primi, et cæterorum appendicibus. Scripturarum siquidem plurima ibi et narrata, et aliunde citata sunt, quæ si ex universalitate illa sua ad particularitatem hujus negotii recte inflectantur, faciunt optime, et abundantissime ad ostendendum intentum, quod quæritur. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis declaretur vicissim etc.

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA,

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter post ea quæ pertinent ad ingressum Christi in mundum, vel ad ejus principium, considerandum restat de his quæ pertinent ad progressum ipsius: et primo considerandum est de modo conversationis ipsius; secundo de tentatione ejus; tertio de doctrina; quarto de miraculis.

*Circa primum quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Christus debuerit solitariam vitam ducere, an inter homines conversari.

Secundo, utrum debuerit austeram vitam ducere in cibo, et potu, et vestitu, an cum aliis communem.

Tertio, utrum debuerit abjecte vivére in hoc mundo, an in divitiis, et honore.

Quarto, utrum debuerit secundum legem vivere.

### ARTICULUS I.

*Utrum conveniens fuerit Christum inter homines conversari.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit inter homines conversari, sed solitariam vitam agere.

1. Non convenit Deum cum hominibus conversari. Sed oportebat quod Christus sua conversatione, non solum se ostenderet hominem, sed etiam Deum. Ergo videtur quod non fuerit conveniens Christum inter homines conversari.

Maior prob., quia Dan. 2. dicitur: "exceptis diis, quorum non est cum ho- "minibus conversatio," et Phil. dicit 1. 1. Polit. cap. 2. quod "ille qui solita- "rius vivit, aut est bestia," si scilicet propter sævitiam hoc faciat, «aut est Deus» si hoc faciat propter contemplandam veritatem.

2. Christus dum in carne mortali vixit, debuit perfectissimam vitam ducere.

Ergo videtur quod Christus debuerit ducere vitam solitariam.

Conseq. prob., quia perfectissima vita est vita contemplativa, ut dictum est 2. 2.ᵉ qu. 182. art. 4. ad quam maxime competit solitudo, secundum illud Oseæ 2. *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

3. Christus quandoque solitaria loca quærebat turbas declinans. Unde Remigius dicit super Matth. "tria refugia "legitur Dominus habuisse, navim, "montem, et desertum; ad quorum al- "terum, quotiescumque á turbis com- "primebatur, conscendebat." Ergo semper debuit solitariam vitam agere.

Conseq. prob., quia conversatio Christi debuit esse uniformis, et semper apparere in eo quod est optimum. Debebat igitur Christus agere vitam solitariam, quia est optima; et semper, quia uniformis conversatio Christi esse debebat.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Baruch. 3. dicitur: *post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum inter homines conversari.

Prob. Vita socialis, quæ agitur cum hominibus conversando, est magis conveniens, et proportionata fini incarnationis, quam vita solitaria. Ergo convenienter, Christus non solitariam vitam ducere debuit, sed socialem, conversando cum hominibus.

Conseq. prob., quia conversatio, et vita Christi talis debuit esse, ut conveniret fini incarnationis, secundum quam venit in mundum.

Anteced. manifestatur: nam filius Dei propter tria per incarnationem in mundum venit. Primo ad manifestandum veritatem, sicut ipse dicit Joan. 18. "In "hoc natus sum, et in hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam ve- "ritati." Secundo, ut homines á peccato liberaret, secundum illud 1. Tim. 1. "Christus Jesus venit in hunc mundum "peccatores salvos facere." Tertio ut per ipsum habeamus accesum ad Deum, ut dicitur ad Rom. 5. Ad quæ tria convenientius fuisse quod Christus socialem vitam duxerit, quam solitariam, ostenditur. Et quidem ad manifestandam veritatem, non debebat se Christus occultare vitam solitariam agens, sed in publicum procedere, publice prædicando: unde Lucæ 4. dixit eis, qui volebant eum detinere, "quia et aliis civitatibus opor- "tet me evangelizare regnum Dei, quia "ideo missus sum." Fuit etiam conveniens socialis vita ad liberandum homines á peccato, quia ut Chrys. dicit, licet "in eodem loco manendo posset Chris- "tus omnes ad se attrahere, ut ejus "prædicationem audirent; non tamen "hoc fecit, præbens nobis exemplum, "ut perambulemus, et requiramus pe- "reuntem, sicut pastor ovem perditam, "et medicus accedit ad infirmum." Erat etiam conveniens, quod Christus socialem vitam ageret, ut per ipsum haberemus accesum ad Deum, ut conversando familiariter cum hominibus, omnibus daret fiduciam accedendi ad se. Unde dicitur Matth. 9. "Factum est "discumbente eo in domo, ecce multi "publicani, et peccatores venientes dis- "cumbebant cum Jesu, et discipulis "ejus." Quod exponens Hieron. ibid. dicit: "videbant publicanum á peccatis ad "meliora conversum locum invenisse "pœnitentiæ, et ob id etiam ipsi non "desperant salutem."

Vel aliter potest formari ratio ad conclusionem, hoc modo: Christus carnem humanam assumpsit, ut veritatem manifestaret, ut homines á peccato liberaret, et ut per ipsum haberemus accesum ad Deum. Ergo debuit Christus vitam socialem ducere. Omnia ex dictis patent.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem: quod Christus voluit manifestare suam deitatem per humanitatem. Et ideo conversando cum hominibus, quod est proprium hominis, manifestavit omnibus suam divinitatem prædicando, et miracula faciendo, et innocenter, et juste inter homines conversando.

Ad. 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod ut dictum est 2. 2. qu. 182. art. 4. et 188. art. 6. vita contemplativa simpliciter est melior quam activa, quæ occupatur circa corporales actus. Sed vita activa, secundum quam aliquis prædicando et docendo, contemplata aliis tradit, est perfectior quam vita quæ solum contemplatur; quia hujusmodi vita præsupponit abundantiam contemplationis: et ideo convenienter Christus talem elegit vitam.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod actio Christi fuit nostra instructio; et ideo ut daret exemplum prædicatoribus, quod non semper se darent in publicum, quandoque Dominus se á turbis retraxit. Quod quidem legitur fecisse propter tria: quandoque quidem propter corporalem quietem; unde Marci 6. dicitur quod Dominus dixit discipulis: "venite seorsum in desertum locum, et "requiescite pusillum; erant enim qui "veniebant, et redibant multi, et nec spa-"tium manducandi habebant." Quandoque vero causa orationis; unde dicitur Lucæ 6. "Factum est in illis diebus, "exiit in montem orare, et erat pernoc-"tans in oratione Dei:" ubi ait Ambrosius libro 5. in Lucam, quod "ad præ-"cepta virtutis suo nos informat exem-"plo." Quandoque vero, ut doceret vitare favorem humanum; unde super illud Matth. 5. "Videns Jesus turbas, ascen-"dit in montem," dicit Chrysostomus Hom. 15. in Matth. "Per hoc quod non "in civitate et foro, sed in monte et so-"litudine sedit, erudivit nos nihil ad os-"tentationem facere, et á tumultibus "abscedere, et maxime cum de neces-"sariis disputare oportet." Non debuit igitur Christi vita esse uniformis, ut scilicet semper esset solitaria vel socialis; sed modo solitarie agere, et modo cum hominibus familiariter conversari debuit, et per hoc in vita Christi semper quod optimum fuit, apparuit.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus austeram vitam ducere debuerit in hoc mundo.

1. Joannes Baptista austeram vitam duxit, ut suo exemplo homines ad perfectionem vitæ provocaret. Ergo videtur Christum multo magis decuisse austeritatem vitæ.

Anteced. prob., quia Matth. 3. dicitur quod "ipse Joannes habebat ves-"timentum de pilis camelorum, et zo-"nam pelliceam circa lumbos suos; esca "autem ejus erant locustæ et mel silves-"tre." Quod exponens Chrysost. Hom. 10. in Matth. dicit: "Erat mirabile in "humano corpore tantam patientiam "videre, quod et Judæos magis attra-"hebat."

Conseq. prob., quia Christus multo magis prædicavit præfectionem vitæ, quam Joannes.

2. Ille qui continentiam in se servat, et aliis servandam proponit, debet austeram vitam ducere. Sed Christus continentiam in se servavit, et aliis servandam proposuit. Ergo Christus in se et in suis discipulis austeritatem vitæ servare debuit.

Maior prob., quia abstinentia quæ pertinet ad austeram vitam, ad continentiam ordinatur: dicitur enim Oseæ 4. "Comedent, et non saturabuntur: for-"nicati sunt, et non cesaverunt."

Minor prob., quia Dominus Matth. 19. dixit: "Sunt eunuchi, qui se castra-"verunt propter regnum cœlorum: qui "potest capere, capiat."

3. Christus districtissimam vitam incepit post baptismum manens in deserto et jejunans quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Ergo Videtur non fuisse congruum, quod post tantam vitæ rigiditatem ad communem vitam rediret.

Conseq. prob., quia ridiculum videtur quod aliquis districtiorem vitam incipiat, et ab ea in laxiorem revertatur: potest enim dici contra eum, quod habetur Luc. 14. "Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare."

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Matth. 11. *Venit Filius hominis manducans, et bibens.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus in hoc mundo austeram vitam ducere non debuit; sed fuit convenientissimum ut in cibo et potu communiter se, sicut alii, haberet.

Prob. Congruum erat incarnationis fini, quod Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conversaretur, ut dictum est artic. præced. Ergo convenientissimum fuit quod Christus non ageret vitam austeram, sed cum aliis in cibo et potu conformaretur.

Conseq. prob., quia qui cum aliquibus conversatur, convenientissimum est ut se eis in conversatione conformet, secundum illud Apostoli 1. ad Corinthios 9. *Omnibus omnia factus sum.* Debuit igitur Christus in sua conversatione, non austeritatem, sed communitatem sectari.

Et confirmatur conclusio, quia Augustinus dicit libro 16. contra Faustum cap. 30. «Joannes dictus est non manducans, neque bibens, quia illo victu quo Judæi utebantur, non utebatur. Hoc ergo nisi Dominus uteretur, non in ejus comparatione manducans, et bibens diceretur.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod Dominus in sua conversatione exemplum perfectionis dedit in omnibus quæ per se pertinent ad salutem: ipsa autem abstinentia cibi et potus, non per se pertinent ad salutem, secundum illud ad Romanos 14. *Non est regnum Dei esca et potus.* Et Augustinus dicit in libro 2. de quæst. Evang. cap. 11. exponens illud Matth. 11. «Justificata est sapientia á filiis suis,» quia scilicet «sancti Apostoli intellexerunt "regnum Dei non esse in esca et potu, "sed in æquanimitate tolerandi, quos "nec copia sublevat, nec deprimit egestas.» Et libr. 3. de doctrina Christ. cap. 12. dicit quod «in omnibus talibus "non usus rerum, sed libido utendi, in "culpa est.» Utraque autem vita est licita et laudabilis, ut scilicet á communi consortio hominum segregatus, abstinentiam servet, et ut in societate aliorum positus, communi vita utatur: et ideo Dominus voluit utriusque vitæ exemplum dare hominibus; Joannes autem, sicut Chrys. dicit super Matth. «nihil plus ostendit præter vitam et justitiam: Christus autem et á miraculis "testimonium habebat. Dimittens ergo "Dominus Joannem jejunio fulgere, ipse "contraria incessit via ad mensam in"trans publicanorum, et manducans et "bibens.» Ex hoc igitur quod Christus multo magis quam Joannes prædicavit perfectionem vitæ, non oportuit quod vitam austeram ageret, quia idem fecit etiam per hoc quod communi cibo et potu est usus.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod sicut alii homines per abstinentiam consequuntur virtutem continentiæ, ita Christus in se et in suis discipulis, per virtutem suæ divinitatis, carnem comprimebat: unde, sicut Matth. 9. dicitur: Pharisæi et discipuli Joannis jejunabant, non autem discipuli Christi. Quod exponens Beda in illud Matth. 2. Quare discipuli tui non jejunant? dicit quod "Joannes vinum et siceram non "bibit, quia ille abstinentia meritum "auget, cui potentia nulla inerat na-

" turæ. Dominus autem, cui naturaliter " suppetebat delicta donare, cur eos de- " clinaret, quos abstinentibus poterat " reddere puriores?» Ad acquirendam igitur continentiam, aliis hominibus necessaria est abstinentia; Christus autem, et sibi et discipulis aliunde continentiam conservabat, scilicet ex sola virtute divinitatis.

Ad 3. Negatur consequentia Christus enim convenienter post baptismum jejunavit, et quadraginta diebus jejunavit, et post tale jejunium ad communem rediit vitam: et singula monstrantur. Jejunavit enim (ut Chrysostomus dicit Hom. 13. in Matth.) « ut discas, quam " magnum bonum est jejunium.» Jejunavit post baptismum, " quoniam post bap- " tismum, non lasciviæ, sed jejunio in- " tendere oportet: et ipse jejunavit " non eo indigens, sed nos instruens. " Non ultra quadraginta dies proces- " sit jejunando, sicut Moyses, et He- " lias, ne incredibilis videretur carnis " assumptio." De mysterio autem quadragenarii numeri jam satis dictum est in 2. 2. quæst. 147. art. 5. in corp. Non fuit autem incongruum, nec ridiculum quod Christus post jejunium et desertum, ad communem vitam rediret: hoc enim convenit vitæ ejus, qui contemplata aliis tradit, (quam vitam dicitur Christus assumpsisse,) ut primo contemplationi vacet, et postea ad publicum actionis descendat aliis convivendo. Unde Beda dicit super Marcum, ut habetur in Ambros. lib. 2. in Luc. cap. de Mariæ turbatæ consolatione. "Jejunavit Chris- " tus, ne præceptum declinares; manducavit cum peccatoribus, ut gratiam " cernens, agnosceres potestatem. »

## ARTICULUS III.

### *Utrum Christus in hoc mundo debuerit pauperem vitam ducere.*

*Pró negativa.*=Videtur, quod Christus in hoc mundo non debuerit pauperem vitam ducere.

1. Christus debuit eligibilissimam vitam assumere. Ergo Christus non debuit pauperem vitam ducere, sed moderatam.

Conseq. prob., quia eligibilissima vita est quæ est mediocris inter divitias, et paupertatem. Dicitur enim Prov. 30. « Mendicitatem et divitias ne dederis mi- « hi, tribue tantum victui meo neces- « saria. »

2. Christus in victu et vestitu communem vitam duxit, secundum modum aliorum, quibus convivebat. Ergo videtur, quod in divitiis et paupertate communem modum vivendi servare debuerit, et non uti maxima paupertate.

Conseq. prob., quia exteriores divitiæ ad usum corporis ordinantur, quantum ad victum et vestitum. Unde sicut Christus vivebat et vestiebatur sicut cæteri, sic debebat possidere moderatas divitias.

3. Ille qui maxime homines invitavit ad exemplum humilitatis, non debuit pauperem vitam ducere. Sed Christus maxime invitavit homines ad exemplum humilitatis, secundum illud Matth. 11. « Discite á me, quia mitis sum, et humi- « lis corde. » Ergo Christus non debuit pauperem vitam ducere.

Maior prob., quia humilitas maxime commendatur in divitibus. Unde dicitur 1. Tim. ult. « divitibus hujus sæculi præ- « cipe, non altum sapere. »

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Matth. 8. *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Quasi dicat, secundum Hieronym. in illud Matth. 8. *Accedens unus* etc. "Cur me propter di- " vitias, et sæculi lucra cupis sequi, cum " tantæ sim paupertatis, ut nec hospi- " tiolum quidem habeam, et tecto utar " non meo?" et super illud Matth. 17. *Non scandalizemus eos, vade ad mare,* dicit idem Hieron. "Hoc simpliciter in- " tellectum ædificat auditorem, dum au- " dit tantæ Dominum fuisse paupertatis, " ut unde tributa pro se et Apostolo red- " deret, non haberet. "

*Determinatio.*

Conclusio. Decuit Christum in hoc mundo pauperem vitam ducere.

Prob. quadrupliciter. Primo, quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quod venisse se dicit, Marci. 1. « Eamus in proximos vicos, et civitates, « ut et ibi prædicem, ad hoc enim veni:» oportet enim prædicatores verbi Dei, ut omnino vacent prædicationi, omnino á sæcularium rerum cura esse absolutos, quod facere non possunt, qui divitias possident. Unde et ipse Dominus Apostolos ad prædicandum mittens dicit eis Matth. cap. 10. «Nolite possidere aurum, « neque argentum.» Et ipsi Apostoli dicunt Act. 6. "Non est æquum nos relin- "quere verbum Dei, et ministrare "mensis."

In forma. Qui prædicationis officium exercet, debet pauperem vitam ducere, ut patet, Matth. 10. et Act. 6. Sed Christus venerat officium prædicationis exercere, ut dicitur Marci 1. Ergo Christus pauperem vitam ducere debuit.

Secundo, quia sicut Christus mortem corporalem assumpsit, ut nobis vitam largiretur spiritualem: ita corporalem paupertatem sustinuit, ut nobis spirituales divitias largiretur, secundum illud 2. Cor. 8. "Scitis gratiam Domini Nostri "Jesu Christi, quoniam propter vos ege- "nus factus est, ut illius inopia divites "essetis."

Tertio, ne si divitias haberet, ejus prædicatio cupiditati adscriberetur. Unde Hieron. dicit super illud Matth. 10. "Nolite possidere aurum» etc. quod «si "discipuli ejus divitias habuissent, vide- "rentur, non causa salutis hominum, sed "causa lucri prædicare;" et eadem ratio est de Christo.

Quarto, ut tanto maior virtus divinitatis ejus ostenderetur, quanto per paupertatem videbatur abjectior. Unde dicitur in quodam Serm. Ephes. concilii. "Omnia paupera, et vilia elegit, omnia "mediocria, et plurimis obscura, ut divinitas cognosceretur orbem transfor- "masse terrarum, propterea paupercu- "lam elegit matrem, pauperiorem pa- "triam, egens fuit pecuniis, et hoc tibi "exponit præsepe."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur dupliciter. Primo, quod superabundantia divitiarum, et mendicitas vitanda videntur ab his qui volunt vivere secundum virtutem, in quantum sunt occasiones peccandi. Abundantia enim divitiarum est occasio superbiendi; mendicitas autem est occasio furandi, et mentiendi, aut etiam perjurandi. Quia vero Christus peccati capax non erat propter hanc causam, ex qua Salomon hoc vitabat, Christo vitanda non erant. Consequentia igitur in aliis hominibus est vera, non autem in Christo.

Dicitur secundo, quod non quælibet mendicitas est furandi et perjurandi occasio, ut ibidem Salomon subdere videtur; sed sola illa quæ est contraria voluntati, ad quam vitandam homo furatur, et perjurat. Sed paupertas voluntaria hoc periculum non habet, et talem paupertatem Christus elegit.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod aliquis potest uti communi vita quantum ad victum, et vestitum, non solum possidendo divitias, sed etiam á divitibus necessaria accipiendo: quod circa Christum factum est; dicitur enim Luc. 8. quod "mulieres quæ- "dam» sequebantur Christum «quæ mi- "nistrabant ei de facultatibus suis;» unde Hieron. cap. 27. in Matth. dicit contra Vigilantium «consuetudinis Judaicæ fuit, "nec ducebatur in culpam more gentis "antiquo, ut mulieres de substantia sua "victum, atque vestitum præceptoribus "suis ministrarent: sed quia hoc scan- "dalum facere poterat in nationibus, "Paulus se abjecisse commemorat.» Sic ergo omnis communis victus poterat esse sine sollicitudine impediente prædicationis officium, non autem divitiarum

possessio. Poterat igitur Christus communi vita vivere quantum ad victum, et vestitum, et tamen pauperem vitam ducere, accipiendo ab aliis quæ ad communem vitam peragendam erant necessaria.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod in eo qui ex necessitate pauper est, humilitas non multum commendatur; sed in eo qui voluntarie pauper est, sicut fuit Christus, ipsa paupertas est maximæ humilitatis indicium.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus in hac vita, secundum legem conversatus fuerit.*

*Pro negativa.*=Videtur quod Christus non fuerit conversatus, secundum legem.

1. Qui aliquid operis facit in sabbato, non conversatur, secundum legem. Sed Christus fecit aliquid operis in sabbato, et etiam alteri præcepit ut faceret. Ergo Christus non est conversatus secundum legem.

Maior prob., quia lex præcipiebat, ut nihil operis in sabbato fieret, sicut "Deus die septimo requievit ab omni "opere quod patrarat."

Minor prob., quia ipse Jesus in sabbato curavit hominem, et ei mandavit ut tolleret lectum suum.

2. Christus docuit Matth. 15. quod "omne quod intrat in os, non coinquinat hominem;" quod est contra præceptum legis quæ per esum, et contactum quorumdam animalium dicebat hominem immundum fieri, ut patet Lev. Ergo videtur, quod ipse non fuerit secundum legem conversatus.

Probatur consequentia, quia Christus fecit quæ docuit, secundum illud Act. 1. *Cœpit Jesus facere, et docere.* Cum igitur illud docuerit, sequitur quod fecerit, quod scilicet comederet ea quæ secundum legem æstimabantur immunda, et sic quod non fuerit secundum legem conversatus.

3. Christus consensit discipulis suis solventibus legem in hoc quod sabbato spicas vellebant, excusando eos Matth. 12. Ergo Christus non est conversatus secundum legem.

Conseq. prob., quia idem judicium videtur esse facientis, et consentientis, secundum illud Rom. 1. "Non solum illi "qui faciunt: sed et qui consentiunt facientibus."

### PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 5. dicitur: *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas.* Super quod Chrysost. dicit Hom. 16. in Matth. cap. 5. *Legem implevit, primo quidem nihil transgrediendo legalium, secundo justificando per fidem, quod lex per literam facere non valebat.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus, in omnibus secundum legis præcepta conversatus est, et hoc rationabile fuit.

Probatur prior pars á signo: signum enim quod Christus legem servaverit, et secundum legis præcepta vitam duxerit, est, quia voluit circumcidi. Circumcisio enim est quædam protestatio legis implendæ, secundum illud ad Gal. 5. "Testificor omni homini circumcidenti se, "quoniam debitor est universæ legis faciendæ." Secunda pars probatur: voluit enim Christus secundum legem conversari.

Primo quidem, ut legem veterem approbaret.

Secundo, ut eam observando, in seipso consummaret, et terminaret, ostendens quod ad ipsum erat ordinata.

Tertio, ut Judæis occasionem calumniandi subtraheret.

Quarto, ut homines á servitute legis liberaret, secundum illud ad Gal. 4. "Misit Deus filium suum factum sub "lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret."

### AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod Christus se excusat á

transgressione legis, etiam quod supradicta in sabbato fecerit, tripliciter.

Primo quidem, quia per præceptum de sanctificatione sabbati non interdicitur opus divinum, sed opus humanum. Quamvis enim Deus die septimo cessaverit á novis creaturis condendis; semper tamen operatur in rerum conservatione, et gubernatione. Quod autem Christus miracula faciebat, erat operis divini: unde ipse dicit Jo. 5. "Pater meus usque "modo operatur, et ego operor."

Secundo excusat se Christus per hoc quod illo præcepto non prohibebantur opera, quæ sunt de necessitate salutis, etiam corporalis. Unde ipse dicit Luc. 13. "Unusquisque vestrum sabbato non "solvit bovem suum, aut asinum á præ"sepio, et ducit adaquare?" Et infra cap. 14. «Cujus vestrum asinus, aut bos "in puteum cadet, et non continuo ex"trahet illum die sabbati?" Manifestum est autem quod opera miraculorum, quæ Christus faciebat, ad salutem corporis et animæ pertinebant.

Tertio excusavit se, quia illo præcepto non prohibentur opera, quæ pertinent ad Dei cultum. Unde dicitur Matth. 12. "An non legistis in lege, quia sabbatis "sacerdotes in templo sabbatum vio"lant, et sine crimine sunt? Et Jo. 7. dicitur, quod "circumcisionem accipit ho"mo in sabbato." Quod autem Christus paralytico mandavit, ut lectum suum sabbato portaret, ad cultum Dei pertinebat, idest ad laudem virtutis divinæ, et sic patet quod Christus sabbatum non solvebat, quamvis ei hoc Judæi falso objicerent dicentes Joan. 9. «Non est hic "homo á Deo, qui sabbatum non cus"todit?" Negatur igitur absolute maior; non enim quodcumque opus sabbatum solvit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Christus voluit ostendere per illa verba, quod homo non redditur immundus secundum animam ex usu ciborum quorumcumque, secundum naturam ipsorum ciborum, sed solum secundum quamdam significationem. Quod autem in lege quidam cibi dicuntur immundi, hoc est per quamdam significationem. Unde Aug. dicit lib. 6. contra Faust. cap. 7. "Si "de porco et agno requiratur, utrum "natura mundus est, dicimus, quia om"nis creatura Dei bona est; quadam ve"ro significatione mundus est agnus; "porcus vero immundus." Docens igitur Christus quod nihil est secundum suam naturam immundum, nihil contra legem docuit, aut fecit.

Ad 3. Dicitur negando consequentiam: discipuli enim, quando esurientes sabbato spicas vellebant, à transgressione legis excusantur propter necessitatem famis; sicut et David non fuit transgressor legis, quando propter famis necessitatem comedit sanctos panes, quos ei edere non licebat. Ex hoc ergo quod Christus consensit huic actioni discipulorum, non consensit legis transgressioni, nec legis transgressores excusavit.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 40.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod Christus debebat non solitariam vitam agere, sed inter homines conversari. Ut per dictum Baruch. 4. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi sumito ly *conversatus est* pro communi conversatione, et ordinaria. Ex cujus dicto sic (ut oportet) glossato habes, quomodo intelligas illud Joan. 1. *Verbum caro factum habitavit*

*in nobis*, idest, Verbum caro factum conversatum est ordinarie cum hominibus. Unde concludas, quod Evangelista adimpletam esse Baruch prophetiam ibi monstravit, ut ly *Verbum caro factum est* referatur ad Christi incarnationem, et ly *habitavit in nobis* ad ipsius conversationem. De qua conversatione, et consequenter de prophetiæ adimpletione, intelligitur et illud primæ Joan. 1. " Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt: de verbo vitæ. » Per hæc omnia namque, ut patet, conversatio quædam communis Christi cum hominibus importatur. Nam ly *audivimus*, *vidimus*, *perspeximus*, ly *nostris*, ly *nostræ*, licet principaliter referant Apostolos audientes, videntes, etc. communiter referunt etiam alios homines. Vult enim per hæc dicere, quod illud verbum vitæ cum hominibus communiter est conversatum, licet familiarius cum Apostolis. Hoc autem notificat ab effectu isto, scilicet, *audivimus*, *vidimus*, etc. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis insinuatum, quod Christus non debuit in hoc mundo austeram vitam agere. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 11. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus captu vide et B. Aug. in corp. fin. et contextum Evangelii. Sequitur autem ly *dicunt Ecce homo vorax, et potator vini.* Patet enim ex his, quod hic præsupponitur unum, scilicet quod Dominus non austeram, sed communem vitam in cibo, et potu agebat: occasione cujus, quamvis pessime, accepta, judæi omnis boni perversores mendaciter notabant ipsum de peccato gulæ, quod per voracitatem, et potationem vini significabant. Ab inimicis ergo testimonium habet hæc veritas, scilicet, quod Dominus vitam communem vivebat, licet sine quocumque vel levissimo peccato, q. 15. ar. 1. 2. cum Elucid. Immo cum maxima commendatione (ut patet artic. 1. et isto) contra eorumdem inimicorum malitiosam blasphemiam. Cæterum, quomodo scripturæ, narrando factum Salvatoris de vita communi, intendant simul convenientiam talis facti, idest, quod convenientissimum fuit, ipsum sic facere, videbis abunde ex qu. 39. ar. 1. et aliorum appendicibus. et q. 35. ar. 8. not. post prob. conclusio. *Secundo* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus debuit pauperem vitam ducere. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 8. et 18. secundum quod cum expositionibus B. Hieron. habes *in arg. cont.* Pro quo ad propositum præsens adaptando, ut oportet, vide supradicta in art. 1. 2. append. et secundum ea, atque ibi ex superioribus citata, regulabis proportionaliter hic temetipsum. Insinuatur quoque idem per hoc, quod antea de paupere vita Christi prophetatum fuit à Psalm. 69. " Ego vero egenus, et pauper sum. » Item á Psalm. 39. " Ego autem mendicus sum, et pauper. » Item á Psalm. 108. " Persecutus est hominem inopem, et mendicum. » Item á Hiere. Thren. cap. 3. " Recordare paupertatis meæ, absinthii, et fellis. » Hæc autem prædicuntur in persona Christi, et consequenter, cum ipse venerit adimplere prophetas, Matth. 5. patet, quod secundum illas, aliasque similes scripturas debuit Christus in paupertate maxima vivere. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus secundum legem conversatus est. Ut á Matth. 5. secundum quod cum expositione D. Chrysostomi ponitur *in arg. cont.* Ubi nota ly *nihil.* Item á Galat. 5. *Misit Deus filium suum factum sub lege.* Hoc est. Misit filium suum, qui servaturus erat legem, vivendo scilicet secundum eam. Esse enim sub lege est portare legem, ut ex terminis patet. Quod si quis sub lege sit nomine tantum, iste gloriatur in lege, idest, jactat se habere á Deo excellentem legem, idest, sibi credita esse eloquia Dei, sed tamen non vivit secundum legem. Tale enim talis hominis expositionem docuit Apostolus, dum quemdam similem sub lege otiosum increpabat dicens Roma. 2. " Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Dominum inhonoras? Si quis vero sub lege sit non tantum nomine, verbo, aut linqua, sed etiam

opere, et veritate, idest, factis ipsis, iste secundum legem vivit. Iste solus dicitur proprie esse sub lege: iste autem primus improprie, licet revera sit obligatus ad observationem legis. Primus enim legem portat in ore solum, secundus autem illam portat et in ore, et in opere. Cum igitur de filio Dei intelligi proprie, idest in potiori significato, ut correspondentia fiat ad aliquid potius, scilicet, ad filium Dei, debeat ly *factum sub lege*, patet, quod illa Apostoli sententia denotat, quod Christus vixit secundum legem. Insinuatur quoque idem á Psal. 131. " Si custodierint filii tui testimonia mea hæc, quæ docebo eos. » Nam ly *docebo* sumitur in suo potiori significato (talis enim sensus decet Deum) quod est docere non tantum verbo, sed etiam exemplo. Per hoc ergo significavit Deus: quod aliquando erat docturus suo exemplo testimonia illa, quæ tunc docebat verbo. Ac si apertius dixisset. Veniet tempus, in quo ego factus homo conversabor vobiscum secundum observantiam hujus legis, et ita exemplo tunc vos docebo, quod nunc vos doceo verbis. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA PRIMA,

### DE TENTATIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de tentatione Christi.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum fuerit conveniens Christum tentari.

Secundo de loco tentationis.

Tertio de tempore.

Quarto, de modo, et ordine tentationis.

### ARTICULUS 1.

*Utrum conveniens fuerit Christum tentari.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christo non conveniebat tentari.

1. Ei cujus virtus est nota etiam dæmonibus, non convenit tentari. Sed virtus Christi erat nota etiam dæmonibus. Ergo Christo non conveniebat tentari.

Maior prob., quia tentare est experimentum sumere: quod quidem non fit, nisi de re ignota.

Minor prob., quia Lucæ 4. dicitur, quod "non sinebat dæmones loqui, quia "sciebant eum esse Christum. "

2. Christus venerat ad hoc, ut opera diaboli dissolveret. Ergo inconveniens fuisse videtur quod Christus pateretur se tentari á diabolo.

Antec. prob., quia 1. Jo. 3. dicitur: " in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat " opera diaboli."

Conseq. prob., quia non est ejusdem dissolvere opera alicujus, et ea pati.

3. Christus non fuit tentatus à carne, nec á mundo. Ergo nec etiam debuit tentari á diabolo.

Consequentia prob., quia cum triplex sit tentatio, scilicet á carne, à mundo, et diabolo, eadem ratio de omnibus videtur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 4. dicitur: *Ductus est Jesus á spiritu in desertum, ut tentaretur á diabolo.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum tentari.

Prob. Voluit enim Christus tentari propter quatuor.

Primo ut nobis contra tentationes ferret auxilium. Unde Greg. dicit in Hom. 16. in Evang. "Non erat indignum Re- "demptori nostro, quod tentari voluit, "qui venerat occidi; justum quippe erat "ut sic tentationes nostras suis tenta- "tionibus vinceret, sicut mortem nos- "tram venerat sua morte superare. »

Secundo, propter nostram cautelam, ut nullus quantumcumque sanctus se

æstimet securum, et immunem á tentatione. Unde et post baptismum tentari voluit, quia sicut Hilar. dicit super Matt. can. 3. "In sanctificatis nobis "maxime diaboli tentamenta grassantur: quia victoria magis est ei exoptata de sanctis." Unde et Eccles. 2. dicitur: "Fili, accedens ad servitutem "Dei, sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem."

Tertio, propter exemplum, ut scilicet nos instrueret, qualiter diaboli tentationes vincamus. Unde August. dicit in 4. de Trin. cap. 3. quod "Christus "diabolo se tentandum præbuit, ut ad "superandas tentationes ejus mediator "esset, non solum per adjutorium, verum etiam per exemplum.

Quarto, ut nobis fiduciam de sua misericordia largiretur. Unde dicitur Heb. 4. "Non habemus pontificem, qui non "possit compati infirmitatibus nostris, "tentatum autem per omnia, pro simili-"litudine absque peccato."

AD ARGUMENTA.

Ad primum dicitur ad minorem, quod virtus Christi erat quidem dæmonibus aliqualiter nota, secundum quasdam conjecturas, non autem erat eis nota perfecte, secundum certitudinem: sicut enim dicit Augustinus libro 9. de civitate Dei capite 21. "Christus tantum innotuit dæmonibus, quantum "voluit, non per id quod est vita "æterna, sed per quædam temporalia "suæ virtutis effecta." Habebant igitur dæmones aliqualiter notitiam virtutis Christi; sed quia rursus in eo quædam signa humanæ infirmitatis videbant, non pro certo cognoscebant eum esse Filium Dei; et ideo diabolus eum tentare voluit. Et hoc significatur Matth. 4. ubi dicitur quod "postquam esuriit, accesit "tentator ad eum." quia ut Hilarius in Matth. can. 3. dicit. "Tentare Chris-"tum diabolus non fuisset ausus, nisi "in eo per esuritionis infirmitatem, quæ "sunt hominis, recognosceret." Et hoc etiam patet ex ipso modo tentandi, cum dixit: *si Filius Dei es*: quod exponens Amb. lib. 4. super Luc. cap. 14. dicit: "quid sibi vult talis sermonis exorsus, "nisi quia cognoverat Dei Filium esse "venturum, sed venisse per hanc infir-"mitatem corporis non putabat?"

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod Christus venerat dissolvere opera diaboli, non potestative agendo, sed magis ab eo, et ejus membris patiendo, ut sic diabolum vinceret justitia, non potestate. Unde Aug. dicit in lib. 13. de Trin. cap. 13. quod "diabolus non potentia Dei, sed "justitia superandus fuit;" et ideo circa tentationem Christi considerandum est, quid propria voluntate Christus fecit, et quid á diabolo passus fuit. Quod enim tentatori se offerret, fuit propriæ voluntatis: unde dicitur Matth. 4. "Ductus est Jesus in desertum á spiritu, "ut tentaretur á diabolo." Quod Greg. Hom. 16. in Evangelio intelligendum esse dicit de Spiritu Sancto, ut scilicet "illuc eum suus spiritus duceret, ubi "eum ad tentandum malignus spiritus "inveniret." Sed á diabolo passus est, ut assumeretur, vel supra pinnaculum templi, vel etiam in montem excelsum valde. Nec est mirum, ut Greg. ibid. dicit: "si se ab illo permisit in mon-"tem duci, qui se permisit á membris "diaboli etiam crucifigi." Intelligitur autem á diabolo assumptus, non quasi ex necessitate; sed quia, ut Orig. dicit Hom. 31. super Luc. "sequebatur eum "ad tentationem, quasi Athleta sponte "procedens." Negatur igitur consequentia: Christus enim passus est á diabolo, et per hoc ejus opera dissolvit.

Ad 3. Negatur conseq. Nec est eadem ratio de omnibus tentationibus, ut prob. dicit: tentatio enim quæ est á diabolo, potest esse sine peccato ipsius, qui tentatur; quia fit per solam exteriorem suggestionem. Tentatio vero quæ est á carne, non potest esse sine peccato, quia hujusmodi tentatio fit per delectationem

et concupiscentiam contra ordinem rationis, sicut enim August. dicit lib. 19. de civit. Dei cap. 4. "Nonnullum peccatum est, quando caro concupiscit adversus spiritum," et quia, ut Apostolus dicit, "Christus per omnia tentari voluit absque peccato," tentari voluit ab hoste, sed non á carne.

## ARTICULUS II.

### *Utrum Christus tentari debuit in deserto.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit tentari in deserto.

1. Christus tentari voluit propter exemplum nostrum, ut dictum est art. præcedenti, in tertia ratione. Ergo Christus non debuit tentari in deserto.

Conseq. probat., quia exemplum debet manifeste proponi illis, qui sunt per exemplum informandi.

2. Christus non debuit tentationi se exponere. Ergo Christus non debuit tentari in deserto.

Anteced. probat. Nos non debemus nos ipsos tentationi exponere, sed magis occasiones tentationum vitare, propter periculum. Ergo nec Christus debebat se tentationi exponere, cum ejus tentatio sit nostrum exemplum.

Conseq. prob., quia Chrysost. dicit Hom. 13. in Matth. quod «tunc maxime instat diabolus ad tentandum, cum viderit solitarios: unde et in principio mulierem tentavit, sine viro eam inveniens;» et sic videtur quod Christus per hoc quod in desertum ivit, ut tentaretur, quod tentationi se exposuit.

3. Matth. 4. ponitur secunda Christi tentatio, qua «diabolus Christum assumpsit in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi,» quod quidem non erat in deserto. Ergo Christus non est tentatus solum in deserto.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Marci 1. dicitur, quod *erat Jesus in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus; et tentabatur á Satana.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus convenienter tentatus est in deserto.

Probatur primo. Christus propria voluntate se exhibuit diabolo tentandum, sicut etiam membris ejus se exhibuit occidendum, ut dictum est art. præced. ad 2. Et hoc quia alioquin diabolus ad eum venire non auderet. Ergo convenienter Christus in desertum exivit, quasi ad campum certaminis, ut ibi á diabolo tentaretur.

Conseq. prob., quia diabolus magis attentat aliquem, cum est solitarius. Quia ut dicitur Eccles. 4. «Si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei.»

Et confirmatur ratio. Quia Ambr. dicit super Luc. lib. 4. tit. de ductu Jesu in desertum, quod "Christus agebatur in desertum consilio, ut diabolum provocaret: nam nisi ille" scilicet diabolus "certasset, non iste" scilicet Christus "mihi vicisset."

Addit autem idem Amb. duas alias rationes, quibus Christus in deserto tentari voluit, dicens, hoc Christum fecisse mysterio, ut Adam de exilio liberaret, qui scilicet de paradiso in desertum ejectus est; altera vero est, ut ostenderet, nobis exemplo diabolum ad meliora tendentibus invidere.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad probat. dicitur, quod Christus proponitur omnibus in exemplum per fidem, secundum illud Heb. 12. *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.* Fides autem, ut dicitur Roma. 10, est ex auditu, non ex visu; quinimo Jo. 20. dicitur. *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Et ideo ad hoc, ut tentatio Christi esset nobis in exemplum, non oportuit quod ab hominibus videretur; sed sufficiens fuit quod hominibus narraretur. Assumptum igitur in prob. non est verum de eo, quod proponitur in exemplum per fidem.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad prob.

dicitur, quod duplex est tentationis occasio, una quidem ex parte hominis, puta cum aliquis se peccato propinquum facit, occasionis peccandi non evitans. Et talis occasio tentationis est vitanda; sicut dictum est Loth. Genes. 19. « Ne “ steteris in omni regione circa Sodo- “ mam. » Alia vero occasio tentationis est ex parte diaboli “ qui semper invi- “ det ad meliora tendentibus, » ut Ambr. dicit loc. cit. lib. 4. in Lucam. Et talis tentationis occasio non est vitanda. Unde dicit Chrysost. Hom. 5. in Matth. quod non solum Christus ductus est in desertum á spiritu; sed « omnes filii Dei “ habentes Spiritum Sanctum: non enim “ sunt contenti sedere otiosi; sed Spiri- “ tus sanctus urget eos aliquod mag- “ num apprehendere opus, quod est esse “ in deserto quantum ad diabolum, quia “ non est ibi injustitia in qua diabolus “ delectatur. Omne etiam bonum opus “ est desertum quantum ad carnem, et “ mundum, quia non est secundum vo- “ luntatem carnis, et mundi. » Talem autem occasionem tentationis dare diabolo non est periculosum, quia maius est auxilium Spiritus Sancti, qui est perfecti operis auctor, quam impugnatio diaboli invidentis.

Ad 3. Dicitur quod quidam dicunt omnes tentationes factas fuisse in deserto, quorum quidam dicunt quod Christus ductus est in sanctam civitatem, non realiter, sed secundum imaginariam visionem. Quidam vero dicunt quod etiam ipsa civitas sancta, idest Hierusalem, desertum dicitur, quia erat derelicta á Deo: sed tamen non est necessarium dicere, quod omnis tentatio fuerit in deserto, quia Marcus dicit quod in deserto tentabatur á diabolo; non autem dicit quod solum in deserto. Et ideo conceditur id quod argumentum probat.

## ARTICULUS III.

### *Utrum tentatio Christi debuerit esse post jejunium.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod tentatio Christi non debuerit esse post jejunium.

1. Christum non decebat conversationis austeritas, ut art. 2. quæst. præced. dictum est. Ergo non videtur, quod Christus duebuerit quadraginta dierum jejunium tentationi præmittere.

Conseq. prob., quia maximæ austeritatis fuisse videtur quod quadraginta diebus, et quadraginta noctibus nihil comederit; sic enim intelligitur quadraginta diebus, et noctibus jejunasse, quia scilicet «in illis diebus nullum omnino ci- «bum sumpsit,» ut Greg. dicit Homil. 16. in Evang.

2. Marci 1. dicitur, quod *erat* scilicet Jesus *in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, et tentabatur á Satana.* Ergo Christus fuit tentatus non post jejunium, sed etiam dum jejunaret.

Conseq. prob., quia illis quadraginta diebus, quibus fuit in deserto, jejunavit.

3. Christus fuit alia vice tentatus á diabolo, cui tentationi non præmisit jejunium. Ergo nec huic primæ tentationi debuit præmittere jejunium.

Anteced. prob. Et quod fuerit tentatus Christus secundo á diabolo ostenditur, quia dicitur Lucæ 4. *Consummata omni tentatione*, scilicet hac prima vice in deserto, *diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Quod vero huic secundæ tentationi Christus non præmiserit jejunium, patet, quia non legitur quod Christus, nisi semel jejunaverit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 4. dicitur: *Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit, etc.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienter Christus post jejunium tentari voluit.

Prob. tripliciter. Primo tentari voluit propter exemplum, quia cum omnibus immineat se contra tentationes tueri, per hoc quod ipse ante tentationem futuram

jejunavit, docuit quod per jejunium nos oportet contra tentationem armari. Unde inter arma justitiæ Apostolus 2. Cor. 6. jejunia connumerat.

Secundo, ut ostenderet quod etiam jejunantes diabolus aggreditur ad tentandum, sicut alios qui bonis operibus vacant. Et ideo sicut post baptismum, ita post jejunium Christus tentatur. Unde Chrysost. dicit super Matth. Hom. 13. « Ut discas quam magnum bonum " est jejunium, et qualiter scutum est " adversus diabolum, et quoniam post " baptismum, non lasciviæ, sed jejunio " intendere oportet; ideo Christus je- " junavit, non jejunio indigens, sed nos " instruens. »

Tertio, quia post jejunium secuta est esuries, quæ dedit diabolo audaciam eum aggrediendi, sicut dictum est art. 1. ad 2. « Cum autem esuriit Dominus, » ut Hilarius dicit super Matth. can. 3. " non fuit ex surreptione inediæ, sed " naturæ suæ hominem dereliquit. Non " enim erat diabolus á Deo, sed á carne " vincendus. » Unde etiam ut Chrisost. Hom. 5. op. imp. in Matt. dicit: « Non " ultra procesit in jejunando quam Moy- " ses, et Helias, ne incredibilis videre- " tur carnis assumptio. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Christum non decuit conversatio austerioris vitæ, ut se communem exhiberet illis, quibus prædicavit. Sed quia nullus debet assumere prædicationis officium, nisi prius fuerit purgatus, et in virtute perfectus, sicut et de Christo dicitur Act. 1. *Cœpit Jesus facere et docere*, ideo Christus statim post baptismum austeritatem vitæ assumpsit, ut doceret post carnem edomitam, oportere alios ad prædicationis officium transire, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. 9. «Cas- " tigo corpus meum, et in servitutem " redigo, ne forte cum aliis prædicavero " ipse reprobus efficiar. » Negatur igitur conseq. Ad prob. dicitur quod jejunium quadraginta dierum fuit magnæ austeritatis, sed fuit peractum ante prædicationis initium, quo tempore decebat Christum etiam austeritatem assumere propter futurum prædicationis officium, quod exercere debebat.

Ad 2. Dicitur dupliciter. Primo (sustinendo quod Christus non fuerit tentatus, nisi post jejunium) quod illud verbum Marci. 1. potest sic intelligi quod " erat in deserto quadraginta diebus et " quadraginta noctibus, » quibus jejunavit. Quod autem dicitur: « et tentaba- « tur à Satana, » intelligendum est non in illis quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, quibus jejunavit, sed post illos, eo quod Matth. dicit quod " cum jeju- " nasset quadraginta diebus et quadra- " ginta noctibus, postea esuriit, » ex quo sumpsit tentator occasionem accedendi ad ipsum. Unde et quod subditur; *et Angeli ministrabant ei*, consecutive intelligendum esse ostenditur ex hoc quod Matth. 4. dicitur: *tunc relinquit eum diabolus*, scilicet post tentationem, *et ecce Angeli acceserunt, et ministrabant ei*. Quod vero interposuit Matth. *eratque cum bestiis*, inducitur secundum Chrysost. Hom. 13. in Matth. ad ostendendum quale erat desertum, quia scilicet erat invium hominibus, et bestiis plenum.

Dicitur secundo juxta expositionem Bedæ quod Dominus tentabatur non solum post jejunium, sed etiam illis quadraginta diebus, et noctibus, quibus jejunavit. Non quidem illis tentationibus visibilibus, quas narrant Matth. et Luc. quæ manifeste factæ sunt post jejunium, sed quibusdam aliis impugnationibus, quas forte illo jejunii tempore Christus á diabolo est passus.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo negando priorem partem antecedentis. Ad probationem dicitur, quod sicut Amb. dicit lib. 4. sub Luc. «Recessit diabolus « á Christo usque ad tempus, quia postea « non tentaturus, sed aperte per sua mem-

« bra pugnaturus advenit » scilicet tempore passionis.

Secundo dicitur concedendo, quod Christus secunda vice fuit tentatus á dæmone, tempore scilicet passionis. Per illam enim impugnationem videbatur Christum tentare de tristitia, et odio proximorum, sicut in deserto de delectatione gulæ, et contemptu Dei per idololatriam. Cui tentationi non erat necessarium præmittere speciale jejunium, cum non adessent rationes præmittendi jejunium, quibus ante primam tentationem convenienter fuit præmissum. Non enim ipse jejunio indigebat ad superandas illas tentationes, nec erat amplius per seipsum prædicaturus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum fuerit conveniens ordo, et modus tentationis Christi.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit conveniens modus, et ordo tentationis Christi.

1. Si Christus subvenisset corporali fami, convertendo lapides in panem, non peccasset; sicut non peccavit cum panes multiplicavit (quod non fuit minus miraculum) ut turbæ esurienti subveniret. Ergo videtur, quod nulla fuerit illa prima tentatio, qua diabolus dixit Christo esurienti: *dic ut lapides isti panes fiant.*

Conseq. prob., quia tentatio diaboli ad peccandum inducit.

2. Diabolus statuens Christum supra pinnaculum templi, intendebat eum de superbia, seu de vana gloria tentare. Ergo inconvenienter persuadet ei, ut mittat se deorsum.

Conseq. prob., quia mittere se deorsum est contrarium superbiæ, vel vanæ gloriæ, quæ semper quærit ascendere. Nullus autem persuasor convenienter suadet contrarium ejus quod intendit.

3. In tentatione quæ fuit in monte, diabolus duo peccata persuasit, scilicet cupiditatem, et idololatriam. Ergo non videtur fuisse conveniens tentationis modus.

Conseq. prob., quia conveniens est ut una tentatio sit de uno peccato.

4. Vitia capitalia sunt septem, ut dictum est 1. 2. quæst. 84. artic. 4. et tamen Christus non fuit tentatus nisi de tribus, scilicet de gula, vana gloria, et cupiditate. Ergo insufficiens fuit tentationis modus.

Conseq. prob., quia tentationes ad peccata ordinantur.

5. Post victoriam omnium vitiorum remanet homini tentatio superbiæ, vel vanæ gloriæ. Ergo inconvenienter Matth. ponit ultimam tentationem cupiditatis in monte, et mediam inanis gloriæ in templo, præsertim cum Lucas ordinet è converso.

Anteced. prob., quia "superbia etiam «bonis operibus insidiatur, ut pereant,» ut dicit Aug. in regula. Unde superatis omnibus vitiis, in bene operando remanet superanda superbia.

6. Hieronymus dicit super illud Matth. 4. Non in solo pane vivit homo. "Pro- "positum Christi fuit, diabolum humi- "litate vincere,, non potestate." Ergo non debuit eum imperiose et objurgando repellere dicens, *vade Satana.*

7. Narratio Evangelii videtur falsum continere; non enim videtur possibile quod Christus supra pinnaculum templi statui potuerit, quin ab aliis videretur. Neque aliquis mons tam altus invenitur, ut inde totus mundus inspici posset, ut ex eo diabolus potuerit Christo omnia regna mundi ostendere. Ergo non convenienter videtur Christi tentatio descripta.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Est Scripturæ Sacræ auctoritas, Matth. 4.

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Ordo et modus tentationis Christi fuit conveniens.

Prob. Ordo et modus tentationis, qua homo spiritualis tentatur à diabolo, primo de levibus, deinde paulatim ad gra-

viora proceditur, est conveniens. Sed Christus fuit á diabolo tentatus, non statim de gravibus, sed á levioribus paulatim ad graviora factus fuit processus. Ergo ordo, et modus tentationis Christi fuit conveniens.

Maior manifestatur: nam tentatio quæ est ab hoste, fit per modum suggestionis, ut Greg. dicit Hom. 16. in Evang. Non autem eodem modo potest aliquid omnibus suggeri, sed unicuique suggeritur aliquid ex his, circa quæ est affectus. Et ideo diabolus non statim tentat hominem spiritualem de gravibus peccatis, sed paulatim á levioribus incipit, ut postmodum ad graviora perducat. Unde Greg. 31. Moral. cap. 17. exponens illud Job. 39. "Procul odoratur bellum, "exhortationem ducum, et ululatum "exercitus," dicit: "bene duces exhor-"tari dicti sunt, exercitus ululare, quia "prima vitia deceptæ menti, quasi sub "quadam ratione se inserunt, sed innu-"mera quæ sequuntur, dum hanc ad om-"nem insaniam pertrahunt, quasi bestiali "clamore confundunt." Et hoc observavit diabolus in tentatione primi hominis; nam primo solicitavit mentem primi hominis de ligni vetiti esu, dicens Gen. 3. *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi*? Secundo de inani gloria, cum dixit: *aperientur oculi vestri*. Tertio perduxit tentationem ad extremam superbiam, cum dixit: *eritis sicut dii scientes bonum et malum*: conveniens igitur ordo tentationis hominis spiritualis quæ fit á diabolo, est ut á levioribus ad graviora procedatur, et sic patet maior. Minor autem, scilicet quod hic ordo, et modus fuerit servatus in tentatione Christi, ostenditur. Nam primo diabolus tentavit Christum de eo quod appetunt, quantumcumque spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturæ per cibum. Secundo processit ad id in quo spirituales viri quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad ostentationem operentur; quod pertinet ad inanem gloriam. Tertio perduxit tentationem ad id quod jam non est spiritualium virorum, sed carnalium, scilicet ut divitias et gloriam mundi concupiscant, usque ad contemptum Dei; et ideo in primis duabus tentationibus dixit: *si Filius Dei es*; non autem in tertia, quæ non potest convenire spiritualibus viris (qui sunt per adoptionem filii Dei) sicut duæ primæ, et sic patet minor.

2.ª Conclusio. Convenienter Christus restitit tentationibus non potestate virtutis, sed testimoniis legis. Manifestatur. Hoc enim modo resistendi usus est Christus, «ut hoc ipso, et plus hominem «honoraret, et adversarium plus pu-«niret, cum hostis generis humani, non «quasi á Deo, sed quasi ab homine vin-«ceretur,» ut Leo Papa dicit, in Serm. 1. quadrag.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod uti necessariis ad sustentationem, non est peccatum gulæ; sed quod ex desiderio hujus sustentationis homo aliquid inordinatum faciat, ad vitium gulæ pertinere potest: est autem inordinatum quod aliquis, ubi potest recursus haberi ad humana subsidia, pro solo corpore sustentando, miraculose sibi cibum quærere velit. Unde et Dominus filiis Israel miraculose præbuit manna in deserto, ubi aliunde cibus haberi non poterat. Et similiter Christus in deserto pavit turbas miraculose, ubi aliter cibi haberi non poterant. Sed Christus ad subveniendum fami, poterat aliter sibi providere, quam miracula faciendo, sicut et Joannes Baptista fecit, ut legitur Matth. 3. Vel etiam ad loca proxima properando: et ideo reputabat diabolus, quod Christus peccaret, si ad subveniendum fami miracula facere attentaret, si esset purus homo.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod per humiliationem exteriorem frequenter quærit aliquis gloriam, qua exaltetur circa spiritualia bona. Unde August. dicit in 2. lib. de Serm. Dom.

in mont. cap. 12. "Animadvertendum "est, non in solo rerum corporearum "nitore, atque pompa, sed etiam in ip-"sis sordibus luctuosis esse posse jac-"tantiam." Et ad hoc significandum diabolus suasit, ut ad quærendum gloriam spiritualem corporaliter mitteret se deorsum. Non ergo diabolus suadebat contrarium ejus quod intendebat, sed volebat ut per projectionem deorsum, vanam gloriam quæreret, et per casum corporalem, ascensum superbiæ.

Ad 3. Dicitur primo ad antecedens quod divitias, et honores mundi appetere peccatum est, quando inordinate appetuntur. Hæc autem inordinatio appetitus præcipue manifestatur ex hoc quod homo pro hujusmodi adipiscendis aliquid inhonestum facit. Et ideo non fuit contentus diabolus persuadere cupiditatem divitiarum et honorum; sed induxit ad hoc quod propter hujusmodi adipiscenda Christus eum adoraret, quod est maximum scelus, et contra Deum. Nec solum dixit, *si adoraveris me*, sed addidit, *si cadens;* quia ut dicit Ambr. lib. 4. in Luc. cap. de 3. tentat. Christi. "Habet ambitio domesticum periculum; "ut enim dominetur aliis, prius servit, "et curvatur obsequio, ut honore dona-"tur; et dum vult esse sublimior, fit "remissior." Negatur igitur consequentia. Ad probationem dicitur, quod nullum est inconveniens quod una tentatio sit de pluribus peccatis, et maxime si habeant connexionem ad invicem, ut sunt cupiditas divitiarum, et idololatria. Unde et in aliis duabus tentationibus diabolus voluit Christum ex appetitu unius peccati in aliud inducere. Sicut in prima tentatione ex desiderio cibi conatus est inducere in vanitatem sine causa miracula faciendi. Et in secunda tentatione ex cupiditate gloriæ conatus est inducere ad tentandum Deum per præcipitium.

Ad 4. Negatur consequentia. Nam ad omnia peccata inducitur homo, vel per oblectationem carnis, vel per spem gloriæ, vel per aviditatem potentiæ. Dum igitur diabolus tentavit Christum de oblectatione carnis in prima tentatione, de spe gloriæ in secunda, et de aviditate potentiæ in tertia, de causis omnium peccatorum tentavit. Unde dicit Amb. lib. 4. super Luc. cap. de recessu diaboli á Christo. "Non dixisset scriptura, quod "consummata omni tentatione diabolus "recessit ab illo, nisi in tribus præmis-"sis esset omnium materia delicto-"rum."

Ad 5. Dicitur ad consequentiam, quod sicut August. dicit in lib. 2. de consensu Evang. cap. 16. "Incertum "est, quid prius factum sit, utrum reg-"na terræ prius monstrata sint, et pos-"tea in pinnaculum templi locatus sit, "an hoc prius, et illud postea, nihil ta-"men ad rem, dum omnia facta esse, "manifestum sit." Videntur autem Evangelistæ diversum ordinem tenuisse; quia quandoque ex inani gloria venitur ad cupiditatem, quandoque é converso, ac per hoc non semper superbia est ultimum vitium superandum.

Ad 6. Dicitur ad consequentiam, quod Christus, cum passus fuisset tentationis injuriam, dicente sibi diabolo: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, non est turbatus, nec diabolum increpavit. Quando vero diabolus Dei usurpavit honorem dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, exasperatus est, et repulit eum, dicens: *Vade Sathana.* Ut nos illius discamus exemplo nostras quidem injurias æquanimiter sustinere; Dei autem injurias, nec usque ad auditum sufferre. Per hoc igitur, quod Christus diabolum increpavit et repulit, non sequitur quod non sit victus humilitate.

Ad 7. Dicitur ad antec. quod sicut Chrys. dicit: Hom. 5. in Matth. «Diabolus, sic «Christum assumebat in pinnaculum tem-«pli, ut ab omnibus videretur; ipse au-«tem nesciente diabolo sic agebat, ut á «nemine videretur:» Quod autem dicit: «et ostendit ei omnia regna mundi, et

« gloriam eorum, » non est intelligendum quod videret ipsa regna, vel civitates eorum, vel populos, vel aurum, vel argentum; sed partes terræ, in quibus unumquodque regnum, vel civitas posita est, diabolus Christo digito demonstrabat, et uniuscujusque regni honores, et statum verbis exponebat. Vel secundum Origenem, Homil. 30. in Luc. ostendit ei quomodo ipse per diversa vitia regnabat in mundo.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 41.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis quod fuit conveniens, Christum tentari. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 4. secundum quod est *in arg. cont.* Quæ enim Spiritu Sancto ducente aguntur, non possunt, ut sic, non esse convenientia. In textu illo nota, quod, sicut Christus secundum humanitatem, tamquam minor secundum ipsam, ductus est á Spiritu Sancto ad hoc, ut tentaretur, ita tentatus est secundum humanitatem. Voluit ergo ipse Christus, secundum quod homo, contra tentatorem pugnare, ei resistere, eum vincere; non secundum quod Deus, et hoc ad majorem exaltationem hominis, atque ad majorem confusionem diaboli. Ex textu nota, quod tentari ab hostibus extrinsecis, adversaque perpeti, non est malum, idest, non est culpabile. Alioquin Christus non duceretur á Spiritu Sancto ad hoc, ut tentaretur á diabolo. Insinuatur quoque idem principale per hoc, quod dicitur Zachar. 3. " Ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum, et Satan stabat á dexteris ejus, ut adversaretur ei. » Per figuram enim hanc præmonstrabatur, quod Jesus verus, qui est sacerdos antonomastice magnus, erat tentandus á Satana. Christus autem adimplere prophetas et voluit, et hoc conveniens fuit, Matth. 5. ideo et tentari voluit, et ipsum á Satana tentari conveniens fuit. Porro, quod á figuris antiqui testamenti ad figurata novi liceat inferre, docuit facto suo Concil. *Hispalense* 2. dum ex majoritate Aaronis ad Levitas intulit majoritatem episcoporum ad simplices sacerdotes. Vide Concil. hoc in veritatibus aureis super legem, Levit. 8. concl. 2. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas. merito esse insinuatum á scripturis, quod tentatio Christi debuit esse in deserto. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 1. *erat*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi pro ly " in deserto tentabatur, ergo debuit ibi tentari, » vide *sequelæ* veritatem ex dictis in quæst. 39 40. art. suorum append. et quæst. hujus art. 1. Corol. post concl. Ex quibus locis multa scripturarum, ad hoc particulare suaviter inflectendo, potes in favorem appendicis assumere. Item per hanc hujus figuram, quod dicitur in Psal. 94. " Secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri.» Sicut enim peccata omnia quodammodo sunt ex instigatione diaboli, 1. qu. 1. 2. qu. 80. art. 4. Ita tentationes istorum patrum, quibus tentaverunt Deum in deserto, possunt quodammodo dici á diabolo esse: ac si dicamus, Deum tunc fuisse in deserto tentatum á diabolo in patribus illis, idest, patres illos ad tentandum Deum instigante. Item per hanc ejusdem rei figuram, quod dicitur 1. Reg. 23. Saul persecutus est David in deserto Maon. » Et cap. 26. " Saul descendit in deserto Ziph, ut quæreret David in deserto. David autem habitabat in deserto. » David enim figura est Christi filii sui secundum carnem, Saul vero diaboli. Saul ergo persequitur David in deserto, sed frustra. *non enim tradidit eum Deus in manus ejus*, Reg. 23. idest, quia diabolus tentaturus erat Christum in deserto, sed frustra quoad intentionem diaboli. De bonitate illationis ex

figura ad figuratum, vide Conc. *Hisp.* ubi citatur supra ar. 1. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod Christi tentatio debuit esse post jejunium, et quod aliqua, puta aperta pugna, de qua in ad *tertium*, esse debuit absque jejunio immediate præmisso. Insinuatur horum primum per hoc, quod dicitur Matth. 4. *cum*, etc. ut *in arg. cont.* Item per hoc, quod magna tentatio occasione populi idololatrantis facta narratur Moysi, Exod. 32. postquam in deserto, seu in solitudine, Act. 7. jejunaverat 40 diebus, et 40 noctibus, Exod. 24. Non enim á sapientibus capitulum illud Exod. 32. considerantibus potest negari, quin illa fuerit tentatio, et quidem maxima, á tentatoré diabolo, 1. q. 114. a. 2. procurata in populo illo contra Moysen, et consequenter, quod diabolus tunc tentaverit Moysen ipsum, vide ar. 2. append. qualiter omnes tentationes sunt à diabolo. Neque etiam negari potest, quod Moyses fuerit figura Christi, et quod á figura liceat argumentari ad figuratum, ut patet ar. 1. app. ex Concil. Hispalensi. Insinuatur vero secundum sensum illorum in principio dictorum per hoc, quod dicitur in Psalm. 105. " Irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini. » Ante enim istam tentationem, quæ ad longum narratur Num. 16. non legitur immediate Moysen, aut Aaron jejunasse, et consequenter ipsam tentationem illam maximam à tota synagoga suggerente diabolo factam contra Christum tempore passionis, figuravit. Ac si dicatur ibi ad hoc propositum. Moyses, et Aaron, figura Christi, tentantur per apertam rebellionem á Dathan, et Abiron cum suis, sed frustra: quandoquidem, ut inibi subditur, " aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron: » quia Christus ab eis figuratus, circa extremum vitæ suæ, postquam doctrina sua miraculis, ac moribus confirmata duxerat Israelem longo tempore per hujus mundi desertum, erat apertissima rebellione ab ingratissimo illo populo tentandus, sed frustra, dicente Psal. 14. *ad nihilum deductus est in conspectu ejus*, scilicet Christi, *malignus*. Et Apostolo Hebr. 2. " Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum. » De magnitudine illius figuralis tentationis, ut figuratam magis inde cognoscas, vide veritates aureas super legem veterem, Num. 16. concl. 1. 2. 3. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod conveniens fuit tentationis Christi modus, et ordo, tum ex parte descriptionis factæ ab Evangelistis, tum ex parte diaboli. Ex parte quidem primi insinuatur per hoc, quod ab Matth. 4. Lucæ 4. totaliter, ut inibi, describitur. Convenienter enim dicitur à scriptura et in modo, et ordine, quicquid ab ea dicitur: ergo, ab ista universali ad hoc particulare descendendo, descriptus fuit convenienter modus, et ordo tentationis hujus ab Evangelistis. De veritate maxima antecedentis nunc dicti, scilicet convenienter dicitur á scriptura in modo, atque ordine, quicquid ab ea dicitur, vide notatio. post ad 7. et 2. 2. q. 122. art. 2. append. at qu. 140. artic. 1. append. Item 1. 2. qu. 68. art. 4. append. Juvabit quoque videre de sufficientia scripturarum in 2. 2. q. 179. art. 2. append. Ex parte autem secundi in principio dictorum insinuatur per hoc, quod dicitur Luc. 16. " Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. » Nomine enim filiorum sæculi intelliguntur homines mali, quorum profecto diabolus est caput, q. 8. art. 7. et prudentiæ est invenire medium conveniens ad finem, 2. 2. q. ar. 7. et consequenter prudens est, qui bene ratiocinatur ad aliquem finem, 2. 2. q. art. 2. Si ergo filii diaboli sunt in generatione sua, idest, genere malorum, valde prudentes: multo magis caput eorum, et patet, Joann. 8. idest, diabolus dicendus est prudens, in genere tamen malorum solummodo, et prudentia illa, quæ est in peccatoribus, idest, falsa virtutis prudentiæ similitudo, 2. 2. q. 47. ar. 13. Quod si diabolus taliter est prudens: ergo et in tentationis Christi modo, et ordine fuit falsa illa virtute prudentiæ prudens. Testata enim est de hoc particulari scriptura virtualiter, dum explicite dicebat universaliter ly *filii hujus sæculi prudentes sunt*, quoniam universale, quantum est de se, ad sua particularia extenditur *Secundo* vides: quomodo etc.

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA SECUNDA,

### DE DOCTRINA CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de doctrina Christi.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Christus debuerit prædicare solum judæis, an etiam gentilibus.

Secundo, utrum in sua prædicatione debuerit turbationem judæorum vitare.

Tertio, utrum debuerit prædicare publice, vel occulte.

Quarto, utrum debuerit docere solum verbo, vel etiam scripto.

De tempore autem quo docere incepit, supra dictum est (quæst. XXXIX. art. 3.) cum de baptismo ejus ageretur.

### ARTICULUS I.

*Utrum conveniens fuerit Christum judæis, et non gentibus prædicare.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non solum judæis, sed etiam gentilibus debuerit prædicare.

1. Dicitur Isaiæ 49. "Parum est, ut "sis mihi servus ad suscitandas tribus "Israel, et fæces Jacob convertendas: "dedi te in lucem gentium, ut sis sa- "lus mea usque ad extremum terræ." Ergo videtur parum fuisse, si Christus solis judæis, et non gentibus prædicavit.

Conseq. prob., quia Christus lumen, et salutem præbuit per suam doctrinam.

2. *Christus erat docens, sicut potestatem habens*, ut dicitur Matth. 7. Ergo Christus debuit docere, non solum judæos, sed etiam gentiles.

Conseq. prob., quia maior potestas doctrinæ ostenditur in instructione illorum, qui penitus nihil audierunt, quales erant gentiles. Unde Apost. dicit Rom. 15. "Sic prædicavi Evangelium hoc, non "ubi nominatus est Christus, ne super "alienum fundamentum ædificarem."

3 Christus aliquos gentilium instruxit, sicut mulierem Samaritanam Joan. 4. et Chananeam Matth. 15. Ergo videtur, quod multo fortius Christus debuerit multitudini gentium prædicare.

Conseq. prob., quia utilior est instructio multorum, quam unius.

*PRO AFFIRMATIVA.*

*Argumentum sed contra.*

Quod autem hoc fuerit conveniens, ostenditur. Quia Matth. 15. dicitur: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Ergo Christus non debuit prædicare nisi judæis.

Conseq. prob., quia Rom. 10. dicitur: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Conveniens fuit prædicationem Christi tam per ipsum, quam per Apostolos á principio solis judæis exhiberi.

Probatur quadrupliciter. Primo, ut ostenderet Christus per suum adventum impleri promissiones antiquitus factas judæis, non autem gentilibus. Unde Apost. dicit Hom. 15. *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis* (in Apostolum et prædicatorem judæorum) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum.*

Secundo, ut ejus adventus ostenderetur esse á Deo; *quæ* enim *á Deo sunt, ordinata sunt*, ut dicitur Rom. 13. Hoc autem debitus ordo exigebat, ut judæis, qui Deo erant propinquiores per fidem et cultum unius Dei, prius doctrina Christi proponeretur, et per eos transmitteretur ad gentes. Sicut etiam in cœlesti Hierarchia, per superiores angelos ad inferiores divinæ illuminationes deveniunt. Unde super illud Matth. 15. "Non sum missus, nisi ad oves, quæ pe- "rierunt domus Israel," dicit Hieron. "Non hoc dicit, quin et ad gentes mis- "sus sit; sed quod primum ad Israel "missus est." Unde et Isaiæ ult. dicitur: "Mittam ex eis, qui salvati fuerint" (scilicet ex judæis, ad gentes) "et an- "nuntiabunt gloriam meam gentibus."

Tertio, ut judæis auferret calumniandi materiam. Unde super illud Matth. 10. *In viam gentium ne abieritis*, dicit Hieron. "Oportebat primum adventum "Christi nuntiari judæis, ne justam ha- "berent excusationem dicentes, ideo "se Dominum rejecisse, quia ad gentes "et samaritanos Apostolos miserit."

Quarto, quia Christus per crucis victoriam meruit potestatem, et dominium super gentes. Unde dicitur Apoc. 2. "Qui vicerit, dabo illi potestatem super "gentes, sicut et ego accepi á Patre meo» et ad Phil. 2. dicitur quod quia "factus est "obediens usque ad mortem crucis, Deus "exaltavit illum, ut in nomine Jesu om- "ne genuflectatur, et omnis lingua ei "confiteatur.» Et ideo ante passionem suam noluit gentibus prædicari suam doctrinam. Sed post passionem dixit discipulis suis, Matth. ult. "Euntes do- "cete omnes gentes;» propter quod, ut legitur Joan. 12. «Cum imminente pas- "sione, quidam gentiles vellent Jesum "videre,» respondit: «nisi granum fru- "menti cadens in terram mortuum fue- "rit, ipsum solum manet; si autem mor- "tuum fuerit, multum fructum affert,» et sicut August. dicit ibidem tract. 51. in Joan. «Se dicebat granum mortifi- "candum in infidelitate judæorum, et "multiplicandum in fide populorum.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod Christus fuit in lumen, et in salutem gentium, per discipulos suos, quos ad prædicandum gentibus misit.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod Christus magnam potestatem suam ostendit docendo gentes per Apostolos, et judæos per seipsum. Facere enim aliquid per alios, non est minoris, sed maioris potestatis, quam facere per seipsum. Et ideo in hoc maxime potestas divina in Christo monstrata est, quod discipulis suis tantam contulit virtutem in docendo, ut gentes quæ nihil de Christo audierant, converterent ad ipsum. Potestas autem Christi in docendo judæos per seipsum attenditur, et quantum ad miracula, per quæ doctrinam suam confirmabat, et quantum ad efficaciam persuadendi, et quantum ad auctoritatem loquentis. Quia loquebatur quasi dominium habens super legem, cum diceret: *ego autem dico vobis*: et etiam quantum ad virtutem rectitudinis, quam in sua conversatione monstrabat, sine peccato vivendo. Christus igitur maiorem virtutem ostendit docendo gentes non per seipsum, sed per Apostolos, qui tantam eis contulit virtutem, ut eos, qui nihil de Christo audierant, ad ipsum converterent.

Ad 3. Negatur consequentia. Christus enim in principio suæ prædicationis non debuit indifferenter ad suam doctrinam admittere gentiles, ut judæis tamquam populo primogenito servaretur; tamen conveniens fuit, ut admitteret aliquos, etiam gentiles, ne si eos omnino repelleret, præcluderetur eis via salutis. Et propterea aliqui gentiles admisi sunt propter excellentiam fidei, et devotionis eorum. Ad probationem dicitur quod instructio plurium est quidem melior; sed erat facienda convenienti tempore, et ordine; unde postquam Christus per seipsum judæos instruxit, per Apostolos gentibus suam doctrinam communicavit.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus debuerit judæis sine eorum offensione prædicare.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus debuerit judæis sine eorum offensione prædicare.

1. Nos debemus vitare offensionem, non solum fidelium, sed etiam infidelium. Ergo videtur quod etiam Christus in sua doctrina offensionem judæorum vitare debuerit.

Anteced. prob., quia dicitur 1. Cor. 10. «Sine offensione estote judæis, et "gentibus, et Ecclesiæ Dei.»

Conseq. probatur, quia ut August. dicit in lib. de ago. Christ. cap. 11.

" In homine Jesu Christo, se nobis ad " exemplum vitæ præbuit Filius Dei. »

2. Per hoc quod Christus sua doctrina judæos turbabat, impediebatur effectus doctrinæ ejus. Ergo non videtur fuisse conveniens quod eos in sua doctrina offenderet.

Anteced. prob., quia dicitur Luc. 11. quod cum Dominus pharisæos, et scribas reprehenderet, « cœperunt graviter " insistere, et os ejus opprimere de " multis, insidiantes ei, et quærentes " aliquid capere ex ore ejus, ut accu- " sarent eum. »

Conseq. prob., quia nullus sapiens debet facere, unde effectum sui operis impediat.

3. Seniores non sunt increpandi. Sed sacerdotes, et principes judæorum erant seniores illius populi. Ergo sacerdotes, et principes non debuerunt duris increpationibus á Christo argui.

Maior prob., quia Apostol. dicit 1. Tim. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Isaiæ 8. fuerat prophetizatum quod Christus esset *in lapidem offensionis, et petram scandali duabus domibus Israel.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienter Dominus, non obstante offensione pharisæorum, et principum judæorum, publice veritatem docebat quam illi oderant, et eorum vitia arguebat.

Prob. Quando aliqui sua perversitate multitudinis salutem impediunt, non est timenda eorum offensio á prædicatore, vel doctore, ut multitudinis saluti provideat. Sed scribæ et pharisæi, et principes judæorum sua malitia plurimum impediebant populi salutem. Ergo convenienter Dominus non obstante offensione eorum, publice veritatem quam illi oderant, docebat, et eorum vitia arguebat.

Maior prob., quia salus multitudinis est præferenda paci quorumcumque singularium hominum.

Minor prob. Tum quia illi repugnabant doctrinæ Christi, per quam sola poterat esse salus, tum quia pravis suis moribus vitam populi corrumpebant.

Et confirmatur ratio, et conclusio. Quia dicitur Matth. 15. quod discipulis Domino dicentibus, «Scis, quia judæi, au- " dito hoc verbo, scandalizati sunt?» respondit. « Sinite illos, cæci sunt, duces- " que cæcorum; cæcus autem si cæco " ducatum præstet, ambo in foveam " cadunt. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, et ad ejus prob. quod homo sic debet esse sine offensione omnibus, ut nulli det suo facto, vel dicto minus recto, occasionem ruinæ, sed " cum de veritate scandalum " oritur, magis est substinendum scan- " dalum, quam veritas relinquatur, » ut Greg. dicit hom 7. in Ezech.

Ad 2. Neg. antec. Per hoc enim quod Christus publice scribas, et pharisæos arguebat, non impedivit, sed magis promovit effectum suæ doctrinæ, quia cum eorum vitia populo innotescebant, minus avertebatur á Christo propter verba scribarum, et pharisæorum, qui semper doctrinæ Christi resistebant. Ad prob. dicitur quod ex publica pharisæorum reprehensione sequebatur contrarius effectus doctrinæ Christi ex eorum malitia; in pharisæos tamen hoc ad salutem multitudinis valde conducebat.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod verbum Apostoli est intelligendum de illis senioribus, qui non solum ætate, et auctoritate, sed etiam honestate senes sunt, secundum illud Num. 11. " Congrega mihi septuaginta viros " de senioribus Israel, quos tu nosti quod " senes populi sint. » Si autem auctoritatem senectutis in instrumentum malitiæ vertant, publice peccando, sunt manifeste, et acriter arguendi, sicut Daniel

dixit cuidam seni, *inveterate dierum malorum*, etc. Dan. 13.

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus omnia publice docere debuerit.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non omnia publice docere debuerit.

1. Legitur Christum multa seorsum discipulis dixisse, sicut patet in Serm. cœnæ: unde et Matth. 10. dixit «quod "in aure audistis in cubiculis, prædica-"bitur in tectis.» Ergo Dominus non omnia publice docuit.

2. Profunda sapientiæ non sunt, nisi perfectis exponenda. Sed doctrina Christi continebat profundissimam sapientiam. Ergo erat solis perfectis exponenda, et non imperfectæ multitudini communicanda.

Maior probatur, quia 1. Cor. 2. dicitur: *sapientiam loquimur inter perfectos.*

3. Christus veritatem, quam prædicabat turbis, occultabat obscuritate verborum, quia *sine parabolis non loquebatur eis*, ut dicitur Matth. 13. Ergo pari ratione poterat occultare silentio.

Conseq. prob., quia idem est veritatem aliquam occultare silentio, et obscuritate verborum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ipse Christus dicit Joan. 18. *In occulto locutus sum nihil.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Doctrina alicujus potest esse in occulto. Uno modo quantum ad intentionem docentis, qui intendit suam doctrinam non manifestare multis. Alio modo quia paucis proponitur. Tertio modo quantum ad modum docendi.

*Subdistinctio.* Doctrinam autem esse occultam ex intentione docentis contingit ex duobus: quandoque quidem ex invidia docentis, qui vult per suam scientiam excellere, propter quod non vult aliis scientiam suam communicare. Quandoque vero hoc contingit propter inhonestatem eorum, quæ docentur, sicut August. dicit Tract. 96. super Joan. quod «quædam sunt mala quæ portare "non potest qualiscumque pudor hu-"manus.» Unde de doctrina hæreticorum dicitur Proverb. 9. «Aquæ furtivæ "dulciores sunt.»

Potest igitur doctrina esse in occulto quadrupliciter. Primo, propter invidiam docentis. Secundo, propter turpitudinem eorum, quæ docentur. Tertio, quia paucis proponitur. Quarto, quantum ad modum docendi.

1.ª Conclusio. Doctrina Christi non fuit occulta ex invidia docentis.

Prob. Quia in Christo hoc locum habere non potuit. Unde ex ejus persona dicitur Sap. 7. «Quam sine fictione di-"dici, et sine invidia communico, et ho-"nestatem illius non abscondo.»

2.ª Conclusio. Doctrina Christi non fuit occulta propter inhonestatem aliquam eorum, quæ docentur.

Prob. Quia doctrina Christi non est, neque de errore, neque de immunditia; et ideo Dominus dicit Marc. 4. *Numquid venit lucerna*, idest vera et honesta doctrina, *ut sub modio ponatur*?

3.ª Conclusio. Doctrina Christi non fuit occulta, ex hoc quod paucis fuerit proposita.

Prob. quia Christus nihil docuit in occulto, sed omnem doctrinam suam, vel turbæ toti proposuit, vel omibus suis discipulis in communi. Unde August. dicit super Joan. Tract. 113. «Quis in "occulto loquitur, qui coram tot homi-"nibus loquitur? præsertim si hoc lo-"quitur paucis quod per eos velit inno-"tescere multis?»

4.ª Conclusio. Doctrina Christi quantum ad aliqua, et respectu aliquorum, fuit occulta, quantum ad modum docendi.

Prob. Quia Christus usus est parabolis ad annuntianda spiritualia mysteria, ad quæ capienda aliqui de turbis non erant idonei, vel digni, et tamen melius

erat eis, vel sic sub tegumento parabolarum spiritualium doctrinam audire, quam omnino ea privari. Harum tamen parabolarum apertam, et nudam veritatem Dominus discipulis exponebat, per quos deveniret ad alios qui essent idonei, secundum illud 2. Tim. 2. "Quæ audisti á me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere." Et hoc signatum est Num. 4. ubi mandatur quod filii Aaron involuerent vasa sanctuarii quæ Levitæ involuta portarent.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Ad priorem partem antecedentis dicitur quod ea quæ seorsum discipulos Dominus docuit, non erant occulta, tum quia communiter proponebantur omnibus discipulis, tum quia ad hoc eis Dominus illa seorsum dicebat, ut bene ab eo tamquam á magistro divino instructi, ea quæ seorsum discebant, aliis postea prædicarent. Ad aliam vero partem, quæ est sententia Matth. 10 dicitur, quod sicut Hilarius dicit super Matth. Can. 10. exponens verbum inductum, "non legimus Dominum solitum fuisse in noctibus sermocinari, et "doctrinam tradidisse in tenebris; sed "hoc dicit," scilicet quæ in tenebris dixistis, etc. "quia omnis sermo ejus, "carnalibus tenebræ sunt, et verbum "ejus infidelibus nox est. Itaque quod "á se dictum est, cum libertate fidei, et "confessionis vult esse dicendum." Vel secundum Hieronymum in illud Matth. comparative loquitur, quia scilicet erudiebat eos in parvo Judææ loco, respectu totius mundi, in quo erat per Apostolorum prædicationem doctrina Christi prædicanda.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod Dominus non omnia profunda sapientiæ suæ manifestavit sua doctrina, non solum turbis, sed nec etiam discipulis, quibus dixit Joan. 26. "Adhuc multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modo." Sed tamen quodcumque dignum duxit aliis tradere de sua sapientia, non in occulto, sed palam proposuit, licet non ab omnibus intelligeretur. Unde August. dicit super Joan. tract. 113 «Intelligendum est ita dixisse Dominum. Palam locutus sum "mundo: ac si dixisset. Multi me audierunt; et rursus non erat palam, quia "non intelligebant.» Argumentum igitur concludit quod Dominus non manifestaverit omnibus omnia secreta sapientiæ suæ; quod verum est: sed illa quæ manifestavit non in occulto, sed palam locutus est.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod Dominus non omnia, sed quædam tantum per parabolas proponebat turbæ, quia non erant idonei, vel digni omnes ea audire et intelligere. Quod autem dicitur quod *sine parabolis non loquebatur eis*, secundum Chrysost. Hom. 48. in Matth. intelligendum est quantum ad illum sermonem; de quo ibi evangelista loquitur. Quamvis in aliis sermonibus Christus locutus sit turbis sine parabolis. Vel secundum Augustin. in lib. de quæst. Evang. in Matth. cap. 15. hoc dicitur "non quia nihil proprie locutus sit, sed "quia nullum fere sermonem explicavit, ubi non per parabolam aliquid "significaverit, quamvis in eo aliqua "proprie dixerit.» Loquendo igitur de his quæ Dominus in parabolis est locutus, negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod melius est divina mysteria sub velamine parabolarum audire, quam omnino non audire, quia expositio per parabolas est dispositio ad percipiendam veritatem, et quia per parabolas celantur divina mysteria indignis, ut alias dictum est prima parte, quæst. 1. art. 9.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere.

1. Doctrina quæ erat duratura in æternum, debuit á docente eam scripto tradi. Sed doctrina Christi erat duratura in æternum. Ergo Christus debuit doctrinam suam scripto tradere.

Maior prob., quia scriptura inventa est ad hoc quod doctrina commendetur memoriæ in futurum.

Minor probat., quia Lucæ 21. dicitur "Cœlum, et terra transibunt, verba autem mea non trasibunt."

2. Lex vetus fuit á Deo scripta. Ergo videtur quod etiam Christus doctrinam suam scribere debuerit.

Anteced. prob., quia Exod. 24. dicitur: "dabo tibi duas tabulas lapideas "et legem ac mandata, quæ scripsi."

Consequentia probatur, quia lex vetus in figura Christi præcesit, secundum illud Hebr. 10. «Umbram habens lex "futurorum bonorum."

3. Ad Christum pertinebat erroris occasiones excludere. Ergo Christus ipse doctrinam suam scripto tradere debuit.

Antecedens prob., quia Christus *venerat illuminare his qui in tenebris, et umbra mortis sedent*, Lucæ 1.

Consequentia prob., quia si Christus suam doctrinam scripto tradidisset, removisset errorum occasiones; dicit enim August. in lib. 1. de Cons. Evang. cap. 7. quod "solet nonnullos movere, cur "ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis "de illo scribentibus necesse sit credere. Hoc enim illi, et maxime pagani "quærunt qui Christum culpare, aut "blasphemare non audent, eique tribuunt "excellentissimam sapientiam, sed tamen tamquam homini, discipulos vero "ejus dicunt magistro suo amplius tribuisse, quam erat, ut cum Filium Dei "dicerent, et Verbum Dei, per quod "facta sunt omnia," et postea subdit: "videntur parati fuisse hoc de illo credere quod de se ipse scripsisset, non "quod alii de illo pro suo arbitrio præ"diccassent." Si igitur Christus doctrinam suam per seipsum scripto tradidisset, hunc errorem á paganis removisset.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Nulli libri á Christo scripti habentur in canonica scriptura.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum doctrinam suam non scripsisse.

Probatur tripliciter. Primo propter dignitatem ipsius: nam excellentiori doctori excellentior debetur modus docendi. Sed Christus fuit excellentissimus doctor; docendi autem modus verbo est excellentior, quam per scripturam. Ergo conveniens fuit Christum doctrinam suam non scripsisse. Maior quoad secundam partem ostenditur, quia doctrinam propriam verbo in cordibus auditorum propriis verbis imprimere, ad quod scriptura tamquam ad finem ordinatur, excellentissimus modus docendi est, et hic Christo competebat. Propter quod Matth. 7. dicitur, quod *erat docens eos, sicut potestatem habens.*

Et confirmatur hæc ratio; quia apud gentiles, Pythagoras, et Socrates, qui fuerunt excellentissimi doctores, nihil sub proprio nomine scribere voluerunt.

Secundo, propter excellentiam doctrinæ Christi, quæ litteris comprehendi non potest, secundum illud Jo. ult. "Sunt et alia multa quæ fecit Jesus quæ "si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui "scribendi sunt, libros." Quos sicut August. dicit super Joan. tract. ult. "Non spatio locorum credendum est "mundum capere non posse, sed capacitate legentium comprehendi non posse." "Si autem Christus doctrinam suam scripto mandasset, nihil altius de ejus doctrina homines æstimarent, quam quod scriptura contineret.

Tertio, ut ordine quodam ab ipso doctrina ad alios perveniret, dum scilicet ipse discipulos suos immediate docuit verbo qui postmodum alios verbo, et scrip-

to docuerunt. Si autem ipsemet scripsisset, ejus doctrina immediate ad omnes pervenisset. Unde de sapientia Dei dicitur Prov. 9. *Misit ancillas suas vocare ad arcem.*

*Quorumdam gentilium error.*

Sciendum tamen sicut August. dicit in lib. 1. de consens. Evang. cap. 9. aliquos gentiles existimasse Christum quosdam libros scripsisse continentes quædam magica, quibus miracula faciebat, quæ disciplina christiana condemnat. "Et illi tamen qui Christi tales libros "se legisse affirmant, nulla talia faciunt, "qualia illum talibus libris fecisse mi- "rantur. Divino enim judicio sic errant, "ut eosdem libros ad Petrum, et Pau- "lum dicant tamquam epistolari titulo "prænotatos, eo quod in pluribus locis "simul eos cum Christo picto viderunt. "Nec mirum si á fingentibus fingentes "decepti sunt: toto enim tempore, quo "Christus in carne mortali cum suis dis- "cipulis vixit, nondum erat Paulus dis- "cipulus ejus."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad máiorem, quod doctrina quæ duratura est, debet scripto tradi, non ab ipso doctrinæ auctore, sed per alios, et sic doctrina Christi á discipulis scripta fuit, immo Christus ipse eam per discipulos scripsit: sicut enim August. dicit in citato lib. de consensu Evang. "Omnibus discipulis suis tam- "quam membris sui corporis Christus "caput est. Itaque cum illi scripserunt "quæ ille ostendit et dixit, nequaquam "dicendum est quod ipse non scripserit, "quandoquidem membra ejus id opera- "ta sunt, quod dictante capite cognove- "runt. Quicquid enim ille de suis factis "et dictis nos legere voluit, hoc illis "scribendum tamquam suis manibus "imperavit."

Ad 2. Negatur consequentia. Lex enim vetus in sensibilibus figuris dabatur, ideo etiam convenienter sensibilibus signis scripta fuit. Sed doctrina Christi quæ est lex *spiritus vitæ*, scribi debuit, *non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*, ut Apost. dicit 2. Cor. 3.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod illi qui scripturæ Apostolorum de Christo credere noluerunt, nec ipsi Christo scribenti credidissent, de quo opinabantur quod magicis artibus fecisset miracula.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 42.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito insinuatum esse á scripturis, quod Christus solis judæis debuit prædicare á principio: postea etiam gentibus. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 15. Rom. 10. si conjunctim sumantur, ut fit *in arg. cont.* Item per id, quod dicitur Rom. 15. "Dico, Christum ministrum fuisse circumcisionis." Nomine enim ministri intelligit prædicatorem, juxta illud Christi ad discipulos, Luc. 22. "Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat," idest, sicut qui docet. Unde et prophetæ antiquitus annuntiantes, seu prædicantes populis salutifera, dicuntur per hoc ministrasse illis, secundum illud 1. Pet. "Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, vobis ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis." Sed et Apostolus de prædicatione loquens dicit 2. Timoth. 4. "Opus fac Evangelistæ: ministerium tuum imple." Item 1. Timoth. 4. "Hæc proponens fratribus bonus eris minister Christi: enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ." Et Rom. 11. "Ministerium meum honorificabo." Hoc est, diligenter exequar officium prædicationis, quod alias dixit, sibi esse

creditum Galat. 2. De quo etiam dicit 1. Cor. 1. *Misit me Christus evangelizare.* Nomine vero circumcisionis ibi supra Apostolus intellexit judæos. Sic enim eos sæpe vocat, ut Colossen. 3. *In Christo non est masculus, etc. circumcisio.* Et ibidem 4. *qui sunt ex circumcisione.* Et Ephes. 2. *Dicebamini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio*, idest, ab illis, qui dicuntur judæi. Insinuatur autem, quod Christus postea gentibus esset prædicaturus, per hoc, quòd dicitur Act. 13. " Tunc constanter Paulus, et Barnabas dixerunt. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimnr ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: posui te in lucem gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. » Nam his verbis ostenditur aperte, et quod illa auctoritas Isa. 46. intelligenda est de Christi prædicatione, ut in ad primum, qua per Apostolos prædicavit gentibus usque ad extremum terræ, et quod primum, idest, non solum ante passionem, sed etiam post per Apostolorum missionem, factam per ly *docete omnes gentes* ipsis solis prædicavit quousque judæi repulerunt verbum Dei ex incredulitate reputantes se indignos æternæ vitæ, idest dicentes: nos dedignamur, et pro magna injuria, ac dedecore tenemus, velle æternam vitam consequi per Jesum Nazarenum á nobis crucifixum. Unde patet, quod non ex vera humilitate, ut faciunt semper boni Christiani edocti á Roman. 8. *Non sunt condignæ*, etc. judicabant se indignos æternæ vitæ: sed ex maxima superbia, incredulitate, et odio contra Crucifixum, dicebant ad Apostolos illa verba, scilicet indignos nos judicamus æternæ vitæ, qualem vos prædicatis. Ac, si apertissime sensum suum pestiferum in talibus verbis corde retentum evomerent ad Chorum Apostolicum dicendo: Nolumus salvari per Crucifixum, quem tu prædicas, seu, quod olim prophetatum est, et in idem redit, " scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Crucifixus á te prædicatus, ut serviamus ei? Et quid nobis prodest, si oraverimus illum? » Job. 21 Mittendo ergo Apostolos ad gentes Dominus hunc ordinem servandum subintellexit, scilicet ut primo judæis prædicarent, quousque ab ipsis ejicerentur, et tunc ab eis ejecti transirent ad docendum omnes gentes. Omnis ergo materia calumniandi ablata est judæis non tantum, quia Christus ante passionem suam gentibus communiter non prædicavit, ut dixit probatio conclusionis primæ, sed etiam, quia nec per Apostolos gentibus ipsis prædicavit, nisi postquam judæi eorum prædicationem renuerunt audire. Excusationem igitur omnem de peccato suo amputarunt sibi judæi eo quod, non ex defectu Apostolorum, sed ex nimia incredulitate ipsorum fuit, quod Apostoli cessarent prædicare ipsis viam salutis, per quam et á peccatis suis mundarentur, et ad vitam æternam pervenirent. Ex his constat, quod incredulitas judæorum fuit occasio, quamvis ab eis non intenta, salutis gentium: id, quod et Apostolus aperuit gentibus conversis dicens Rom. 11. " aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum, » scilicet judæorum. A scripturis itaque, ut omnia in unum colligantur, insinuatum est, et quod Christi prædicatio solum judæis facta est, et quod, si post ad gentes communicata fuit, ipsi nec de Christo, nec de Apostolis sic á se ad illas transeuntibus, nec de propria sui ipsorum æterna damnatione, possunt ullo modo rationabiliter lamentari, et consequenter, quod tota ista judæorum perditio ex seipsis tantum est, ut olim Oseæ 13. prophetatum fuerat. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus non debuit judæis sine eorum offensione prædicare. Ut per hoc, quod dicitur Isa. 8. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus sano captu intellige ly *scandali*, et ly *offensionis* de scandalo tantum passivo, et offensione. Hoc est. Quando quis scandalizatur, seu offenditur ex bono opere alterius. Ita quod vere, et proprie loquendo, ille alter facto, vel dicto suo secundum se consideratis non scandalizat, immo ædificat, hunc, cum factum, et dictum illius alterius sint secundum naturam suæ moralitatis bona, sed iste, visis talibus bonis, scandalizat, et offendit semetipsum Et hoc procedit ex propria suiipsius malitia. Unde illud scan-

dalum vocatur solum passivum, non quia non habeat activum, á quo fit (omnis namque passio ab alicujus actione causatur) sed, quia non habet activum alterum á suo supposito. Malitia itaque est illud activum scandalum, quod causat passivum, idest, ruinam in eadem numero persona, cujus est illa malitia. Sicut enim Deus præ suæ bonitatis magnitudine ex malo elicit bonum, 1. q. 2. ar. 3. ad 1. ita iste homo, de quo nunc supra, præ malitia sua magna, eliciet malum ex bono. De qua re vide veritates aureas super totam legem veterem, Gen. 6. concl. 1. et cap. 11. concl. 1. Ita fuit in proposito secundum verum sensum Isaiæ loco citato. Ac si apertius dixisset ibi propheta. Christus optime, et optima prædicaturus est judæis: ipsorum autem plurimi, ejus saluberrima prædicatione audita, moti ex propria multa malitia offendent, et scandalizabunt semetipsos. Debuerant ergo ex facto, dictoque Christi tam optimis, idest, ex vita, doctrinaque ejus vere omnino irreprehensibilibus in bonum promoveri; et tamen, propria malitia faciente, ad lapidem illum Christum tam prætiosum pedibus suis, idest, affectibus offendentes, in magnum scandalum ceciderunt: quandoquidem non solum doctrinæ tali non adhæserunt, sed etiam irreprehensibilem et ipsam, et ipsum doctorem reprehendere modis omnibus, atque conatibus irrationabilibus semper præsumpserunt. Cæterum quod talem sensum, qualem diximus, habeant verba Isaiæ, scilicet ly *lapis offensionis*, ly *petra scandali*: demonstratur expresse legentibus epistolam 1. Petr. 2. Ibi Isaias, dum á B. Apostolorum principe allegatur, simul sic exponitur. " Propter quod continet scriptura: ecce pono in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, pretiosum: et, qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus. Non credentibus autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali, his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo et positi sunt. » Ubi et supra de eodem dixerat ly " lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum: à Deo autem electum, et honorificatum. » Ex his abunde patet intentum. Si enim lapis iste est summus, probatus, idest, summe Deo approbatus, electus, honorificatus, angularis, pretiosusque habitus: et est talis, ut qui credit in eum, non confundatur: quomodo possibile est, eum ex parte sua potuisse esse lapidem offensionis, et petram scandali? Restat igitur, ut solum ex parte non credentium, ut subjungitur ibi, sit lapis offensionis, et petra scandali. Hoc autem est, ut diximus, scandalum solum passivum in prædicatione Christi intervenisse, idest, de bono ejus opere judæos contra omnem rationem ipsius operis, extorsisse sibi occasionem scandalizandi semetipsos. Pro abundantiori adhuc scandali notitia videre potes 2. 2. q. 43. per totam. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus debuit omnia publice docere. Ut per hoc, quod dicit *Joan.* 19. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus *sequelæ*, ut materia præsens exigit, subintellectæ captu, scilicet *in occulto locutus sum nihil*; ergo nihil in occulto debebam loqui, vide quæst. 41. art. 1. coroll. post concl. Item per hoc, quod dicitur Prov. 1. « Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite viarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua. » Divina enim sapientia Christus est 1. Cor. 1. Unde per tot sententias simul immediate connexas doctrinam sapientiæ publicam esse contestantes denotatur, quod Christus omnem suam doctrinam publice hominibus erat communicaturus. Item per hanc figuram, quod Moyses in secunda legislatione ad populum publice præsens loquebatur, *Exod.* 34. omnia, quæ sibi fuerant imperata. Ubi nota ly *omnia*. In secunda enim datione legis Moyses figuravit Christum legem novam laturum mundo per suam doctrinam. Tunc ergo Moyses Chrystum semper in publico, numquam autem in occulto doctrinam propositurum esse, figuravit, quando omnia, quæ sibi á Domino fuerant imperata, populo coram loquebatur. Tunc velabat faciem suam loquens: quia tali facto suo Christum et locutum in parabolis spiritualia velantibus plebi, et nec discipulis omnia sapientiæ suæ profunda coram, idest, in terris loquendo revelaturum, præsignabat. Cæterum

plura de hac re, ac scitu dignissima, si vis, vide veritates aureas super legem veterem, Deuter 10. concl. 1. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et ab Ecclesia, quod Christus doctrinam suam per seipsum scripto mandare non debuit. Ab Ecclesia quidem per hoc, quod in canone scripturarum sanctarum ipsa nullum librum scriptum á Christo enumerat (ut patet in omnibus Conciliis á D. Petro Apostolo usque ad novissimum temporibus nostris celebratum, scilicet Tridentinum; quod et session. 4. libros omnes canonicos colligit ad unum, immo ad uniuscujusque particulas, ut ibi) quem utique non prætermisisset extra canonem illum, si Christum scripsisse inventum fuisset. Nec potest dici, quod ipse quidem scripsit, sed ipsa scriptum hoc non invenit; tum. quia diligentia tanta in librorum pro canonicis, vel non canonicis judicandorum inquisitione usque in præsentem diem usa est Ecclesia, ut nihil supra: tum, quia Christus, qui ad utilitatem Ecclesiæ scripsisset, si quid scripsisset, hoc ipsum proculdubio jam certissima revelatione manifestasset Ecclesiæ. Qui enim de libris sacris per alios scriptis Ecclesiæ revelandis, ut pro canone haberentur, tam vigilantissimus fuit; quomodo non magis de libris per seipsum scriptis, si qui essent, diligentissimus revelator ad eumdem finem fuisset? Nullum ergo talem librum Ecclesiæ sponsæ suæ cui in Apostolis præ nimio charitatis excessu dixerat aliquando Joan. 15. *Quæcumque audivi á patre meo, nota feci vobis*, revelavit umquam quia nullus talis liber unquam scriptus est; et é converso. Ab effectu igitur isto negato, scilicet non á revelatione textus in sensu processit ad hunc alium negatum, scilicet ad non positionem in canone scripturae: et ab utrisque effectibus negatis processus intenditur ad negationem hujus causae, idest, quod Christus non scripserit. Sensus namque textus sic formaliter sumatur. Christus numquam hunc effectum, idest revelationem alicujus libri á se scripti, fecit; ergo Ecclesia numquam hunc effectum, scilicet positionem in canone alicujus libri ab eo scripti fecit. Ergo, quia tale quid et ille non revelavit, et ista non posuit, sequitur, quod Christus numquam scripsit. Valet equidem ratione subjectae materiae (modo praedeclarato) argumentatio haec à textu necessario intenta: tamen ratione formae maxime apud logicos dicentes ly *locus ab auctoritate procedat negative*, ut puta non revelavit; ergo, etc. in canone non posuit; ergo, etc. non revelavit, nec posuit; ergo, etc. Ut igitur de valore talium consequentiarum, sine replicatione, plenius instruaris et pro veritate hujus textualis processus, et pro aliquali penetratione veri sensus logicorum sic dicentium, vide 1. 2. quaest. 58. art. 3. append. De alia autem consequentia á textu necessario subintellecta, quae post praemissum argumentationis processum statim sequitur, scilicet Christus non scripsit; ergo scribere non debuit; ergo ipsum non scribere conveniens fuit, vide, quomodo valeat; supra á simili, quaest. 41. art. 1. corollar. post conclus. A scripturis vero insinuatur idem in principio dictum per simile: quod Abraham pater Christi secundum carnem Matth. 1. Et consequenter specialis figura ejus non scripsit doctrinam: qua Gen. 18. «præcepturus erat filiis suis, et domui suae post se, ut custodirent viam Domini, et facerent judicium, et justitiam.» Per hoc enim figurabat: quod Christus scripturus non erat doctrinam: quam Ecclesiae, quae est domus Dei vivi, 1. Timoth. 3. praedicavit. Item per hoc aliud simile: quod Joseph. figura Christi, etiam quoad nomen (cum lingua Ægyptiaca vocatus sit salvator mundi: in signum utique, quod salus á Christo allata mundo apparitura erat praecipue in lingua extra, idest in populo gentium) non scripsit doctrinam, qua Gen. 41. ipse constitutus dominus domus Pharaonis et princeps omnis possessionis ejus Psal. 104. « erudivit principes ejus, sicut et ipsum, et senes ejus prudentiam docuit.» Tali enim facto suo Joseph figuravit; quod Christus á « Deo constitutus rex super "Sion monte sanctum ejus erat quidem praedicaturus praeceptum ejus» Psalm. 2. Sed tamen nihil erat scripturus. *Secundo* vides: etc.

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA, TERTIA,

DE MIRACULIS Á CHRISTO FACTIS IN GENERALI IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de miraculis á Christo factis. Et primo in generali. Secundo in speciali de singulis miraculorum generibus. Tertio in particulari de transfiguratione ipsius.

*Circa primum quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Christus debuerit miracula facere.

Secundo, utrum fecerit ea virtute divina.

Tertio, quo tempore incœperit miracula facere.

Quarto, utrum per miracula fuerit sufficienter ostensa ejus divinitas.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus debuerit facere miracula.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit facere miracula.

1. Ipse Christus dicit Matth. 12. "Generatio mala, et adultera signum "quærit, et signum non dabitur ei, nisi "signum Jonæ Prophetæ." Ergo Christus non debuit miracula facere.

Conseq. prob., quia factum Christi, verbo ipsius debet concordare.

2. Christus in suo primo adventu venit in infirmitate, secundum illud Isaiæ 53. « Virum dolorum, et scientem infir- "mitatem, sicut in secundo adventu ven- "turus est in virtute magna, et majes- "tate," ut dicitur Matth. 24. Ergo non fuit conveniens quod Christus in suo primo adventu miracula faceret.

Conseq. prob., quia operatio miraculorum magis pertinet ad virtutem, quam ad infirmitatem.

3. Christus venit ad hoc, ut homines salvaret per fidem, secundum illud Heb. 12. "*Aspicientes in auctorem fidei*, etc. Ergo Christus non debuit miracula facere.

Conseq. prob., quia miracula diminuunt meritum fidei, unde Dominus Joan. 4. dicit. *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ex persona adversariorum Dei dicitur, Joan. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenientissimum fuit ut Christus miracula faceret.

Probatur. Illum, de quo hominibus manifestandum est quod in eo sit Deus habitans per gratiam, et quod doctrina quam prædicat, sit á Deo, convenientissimum est miracula facere. Sed de Christo manifestandum erat hominibus quod Deus esset in eo per gratiam, non adoptionis, sed unionis, et quod ejus supernaturalis doctrina esset á Deo. Ergo convenientissimum fuit Christum miracula facere.

Maior manifestatur. Nam hominibus conceditur divinitus miracula facere propter duo. Primo quidem, et principaliter ad confirmandam veritatem, quam aliquis docet. Quia enim ea quæ sunt fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per humanas rationes probari; sed oportet quod probentur per argumentum divinæ virtutis, ut dum aliquis facit opera quæ solus Deus facere potest, credantur ea quæ dicuntur esse á Deo. Sicut cum aliquis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur. Secundo, ad ostendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti, ut dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam, unde dicitur ad Gal. 3. "Qui tribuit nobis Spiritum Sanctum, "operatur virtutes in nobis." Illum igitur, circa quem prædicta duo ostendenda sunt, convenientissimum est miracula facere, et sic patet maior.

Et confirmatur conclusio, quia ipse Dominus dicit Joan. 10. "Si mihi non

"vultis credere, operibus credite," et Joan. 5. "Opera quæ dedit mihi Pater, "ut faciam, ipsa sunt quæ testimonium "perhibent de me."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod opus Domini concordavit verbo, vel quia sicut dicit Chrysost. Hom. 44. in Matth. hoc quod dicit: "Signum non dabitur ei, nisi signum "Jonæ Prophetæ," intelligendum est quod tunc "non acceperunt tale signum, "quale petebant, scilicet de cœlo, non "quod nullum signum eis dederit; vel "quia signa faciebat, non propter eos, "quos sciebat lapideos esse, sed ut alios "emendaret: et ideo non eis, sed aliis illa "signa dabantur."

Ad 2. Negatur consequentia. Licet enim Christus venerit in infirmitate carnis quæ manifestata fuit per passiones; venit tamen in virtute Dei, quæ erat manifestanda per miracula.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod miracula in tantum diminuunt meritum fidei, in quantum per hoc ostenditur duritia eorum qui nolunt credere ea quæ scripturis divinis probantur, nisi per miracula; et tamen melius est eis, ut vel per miracula convertantur ad fidem, quam quod omnino in infidelitate permaneant: dicitur enim 1. Cor. 14. quod *signa data sunt infidelibus*, ut scilicet convertantur ad fidem.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus fecerit miracula divina virtute.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fecerit miracula divina virtute.

1. Qui facit miracula divina virtute, est omnipotens in miraculis faciendis. Sed Christus videtur, quod non fuerit omnipotens in miraculis faciendis. Ergo Christus non fecit miracula divina virtute.

Maior prob., quia divina virtus est omnipotens.

Minor prob., quia dicitur Marci 6. quod *non poterat ibi*, scilicet in patria sua, *virtutem ullam facere*.

2. Qui in miraculis faciendis orat, non facit miracula divina virtute. Sed Christus in faciendis miraculis aliquando orabat, ut patet in suscitatione Lazari, Joan. 11. et in multiplicatione panum, Matth. 14. Ergo Christus non faciebat miracula divina virtute.

Maior probatur, quia Dei non est orare, sed orari.

3. Ea quæ virtute divina fiunt, non possunt virtute alicujus creaturæ fieri. Sed ea quæ Christus faciebat, poterant etiam fieri virtute alicujus creaturæ; unde et Pharisæi ei dicebant quod in «Beelzebub principe dæmoniorum ejiciebat «dæmonia,» Ergo videtur, quod Christus non fecerit miracula virtute divina.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus ipse dicit Joan. 14. *Pater in me manens, ipse facit opera.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus faciebat miracula virtute divina.

Prob. Quia vera miracula sola virtute divina fieri possunt, ut 1. p. quæst. 110. art. 4. dictum est: et hoc quia solus Deus potest mutare naturæ ordinem, quod pertinet ad rationem miraculi.

Et confirmatur, quia Leo Papa dicit in Epist. 10. ad Flavianum, cap. 4. quod cum in Christo sint duæ naturæ, una earum est, quæ fulget miraculis, scilicet divina; et altera, scilicet humana, quæ succumbit injuriis.

Declaratur conclusio. Duarum enim naturarum, quæ sunt in Christo, una agit cum communicatione alterius, in quantum scilicet humana natura est instrumentum divinæ actionis, et actio humana virtutem accipit á natura divina, sicut habitum est supra quæst. 13. art. 3. Unde miracula, quæ Christus faciebat undequaque, virtute divina fiebant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod hoc quod dicitur, "non poterat ibi ullam virtutem facere," non est referendum ad potentiam absolutam, sed ad id quod potest fieri congruenter. Non enim congruum erat ut inter incredulos operaretur miracula. Unde subditur: "et mirabatur propter incredulitatem eorum," secundum quem modum dicitur Gen. 18. "Num celare potero "Abraham, quæ gesturus sum?" Et Gen. 19. "Non potero facere quidquam, "donec ingrediaris illuc."

Ad 2. Negatur maior. Potest enim aliquis virtute divina, miracula facere et orare. Ad probationem dicitur, quod Dei non est orare: Filii Dei tamen incarnati est orare, et orari: ut enim Chrysost. dicit super illud Matth. 14. "Acceptis "quinque panibus etc." Hom. 50. in Matth. "Oportebat credi de Christo, "quoniam á Patre est, et quod ei æqualis est, et ideo ut utrumque ostendat, "nunc quidem cum potestate, nunc autem orans miracula facit, et in minoribus quidem respicit in cœlum, puta "in multiplicatione panum; in maioribus "autem quæ sunt solius Dei, cum potestate á seipso agit, puta quando peccata dimisit, mortuos suscitavit.» Quod autem dicitur Joan. 11. quod in suscitatione Lazari oculos sursum levavit, non propter necessitatem suffragii, sed propter exemplum hoc fecit: «Propter populum, qui circumstat dixi, ut credat, "quia tu me misisti."

Ad 3. Negatur minor. Illa enim quæ Christus faciebat, á nulla creatura poterant fieri, sicut fiebant á Christo. Alio enim modo Christus expellebat dæmones, quam virtute dæmonum expellantur. Nam virtute superiorum dæmonum ita dæmones á corporibus hominum expelluntur, quod tamen remanet dominium eorum quantum ad animam; non enim contra regnum suum diabolus agit. Christus autem dæmones expellebat, non solum á corpore, sed multo magis ab anima. Et ideo Dominus blasphemiam pharisæorum dicentium eum in virtute dæmoniorum dæmonia ejicere reprobavit. Primo quidem per hoc quod Sathanas contra seipsum non dividitur. Secundo, exemplo aliorum, qui dæmonia ejiciebant per spiritum Dei. Tertio, quia dæmonium expellere non posset, nisi ipsum vicisset virtute divina. Quarto, quia nulla convenientia in operibus, nec in effectu erat sibi, et Sathanæ, cum Sathanas dispergere cuperet, quos Christus colligebat.

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus inceperit facere miracula in nuptiis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non inceperit facere miracula in nuptiis.

1. In libro de infantia Salvatoris legitur quod Christus in sua pueritia multa miracula fecit. Ergo videtur, quod non inceperit in nuptiis miracula facere.

Conseq. prob., quia miraculum de conversione aquæ in vinum fecit in nuptiis trigesimo anno suæ ætatis.

2. Virtus divina, secundum quam Christus faciebat miracula, erat in eo á principio suæ conceptionis, ex tunc enim fuit Deus, et homo. Ergo videtur quod in principio miracula operatus fuerit.

3. Christus post baptismum, et tentationem cepit discipulos congregare, ut legitur Matth. 4. Joan. 1. Ergo ante miraculum quod fecit in nuptiis, videtur quod alia miracula fecerit.

Conseq. prob., quia discipuli præcipue congregati sunt ad ipsum, propter miracula; sicut dicitur Lucæ 5. quod Petrum vocavit obstupescentem propter miraculum, quod fecerat in captura piscium.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 2. dicitur: *hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus incepit facere miracula in nuptiis.

Prob. Miracula facta sunt á Christo, propter confirmationem doctrinæ ejus, et ad ostendendam virtutem divinam in ipso, ut artic. 1. dictum est. Ergo Christus non incepit facere miracula ante perfectam ætatem, quam habuit, quando factæ sunt nuptiæ in Cana Galilææ.

Conseq. prob., quantum enim ad primum, ut scilicet suam doctrinam confirmaret, non debuit ante miracula facere, quam docere inciperet. Docere autem non debuit incipere ante perfectam ætatem, ut dictum est quæst. 39. art. 3. Quantum vero ad secundum, ut scilicet ostenderet virtutem divinam in ipso existentem, sic debuit per miracula deitatem ostendere, ut crederetur veritas humanitatis ipsius; quod non fuisset factum, si ante perfectam ætatem miracula facere incepisset: Unde Chrysost. dicit Hom. 20. in Joan. « Decenter non incepit signa facere in prima ætate; existimassent enim phantasma esse incarnationem, et ante oportunum tempus cruci eum tradidissent. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod illa signa, quæ quidam dicunt in pueritia á Christo facta, mendacia, et fictiones sunt: Sicut enim dicit Chrisost. super Joan. Homil. 16. ex verbo Joannis Baptistæ dicentis, « ut manifestetur in Israel propterea veni ego in aqua baptizans, » manifestum est quod in prima ætate nullum fecit signum: « Si enim á prima ætate miracula fecisset Christus, neque quaquam Joannes eum ignorasset, neque reliqua multitudo indiguisset magistro ad manifestandum eum. »

Ad 2. Negatur consequentia. Etsi enim in Christo fuerit divina virtus in principio suæ conceptionis, tamen Dei virtus operabatur in Christo, secundum quod erat necessarium ad salutem humanam, propter quam carnem assumpserat. Et ideo sic miracula fecit virtute divina, ut fidei de veritate carnis ejus præjudicium non fieret.

Ad. 3. Negatur consequentia. Nam discipuli secuti sunt Dominum antequam vidissent eum aliqua miracula facere, sicut Gregor. dicit Homil. 5. in Evang. Et hoc ad eorum laudem pertinet. Et Chrysost. dicit Homil. 22. in Joan. "Tunc signa maxime necessarium erat "facere, quando discipuli jam congregati erant, et devoti, et attendentes his "quæ fiebant. » Unde subditur: «et crediderunt in eum discipuli ejus, » non quia, tunc primum crediderunt, sed quia tunc diligentius, et perfectius crediderunt. Vel hic discipulos vocat eos, qui futuri erant discipuli, ut August. exponit in 2. lib. de cons. Evangel. cap. 17. Ad probationem igitur negatur assumptum: discipuli enim congregati sunt, anteqnam Christus miracula faceret, per miracula autem firmius ei adhæserunt.

## ARTICULUS IV.

*Utrum miracula per Christum facta sufficienter ejus divitatem ostenderint.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod miracula, quæ Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendam divinitatem ipsius.

1. Miracula, quæ Christus fecit, etiam ab aliis sunt facta. Ergo miracula, quæ Christus fecit, non fuerunt sufficientia ad ostendendam divinitatem ipsius.

Conseq. prob., quia esse Deum, et hominem, proprium est Christo; unde si miracula ab ipso facta fuissent sufficientia ad ostendendum ejus divinitatem, non potuissent ab aliquo alio fieri.

2. Aliqui fecerunt maiora miracula, quam Christus. Ergo videtur quod miracula, quæ Christus fecit, non fuerint sufficientia ad ostendendum divinitatem ipsius.

Anteced. prob., quia Joan. 14. Dicitur « qui credit in me, opera quæ ego

" facio, et ipse faciet, et maiora horum " faciet. »

Conseq. prob., quia virtute divina nihil est maius.

3. Ex particulari non ostenditur sufficienter vniversale. Sed quodlibet miraculorum Christi fuit quoddam particulare opus. Ergo ex nullo horum potuit sufficienter manifestari divinitas Christi, ad quam pertinet universalem virtutem habere de omnibus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 5. dicitur: *Opera quæ dedit mihi Pater, ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me.*

*Determinatio.*

Conclusio. Miracula, quæ Christus fecit, sufficientia erant ad manifestandam divinitatem ipsius.

Prob. Fuerunt enim sufficientia miracula Christi ad ostendendam ejus divinitatem propter tria. Primo propter speciem operum quæ transcendebant omnem potestatem creatæ virtutis, et ideo non poterant fieri nisi virtute divina. Et propter hoc dicebat cæcus illuminatus Joan. 9. « A sæculo non est auditum, " quia aperuit quis oculos cæci nati; nisi " esset hic á Deo, non poterat facere " quicquam. »

Secundo propter modum, quo miracula faciebat, quia scilicet, non orando sicut alii, sed quasi ex propria potestate miracula operabatur. Unde dicitur Lucæ. 6. quod « virtus de illo exibat, et sanabat " omnes. » Per quod ostenditur, sicut Cyrillus dicit, quod " non accipiebat " alienam virtutem; sed cum esset " naturaliter Deus, propiam virtutem " super infirmos ostendebat; et propter " hoc innumerabilia miracula faciebat:» Unde super illud Matth. 8. «Ejiciebat " spiritus verbo, et omnes male habentes " curavit,» Chrysost. Hom. 28. in Matth " Intende quantam multitudinem hominum curatam transcurrunt " Evangelistæ, non unumquemque cura- " tum enarrantes, sed uno verbo ineffabile pelagus miraculorum inducentes; » et ex hoc ostendebatur quod haberet virtutem coæqualem Deo Patri, secundum illud Joan. 5. " quæcumque Pater facit, " hæc et Filius similiter facit;» et ibidem. " Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et filius hominis quos vult " vivificat. »

Tertio, propter ipsam doctrinam, qua se Deum dicebat, quæ nisi vera esset, non confirmaretur miraculis divina virtute factis. Et ideo dicitur Marc. 1. " Quænam doctrina hæc nova, quia in potestate spiritibus immondis imperat, " et obediunt ei?

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod hæc erat objectio gentilium. Unde Augustin. dicit in Epist. ad Volus. 3. " Nullis, inquiunt, " competentibus signis tantæ majestatis " indicia claruerunt; quia carnalis illa " purgatio, qua scilicet dæmones effugabat, debilium curæ, reddita vita " defunctis, si et alia considerentur, Deo " parva sunt. » Et ad hoc respondet August. " Fatemur et nos talia quædam fecisse prophetas; sed et ipse Moyses, et cæteri prophetæ Dominum Jesum prophetaverunt, et ei gloriam magnam dederunt; qui propterea et ipse Christus talia facere voluit ne esset absurdum, quæ per illos fecerat, si ipse etiam non faceret. Sed tamen et aliquid proprium facere debuit, nasci de virgine, resurgere á mortuis, cœlum ascendere; hoc Deo, qui parum putat, quid plus expectet ignoro. Num homine assumpto, alium mundum facere debuit, ut eum esse crederemus, per quem factus est mundus? Sed nec maior mundus, nec isti æqualis in hoc mundo fieri posset. Si autem minorem faceret infra istum, similiter hoc quoque parum putaretur.» Quæ tamen alii fecerunt, Christus excellentius fecit. Unde super illud Joan. 15. « Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit et cæt.» dicit August tract. 91. in Joan.

«Nulla in operibus Christi videntur esse maiora, quam suscitatio mortuorum: quod scimus etiam antiquos fecisse prophetas. Fecit tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit; sed respondetur nobis, et alios fecisse, quæ nec ipse, nec alius fecit. Sed qui tam multa vitia, et malas valetudines, vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum. Ut enim taceam quos jubendo, sicut occurrebat, salvos singulos fecit, Marcus dicit quod quocumque loco introibat in vicos, aut in villas, aut in civitates, in plateis ponebant infirmos; et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent; et quotquot tangebant eum, salvi fiebant. Hæc nemo alius fecit in eis: sic enim intelligendum est, quod ait, in eis, non inter eos, aut coram eis, sed prorsus in eis, quia sanavit eos. Nec tamen alius quicumque in eis talia opera fecit, quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente, fecit; hoc autem ipse, non illis facientibus, fecit.» Ad formam igitur argumenti dicitur ad antecedens quod etsi quædam signa ex his quæ fecit Dominus, facta fuerint ab aliis ante ipsum; tamen Dominus illa fecit propria potestate, et multa alia fecit, quam alii fecerint, et quædam fecit, quæ nullus alius fecit, ut sunt nasci de virgine, resurgere, etc. Et sic negatur consequentia: alii enim non fecerunt tanta signa, quanta fecit Dominus, nec eodem modo, ut dictum est.

Ad 2. Negatur antecedens. Nullus enim maiora opera fecit, quam Christus. Ad probationem dicitur quod cum dicitur, et maiora horum faciet, ly horum, non refertur ad omnia opera, quæ Christus fecit, ut sit sensus quod qui crediturі erant in eum, essent facturi maiora opera, quam fuerint opera Christi, sic enim falsum est; sed refertur ad illa opera, quæ tunc faciebat. Tunc enim verba fidei faciebat, et utique minus est verba justitiæ prædicare, quod fecit præter nos, quam impios justificare, quod ita facit in nobis, ut faciamus et nos. Et Sensus est quod crediturі in Christum, facturi erant maiora opera, quam Christus tunc faceret, quia tunc Christus solum faciebat verba justitiæ, crediturі autem in eum per Christum, justificationem facturi erant. Quomodo autem discipuli maiora fecerint sua prædicatione, quam Christus, per Christi virtutem, dicit August. tract. 71. in Joan. et refertur in littera.

Ad 3. dicitur quod maior est falsa de opere particulari, quod est proprium alicui agenti; ex tali enim singulari opere potest sufficienter probari tota virtus agentis, sicut (cum ratiocinari sit proprium hominis) ostenditur aliquis esse homo ex hoc quod ratiocinatur circa quodcumque particulare propositum. Et cum facere miracula propria virtute sit proprium Dei, sufficienter ostensum est Christum esse Deum ex quocumque miraculo, quod propria virtute fecit.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 43.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis insinuatum, quod Christus debuit facere miracula. Ut per hoc, quod dicitur Joan. 11. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi nota ly *signa multa.* Quando isti erant in præsentia populi, ut Christum in minori reverentia, immo in grandi infamia, ponerent apud ipsum, sugillare contendebant miracula Christi multipliciter, ita ut etiam dicere contra omnem rationem præsumerent, quod " in Beelzebub principe dæ-

moniorum ejiceret dæmonia: » Luc. 11. Hoc est, stando solum in proposito articuli, quod miracula Christi non essent vera miracula: ut quæ non excederent virtutem creaturæ. Nunc vero, quando isti iidem primores judæorum sunt seorsum á turba inter semetipsos solos, tamquam coacti á veritate, quamvis nolentes, utpote quod eam negare mallent, si possent, similes dæmonibus, qui credunt coacti, 2. 2. q. 5. art. 3. asserunt ly *hic homo multa signa facit.* Multa scilicet extensive, et intensive, idest, multa in numero et in virtute. Si in viriute magna, ergo vera: quia signa mendacia non sunt (ut patet) in virtute, sed in falsitatis imbecillitate, facta. Ecce, quod renitentes fatentur, et laudant veritatem miraculorum Christi, quæ tanta erat, et tam manifesta, ut eos tam rebelles lumini, Job. 24. ad sui ipsius confesionem cogere potuerit. Insinuatur et per hoc, quod dicitur Isa. 35. " Deus ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum: et aures surdorum patebunt, tunc saliet, sicut cervus, claudus, et aperta erat lingua mutorum. » Hic enim ad litteram loquitur de Messia venturo ad salvandum nos per ly *Deus ipse veniet, et salvabit nos*, et explicat multa miracula, quæ tunc, scilicet in carne positus, facturus erat. Quæ sane miracula, ut de Christo litteraliter dicta esse noveris, ipsemet Christus respondendo discipulis Joannis quærentibus, an esset Messias, patefecit dicens, Matth. 11. " Ite, et renunciate Joanni, quæ vidistis: cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt. » Ac si eorum inquisitioni apertius dixisset. Ite, et hæc, quæ vidistis, renunciante Joanni, audietis ab eo, tamquam á Magistro vestro, correspondentiam ad testamentum vetus, scilicet Isa. 35. ubi fit sermo de Messia, et miraculis ejus, tamquam quibusdam signis ad cognoscendum illum pro Messia. Unde vos et notando, quæ ego feci, et his conferendo prædicta ab isto propheta, videbitis clare per vos, quod quæritis, scilicet, quod ego sum Messias. Miracula igitur secundum Isaiam et facturus erat Christus, et ea facturus erat in protestationem veritatis hujus, scilicet quod ipse erat Christus, secundum illud Joan. 5. " Opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem tum directam, hæc est in corp. tum indirectam, hæc est solutio argumentorum, quod et semper subintelligitur in similibus appendicum locis, interimas hæresim *Judæ Scarioth* dicentis, seu existimantis, ut inquit Beatus Hieronymus super Matth., quod Christus non majestate divina, sed magicis artibus fecerit miracula. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari à Joan. 10. *Pater*, etc. ut *in arg. cont.* Item á Luc. 11. *Omne regnum*, etc. Ubi ponuntur illæ quatuor rationes, quæ in resp. ad 3. hic recitatæ sunt contra hæresim prædictam directe pugnantes, eamque efficacissime expugnantes. Nam *Judas Scarioth* in hoc conveniebat cum pharisæis illis: quapropter omnium eorum simul eadem damnatio est. Item á Joan. 5. " Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. » Hoc est. Ego veni opera miraculosa faciens inter vos in virtute Patris mei, idest in virtute vere divina: alius autem, idest Antichristus veniet faciens signa mirabilia in virtute propria, idest magica, idest per privatos contractus cum diabolo: 1. qu. 110. artic. 4. ad 2. Unde et Apostolus de Antichristo dixit 2. Thessalon. 2. " cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus: et in omni seductione iniquitatis his, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. » Ecce, quam subtiliter Apostolus ex opposito ad Antichristum declarat miracula Christi fuisse non secundum operationem Satanæ, non mendacia, non seductoria, non iniqua, non operationem erroris, idest erronea, sed fuisse ex charitate veritatis, idest ex virtute Dei, qui vera, et summa charitas est: 1. Joan. 4. facta, et quantum est de se, conducentia homines ad hoc, ut salvi fierent, et ut crederent veritati, et ut non consentirent iniquitati, idest conducentia homines ad salutem, ad veram fidem, et abstrahentia ipsos ab iniquitate, et mendacio. Quorum omnium contrarium habent, secun-

dum eumdem Apostolum ibi, mirabilia Antichristi, idest miracula facta per operationem Satanæ, seu, quod idem est, per artem magicam. Item damnatur á 1. Jo. 3. « In hoc apparuit filius Dei, ut disolvat opera diaboli. » Ergo, ut damnet, non ut exerceat artes magicas. Item ab hoc, quod dicitur Act. 19. " Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt eos coram omnibus. » Nam per ly *curiosa* intelliguntur, juxta sacros expositores, artes magicæ. Damnat igitur Ecclesia Apostolica abunde illam hæresim de capite ex facto hoc suo, quo etiam á membris Christi futuris prohibet artes magicas, talium artium libros tollit, non obstante valore grandis pecuniæ in contrarium, ut ibi, illosque condemnat ad ignem. A schola ergo christiana magicas artes semper fuisse prorsus alienas per hanc executionem sanctorum Apostolorum aperte demonstratur. Item á 2. Cor. 6. " Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Christus enim factus est nobis justitia: » 1. Cor. 1. *et est lux vera*, Joan. 1. *et tenebræ in eo non sunt ullæ.* 1. Joan. 1. Item ab ipsismet dæmonibus damnatur hæresis illa per hoc, quod se á Christo totaliter alienos confitentur dicentes Marc. 1. *Quid nobis, et tibi Jesu Nazarene*? Sed et Christus aperte illam hæresim damnat per hoc, quod testimonium, quamvis secundum se verum, à dæmonibus etiam ultro sibi oblatum recusavit, et quidem cum indignatione magna, ostendens facto ipso, quod neque indiget auxilio aliquo diabolico, neque vult ipsum ad operandum ea, quæ facturus est. Spiritui enim immundo dicenti Marc. 1. " scio, quod sis sanctus Dei, comminatus est Jesus dicens obmutesce, et exi de homine. » Et Luc. 4. " Exibant dæmonia á multis clamantia, et dicentia: quia tu es filius Dei: et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. » Ex his ergo patet ly *quid nobis, et tibi*? supra Marc. 1. et ly *Quæ conventio Christi ad Belial*? supra 2. Cor. 6. Cæterum, quoniam *Judas Scarioth* pro hæresis suæ fundamento videtur habuisse hanc aliam, scilicet, quod Christus non esset verus Deus, alioquin quo modo in alicujus mentem cadere possit umquam, quod verus Deus miracula faciat magicis artibus? et hanc aliam scilicet, quod Christus esset peccator. Quis enim credat, aliquem sine peccato uti arte magica? ideo ad subruendum omnino duplex hoc ejus phantasticum, falsumque fundamentum: et consequenter ad radicitus extirpandam illam haeresim in principio appendicis dictam: vide ea, quae sequuntur. Videlicet, quod Christus sit verus Deus, supra in hac par. 3. art. n. 17. 42. 107. 139. 189. cum Elucidat. Ubi in 107. specialiter considerabis Bullam Papae *Pauli IV.* damnantem contrarium, tamquam plusquam haeresim. Christus vera non alius á Deo, sed ipse Deus, fecit miracula: secundum Concilium quintum generale *Constantinopoli* celebratum action. seu cons. 8 c 3. dicens. " Si quis dicit: alium esse Deum Verbum, qui miracula fecit, et alium Christum, qui passus est: vel Deum Verbum cum Christo esse dicit, quando ex muliere nascebatur, vel in ipso esse, ut alterum in altero: et non unum, eumdemque Christum Dei Verbum incarnatum, et hominem factum: atque ejusdem miracula, et passiones, quas sponte passus est in carne: talis anathema sit. » Quod autem in Christo non sit, neque possit esse peccatum contra haereticale fundamentum Judae, vide supra articulorum n. 90. 91. cum Elucid. Et á fortiori ex qu. 27. ar. 4. dicente, quod beata virgo numquam peccavit venialiter, inferas de Christo idem. Item vide Addit. q. 16. art. 2. ad 2. cum Eluc. Porro contra illam ejusdem Scariothis principio narratam juvabunt adhuc, si bene (quod facile est) applicentur dicta de veritate miraculorum in Ecclesia, factorum etiam à sanctis: supra articulorum n. 146. et 2. 2. a. n. 844. et prima parte art. num. 518. semper ubique cum Elucid. Et in veritatibus aureis super totam legem veterem: Exod. 18. concl. 2. et Num. 14. concl. 3. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod prius non fecit miraculum aliquod Christus, quam in nuptiis: ut per hoc, quod dicitur Joan. secundo. *Hoc fecit*, etc. ut *in arg. cont.* Ubi referendum est ly *initium signorum* ad signa absolute, idest, ubiliter facta, alioquin nihil con-

cluderet D. Thomas pro intento suo, non autem ad signa facta solum in Cana Galilaeae. Non enim ab Evangelista adducitur locus, scilicet Cana, quasi quod primum miraculum factum in Cana fuerit hoc, scilicet de aqua in vinum: sed adducitur ad certitudinem apud homines, sicut et talem finem, et commemoratio filiorum Simonis Cyrenæi adducta est Marc. decimo quinto: « Angariaverunt Simonem Cyrenaeum patrem Alexandri, et Ruffi,» ac si dicatur: miraculum á Christo factum fuisse de aqua in vinum, possunt certo cognoscere homines: si interrogentur ii, qui habitant in Cana. Adeo, quod ly *Cana* se tenet ex parte subjecti tamquam circumstantia factionis miraculi: non autem ex parte praedicati, tamquam limitatio primitatis miraculi. Ut dicamus: miraculum de aqua factum in Cana fuit primum: non autem, ut dicamus: miraculum de aqua factum fuit primum in Cana: quasi quod non fuerit primum absolute. Ac si apertius dicatur. Miraculum de aqua fuit factum in Cana et non alibi: miraculum vero idem fuit primum in Cana, et alibi. Exponatur ergo per appositionem dictum Evangelistae sic. Hoc, appositive, initium signorum suorum, fecit in Cana, idest, fecit in Cana hoc signum, quod est initium signorum, idest, primum inter omnia signa á seipso facta. Et non replicetur ly *in Cana*: dicendo, facta in Cana. Expositio haec sic á sancto Doctore intenta confirmatur ex eo, quod modo subjungitur ly *et manifestavit gloriam suam*. Ut dicamus conformiter ad Chrysostomum in quodam simili. "Ex verbo (inquit) Joannis Baptistae dicentis, *ut manifestetur in Israel, propterea veni ego*, manifestum est, quod in prima aetate Christus miracula non fecit. Si enim tunc miracula fecisset, multitudo non indiguisset magistro ad manifestandum eum. » Sic igitur ei conformiter in nostro proposito dicamus. Ex eo, quod miraculo facto in Cana Galilææ Christus manifestavit gloriam suam, patet: quod prius non manifestaverat gloriam suam, miracula faciendo. Si enim prius per aliquod miraculum gloriam suam manifestasset, discipuli cum adstantibus non indiguissent isto miraculo in Cana facto, tamquam quodam magistro, ad manifestandam gloriam Christi, idest, ut sibi ipsis ab ipso miraculo manifestaretur gloria Christi. *Secundo* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis: quod miracula Christi fuerunt sufficientia ad demonstrandam deitatem ipsius, idest ad demonstrandum, quod Christus esset Deus. Ut per hoc, quod dicitur Jo. 5. *opera*, etc. ut *in arg. cont.* Ubi exponendum patet ly *de me*, idest de hoc, quod ego sum Deus. Item per id, quod dicitur Matth. 6. « ut sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit,» sublato scilicet grabato. Marc. 2. *in domum suam*. Patet enim per ly *ut sciatis*, etc. quod Christus hoc miraculum de paralytico facit in protestationem hujus rei, scilicet, quod ipse sit Deus. Nam, cum soli Deo conveniat potestatem habere dimittendi peccata, idest potestative, ut supra *exam.* 2. dimittere peccata: et miraculum de paralytico Christus faciat ad ostendendum, quod habet potestatem dimittendi peccata: constat firmiter, quod ipse istud miraculum facit ad ostendendum, quod sit Deus. Unde ly *filius hominis* accipitur pro persona humanitatis: non autem pro humanitate: nam et ly *filius* est nomen secundum se dicens personam, ut patet. A notioribus ergo nobis processit in demonstrando ignotum ipsis, quando hoc, quod manifeste paralyticum sanavit, tamquam medio usus est ad concludendum hanc minus notam conclusionem, scilicet, quod potestative dimisisset ei peccata, idest, quod esset verus Deus. Ergo sanitatem hanc miraculosam corporalem numquam fecisset, nisi esset verum, quod per ipsam verum esse protestabatur: quoniam Deus, cujus solius virtute fiunt miracula, non potest negare seipsum 2. *Tim.* 2. idest, non potest esse mendax, nec testis falsitatis, cum sit verax, *Rom.* 3. immo veritas, *Joann.* 14. Restat ergo, quod miraculum hoc, cum sit ab ipso sic, idest, ad talem finem factum, est efficacissimum ad demonstrandum deitatem veram Christi. Item insinuatur illud per hoc quod dicitur Jo. 11. «Infirmitas haec est pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Est enim, ac si apertius

diceretur: infirmitas haec ordinatur tandem ad finem hunc, ut scilicet filius Dei glorificetur per eam: hoc est, miraculum fiendum de resuscitatione Lazari ex hac infirmitate morituri fiet ad hoc, ut filius Dei glorificetur, idest, fiet ad ostendendum, quod filius Dei habet gloriam Dei, idest, fiet in protestationem hujus rei, scilicet, quod ego sum Deus. Ideo in evangelio post ly *pro gloria Dei;* mox subditur ly *ut glorificetur filius Dei:* quasi expositive dicatur, filii Dei gloria est gloria Dei, quia filius Dei est Deus. Stante igitur hac veritate (ut jam patet) quod miraculum de resuscitatione Lazari, sit factum à Christo in protestationem, quod ipse est gloriosus Deus: manifestum tibi fiet, si discurreris secundum formam de paralytici miraculo supradictam, quod hoc miraculum de Lazaro est efficacissimum ad convincendum etiam protervos de hoc, quod Christus est Deus. Quomodo autem simul stent ista duo, scilicet, quod illa opera sint visa, et quod non sint credita, idest, sub aliis verbis, quod convincant etiam protervos: et tamen ab eis non credatur id, de quo ipsos convincunt: vide vecitates Aureas super legem veterem, Num. 14. concl. 2. 3. 5. Pro hujus autem resolutione summaria dic: quod fides est donum Dei. Ephes. 2. vide 2, 2. q. 6. art. 1. 2. et q. 2. art. 1. ad primum. *Tertio* vides: quomodo, etc.

---

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA QUARTA,

DE SINGULIS MIRACULORUM SPECIEBUS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de singulis miraculorum speciebus.

Et primo, de miraculis, quæ fecit circa spirituales substantias.

Secundo, de miraculis, quæ fecit circa cœlestia corpora.

Tertio, de miraculis, quæ fecit circa homines.

Quarto, de miraculis, quæ fecit circa creaturas rationales.

### ARTICULUS I.

*Utrum miracula facta per Christum circa spirituales substantias, fuerint convenientia.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod miracula, quæ fecit Christus circa spirituales substantias, non fuerint convenientia.

1. Christus non legitur aliqua miracula fecisse circa Angelos bonos. Ergo nec etiam circa dæmones aliqua miracula facere debuit.

Conseq. prob., quia inter spirituales substantias sancti Angeli prævalent dæmonibus; quia ut August. dicit lib. 3. de Trin. cap. 4. « Spiritus vitæ rationalis desertor, atque peccator, regitur « per spiritum vitæ rationalem, pium, « et justum. »

2. Divinitas Christi non erat dæmonibus manifestanda. Ergo non debuit Christus circa dæmones aliqua miracula facere.

Anteced. prob., quia per hoc impeditum fuisset mysterium passionis ejus, secundum illud 1. Cor. 2. « Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ « crucixissent. »

Conseq. prob., quia miracula Christi ordinabantur ad manifestandam divinitatem ipsius.

3. Circa eos, ad quos non pertinet glorificare Deum, non erant á Christo aliqua miracula facienda. Sed ad dæmones non pertinet glorificare Deum. Ergo circa dæmones non erant à Christo aliqua miracula facienda.

Maior prob., quia miracula Christi ad gloriam Dei ordinabantur. Unde dicitur Matth. 9. quod videntes turbæ paralyticum sanatum á Christo, « timuerunt, et « glorificaverunt Deum, qui dedit po- « testatem talem hominibus.»

Minor prob., quia *non est speciosa laus in ore peccatoris*, ut dicitur Eccles. 15. Unde sicut dicitur Marc. 1. et Luc. 4. non sinebat Christus dæmonia loqui ea quæ ad gloriam ipsius pertinebant.

4. Quædam dæmonia ejecit Christus ab hominibus cum hominum, á quibus ejecta fuerunt, detrimento, quandoque quidem corporali, sicut dicitur March. 9. quod dæmon ad præceptum Christi "exclamans, et multum discerpens ho-"minem. exiit ab eo et factus est sicut "mortuus, ita ut multi dicerent, quia "mortuus est." Quandoque etiam cum damno rerum, sicut quando dæmones ad eorum preces misit in porcos, quos præcipitaverunt in mare. Unde cives regionis illius rogaverunt eum, ut transiret á finibus eorum, ut legitur Matth. 8. Ergo videtur quod Christus inconvenienter fecerit hujusmodi miracula.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Zach. 13. hoc prænuntiatum fuerat, ubi dicitur: *spiritum immundum auferam de terra.* Ergo convenienter Christus miracula circa dæmones fecit.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit quod Christus inter alia miracula, etiam obsessos á dæmonibus liberaret.

Prob. Futurum erat ut Christus per virtutem divinitatis ejus excluderet dæmonum potestatem ab hominibus creditoris in eum, secundum illud Joan. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Ergo conveniens fuit quod inter cætera miracula, etiam obsessos á dæmonibus Christus liberaret.

Conseq. prob., quia miracula, quæ Christus fecit, argumenta quædam fuerunt fidei, quam ipse docebat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Nam sicut homines per Christum erant liberandi á potestate dæmonum, ita per eum erant Angelis bonis consociandi, secundum illud ad Colos. 1. «Pacificans per sanguinem crucis ejus, quæ in cœlis, et quæ «in terris sunt.» Et ideo circa angelos bonos alia miracula hominibus demonstrare non conveniebat, nisi ut angeli hominibus apparerent: quod quidem factum est in Nativitate ipsius, et in Resurrectione, et in Ascensione ejus. Ad prob. dicitur, quod ex hoc quod angeli boni prævalent malis, non sequitur, quod circa eos alia miracula fieri debuerint, quam ea quæ facta sunt; ut scilicet apparerent.

Vel sub aliis verbis, negatur antecedens: nam etiam circa bonos angelos miracula facta sunt, dum scilicet factum est ut hominibus visibiliter apparerent in Nativitate, ut legitur Lucæ 1. in Resurrectione et in Ascensione.

Ad 2. Negatur antecedens. Nam etiam dæmonibus manifestanda erat Christi divinitas aliquo modo. Ad probationem dicitur, quod non fuit impedita per dæmones Christi passio, quia ejus divinitatem non certitudinaliter cognoverunt; sed solum per quasdam conjecturas suspicati sunt Christum esse Deum. Unde Augustinus. dicit libr. 9. de Civit. Dei cap. 21: "Christus tantum innotuit dæ-"monibus, quantum voluit; tantum an-"tem voluit, quantum oportuit; sed "innotuit eis, non sicut angelis bonis, "per id quod est vita æterna, sed per "quædam temporalia suæ virtutis sf-"fecta." Et primo quidem videntes Christum esurire post jejunium, æstimaverunt eum non esse Filium Dei. Unde super illud Matth. 4. *Si Filius Dei es*, etc. dicit Amb. lib. 4. cap. 13. super Luc. "Quid sibi vult talis sermonis exor-"sus, nisi quia cognoverat Dei Filium "esse venturum; sed venisse per infir-"tatem corporis non putavit?" Sed postmodum visis miraculis, ex quadam suspicatione conjecturavit eum esse Filium Dei; unde super illud Marci 1. *Scio quod sis sanctus*: dicit Chrys. quod "non "certam, aut firmam adventus Dei habe-"bat notitiam; sciebat tamen ipsum esse

"Christum in lege promissum." Unde dicitur Lucæ 4. "Quia sciebant ipsum "esse Christum." Quod autem ipsum confitebantur esse Filium Dei, magis erat ex quadam suspitione, quam ex certitudine. Unde Beda dicit super Lucam: "et dæmonia Filium Dei confite- "bantur," et sicut postea dicit, "scie- "bant ipsum esse Christum, quia cum "jejunio fatigatum eum diabolus vide- "ret, verum hominem intellexit. Sed "quia tentando non prævaluit, utrum "Filius Dei esset, dubitabat. Nunc "autem per signorum potentiam, vel "intellexit, vel potius suspicatus est esse "Filium Dei. Non igitur ideo eum "Judæis crucifigere persuasit, quia "Christum Dei Filium non esse putavit; "sed quia se morte illius non prævidit "esse damnandum; de hoc enim myste- "rio á sæculis abscondito, dicit Aposto- "lus quod nemo principum hujus sæculi "cognovit; si enim cognovissent, num- "quam Dominum gloriæ crucifixissent." Non fuit igitur impedita á dæmonibus Christi passio, quia etsi quamdam suspicionem de divinitate Christi haberent per potentiam signorum; tamen quia non cognoverunt ea quæ ex passione Christi contra eos agenda erant, judæos instigaverunt, ut Christum crucifigerent.

Ad 3. Negatur maior; poterant enim convenienter fieri á Christo miracula circa eos, ad quos non pertinet Dei glorificatio. Ad probationem dicitur, quod miracula in expulsione dæmonum non fecit Christus propter utilitatem dæmonum; sed propter utilitatem hominum, ut ipsi homines videntes Christum expellere dæmones, ipsum glorificarent. Ratio autem quare Christus prohibuerit dæmones loqui ea, quæ ad laudem ipsius pertinebant, ut in minori, et in ejus probatione dicitur, est triplex. Prima quidem propter exemplum, quia ut dicit Athan. ex Chrysost. concion. 2. de Lazaro, et Theophilact. "compescebat dia- "boli sermonem, quamvis vera fatere- "tur, ut nos etiam assuefaciat ne cure- "mus de talibus, etiam si vera loqui vi- "deantur: nefas est enim, ut cum adsit "nobis scriptura divina, instruamur á "diabolo." Est enim hoc periculosum, quia frequenter dæmones veritati immiscent mendacia. Secundo quia sicut Chrys. dicit: "non oportebat eos surri- "pere officii Apostolici gloriam, nec de- "cebat Christi mysterium lingua fœtida "publicari, quia non est speciosa laus in "ore peccatorum." Tertio quia ut Beda dicit cap. 14. in cap. 4. Luc. "Nolebat "ex hoc invidiam accendere judæorum. "Unde etiam ipsi Apostoli jubentur re- "ticere de ipso, ne divina majestate "prædicata passionis dispensatio diffe- "ratur."

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod Christus venerat docere, et miracula facere propter utilitatem hominum principaliter quantum ad animæ salutem, et ideo permisit dæmones quos ejiciebat, hominibus aliquod nocumentum inferre, vel in corpore, vel in rebus, pro humanæ animæ salute, ad hominum scilicet instructionem. Unde Chrysost. dicit Hom. 29. in Matth. quod Christus "permisit "dæmonibus in porcos ire, non quasi á "dæmonibus persuasus; sed primo qui- "dem, ut instruat magnitudinem nocu- "menti dæmonum, qui hominibus insi- "diantur. Secundo ut omnes discerent "quoniam nec adversus porcos audeant "aliquid facere, nisi ipse consenserit. "Tertio ut ostenderet quod graviora in "illos homines operati essent, quam in "illos porcos, nisi essent divina provi- "dentia adjuti," et propter easdem etiam causas permisit eum qui á dæmonibus liberabatur, ad horam gravius affligi, á qua tamen afflictione eum continuo liberavit. Per hoc etiam ostenditur, ut Beda dicit, quod sæpe "dum converti ad Deum "post peccata conamur, maioribus, no- "visque antiqui hostis pulsamur insidiis; "quod facit, vel ut odium virtutis incu- "tiat, vel expulsionis suæ vindicet in-

"juriam." Factus est etiam homo sanatus velut mortuus, ut Hieron. dicit quia sanatis dicitur: "mortui estis, et "vita vestra abscondita est cum Christo "in Deo." Convenientissima igitur fuerunt hæc miracula, quæ Christus expellendo dæmones, fecit; ejecit enim illos dæmones cum detrimento aliquo corporis, vel rerum temporalium, ut animam illorum sanaret, et nos instrueret.

## ARTICULUS II.

*Utrum convenienter facta fuerint miracula, per Christum circa cœlestia corpora.*

*Pro negativa.*=Videtur quod inconvenienter fuerint á Christo facta miracula circa cœlestia corpora.

1. Corpora cœlestia secundum eorum naturam sunt incorruptibilia, et inalterabilia, ut prob. 1. Cœl. textu 20. et seq. Ergo non fuit conveniens, ut per Christum fieret aliqua immutatio circa ordinem cœlestium corporum, ut factum est in passione Domini.

Conseq. prob, quiai Don. in c. 4. de div. nom. dicit: "divinæ providentiæ non "est naturam corrumpere, sed salvare."

2. Non legitur, quod astrologi perceperint aliquam mutationem distinctionis et ordinis temporum. Ergo videtur, quod per Christum non fuerit facta aliqua mutatio circa cursum cœlestium corporum.

Conseq. prob., quia cursus temporum designantur secundum motum cœlestium corporum, secundum illud Gen. 1. "Fiant luminaria in firmamento cœli, et "sint in signa, et tempora, et dies, et "annos." Sic ergo mutato cursu cœlestium corporum, mutatur temporum distinctio, et ordo. Quod fuisset perceptum ab astrologis, "qui contemplantur sydera, et computant menses," ut dicitur Is. 47.

Aliter: non fuit immutatus ordo, et distinctio temporum. Ergo nec cursus corporum cœlestium fuit aliquando immutatus miraculose.

Anteced. prob., quia si fuisset talis mutatio facta, fuisset percepta ab astrologis, qui numerant menses, etc.

Conseq. prob., quia ordo et distinctio temporum est ex cursu cœlestium corporum.

3. Non legitur Christum in vita sua fecisse aliquod miraculum circa cœlestia corpora; quinimmo pharisæis petentibus aliquod signum de cœlo, eis dare noluit, ut habetur Matth. 12. et 16. Ergo videtur, quod nec in morte circa cœlestia corpora aliquod miraculum facere debuerit.

Conseq. prob., quia magis competebat Christo facere miracula vivens, et docens, quam moriens, tum quia ut dicitur 2. Cor. ult. *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*, secundum quam miracula faciebat; tum etiam, quia ejus miracula erant confirmativa doctrinæ ipsius.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 23. dicitur: *Tenebræ factæ sunt in universa terra usque ad horam nonam, et obscuratus est sol.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit, ut Christus miracula faceret, etiam circa cœlestia corpora.

Prob. Per miraculosam transmutationem corporum inferiorum, non ita evidenter ostenditur Christum esse Deum, sicut per transmutationem cursus corporum cœlestium. Ergo conveniens fuit quod Christus faceret miracula, non solum circa corpora inferiora, sed etiam circa corpora cœlestia, immutando eorum cursus.

Anteced. prob., quia corpora inferiora moveri possunt etiam ab aliis causis; corpora autem cœlestia á solo Deo sunt immobiliter ordinata, et eorum cursus á solo Deo immutari possunt. Unde Dion. dicit in Epist. ad Policarp. "cognoscere "oportet non aliter aliquando posse ali-"quid perverti cœlestis ordinationis et "motus, nisi causam haberet, ad hoc

"moventem, quæ facit omnia, et mutat "secundum suum sermonem." Evidentius igitur Christus monstravit se Deum, immutando cœlestium corporum cursus, quam transmutando miraculose, et supra naturam, inferiora corpora; quia illorum transmutatio á solo Deo, horum vero ab aliis causis esse potest.

Conseq. prob., quia miracula Christi talia esse debebant, ut sufficienter eum esse Deum ostenderent, ut dictum est quæst. præced. art. 4.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut inferioribus corporibus, præter naturalem eorum motum, quem habent á propria forma, naturale est quod etiam moveantur á cœlestibus corporibus (sicut ignis naturaliter ex propria forma movetur sursum, et á corpore cœlesti circulariter) ita etiam naturale est cuilibet creaturæ, ut præter eorum naturalem motum possint moveri alio motu á Deo. Unde August. dicit lib. 26. contra Faust. cap. 8. et habetur in Glos. Rom. 11. super illud *contra naturam insertus es, etc.* « Deus creator, et conditor omnium naturarum nihil contra « naturam facit, quia id est cuique rei « natura, quod facit;» et ita non corrumpitur natura cœlestium corporum, cum eorum cursus immutatur á Deo. Corrumperetur autem si ab aliqua alia causa immutaretur.

Ad 2 Dicitur dupliciter. Primo concedendo totum, scilicet quod miraculum, quod factum est in morte Christi, non fuerit per hoc, quod fuerit mutatus ordo temporum, vel cursus cœlestium corporum; sed solum per hoc quod fuit obscuratus sol, quæ obscuratio secundum quosdam fuit propter hoc quod sol suos radios retraxit, nulla immutatione facta circa motum corporum cœlestium, secundum quem tempora mensurantur. Unde Hieron. dicit in cap. 27. Matth. « Videtur luminare maius retraxisse ra« dios suos, ne aut pendentem videret « Dominum, aut impii blasphemantes sua « luce fruerentur.» Hæc autem retractio non est sic intelligenda, quasi sol in sua potestate habeat radios emittere vel retrahere; non enim ex electione, sed ex natura radios emittit, ut dicit Dion. 4. cap. de Div. nom. Sed sol dicitur retraxisse radios, in quantum divina virtute factum est, ut solis radii ad terram non pervenirent. Origenes autem Hom. 35. in Matth. dicit, hoc accidisse per interpositionem nubium. Unde dicit: "conve"niens est intelligere quasdam tenebro"sissimas nubes multas, et magnas con"currisse super Hierusalem, et terram "Judææ, et ideo factæ sunt tenebræ "profundæ á sexta hora usque ad nonam. "Arbitror enim sicut cætera signa, quæ "facta sunt in passione, scilicet quod "velum templi scissum, et quod terra "tremuit, etc. in Hierusalem tantum"modo facta sunt, ita et hoc." Aut si latius voluerit quis extendere ad terram Judææ, propter hoc quod dicitur: *Tenebræ factæ sunt in universa terra*, quod intelligitur de terra Judææ: sicut in 3. lib. Reg. cap. 18. dixit Abdias ad Eliam. « Vivit Dominus Deus tuus, quia non est « gens, aut regnum, ubi non miserit Do« minus meus quærere te,» ostendens quod eum quæsierat in gentibus, quæ sunt circa Judæam. Igitur secundum duas has sententias in argumento supponitur unum falsum, scilicet quod illa solis obscuritas fuerit ex immutatione naturalium motuum corporum cœlestium: et tamen aliter fuit facta.

Secundo dicitur concedendo, quod illa miraculosa solis obscuratio in passione Christi fuerit facta per mutationem motuum corporum cœlestium, scilicet lunaris corporis, quod ab orientali parte, non delatum á primo mobili, sed vivina virtute ad occidentalem partem processit, quousque ad solare corpus perveniret. Et hæc est sententia Dionysii Areopagitæ, cujus festum, qua die hæc scribimus celebratur: cui magis est credendum, qui

oculatus est testis, utpote qui inspexit, hanc obscuritatem accidisse per interpositionem lunæ inter nos, et solem. Dicit enim in Epist. ad Policarpum: *Inopinabiliter soli lunam incidentem videbamus*, in Ægypto scilicet existentes, ut ibidem dicitur. Et designat ibi accidisse quatuor miracula. Quorum primum est, quod eclypsis solis facta fuit in luna quintadecima, quando non solis, sed lunæ potest accidere eclypsis. Secundum miraculum est, quod luna circa horam sextam visa est in medio cœli, et in vesperi visa est plena in oriente in suo loco. Tertium quod eclypsis hæc incepit á parte orientali solis, et pervenit usque ad partem occidentalem, et tamen naturaliter fit oppositio modo. Quartum est, quod pars solis, quæ ultimo fuit obscurata, fuit prima, quæ lucere cœpit, et tamen naturaliter fit oppositum. Quintum addit Chrysost. Hom. 89. in Matth. quod tunc tenebræ permanserunt tribus horis, sole non emittente radios ad terram, propter lunæ interpositionem, et tamen naturaliter hoc esse non potest. Secundum hoc igitur facta fuit immutatio motus lunæ in miraculo obscurationis solis, sed nulla fuit temporum ordinatio mutata, quia post prædictam solarem eclypsim, luna divina virtute ad locum suum delata est. Unde ad formam secundam argumenti conceditur antecedens, sed negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod distinctio temporum ex distinctione motuum dependet, sed quia in hoc casu luna ad locum debitum delata fuit per divinam potentiam, mutatio miraculosa sui motus fuit absque præjudicio ordinationis temporum; fuisset autem deordinatio temporum, si non fuisset iterum ad locum suum delata. Sed *adversus hoc dicunt filii hujus seculi*, inquit Orig. Hom. 35. in Matth. *Quomodo hoc factum tam mirabile nemo græcorum, aut barbarorum scripsit*? Et dicit quod quidam, nomine Phlegon in chronicis suis scripsit hoc in principatu Tyberii Cæsaris factum; sed non signavit quod fuerit in luna plena. Potuit ergo hoc contingere, quia astrologi ubique terrarum tunc temporis existentes non solicitabantur de observanda solari eclypsi, quia tunc tempus non erat; sed illam obscuritatem ex aliqua passione aëris accidere putaverunt. Sed in Ægypto, ubi raro nubes apparent propter aëris serenitatem, permotus est Dionys. et socii ejus, ut prædicta circa illam obscuritatem observarent.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod tunc præcipue oportebat in Christo divinitatem per miracula ostendere, quando in eo maxime apparebat infirmitas secundum humanam naturam. Et ideo in Christi nativitate, in qua humana infirmitas apparebat, nova stella in cœlo apparuit. Unde Maximus dicit in Sermone Nativitatis. "Si "præsepe despicis, erige parumper "oculos, et novam in cœlo stellam "protestantem mundo nativitatem Do"minicam contuere." In passione autem adhuc maior infirmitas circa humanitatem Christi apparuit; et ideo oportuit ut maiora miracula ostenderentur circa principalia mundi luminaria: et sicut Chrysost. dicit hom. 89. in Matth. "Hoc est signum quod petentibus pro"mittebat dare dicens, generatio prava "et adultera signum quærit, et signum "non dabitur ei, nisi signum Jonæ pro"phetæ, Crucem significans, et resur"rectionem." Etenim multo mirabilius est in eo qui crucifixus erat, hoc fieri, quam eo ambulante super terram. Erat igitur maior ratio faciendi miracula circa corpora cœlestia in morte Christi, quam fuerit in vita, quia scilicet in morte maxime apparebat humanitatis infirmitas, et occultabatur divinitatis potentia.

## ARTICULUS III.

### *Utrum convenienter Christus circa homines miracula fecerit.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod incon-

venienter Christus circa homines miracula fecerit.

1. Christus multa miracula fecit circa humana corpora, et nulla circa humanam animam. Ergo non convenienter Christus est circa homines miracula operatus.

Antecedens quoad primam partem patet ex Evangelio, in quo legitur Dominum illuminasse cæcos, curasse paralyticos, leprosos, liberasse á sanguinis fluxu, et mortuos suscitasse. Altera vero pars probatur; nam Christus nullos incredulos ad fidem virtuose convertit, sed solum admonendo, et exteriora miracula ostendendo, neque etiam aliquos fatuos legitur sapientes fecisse.

Conseq. prob., quia in homine potior est anima, quam corpus.

2. Christus non semper subito sanavit homines quantum ad corpus. Ergo non convenienter operatus est miracula circa homines.

Anteced. prob., quia legitur Marci 8. quod "apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, et expuens in "oculos ejus, impositis manibus interrogavit eum, si quid videret, et aspiciens ait, video homines, velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, et cœpit "videre, et restitutus est ei visus, ita "ut clare videret omnia," et sic patet quod non subito eum curavit, sed primo imperfecte, et per sputum.

Conseq. prob., quia Christus faciebat miracula virtute divina, cujus proprium est subito operari, et perfecte, absque alicujus adminiculo.

3. Ægritudo corporalis non semper ex peccato causatur, ut patet per illud quod Dominus dicit Joan. 9. "Neque "hic peccavit, neque parentes ejus, ut "cæcus nasceretur." Ergo non oportuit, ut hominibus corporum curationem quærentibus, peccata dimitteret, sicut legitur fecisse circa paralyticum Matth. 9. præsertim quia cum sanatio corporalis sit minus quid, quam remissio peccatorum, non videtur esse sufficiens argumentum, quod possit peccata dimittere.

Conseq. prob., quia quæ se invicem non consequuntur, non oportet quod simul tollantur.

4. Miracula Christi sunt ad confirmationem doctrinæ, et testimonium divinitatatis ejus, ut dictum est, quæst. præced. art. 4. Ergo videtur quod Christus inconvenienter quibusdam miraculose curatis præceperit, ut nemini dicerent, ut patet Matth. 9. et Marci 8. præsertim, quia quibusdam aliis mandavit ut miracula circa se facta publicarent, sicut Marci 5. legitur quod dixit ei quem á dæmonibus liberaverat, *vade in domum tuam ad tuos, et annuntia eis, quanta tibi Dominus fecerit.*

Conseq. prob., quia nullus debet impedire finem operis sui.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Marci. 7. dicitur: *bene omnia feci, et surdos fecit audire, et mutos loqui.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit ut Christus particulariter homines curando, ostenderet se esse universalem, et spiritualem hominum salvatorem.

Prob. Christus ad hoc in mundum venerat, et docebat, ut homines salvos faceret secundum illud Jo. 3. "Non "enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum." Ergo conveniens fuit ut Christus curando homines ostenderet se universalem salvatorem.

Conseq. prob., quia ea quæ sunt ad finem, debent fini esse proportionata.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo negatur consequentia. Dato enim quod Christus nulla fecerit miracula circa animam hominis, non sequitur quod inconvenienter operatus fuerit miracula circa hominem. Ad cujus evidentiam est considerandum quod ea quæ sunt ad finem

distinguuntur ab ipso fine. Miracula autem á Christo facta ordinabantur tamquam ad finem, ad salutem rationalis partis, quæ consistit in sapientiæ illustratione, et hominum justificatione, quorum primum, scilicet illustratio sapientiæ, præsupponit secundum, scilicet justificationem, quia ut dicitur Sap. 1. «In "malevolam animam non introibit sa- "pientia, nec habitavit in corpore sub- "dito peccatis,» quorum duorum neutrum proprie miraculum dici potest. Justificatio enim non fit nisi eis qui justificantur, volentibus; et si aliter fieret, esset contra rationem justitiæ, quæ rectitudinem voluntatis importat, et etiam contra rationem humanæ naturæ, quæ libero arbitrio ad bonum ducenda est, non autem per coactionem. Christus ergo virtute divina interius homines justificavit, non tamen eis invitis, nec hoc ad miracula pertinet, sed ad miraculorum finem. Similiter etiam virtute divina simplicibus discipulis divinam sapientiam infudit. Unde dicit eis Lucæ 21. « Ego "dabo vobis os, et sapientiam, cui non "poterunt resistere, et contradicere "omnes adversarii vestri;» quod quidem quantum ad interiorem illuminationem inter visibilia miracula non numeratur; sed solum quantum ad exteriorem actum, inquantum scilicet videbant homines, eos, qui fuerant illiterari, et simplices, tam sapienter, et constanter loqui. Unde dicitur Act. 4. "Videntes judæi Petri "constantiam et Joannis, comperto quod "homines essent sine litteris, et idiotæ, "admirabantur.» Et tamen hujusmodi spirituales effectus, etsi á miraculis visibilibus distinguantur, sunt tamen quædam tesmonia doctrinæ, et virtutis Christi, secundum illud Hebr. 2. "Contes- "tante Deo signis, et portentis, et variis "virtutibus, et Spiritus Sancti distri- "butionibus.» Fuit igitur conveniens quod Christus faceret miracula circa humana corpora, et non circa animam, quia ea quæ fiunt in anima, habent rationem finis, ad quem homines per miracula perducuntur. Et ad probationem negatæ consequentiæ, dicitur quod ex hoc quod anima est potior quam corpus, sequitur quod aliquid excellentius circa ipsam fieri debuerit, ut scilicet per corporalia miracula visa ad sapientiam, et justificationem disponeretur.

Secundo dicitur negando secundam partem antecedentis. Fecit enim Dominus miracula, etiam circa animam, maxime quantum ad immutationem inferiorum virium. Unde Hieron. super illud Matth. 9. *surgens secutus est eum*, dicit: "fulgor ipse, et majestas divini- "tatis occultæ, quæ etiam in facie relu- "cebat humana, videntes ad se trahere "poterat primo aspectu.» Et super illud Matth. 21. "Ejiciebat omnes venden- "tes et ementes,» etc. dicit idem Hieronym. "Mihi inter omnia signa quæ "fecit Dominus, hoc videtur esse mi- "rabilius, quod unus homo, et illo tem- "pore contemptibilis, potuerit ad unius "flagelli verbera, tantam ejicere multi- "tudinem; igneum enim quiddam, at- "que sydereum radiabat ex oculis ejus "et divinitatis majestas lucebat in facie "ejus.» Et Origenes dicit super Joan. hoc esse majus miraculum eo quo aqua conversa est in vinum, eo quod "illic "inanimata subsistit materia, hic vero "tot millium hominum domantur inge- "nia.» Et super illud Jo. 18. "Abie- "runt retrorsum, et ceciderunt in ter- "ram,» dicit August. tract. 112. in Joan. "Una vox tantam turbam odiis "ferocem, armisque terribilem, sine "ullo telo percussit, repulit, stravit. "Deus enim latebat in carne.» Et ad idem pertinet quod dicitur Lucæ 4. quod "Jesus transiens per medium il- "lorum ibat:» Ubi dicit Chrysost. quod "stare in medio insidiantium, et non "apprehendi, divinitatis eminentiam "ostendebat.» Et quod dicitur Joan. 8. «Jesus abscondit se, et exivit de templo,» exponens August. dicit: «Non abscondit

« se in angulo templi quasi timens, vel « post murum, aut columnam divertens; « sed divina potestate se invisibilem in- « sidiantibus constituens, per medium il- « lorum exivit. » Ex quibus omnibus patet quod Christus quando voluit, virtute divina animas hominum immutavit, non solum justificando, et sapientiam infundendo, quod pertinet ad miraculorum finem; sed etiam exterius alliciendo vel terrendo, vel stupefaciendo, quod pertinet ad ipsa miracula. Fecit igitur Christus miracula, non solum circa humana corpora, sed etiam circa animas.

Ad 2. dicitur dupliciter: primo negatur consequentia; ex hoc enim quod Christus non semper subito sanavit, convenienti ratione hoc fecit. Pro quo est considerandum quod Christus venerat salvare mundum, non solum virtute divina; sed per mysterium incarnationis ipsius. Et ideo frequenter in sanatione infirmorum, non solum potestate divina utebatur, curando per modum imperii; sed etiam aliquid ad humanitatem ipsius pertinens apponendo. Unde super illud Lucæ 4. "singulis manus imponens curabat omnes," dicit Cyrillus, "quamvis ut Deus potuisset omnes verbo pellere morbos, tangit tamen omnes ostendens propriam carnem efficacem ad præstanda remedia." Et super illud Marc. 8. "expuens in oculos ejus impositis manibus," etc. dicit Chrysost. "spuit quidem et manus imponit cæco, volens ostendere quod verbum divinum operationi adjunctum miracula perficit; manus enim operationis est ostensiva, sputum sermonis ex ore prolati est ostensivum." Et super illud Joan 9. "Fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos cæci," dicit August. tract. 44. in Joan. de « saliva sua lutum fecit, quia Verbum caro « factum est. » Vel etiam ad significandum quod ipse erat, qui ex limo terræ hominem formaverat, ut Chrysost. dicit. Summa igitur ratione Dominus non semper subito sanavit, hoc enim fecit ad ostendendum carnis suæ dignitatem, quam ex unione ad Verbum divinum acquisivit. Et per hoc patet, quid dicendum sit ad probationem negatæ consequentiæ; faciebat enim Christus miracula virtute divina, per ministerium tamen humanitatis assumptæ.

Dicitur secundo ad antecedens: quod Dominus communiter, et ordinarie in instanti sanabat. Faciebat namque Christus perfectissima opera, unde super illud Joan. 2. « Omnis homo primum bonum « vinum ponit, » dicit Chrysost. Hom. 21. in Joan. «Talia sunt Christi miracu- « la, ut multo his quæ per naturam « fiunt speciosiora, et utiliora fiant. » Et similiter in instanti infirmis perfectam sanitatem conferebat: unde super illud Matth. 8. «Surrexit, et ministrabat illis,» dicit Hieronym. « Sanitas quæ confertur « á Domino, tota simul redit.» Ad probationem autem antecedentis, dicitur quod specialiter in illo cæco contrarium fuit, propter infidelitatem ipsius. Ut Chrysost. dicit Homil. 9. in Matth. Vel sicut Beda dicit c. 34. in Marc. cap. 8. « Quem uno verbo totum simul curare « poterat, paulatim curat, ut magnitudi- « nem humanæ cæcitatis ostendat, etc.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod etsi eorum quæ non se invicem necessario consequuntur, unum possit tolli sine altero, tamen Christus convenienter semper curavit hominem, non solum ab infirmitate corporali, sed simul ab infirmitate spirituali, quæ est peccatum. Christus enim miracula faciebat virtute divina. Dei autem *perfecta sunt opera*, ut dicitur Deut. 32. Et quia non est aliquid perfectum, si finem non consequatur, et finis exterioris curationis per Christum factæ, est curatio animæ, ideo non conveniebat Christo, ut alicujus corpus curaret, nisi ejus curaret animam. Unde super illud Joan. 7. «Totum hominem sanum fecit in Sabbato,» dicit Augus. tract. 30. in Joan, quod «cu-

"ratus est, ut esset sanus in corpore: "et credidit ut sanus esset in anima;» Omnes igitur quos Christus corporaliter curavit, spiritualiter etiam sanavit. Specialiter tamen dictum est paralytico: "Dimittuntur tibi peccata tua» quia ut Hieron. dicit super Matth. cap. 9. «da- "tur ex hoc nobis intelligentia propter "peccata plerisque evenire corporum "debilitates, et ideo forsitan prius di- "mittuntur peccata, ut causis debilitatis "ablatis, sanitas restituatur.» Unde et Joan. 5. dicitur: «jam noli amplius pec- "care, ne deterius tibi aliquid contin- "gat.» Ubi dicit Chrysost. Hom. 17. in Joan. "Discimus quod ex peccatis nata "erat ei ægritudo.» Quamvis autem ut Chrysost. dicit super Matth. Hom. 30. "quanto anima est potior corpore, tan- "to peccatum dimittere majus sit, quam "corpus sanare; quia tamen illud non "est manifestum, facit minus quod est "manifestius, ut demonstraret maius, "et non manifestum.

Ad 4. Neg. conseq. Sicut enim dicit Chrysost. super Matth. Homil. 13. super illud: «videte ne quis sciat,» «non est "hoc contrarium, quod hic dicitur ei "quod alteri dicit: Vade et annuntia "gloriam Dei. Erudit enim nos prohi- "hibere eos, qui volunt nos propter nos "laudare: si autem ad Deum gloria re- "fertur, non debemus prohibere; sed "magis injungere, ut hoc fiat.» Ad prob. dicitur quod Christus præcipiendo curatis ab eo ne alicui dicerent, non impedivit finem operis sui; sed docuit humilitatem necessariam nobis.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum convenienter Christus fecerit miracula circa creaturas irrationales.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod inconvenienter Christus fecerit miracula circa creaturas irrationales.

1. Christus fecit aliquod miraculum circa plantas, puta cum ad verbum ejus siccata est ficulnea, ut dicitur Matth 21. Ergo videtur quod etiam circa animalia bruta miracula facere debuisset.

Conseq. probat., quia bruta animalia sunt nobiliora plantis.

2. Non fuit culpa ficulneæ, quod in ea Christus fructum non invenit, quando non erat tempus fructuum. Ergo videtur quod inconvenienter eam siccaverit.

Conseq. prob., quia pœna non infertur juste nisi pro culpa.

3. Christus aliqua miracula fecit in cœlo, ut art. 1. et 2. dictum est. Similiter etiam in terra, quando in ejus passione terra mota est. Ergo videtur quod etiam in aëre, et aqua aliqua miracula facere debuerit, ut mare dividere, sicut fecit Moyses; vel etiam flumen, sicut fecerunt Josue, et Elias; et ut fierent in aëre tonitrua, sicut factum est in monte Synai, quando lex dabatur; et sicut Elias fecit 3. Reg. 18.

Conseq. prob., quia aqua et aër sunt in medio cœli et terræ.

4. In opere quod pertinet ad gubernationem, inconveniens est uti creatione. Sed opus miraculorum pertinet ad opus gubernationis mundi per divinam providentiam. Ergo inconveniens est in opere miraculorum uti creatione. Sed Christus in operatione miraculorum usus est creatione, sicut quando panes multiplicavit. Ergo non convenienter Christus fecit miracula circa irrationales creaturas.

Maior prob., quia opus gubernationis præsupponit opus creationis, ac per hoc in opere gubernationis non est utendum creatione.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus est Dei sapientia, de qua dicitur Sap. 8. quod *disponit omnia suaviter*. Ergo sapienter, et convenienter fecit, quicquid fecit.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus convenienter fecit miracula circa irrationales creaturas.

Prob. Miracula Christi ordinabantur ad hoc quod virtus divinitatis cognosce-

retur in ipso ad hominum salutem. Ergo in omnibus creaturarum generibus miracula eum facere oportuit, et non solum in hominibus, sed etiam in irrationabilibus creaturis.

Conseq. prob., quia pertinet ad virtutem divinitatis, ut omnis creatura sit ei subjecta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia de irrationalibus animalibus terrestribus. Hujusmodi enim bruta animalia propinque se habent, secundum genus ad hominem, unde et in eodem die cum hominibus facta sunt, et quia Christus circa corpora humana multa miracula fecerat, non oportebat quod circa corpora brutorum animalium aliqua miracula faceret. Præsertim quia quantum ad naturam sensibilem corporalem eadem ratio est de hominibus, et de aliis animalibus terrestribus. Pisces autem, cum vivant in aqua, magis á natura hominum differunt; unde et alio die facti sunt in quibus miraculum Christus fecit in copiosa piscium captura, ut legitur Lucæ 5. et Joan. ult. Et etiam in pisce, quem Petrus cœpit, in quo staterem invenit. Quod autem porci in mare præcipitati sunt, non fuit operatio divini miraculi; sed operatio dæmonum ex permissione divina. Ad probationem igitur consequentiæ, dicitur quod ex eo quod bruta sunt nobiliora plantis, cum sint homini, secundum genus, proximiora, non erant circa ea facienda alia miracula, præter ea quæ in humanis corporibus facta sunt.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod ficus non fuit siccata jussu Domini propter aliquam ejus culpam, nec fuit pœna ficulneæ, sed hoc factum est propter mysterium. Sicut enim Chrysost. dicit super Matth. Homil. 68. « Cum in « plantis, vel brutis aliquid tale Domi- « nus operatur, non quæras qualiter jus- « te siccata est ficus, si tempus non erat « ficorum: hoc enim quærere est ultimæ « dementiæ, quia scilicet in talibus non « invenitur culpa, et pœna. Sed mira- « culum inspice, et admirare miraculi « factorem. » Nec facit creator injuriam possidenti, si creatura sua suo arbitrio utatur ad aliorum salutem, sed magis, ut Hilar. dicit super Matth. cap. 21. « in « hoc bonitatis divinæ argumentum repe- « timus. Nam Dominus, ubi afferre vo- « luit per se procuratæ salutis exemplum, « virtutis suæ potestatem in humanis cor- « poribus exercuit. Ubi verò in contuma- « ces severitatis formam constituebat, « futuri speciem damno arboris indica- « vit, et præcipue, ut Chrysost. loc. cit. « dicit, in ficulnea, quæ est humidissima, « ut miraculum maius appareat. »

Ad 3. Conceditur, quod concluditur, scilicet quod Christus in aëre, et aqua debuerit facere miracula; Christus enim fecit etiam in aqua, et in aëre miracula quæ sibi conveniebant, quando scilicet, ut legitur Matth. 8. « imperavit ventis, « et mari, et facta est tranquillitas mag- « na; » non autem conveniebat ei qui omnia in statum pacis, et tranquillitatis revocare venerat, ut vel turbationem aëris, vel aquarum divisionem faceret. Unde Apost. dicit Heb. 12. « Non accessistis « ad tractabilem, et accensibilem ignem, « et turbinem, et caliginem, et procel- « lam; » circa passionem tamen *divisum est velum*, ad ostendendum reserationem mysteriorum legis. *Aperta sunt monumenta*, ad ostendendum quod per ejus mortem mortuis vita daretur. *Terra mota est, et petræ scissæ sunt*, ad ostendendum quod lapidea hominum corda per ejus passionem emolli rentur, et quod totus mundus virtute passionis ejus erat in melius commutandus.

Ad 4. Negatur id quod subsumitur, scilicet quod Christus usus fuerit creatione in operibus miraculorum. Ad prob. quæ innuitur, dicitur quod multiplicatio panum, non est facta per modum creationis, sed per additionem extraneæ materiæ in panes conversæ. Unde August. super Joan. tract. 24. dicit: *Unde mul-*

*tiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes.* Manifestum est autem quod grana multiplicantur in segetes, non per creationem, sed per conversionem extraneæ materiæ, scilicet terrestris humoris.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 44.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, quod convenienter Christus miracula fecit circa daemones, expellendo eos ab humanis corporibus. Ut per hoc, quod dicitur Zach. 13. *spiritum immundum auferam de, etc.* ut *in arg. cont.* Prophetia enim haec intelligitur de Deo humanato, idest de Christo, ut habetur ex contextu loquente de fonte baptismatis praeparato: id, quod non fuit, nisi tempore Christi, cum ipse solus sacramentum baptismi instituerit Joan. 3. Nam Zacharias ibid. in principio textus dicit: " In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Hierusalem. » Dominus ergo exercituum loquens pro die illa, idest pro tempore illo, dicit ly *spiritum immundum auferam de terra*: hoc est; ego, cum incarnatus fuero, expellam diabolum de corporibus humanis de terra factis. Prophetiam autem adimpleri á Christo, *ut justificetur in sermonibus suis*, Psalm. 50. est proculdubio conveniens. Insinuatur et idem per hoc, quod, ut patet in multis locis Evangelii, Christus expulit daemonia ab obsessis. Nam Christum fecisse hoc, vel illud, et Christum convenienter hoc, vel illud fecisse, est idem, ut patet qu. 41. ar. 1. corol. post concl. Item per illud dictum Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Sapientis enim est, cum operatur in sapientia, idest, cum sapienter facit, facere convenienter illa, quae facit. Hoc autem tanto magis de Christo verificatur, quanto ipse non solum sapiens, sed sapientia est, 1. Cor. 1. Nam sapientia non potest non facere sapienter: quamvis sapiens, attenta conditione nominis concreti, possit quandoque facere non sapienter. *Secundo* vides etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod convenienter Christus fecit miracula circa cœlos. Ut per dictum Luc. 23. *tenebræ*, etc. ut *in arg. cont.* Ad hoc enim, quod convenienter facta esse monstrentur, sufficit: quod ipsa fuisse á Christo facta legantur. Pro qua re vide qu. 41. art. 1.ª corol. post concl. Item per dictum Act. 17. " Inveni et aram, in qua scriptum est: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. » Aram enim illam cum tali inscriptione Athenienses, quos alloquebatur tunc Apostolus, erexisse creduntur moti ex miraculo tenebrarum circa cœlestia corpora facto, et consequenter facere mentionem de tali ara sic inscripta redit in idem cum eo, quod est facere mentionem de tenebris illis miraculose factis, quomodo autem ex miraculo illo ad tale factum Athenienses moti sint colligi facile potest ex vita S. Dionysii, quæ communiter in Ecclesia legitur. Sic enim ibi habetur: " Dionysius patria Atheniensis, vir patritius, et Areopagita, quo nomine illius patriæ Senatores appellabantur, traditur eo die, quo Christus crucifixus est, animadverso præter ordinem naturæ solis defectu, cum esset vir omni doctrina excellens, coram multis exclamasse: Aut Deus naturæ patitur: aut mundi machina dissolvetur. » Ex quibus probabilissimum apparet, quod Athenienses, qui ab ore tanti viri pendebant, non fuisse passos tam gravissimam ejus sententiam in terram, ut ajunt, cadere, aut in ventum proferri. Notarunt ergo verbum ejus, tamquam probatum á viro maxime inter ipsos probato enunciatum. Quid fecerunt? Viderunt machinam mundi non dissolvi, et ex hoc alteram partem disjunctivæ veram esse concluserunt. Unde in gratiam veritatis tam mirabilis á viro tam mirifico prolatæ, in signo evidens suæ ipsorum credulitatis ad

verbum ejus. Athenienses ipsi in communi sanxerunt, ut pro colendo illo Deo, de quo exclamaverat, *Aut Deus naturæ patitur*, erigetur in templo ara cum superscriptione hac *Ignoto Deo*. Non ab re igitur aram hanc taliter inscriptam inveniens Apostolus dixit: *Deum, quem ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis*, idest Christum crucifixum. Viderant hi in tenebrarum cœli miraculo Deum secundum quod potest, patientem, et ideo ipsum colebant: non viderant ipsum Deum in seipso, et ideo ignorantiam suam in hoc designantes scripserunt ly *ignoto*. Ex omnibus itaque præmissis circa Actu. 17. patet, et quidem abundanter intentum in principio append. dictum. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus convenienter fecit miracula circa homines. Ut per dictum Marc. 7. *Bene*, etc. ut *in arg. cont.* Ubi nota, quod ex isto particulari facto, quod scilicet bene fecerit omnia circa surdos, et mutos, debet intelligi universaliter, quod scilicet bene fecerit omnia miracula circa quoscumque homines, alioquin D. Thomas per hanc auctoritatem non haberet intentum suum, ut patet consideranti, quod intendit exinde universaliter concludere de convenientia miraculorum Christi circa illos. Nec immerito sic intelligi potest, et debet: quoniam ex uno particulari, dummodo sit proprium opus alicujus agentis universale, sufficienter ostenditur de illo agente, q. 43. ar. 4. ad 3. Quia igitur facere bene omnia, est proprium opus Christi, cum sit etiam Deus, ideo ex quocumque particulari ejus bene facto licet inferre universale, scilicet, quod omnia absolute, nullo excepto bene fecerit, faciat, et faciet. Item insinuatur idipsum abunde per dicta in appendicibus art. q. 39. 40. 41. 42. 43. cum ibi citatis: applicando, quod facile est, universalia, quæ ibi dicuntur ad particulare hoc propositum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis. quod Christus miracula circa irrationalia convenienter fecit. Ut per dictum Sap. 8. secundum quod cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Ubi nota, quod ly *suaviter disponere* est secundum modum convenientem rebus, quæ disponuntur, disponere illas, qu. 60. a. 4. Convenienter ergo Deus facit circa res miracula, quia facit illa secundum modum convenientem rebus ipsis. Talis vere earum, et cujuslibet earum modus naturalis est, ut transmutetur á Deo secundum ipsius voluntatem, ar. 2. ad 1. Deum ergo agere suaviter est ipsum agere convenienter: et ipsum agere convenienter est eumdem agere secundum suam voluntatem. Quia igitur Deus circa quascumque creaturas semper operatur secundum suam ipsius voluntatem, 1. q. 19. art. 4. et qu. 103. ar. 7. 8. ideo Deus circa eas, et circa unamquamque earum semper operatur convenienter, atque suaviter. Applica tu hæc ad particulare istud propositum; ut videas ad literam, quod quærebatur. Insinuatur quoque idem á dictis in appendicibus art. q. 39. 40. 41. 42. 43 cum ibi citatis, applicando generalia, quæ ibidem ponuntur, ad hanc particularem materiam. *Secundo* ex hoc eodem articulo, immo et ex omnibus hujus quæstionis articulis habes; quomodo per rationem hujus, et aliorum, secundum quod prudens discrete singula singulis contraponet, interimas hæreses *Pauperum de Lugduno* ut refert Cardinalis Turrecremata de Eccl. lib. 4. c. 35. dicentium: miracula in Ecclesia nulla vere esse. Et *Eunomii, Eustathii, Vigilantii*, ut refert Lindanus, *in Dubitantio suo*, Dial. 2. dicentium; miracula sanctorum fuisse dæmonum præstigias. Et *Judæ Scarioth*, impii proditoris, sentientis, ut testis est B. Hieron., quod miracula Christi magicis artibus sunt adscribenda. Ex hoc enim, quod Christus miracula, quæcumque sint illa, sive art. 1. sive art. 2. sive art 3. sive hujus art. 4. convenienter fecit, patet: quod miracula illa recitata in Ecclesia sunt vera. et quod non sunt magicis artibus adscribenda. Et quia sancti in nomine Christi fecerunt miracula, quæcumque fecerunt, juxta illud Marc. 16. *in nomine meo dæmonia ejicient*. Item *Domino confirmante sequentibus signis*: ideo consequenter patet, quod miracula sanctorum non fuerunt dæmonum præstigiæ. *Tertio* inde, ubi supra, habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses

illas merito damnari á dictis supra art. num. 146. 235. cum Elucid. et 2. 2. art. num. 844. cum Elucid. et primæ partis art. num. 518. cum Elucid. Et in veritatibus aureis super legem veterem, Fxod. 18. concl. 2. et Num. 14. concl 3. *Quarto* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA QUINTA,

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de transfiguratione Christi:

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum conveniens fuerit Christum transfigurari.

Secundo, utrum claritas transfigurationis fuerit claritas gloriosa.

Tertio, de testibus transfigurationis.

Quarto, de testimonio paternæ vocis.

### ARTICULUS 1.

*Utrum fuerit conveniens Christum transfigurari.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod non fuerit conveniens Christum transfigurari.

1. Vero corpori non convenit transfigurari. Sed corpus Christi fuit verum corpus, et non phantasticum, ut dictum est quæst. 5. art. 1. Ergo Christus non debuit transfigurari.

Maior prob., quia non competit vero corpori, ut in diversas figuras mutetur, sed corpori phantastico hoc potest convenire.

2. Assumptio claritatis non debet dici transfiguratio. Sed Christus in monte assumpsit claritatem. Ergo non debet dici, quod Christus sit transfiguratus, sed potius quod fuerit clarificatus.

Maior prob., quia figura est in quarta specie qualitatis, et claritas est in tertia specie, cum sit sensibilis qualitas.

3. Corporis gloriosi sunt quatuor dotes, ut infra dicetur sup. q. 82. scilicet impassibilitas, agilitas, subtilitas et claritas. Non ergo Christus debuit transfigurari magis per assumptionem claritatis, quam secundum assumptionem aliarum dotium.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Matth. 17. dicitur, quod *Jesus transfiguratus est* ante tres discipulos suos.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum transfigurari.

Prob. Conveniens fuit Christum ostendere aliqualiter discipulis suis terminum, sive præmium suæ passionis, ad cujus sequelam eos jam induxerat. Ergo conveniens fuit Christum transfigurari.

Anteced. prob., quia ad hoc ut aliquis directe procedat in via, oportet quod finem aliqualiter præcognoscat, sicut sagittator non recte jaciet sagittam nisi prius signum prospexerit, in quod jaciendum est. Unde et Thomas dicit Joan. 14. *Domine nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* Et hoc præcipue necessarium est, quando via est difficilis, et aspera, et iter laboriosum, finis vero jucundus. Conveniens igitur fuit quod Christus ostenderet discipulis præmium, quod consecuturi erant per imitationem suæ passionis.

Consequentia prob., quia Christus per suam passionem ad hoc pervenit, ut gloriam obtineret, non solum animæ, quam habuit á principio suæ conceptionis, sed etiam corporis, secundum illud Luc. ult. *Hæc oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Ad quam etiam gloriam perducit eos, qui vestigia suæ passionis sequuntur, secundum illud Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos*

*intrare in regnum cælorum.* Et ideo conveniens fuit, ut discipulis suis gloriam suæ claritatis ostenderet, quod est ipsum transfigurari, cui suos configurabit, secundum illud ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Et confirmatur ratio: quia Beda dicit super Marc. 9. *Pia provisione factum est, ut contemplatione semper manentis gaudii ad breve tempus delibata, fortius adversa tolerarent.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod sicut Hieronym. dicit super Matth. c. 17. "Nemo putet Christum per hoc "quod transfiguratus dicitur, pristinam "formam et faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, et assumpsisse corpus spirituale vel aërum. Sed "quomodo transformatus sit, Evangelista "demonstrat dicens:" *Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* "Ubi splendor "faciei ejus ostenditur, et candor describitur vestium: non substantia tollitur, sed gloria commutatur."

Et sub aliis verbis dicitur ad maiorem, quod ei qui habet verum corpus, non convenit transfigurari per amissionem pristinæ formæ et faciei, et assumptionem aërei corporis; sed competit ei transfigurari per additionem splendoris, et gloriæ, quo modo Christus est transfiguratus.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod quamvis claritas sit in tertia specie qualitatis, tamen ad figuram quodammodo pertinere videtur. Figura enim circa extremitatem corporis consideratur: est enim figura, quæ termino, vel terminis comprehenditur. Et ideo omnia illa, quæ circa extremitatem corporis considerantur, ad figuram quodammodo pertinere videntur. Sicut autem color, ita et claritas corporis non transparentis, in ejus superficie attenditur, et ideo assumptio claritatis transfiguratio dicitur.

Ad 3. Negatur conseq. Christus enim ostendit in se ipso aliqua aliarum trium dotium indicia; puta agilitatis, quando supra undas maris ambulavit; subtilitatis, quando de virginis clauso utero exivit; impassibilitatis, quando de manibus judæorum præcipitare, vel lapidare eum volentium, illæsus evasit. Non tamen per assumptionem harum dotium transfiguratus dicitur; quia inter prædictas quatuo dotes, sola claritas est qualitas personæ in seipsa; aliæ vero tres dotes non percipiuntur, nisi in aliquo actu vel motu, seu passione. Assumpsit igitur Dominus aliqualiter alias tres dotes; non tamen secundum illas dicitur transfiguratus, quia non pertinent ad aspectum personæ, sicut claritas.

## ARTICULUS II.

*Utrum claritas Christi in transfiguratione fuerit claritas gloriosa.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod illa claritas non fuerit claritas gloriosa.

1. Claritas similis futuræ immortalitati, non est ipsa claritas gloriæ. Sed claritas Christi in transfiguratione fuit similis claritati futuræ immortalitatis. Ergo claritas Christi in transfiguratione non fuit ipsa claritas gloriosa.

Maior prob., quia claritas gloriæ est claritas ipsa immortalitatis.

Minor prob., quia Beda dicit super illud Matth. 17. *Transfiguratus est coram eis. In corpore* inquit *mortali ostendit, non immortalitatem, sed claritatem similem futuræ immortalitati.*

2. Imaginaria repræsentatio futuræ beatitudinis non est ipsa claritas gloriæ. Sed claritas Christi in transfiguratione fuit imaginaria repræsentatio futuræ beatitudinis. Ergo claritas transfigurationis non fuit gloriosa.

Maior prob., quia imago alicujus rei non est ipsa res.

Minor prob., quia super illud Lucæ 9. *Non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei:* dicit Glos. Bedæ, idest "glorificationem corporis in imaginaria

"repræsentatione futuræ beatitudinis."

3. Claritas transfigurationis apparuit, non solum in corpore Christi, sed etiam in vestimentis ejus, et in nube lucida, quæ discipulos obumbravit. Ergo illa claritas non fuit claritas gloriæ.

Consequentia prob., quia claritas gloriæ non est nisi in humano corpore.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Super illud Matth. 17. *Transfiguratus est ante eos*, dicit Hieronym. "Qualis fu-"turus est tempore judicii, talis Apos-"tolis apparuit." Et super illud Matth. 16. *Donec videant filium hominis venientem in regno suo*, dicit Chrysost. Homil. 57. in Matth. "Volens monstra-"re quid est illa gloria, in qua postea "venturus est, eis in præsenti vita re-"velavit, sicut possibile erat eos discere, "ut neque in Domini morte jam do-"leant."

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Claritas quam Christus in transfiguratione assumpsit fuit gloriæ claritas quantum ad essentiam.

Prob. Claritas corporis procedens á claritate animæ, est claritas gloriosa. Sed claritas, quam habuit Christus in transfiguratione, procedebat á divinitate, et á gloria animæ ipsius. Ergo claritas corporis Christi in transfiguratione erat claritas gloriosa.

Maior prob., quia August. dicit in Epist. 59. ad Diosc. quod claritas corporis gloriosi derivatur ab animæ claritate.

Maior quoad priorem partem prob. quod enim á principio conceptionis Christi gloria animæ non redundaret ad corpus, ex quadam dispensatione divina factum est, ut in corpore passibili nostræ redemptionis expleret mysteria, ut dictum est quæst. 14. art. 1. ad 2. Non tamen per hoc ademptа est Christo potestas derivandi gloriam animæ ad corpus. Et hoc est quod factum est á Christo in transfiguratione; derivata est enim claritas animæ ejus gloriosæ ad corpus, et per hoc remanet probatum quod illa claritas erat ab anima et gloriosa.

2.ª Conclusio. Claritas corporis Christi in transfiguratione non fuit claritas gloriosa, quantum ad modum essendi, sive habendi.

Prob. Claritas enim in transfiguratione Christi aliter fuit in ejus corpore, quam sit in corpore glorificato. Nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, sicut qualitas quædam permanens, corpus afficiens. Unde fulgere corporaliter non est miraculosum in corpore glorioso. Sed ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas á divinitate, et anima ejus, non per modum qualitatis immanentis, et afficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis tanseuntis; sicut cum aër illuminatur á sole. Unde ille fulgor tunc apparens in corpore Christi miraculosus fuit, sicut et hoc ipsum, quod ambulavit super undas maris, Unde Dion. dicit in Epist. ad Caium "Super hominem "operabatur Christus ea quæ sunt ho-"minis. Et hoc monstrat virgo superna-"turaliter concipiens, et aqua instabilis "materialium, et terrenorum pedum "sustinens gravitatem." Fuit igitur in transfiguratione Christi claritas gloriosa in corpore ejus, secundum substantiam, non tamen fuit in eo per modum dotis, secundum quem modum est in corpore glorificato; sed per modum transeuntis. Ex quibus patet quod non est dicendum (sicut Hugo de Sancto Vict. dicit) quod Christus, dum vita mortali viveret, assumpserit quatuor dotes, scilicet claritatis in transfiguratione; agilitatis, ambulando super mare; subtilitatis, egrediendo de clauso virginis utero; et impassibilitatis in cœna, quando dedit corpus suum ad edendum, sine divisione. Dos enim nominat quamdam qualitatem immanentem corpori glorioso: sed Christus miraculose habuit ea quæ pertinent ad dotes. Et est simile quantum ad ani-

nam de visione, qua Paulus vidit Deum in raptu; fuit enim illa visio secundum substantiam beatifica, non autem eam habuit Paulus per modum beatificæ visionis: sed per modum transeuntis, ut habitum est 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus prob. quod claritas illa Christi dicitur claritas non immortalitatis, sed similis claritati immortalitatis, quia non fuit tunc habita á Christo per modum, quo habetur á beatis. Ex verbis igitur Bedæ ostenditur, non quod non fuerit claritas gloriæ, sed quod non fuerit claritas corporis gloriosi, quia corpus Christi nondum erat immortale; sicut enim dispensative factum est, ut in Christo gloria animæ non redundaret ad corpus, ita fieri potuit dispensative, ut redundaret quantum ad dotem claritatis, et non quantum ad dotem impassibilitatis.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur quod illa claritas dicitur imaginaria fuisse, non quia non esset vera claritas gloriæ, secundum substantiam; sed quia erat quædam imago repræsentans illam gloriæ perfectionem, secundum quam corpus erit gloriosum, quando scilicet habebit claritatem per modum permanentis.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod claritas gloriosa est quidem in solo corpore, secundum seipsam, tamquam in proprio subjecto; potest tamen secundum effectum radiorum ejus ex corpore derivari ad vestes corporis claritate illustrati, et ad alia, quæ corpus circumstant, ut patet de luce solis.

Nec vacat mysterio quod in transfiguratione vestimenta dicantur alba sicut nix, et nubes lucida apparuisse: sicut enim claritas, quæ erat in corpore Christi, repræsentabat futuram claritatem corporis ejus, ita claritas vestimentorum ejus repræsentabat futuram claritatem sanctorum, quæ superabitur á claritate Christi, sicut candor nivis superatur á splendore solis. Unde Greg. dicit 32. Moral. c. 7. quod "Vestimenta Christi facta sunt splendentia, quia "in supernæ claritatis culmine sancti "omnes ei luce justitiæ fulgentes adhærebunt." Vestium enim nomine, justos, quos sibi adjunget, significat; secundum illud Isaiæ 49. *His omnibus velut ornamento vestieris.* Nubes autem lucida significat Spiritus Sancti gloriam, vel virtutem paternam, ut Orig. dicit Hom. 3. in Matth. per quam sancti in futura gloria protegentur. Quamvis etiam convenienter significare possit claritatem mundi innovati, quæ erit sanctorum tabernaculum. Unde Petro disponente tabernacula facere, nubes lucida discipulos obumbravit.

## ARTICULUS III.

*Utrum testes transfigurationis convenienter fuerint inducti.*

*Pro negativa.*—Videtur, quod non convenienter inducti fuerint testes transfigurationis.

1. Unusquisque maxime potest perhibere testimonium de notis. Sed qualis esset futura gloria tempore tranfigurationis Christi, nulli homini per experimentum erat adhuc notum, sed solis Angelis. Ergo testes transfigurationis magis debuerunt esse Angeli, quam homines.

2. Testes veritatis non decet aliqua fictio. Sed Moyses et Helias non ibi vere adfuerunt, sed imaginarie. Ergo non videtur quod Moyses, et Helias fuerint convenientes testes Dominicæ transfigurationis.

Minor prob., quia dicit quædam Glo. lib. 3. de Mirabilibus Sac. Script. c. 9. et 10. inter opera D. August. super illud Luc. 9. "Erant autem Moyses et He"lias, etc. Sciendum est (inquit) non "corpora, vel animas Moysi et Heliæ "ibi apparuisse, sed in subjecta creatu"ra illa corpora fuisse formata. Potest "etiam credi angelico ministerio hoc

"factum esse ut Angeli eorum personas "assumerent."

3. *Christo omnes prophetæ testimonium perhibent*: ut dicitur Act. 10. Ergo non soli Moyses et Helias debuerunt adesse tamquam testes, sed omnes simul prophetæ.

4. Gloria Christi omnibus Christi fidelibus repromittitur, quos per suam transfigurationem ad illius gloriæ desiderium accendere voluit. Ergo non solos Petrum et Jacobum et Joannem in testimonium suæ transfigurationis assumere debuit, sed omnes discipulos.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In contrarium est sacræ scripturæ auctoritas. Matth. 17. Marc. 9. et Lucæ 9.

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Convenienter inducti sunt testes dominicæ transfigurationis.

Prob. præmittendo quod convenientia hæc attenditur quantum ad ipsas testium inductorum personas; et quantum ad numerum. Prob. igitur primo, quod convenienter inductæ fuerint personæ, quæ inductæ sunt, hac ratione. Per Christum adducuntur ad gloriam æternæ beatitudinis homines, non solum qui fuerunt post ipsum; sed etiam qui eum præcesserunt. Ergo conveniens fuit ut de præcedentibus ipsum testes adessent, scilicet Moyses et Helias, et de sequentibus ipsum, scilicet Petrus, Jocobus et Joannes.

Antecedens manifestatur; nam ad significandum quod Christus ad gloriam æternæ beatitudinis adducebat eos qui eum præcesserunt, et qui eum sequebantur, eo ad passionem properante, tam turbæ quæ præcedebant, quam quæ sequebantur ei, clamabant: *Hosanna* ut dicitur Matth. 21. quasi salutem ab eo petentes.

Conseq. prob., quia Christus transfigurari voluit, ut gloriam suam hominibus ostenderet, et ut ad eam desiderandam homines provocaret, ut art. 1. hujus quæst. dictum est. Debuit igitur habere testes ex omnibus, quos ad gloriam æternæ beatitudinis adducere volebat. Quo vero ad convenientiam numeri horum testium manifestatur. Quia in ore duorum, vel trium testium stare debet omne verbum. Quare autem hos in specie adesse voluerit, dicetur in responsione ad 3. et ad 4.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Christus per suam transfigurationem manifestavit discipulis gloriam corporis, quæ ad solos homines pertinet. Et ideo convenienter, non Angeli, sed homines ad hoc pro testibus inducuntur: et licet Apostoli tunc gloriam corporis non haberent, tamen etiam in Christo viderunt, et hæc cognitio satis est ad testimonium de ipsa perhibendum.

Ad 2. Negatur minor. Ad probat. dicitur quod Glos. illa dicitur esse desumpta ex libro, qui intitulatur: de mirabilibus sacræ scripturæ, qui non est liber authenticus, sed falso adscribitur Augustino. Et ideo illi Glos. non est standum: dicit enim expresse Hieron. super Matt. c. 17. "Considerandum est quod "scribis et pharisæis de cœlo signa pos- "centibus dare noluit; hic vero, ut Apos- "tolorum augeat fidem, dat signum de "cœlo, Helia inde descendente, quo "conscenderat, et Moyse ab inferis re- "surgente." Quod non est sic intelligendum, quasi anima Moysi suum corpus resumpserit, sed quod anima ejus apparuit per aliquod corpus assumptum, sicut Angeli apparent. Helias autem apparuit in proprio corpore, non quidem de cœlo empyreo allato, sed de aliquo eminenti loco, quo fuerat in curru igneo raptus.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam quod licet Christo omnes prophetæ testimonium perhibuerint, tamen, ut Chrysost. dicit Hom. 57. in Matth. *Moyses et Helias in medium adducuntur propter multas rationes.*

Prima est hæc: "quia enim turbæ dice-

bant eum esse Heliam, aut Hieremiam, aut unum ex prophetis capita prophetarum secum ducit, ut saltem hinc appareat differentia servorum, et Domini.»

«Secunda ratio est quia Moyses legem dedit, Helias pro gloria Domini æmulator fuit; unde per hoc quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia judæorum accusantium Christum tamquam trangressorem legis et blasphemum Dei sibi gloriam usurpantem.»

«Tertia ratio est ut ostendat se habere potestatem mortis et vitæ; et esse judicem mortuorum, et vivorum, per hoc quod Moysem jam mortuum, et Heliam adhuc viventem secum ducit.»

Quarta ratio est, quia, sicut Lucas dicit, «loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Hierusalem, idest de passione, et morte sua.» Et ideo ut super hoc discipulorum animos confirmaret, «inducit eos in medium, qui se morti exposuerunt pro Deo. Nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni, Helias vero regi Achab.»

Quinta ratio est, quia volebat, ut discipuli sui «æmularentur Moysi mansuetudinem, et zelum Heliæ.» Sextam rationem addit Hilarius can. 17. in Matt. «ut ostenderet se per legem, quam dedit Moyses, et per prophetas, inter quos fuit Helias præcipuus, esse prædicatum.»

Ad 4. Negatur consequentia. Alta enim mysteria non sunt omnibus exponenda immediate, sed per maiores suo tempore debent ad alios pervenire. «Assumpsit» autem «hos tres» ut Chrys. dicit hom. 57. in Matth. «tamquam potiores.» «Nam Petrus excellens fuit in dilectione.» quam habuit ad Christum, et iterum in potestate sibi commissa; "Joannes vero "in privilegio, amoris, quo á Christo "diligebatur propter suam virginitatem," et iterum propter prærogativam Evangelicæ doctrinæ; "Jacobus autem propter prærogativam martyrii.» Et tamen hos ipsos noluit hoc quod viderant nuntiare, ne, ut Hieronym. dicit super cap. 17. Matt. "et incredibile "esset pro rei magnitudine, et post tantam gloriam apud rudes animos sequens "crux scandalum faceret:» vel etiam "ne totaliter impediretur á populo, et "ut cum essent Spirito Sancto repleti, "tunc gestorum spiritualium testes existerent.»

## ARTICULUS IV.

*Utrum convenienter auditum fuerit testimonium paternæ vocis in transfiguratione Christi.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod inconvenienter auditum fuerit in transfiguratione Christi testimonium paternæ vocis dicentis. *Hic est Filius meus dilectus.*

1. In baptismo Christi paterna vox protestata est Christum esse Filium Patris dilectum, ut patet Matt. 3. et Lucæ 3. Ergo non fuit conveniens, quod hoc iterum potestaretur in transfiguratione.

Conseq. prob., quia, ut dicitur Job. 33. *Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit.*

2. In transfiguratione non adfuit Spiritus sanctus in specie columbæ. Ergo inconvenienter adfuit paternæ vocis protestatio.

Conseq. prob., quia in baptismo simul cum paterna voce protestante adfuit Spiritus in columbæ specie. Matt. 3.

3. In baptismo vox Patris non induxerat homines ad audiendum Christum, cum tamen post baptismum ante transfigurationem docere inceperit. Ergo nec in transfiguratione vox Patris debuit inducere discipulos ad eum audiendum, per hoc quod dicit: *ipsum audite.*

4. Discipuli vocem Patris ferre non poterant. Ergo non debuit paterna vox ad eos fieri.

Anteced. prob., quia dicitur Matth. 17. quod *audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.*

Conseq. prob., quia non debent aliquibus dici ea quæ ferre non possunt, secundum illud Jo. 16. *Adhuc habeo vo-*

*bis multa dicere, quæ non potestis portare modo.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Est Evangelicæ scripturæ auctoritas, Matt. 17. Lucæ 9. et Marc. 9.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit tam in baptismo Christi, quam in transfiguratione monstrari naturalem Christi filiationem testimonio Patris.

Quæ conclusio duas habet partes: prima est quod tam in baptismo, quam in transfiguratione debuerit manifestari naturalis Christi filiatio: altera est quod hæc manifestatio debuerit fieri testimonio Patris.

Probatur primo prima pars. Per baptismum consequimur gratiam, et in transfiguratione præmonstrata est claritas futuræ gloriæ. Ergo tam in baptismo, quam in transfiguratione convenienter manifestata fuit naturalis Christi filiatio.

Conseq. probat. præmittendo quod Christus venit in hunc mundum, ut homines filios Dei faceret per adoptionem. Hæc autem adoptio est per quamdam conformitatem ad Filium Dei naturalem, qui est ipse Christus. Hæc autem conformitas fit dupliciter, primo quidem fit per gratiam viæ, quæ est conformitas imperfecta. Secundo, per gloriam patriæ, quæ erit conformitas perfecta, secundum illud 1. Jo. 3. *Nunc filii Dei sumus,* scilicet per gratiam viæ, *et nondum apparuit quod erimus: scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. quoniam videbimus eum, sicuti est.* Quia igitur in baptismo Christi præmonstrata est filiatio nostra adoptiva per gratiam viæ, et in transfiguratione ostensa est eadem filiatio per gratiam consummatam; et nostra filiatio consistit in assimilatione ad filium Dei naturalem, qui est Christus, ideo convenienter in baptismo, et in transfiguratione declarata est Christi naturalis filiatio. Facta est autem hæc declaratio per paternam vocem, quia solus Pater est perfecte conscius illius perfectæ generationis simul cum Filio et Spiritu Sancto.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur dupliciter. Primo quod illud verbum Job referendum est ad æternam Dei locutionem, qua Deus Pater Verbum unicum protulit sibi coæternum. Secundo, dicitur loquendo etiam de temporali locutione, quod Deus non repetit idem, propter idem, tamen propter diversa idem quandoque repetit. In transfiguratione repetita sunt eadem verba, quæ fuerunt in baptismo audita; sed non propter idem. In baptismo enim dicta fuerunt ad significandam participationem divinæ filiationis, quæ est per gratiam viæ. In transfiguratione repetita sunt ad designandam perfectam filiationem, quæ est per gratiam consummatam.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod in transfiguratione adfuit etiam Spiritus Sanctus, non quidem in columbæ specie, sed in nube lucida. Sicut enim in baptismo, ubi declaratum fuit mysterium primæ regenerationis, ostensa est operatio totius Trinitatis, per hoc quod fuit ibi Filius incarnatus, apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ, et Pater fuit ibi declaratus in voce; ita etiam in transfiguratione, quæ est sacramentum secundæ regenerationis, tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube clara. In baptismo apparuit in specie columbæ, quia ibi dat simplicitatem, quæ in columba designatur. In resurrectione vero dabit electis refrigerium ab omni malo, et gloriæ claritatem, quæ in nube lucida designantur.

Ad 3. Negatur conseq. Christus enim venerat actualiter dare gratiam, gloriam vero promittere. Et ideo convenienter inducuntur homines in transfiguratione ad audiendum ipsum promit-

tentem gloriam, quæ tunc est ostensa, non autem in baptismo, in quo non promittitur, sed actualiter gratia datur.

Ad 4. Negatur anteced. Ad probat. dicitur, quod conveniens fuit discipulos voce paterna terreri, et prosterni, ut ostenderetur quod excellentia illius gloriæ, quæ tunc demonstrabatur, excedit omnem sensum, et facultatem mortalium, secundum illud Exod. 33. *Non videbit me homo, et vivet.* Et hoc est quod Hieron. dicit super Matt. cap. 17. quod «humana fragilitas conspectum maioris gloriæ ferre non sustinet.» Ab hac autem fragilitate sanantur homines per Christum, eos in gloriam adducendo, quod significatur per hoc dixit eis: *surgite, nolite timere.*

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 45.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis insinuatum, quod conveniens fuit, Christum transfigurari. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 17. secundum quod est *in arg. cont.* Idem enim est, Christum transfiguratum esse, et convenienter transfiguratum esse, seu fuisse conveniens, quod transfiguraretur}: ut alias, maxime quæstione 41. articulo 1. Corol. post conclusion. visum est. Item per hoc, quod dicitur Exod. 34. *Videntes filii Israel cornutam faciem Moysi timuerunt prope accedere,* etc. Constat enim, quod figuras veteris testamenti, maxime de Christo, adimpleri, est conveniens: et hanc Moysis splendidam faciem in monte ex consortio Domini participatam transfigurationis Christi esse figuram, subtiliter sensu magnifico annotavit Apostolus dicens 2. Corinth. 3. " Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria ita, ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? » Ac si aperte dicat. Si Moyses legifer veteris testamenti transfiguratus est per claritatem faciei: multo magis Christus legifer novi testamenti transfigurandus erat per claritatem gloriosam totius corporis, et vestium. Nam figuratum est semper nobilius quam figura, sicut finis nobilior est eo, quod est ad finem: et glorificata facies Moysi fuit figura glorificationis Domini, idest, transfigurationis ejus in monte. Præcessit figura, ergo non solum conveniens, sed et necessarium fuit, ut figuratum sequeretur. Porro quod à figuris liceat procedere ad figurata, disce ex Conc. Hispalens. 2. quod verbatim quoad hoc recitatur in veritatibus aureis super totam legem veterem, Levitic. 8. concl. 2. Quare autem pro splendida facie elegerit Spiritus Sanctus dicere in Exodo ly *cornutam faciem,* vide in veritatibus aureis super legem veterem, Exod. 34. conc. 8. 9. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, juxta sensum SS. Patrum expositis, et ab Ecclesia, quod illa claritas Christi in transfiguratione fuit claritas gloriæ. A scripturis quidem, Matth. 17. et 16. juncta SS. Hier. et Chrysost. expositione, ut ponitur *in arg. cont.* Quanta autem reverentia prosequi debeamus orthodoxos Patres in expositione sacrarum scripturarum videre potes in Conc. Trid. sess. 4. Decret. de edition. et usu sacr. lib. circa prin. ibi: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia,* etc. De eadem reverentia erga nostros Patres sic ait Conc. Generale 6. Constantinop. celebratum, Can. 19. " Si ad scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit; ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiæ luminaria, et Doctores suis scriptis exposuerunt. Et majori ex iis laudem assequentur, quam si, quæ á se dicuntur, componant, ne, dum quandoque ad id hæsitant, ab eo, quod convenit, excidant. » Ab Ecclesia vero idem insinua-

tur per hoc, quod in officio festi Transfigur. dicit: "Christus Jesus splendor patris, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, in monte excelso gloriosus apparere hodie dignatus est.» Nam ly *gloriosus* importat semper (ut de se patet) claritatem gloriæ, licet non semper claritatem corporis gloriosi. Ut in proposito. Ac si magis distincte per illa verba dixerit. Christus hodie apparuit vestitus claritate gloriæ in corpore nondum glorioso. Constat enim quod corpus illud tunc non fuit factum immortale, cum postea mortuus fuerit, ergo nec gloriosum, quia duo hæc, scilicet esse corpus gloriosum, et esse corpus immortale, se consequuntur, ut ex ad primum facile cognosci potest. Claritas ergo gloriæ in plus se habet, id est, communior est, quam claritas corporis gloriosi. Nam, sicut omnis homo est animal, non autem omne animal est homo, eo quod animal est quid communius homine, ita omnis claritas corporis gloriosi est claritas gloriæ, sed non omnis claritas gloriæ est claritas corporis gloriosi. *Secundo* consequenter, et ex ratione hujus art., et ex nunc in tota appendice dictis constat, quomodo oppugnandus, et expugnandus sit error *Barlaami*, et *Acyndini* dicentium, quod transfigurationis lumen, quod in monte Thabor effulsit, fuit spectrum dumtaxat, quod ortum habet, et interitum: non autem divinæ naturæ splendor. Ex præmissis enim omnibus patet, quod lumen illud fuit vera claritas gloriæ, licet per modum transeuntis, derivata ab anima Christi, et ab ejus divinitate (ut in corp. art.) Unde in hoc sensu, in quantum scilicet derivata est etiam à natura divina Christi, potest illa claritas dici naturæ divinæ splendor. Totaliter vero falsum est, quod illa claritas fuerit spectrum. Non enim spectrum, ut patet ex nominis significato, est vera claritas gloriæ. Prædictos item, scilicet *Barlaamum*, et *Acyndinum* ut hæreticos ab Ecclesia rejiciendos censuisse quoddam Concilium fertur, quod, an verum sit, affirmare non audeo, quandoquidem talis Concilii sanctionem videre non potui. Cæterum diligentiæ prudentis lectoris nocturna, diurnaque manu libros versantis, hoc ipsum inveniendum relinquitur. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et ab Ecclesia, quod convenienter Moyses, et Helias adducti sunt testes transfigurationis cum Petro, Jacobo, et Joanne. A scripturis quidem per hoc, quod illæ Matth. 17. Mar. 9. Luc. 9. narrant factum, idest, transfigurationem esse celebratam prædictis quinque præsentibus. Ut enim sæpius dictum fuit, maxime qu. 41. ar. 1. corol. post. concl. idem est. Christum fecisse hoc aut illud, et Christum convenienter fecisse. Ut in proposito, Christo de voluntate beneplaciti, 1. q. 19. a. 4. 6. volenti Moyses, Helias, Petrus, Jacobus, Joannes affuerunt testes in transfiguratione: Ergo ,convenienter tales pro testimonio tantæ rei adhibiti sunt. Ad explicandum vero ly *convenienter* facit speciatim resp. ad 3. et 4. De convenientia quoque scripturarum, et consequenter istius Matth. 17. vide 2. 2. qu. 122. art. 2. append. et qu. 140. art. 1. append. et 1. 2. qu. 68. ar. 4. append. Ab Ecclesia autem insinuatur idem per hoc, quod in hymno festi Transfigurationis illud, tamquam convenienter factum, refert dicens. " Ubi patres præcellentes in mortali corpore admirantur assistentes de tam grandi munere, divinum lumen cernentes in creato lumine. Quod vertices prophetarum præcolunt devotius: Moyses lumen præclarum legis datæ cœlitus, et Helias jubar magnum, zelo Dei fervidus.» Nam in priori versu, scilicet. *Ubi*, idest, in quo monte Transfigurationis, *patres præcellentes*, etc. loquitur de illis tribus Apostolis, et in subsequenti, scilicet, *quod vertices,* etc. de antiquis diebus. Quod vero in testimonium adducantur, patefacit eadem Ecclesia ibid. in collecta dicens. " Deus, qui fidei sacramenta in unigeniti tui gloriosa Transfiguratione Patrum testimonio roborasti.» Ubi per ly *patrum*, comprehendit omnes illos quinque. Ibi etiam ex ly *divinum lumen cernentes in creato lumine*, patet, quod damnatur prædictus artic. 2. append. error *Barlaami*, et *Acyndini*. Quia enim in lumine illo creato viderunt divinum lumen, idest, in claritate corporis Christi gloriosa derivata á divino lumine, idest á divinitate ipsius, ideo lumen illud visum non fuit spectrum. Dicuntur ergo vidisse

divinum lumen, non quia tunc viderint divinam essentiam, sed quia illud lumen creatum, quod in corpore Christi viderunt, derivabatur non tantum ab ejus anima creata, sed etiam ab ejus divinitate increata (ut patet ar. 2. cor.) Vel etiam dicuntur tunc vidisse divinum lumen eo modo, quo Deus videtur magis per effectus altiores, qualis erat illa claritas corporis Christi, quam per effectus infimiores, ut habetur in 1. qu. 94. ar. 1. et Additio. qu. 91. ar. 3. 4. ubi dicitur, quod mundi innovatio per claritatem seu melioratione ordinatur ad hoc, quod homo, etiam quasi sensibiliter, in corporibus innovatis quodammodo per manifesta indicia divinitatem videat. A fortiori igitur de videntibus gloriosam claritatem in corpore Christi refulgentem possumus in sensu præmisso dicere hoc, scilicet patres viderunt divinum lumen in lumine creato. Nam claritas gloriæ in corpore Christi fuit tunc multo major, quam futura sit claritas in corporibus mundi innovatis. Cæterum, quanti valeat auctoritas Ecclesiæ, quæ tot nobis ad propositum art. insinuavit, patet 2. 2. qu. 10. art. 12. corp in princ. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, et ab Ecclesia, quod convenienter vox patris audita est in transfiguratione Christi. A scripturis quidem per hoc, quod narratur factum, dicendo Matth. 17. "Ecce vox dicens: Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. » Sufficit enim ad convenientiam talis facti, quod verum sit tale quid esse factum, ut in a. 1. 2. 3. append. dictum fuit, atque citatum. Item per hoc, quod idem fuisse verum refertur 2. Petr. 1. " Non indoctas fabulas secuti notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, et præscientiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim á Deo patre honorem, et gloriam voce delapsa ad eum hujuscemodi á magnifica gloria: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. » Ab Ecclesia vero idem insinuatur fuisse convenienter factum per hoc quod res congrua tanto transfigurationis mysterio per talis vocis emissionem significabatur. Dicit enim in ejusdem festi collecta. " Deus, qui in unigeniti tui gloriosa transfiguratione adoptionem filiorum perfectam voce delapsa in nube lucida mirabiliter præsignasti. » Vide text. corp. per filiationem, seu conformitatem perfectam quid importetur. *Secundo* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA SEXTA,

### DE PASSIONE CHRISTI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de his quæ pertinet ad exitum Christi de mundo. Et primo de passione ejus; secundo de morte; tertio de sepultura; quarto de descensu ad inferos.

Circa passionem occurrit triplex consideratio: prima de ipsa passione; secunda de causa efficiente passionis; tertia de fructu passionis.

*Circa primum quæruntur duodecim.*

Primo, utrum necesse fuerit Christum pati pro liberatione hominum.

Secundo, utrum fuerit alius modus possibilis liberationis humanæ.

Tertio, utrum ille modus fuerit convenientior.

Quarto, utrum fuerit conveniens quod in cruce pateretur.

Quinto, de generalitate passionis ejus.

Sexto, utrum dolor quem in passione sustinuit, fuerit maximus.

Septimo, utrum tota anima ejus pateretur.

Octavo, utrum passio ejus impediverit gaudium fruitionis.

Nono de tempore passionis.

Decimo, de loco.

Undecimo, utrum conveniens fuerit ipsum cum latronibus crucifigi.

Duodecimo, utrum passio ipsius Christi sit divinitati attribuenda.

## ARTICULUS I.

### *Utrum fuerit necessarium Christum pati pro humani generis liberatione.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod non fuerit necessarium Christum pati pro humani generis liberatione.

1. In Deum non cadit aliqua necessitas. Sed humanum genus non poterat liberari nisi á Deo. Ergo ad liberandum humanum genus non fuit necessarium Christum pati.

Maior prob., quia hoc repugnaret omnipotentiæ ipsius.

Minor prob., quia Isaiæ 45. dicitur. « Numquid non ego Dominus, et non est « ultra Deus absque me? Deus justus, et « salvans non est præter me. »

2. Christus propria voluntate est passus. Ergo non fuit necessarium eum pati.

Anteced. prob., quia Isaiæ 53. dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Conseq. prob., quia necessarium voluntario opponitur.

3. Non videtur necessarium quod Christus deberet pati ex parte divinæ misericordiæ, nec ex parte divinæ justitiæ. Ergo non videtur fuisse necessarium quod Christus pro liberatione hominum pateretur.

Anteced. quoad utramque partem prob. Non ex parte divinæ misericordiæ, quia misericordia, sicut gratis dona tribuit, ita videtur, quod gratis debita relaxet absque satisfactione. Nec ex parte divinæ justitiæ, quia secundum eam homo æternam damnationem meruerat.

Conseq. prob., quia dicitur in Psal. 24. *Universæ viæ Domini misericordia, et veritas*; unde si Christus necessario pati debuisset, ex parte alterius harum necessitas provenire debuisset.

4. Pro reparatione angelicæ naturæ quæ peccaverat, Christus non est passus. Ergo videtur, quod nec fuerit necessarium eum pati pro salute humani generis.

Conseq. prob., quia angelica natura est excellentior, quam humana, ut patet per Dion. 4. cap. de div. nom.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Jo. 3. dicitur: "Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic oportet "exaltari filium hominis, ut omnis, qui "credit in eum, non pereat, sed habeat "vitam æternam," quod de exaltatione in cruce intelligitur. Ergo videtur quod Christum oportuerit pati.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Necessarium dicitur multipliciter, ut Phil. docet 5. Met. tex. 3. Uno modo dicitur necessarium illud, quod secundum sui naturam impossibile est aliter se habere, sicut compositum ex contrariis necesse est corrumpi. Alio modo dicitur aliquid necessarium ex aliquo exteriori: hoc autem exterius causans necessitatem potest esse, vel movens, et hoc facit necessitatem coactionis, sicut lapis projectus necessario sursum, movetur violenter; vel est finis, et tunc est necessitas suppositionis, et sic illud dicetur hoc modo necessarium, sine quo vel nullo modo potest finis acquiri, ut navis necessaria est ad navigandum ultra mare, vel non ita commode, ut equus ad iter. Necessarium igitur in proposito dicitur tripliciter, scilicet absolute, violenter, et ex suppositione finis.

1.ª Conclusio. Non fuit necessarium Christum pati necessitate absoluta.

Hæc conclusio ex se manifesta est: nam nec ex parte Dei, nec ex parte hominis potuit esse talis necessitas passionis Christi, ut non posset non pati.

2.ª Conclusio. Non fuit necessarium

Christum pati necessitate coactionis.

Prob. non enim fuit necessitas coactionis ex parte Dei, qui diffinivit Christum pati, quia Deus á nullo potest cogi. Nec ex parte Christi, quia ipse voluntarie passus est.

3.ª Conclusio. Necessarium fuit Christum pati, necessitate finis.

Prob. tripliciter. Primo quidem hoc fuit necessarium ex parte nostra, qui per ejus passionem liberati sumus, secundum illud Jo. 3. « Oportet exaltari filium ho- « minis, ut omnis qui credit in eum, non " pereat, sed habeat vitam æternam. »

Secundo, ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem passionis meruit gloriam exaltationis, et ad hoc pertinet quod dicitur Lucæ ult. « Nonne oportuit Chris- « tum pati, et sic intrare in gloriam « suam? »

Tertio, ex parte Dei, cujus diffinitionem circa passionem Christi prænuntiatam in scripturis, et præfiguratam in observantia veteris testamenti oportebat impleri, et hoc est, quod dicitur Lucæ 22. "Filius hominis secundum quod de- " finitum est, vadit; » et Luc. ult. "Hæc " sunt verba, quæ locutus sum ad vos, " cum adhuc essem vobiscum, quoniam " necesse est impleri omnia, quæ scripta " sunt in lege Moysi, et Prophetis, et " Psalmis de me: quoniam sic scriptum " est, et sic oportebat Christum pati, et " resurgere á mortuis. » Fuit igitur necessarium Christum pati, ut per suam passionem haberemus vitam æternam, ut ipse Christus intraret in gloriam suam, et ut implerentur scripturæ Prophetarum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur, quod probat primam, et secundam conclusionem. In Deo enim non erat aliqua absoluta, vel coactionis necessitas ad passionem Christi: et ad formam dicitur ad maiorem, quod in Deo non est necessitas coactionis; potest tamen ex parte Dei attendi necessitas aliqua ex suppositione finis; oportebat enim Christum pati, ut intraret in gloriam suam, et implerentur scripturæ.

Ad 2. Dicitur ad conseq. quod quia Christus voluntarie passus est, sequitur quod non coacte passus fuerit, cum quo tamen stat, quod oportuerit Christum pati, ut gloriam corporis mereretur, exaltationem, nostram salutem, et ut implerentur scripturæ.

Ad 3. Negatur anteced. Hominem enim liberari per passionem Christi conveniens fuit et justitiæ, et misericordiæ ejus. Justitiæ quidem, quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis; et ita homo per justitiam Christi liberatus est: misericordiæ vero, quia cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanæ naturæ, ut supra quæst. 1. art. 2. habitum est, Deus illi satisfactorem dedit Filium suum, secundum illud Rom. 3. "Justi- " tificati gratis per gratiam ipsius, per " redemptionem quæ est in Christo Jesu, " quem proposuit Deus propitiatorem " per fidem in sanguine ipsius.» Et hoc fuit abundantioris misericordiæ, quam si peccata absque satisfactione dimisisset. Unde dicit. ad Ephes. 2. "Deus, qui di- " ves est in misericordia, propter nimiam " charitatem, qua dilexit nos, cum esse- " mus mortui peccatis, convivificavit nos " in Christo. "

Ad 4. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de angelis, et hominibus. Peccatum enim angeli non fuit remediabile, sicut peccatum hominis, ut dictum est 1. p. q. 64. art. 2. Ad prob. dicitur, quod etsi angeli sint nobiliores, tamen peccatum eorum est irremediabile, propter quod Christus pro eis non est passus.

## ARTICULUS II.

*Utrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanæ, quam per passionem Christi.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit possibilis alius modus liberationis humanæ, quam per passionem Christi.

1. Dicit Dominus Jo. 12. "Nisi gra-

"num frumenti cadens in terram mor-"tuum fuerit, ipsum solum manet: si "autem mortuum fuerit, multum fruc-"tum affert," ubi dicit Aug. tract. 51. in Jo. quod Christus seipsum granum dicebat. Nisi ergo mortem passus esset, fructum nostræ liberationis aliter non fecisset.

2. Matth. 26. Dominus dicit ad Patrem de sua passione, quam calicem appellat, loquens: *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Ergo passio Christi præterire non poterat. Unde Hilar. dicit Can. 31. in Matth. "Ideo calix non potest "transire, nisi illum bibat, quia repara-"ri, nisi ex ejus passione, non possu-"mus."

3. Christus suam justitiam quæ exigebat ut homo á peccato liberaretur, ipso Christo per passionem satisfaciente, non potest præterire. Ergo non videtur, quod fuerit possibile alio modo hominem liberari, quam per passionem Christi.

Anteced. prob., quia 2. Tim. 2. dicitur; "si non credimus, ille fidelis per-"manet, negare seipsum non potest;" seipsum autem negaret, si suam justitiam negaret; est enim ipse sua justitia. Non potest igitur Christus suam justitiam præterire.

4. Antiqui patres crediderunt Christum passurum. Ergo videtur, quod non potuerit esse quin Christus pateretur.

Conseq. prob., quia fidei non potest subesse falsum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit lib. 13. de Trin. cap. 10. "Istum modum, quo nos per mediato-"rem Dei, et hominum, hominem "Christum Jesum Deus liberare digna-"tur, asserimus bonum, et divinæ con-"gruum dignitati. Verum etiam osten-"damus non alium modum possibilem "Deo defuisse, cujus potestati cuncta "æqualiter subjacent."

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliquid potest dici possibile, vel impossibile dupliciter: uno modo simpliciter, et absolute; alio modo ex suppositione. Sicut cibus est necessarius animali ad hoc, quod in vita conservetur simpliciter, et absolute, quia sine cibo non potest animal diu conservare vitam. Ex suppositione, navis est necessaria volenti ad insulam accedere, quia sine navi non est possibile insulam adire.

1.ª Conclusio. Simpliciter, et absolute loquendo possibile fuit Deo aliter hominem liberare; quam per passionem Christi.

Prob. Quia *non est impossibile apud Deum omne verbum*, Lucæ 1.

2.ª Conclusio. Ex aliqua suppositione facta fuit impossibile, quod homo liberaretur sine passione Christi.

Prob. Illud, quod est præscitum et præordinatum á Deo, præsupposita Dei præscientia et præordinatione, impossibile est non evenire. Sed Deus præscivit et præordinavit liberandum esse hominem per passionem Christi. Ergo, præsupposita Dei præscientia et præordinatione, non poterat Christus non pati, et homo alio modo, quam per Christi passionem liberari.

Maior prob., quia impossibile est Dei præscientiam falli, et ejus voluntatem, seu dispositionem cessari.

Et confirmatur ratio, et conclusio. Quia eadem ratio est de passione Christi, et de omnibus aliis quæ sunt præscita et præordinata á Deo, de quibus in 1. p. quæst. 14. art. 13. dictum est, quod ut sic, non possunt non evenire.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur quod Dominus loquitur supposita præscientia et præordinatione Dei, secundum quam erat ordinatum, ut fructus humanæ salutis non sequeretur, nisi Christo patiente. Et similiter intelligendum est quod secundo objicitur: "si non potest hic calix transire, nisi bi-"bam illum," scilicet propter hoc quod

tu ita disposuisti. Unde subdit: *Fiat voluntas tua.*

Ad 3. Negatur conseq. Nam etiam justitia, quæ exigebat satisfactionem, dependet ex voluntate divina ab humano genere satisfactionem exigente pro peccato. Nam si voluisset absque omni satisfactione hominem á peccato liberare, contra justitiam non fecisset. Ille enim judex non potest, salva justitia, culpam sine pœna dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam, puta, vel in alium hominem, vel in totam rempublicam, sive in superiorem principem. Et quia Deus nullum habet superiorem, sed ipse est bonum supremum commune totius universi; ideo si dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ ex hoc quod contra ipsum committitur, nulli facit injuriam, sicut quicumque homo remittit culpam in se commissam absque satisfactione, misericorditer et non injuste agit. Et ideo David misericordiam petens dicebat, *tibi soli peccavi*; quasi dicat: potes sine injustitia mihi dimittere.

Ad 4. negatur conseq. Fides enim humana et scripturæ etiam divinæ, quibus fides instruitur, innituntur præscientiæ et præordinationi divinæ. Et ideo eadem ratio est de necessitate, quæ provenit ex suppositione eorum, et de necessitate, quæ provenit ex præscientia, et voluntate divina.

## ARTICULUS III.

### *Utrum fuerit aliquis modus convenientior ad liberationem humani generis, quam per passionem Christi.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quod alius modus convenientior fuisset liberationis humanæ, quam per passionem Christi.

1. Deus potuit hominem liberare sola propria voluntate. Ergo non videtur fuisse conveniens quod ad liberationem humani generis Christi passio adderetur.

Conseq. prob., quia natura, quæ opus divinum imitatur in sua operatione, utpote á Deo mota, non facit per duo quod potest facere per unum.

2. Ea quæ fiunt par naturam, convenientius fiunt, quam ea quæ fiunt per violentiam. Sed passio Christi, mortem violentam induxit. Ergo convenientius fuisset quod Christus, naturali morte moriendo, hominem liberaret, quam quod pateretur.

Maior prob., quia «violentia est quæ«dam excisio, seu casus ab eo, quod est «secundum naturam,» ut dicitur lib. 2. de cœl. tex. 18.

3. Convenientissimum videtur, quod ille qui violenter et injuste detinet aliquid, per superioris potentiam spolietur. Unde Isaiæ 52. dicitur: «gratis venun«dati estis, et sine argento redimemini.» Sed diabolus nullum in hominem jus habebat, quem per fraudem deceperat, et per quamdam violentiam servituti subjectum detinebat. Ergo videtur convenientissimum fuisse, quod Christus diabolum per solam potentiam spoliaret, absque sua passione.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit lib. 13. de Trin. cap. 10. *Sanandæ nostræ miseriæ convenientior modus alius non fuit, quam per Christi passionem.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenientius fuit, quod per passionem Christi liberaremur, quam per solam Dei voluntatem.

Prob. Per hoc quod homo per Christi passionem est liberatus multa concurrunt ad salutem hominis pertinentia, præter liberationem á peccato, quæ non concurrissent, si fuisset liberatus per solam Dei voluntatem. Ergo convenientius fuit quod per passionem Christi liberaremur, quam per solam Dei voluntatem.

Consequentia probatur, quia tanto aliquis modus convenientior est ad assequendum finem, quanto per ipsum plura concurrunt, quæ sunt expedientia fini.

Anteced. ostend. Primo enim per hoc homo cognoscit quantum Deus hominem diligat, et provocatur ad Deum diligendum; in quo perfectio humanæ salutis consistit. Unde Apost. dicit Rom. 5. «Commendat suam charitatem Deus in «nobis, quoniam cum inimici essemus, «Christus pro nobis mortuus est.»

Secundo, quia per hoc dedit nobis exemplum obedientiæ, humanitatis, constantiæ, justitiæ et cæterarum virtutum, in passione Christi ostensarum, quæ sunt necessariæ ad humanam salutem. Unde dicitur 15. Pet. 2. «Christus passus est «pro nobis, vobis relinquens exemplum «ut sequamini vestigia ejus.»

Tertio, quia Christus per passionem suam, non solum hominem á peccato liberavit; sed etiam gratiam justificantem, et gloriam beatitudinis ei promeruit, ut dicetur q. 48.

Quarto, quia per hoc est homini inducta maior necessitas se immunem á peccato conservandi, qui se sanguine Christi redemptum cogitat, secundum illud 1. Cor. 6. «Empti enim estis pretio «magno, glorificate, et portate Deum in «corpore vestro.»

Quinto, quia hoc ad maiorem dignitatem hominis cessit, ut sicut homo victus fuerat, et deceptus á diabolo, ita etiam homo esset, qui diabolum vinceret; et sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem superaret. Unde dicitur 1. Cor. 15. «Deo gratias, qui de«dit nobis victoriam per Dominum nos«trum Jesum Christum.» Multa igitur et magna bona provenerunt ex hoc quod Deus per passionem Christi nos redemit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod natura etiam ut aliquid convenientius faciat plura ad unum assumit; sicut duos oculos ad videndum, et idem patet de aliis: quamvis igitur Deus sua sola voluntate potuisset redimere hominem, quia tamen plura bona sequebantur ex Christi passione, voluit ut Christus pro nostra redemptione pateretur.

Ad 2. Negatur maior in proposito. Convenientius enim fuit quod Christus pateretur mortem violentam, quam naturalem. Sicut enim Chrysost. dicit. "Non sui mortem, quam non habebat, "Christus, cum sit vita, sed homi"num mortem venerat consumpturus. "Unde non propria morte corpus depo"suit, sed ab hominibus illatam susti"nuit; sed etsi ægrotasset corpus ejus, "et in conspectu omnium solveretur, "inconveniens erat eum, qui sanaret "aliorum languores, habere proprium "corpus affectum languoribus; sed et si "absque morbo aliquo corpus alicubi "seorsum deposuiset, ac deinde se offer"ret, non crederetur ei de resurrectione "disserenti. Quomodo enim pateret "Christi in morte victoria nisi coram "omnibus eam patiens per incorruptio"nem corporis probasset extinctam?"

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod licet diabolus injuste invaserit hominem, tamen homo propter peccatum juste erat sub servitute diaboli derelictus à Deo; et ideo conveniens fuit ut per justitiam homo á servitute diaboli liberaretur, Christo satisfaciente pro ipso per suam passionem. Fuit etiam hoc conveniens "ad "vincedam superbiam diaboli, qui est "desertor justitiæ et amator potentiæ, "ut Christus diabolum vinceret et ho"minem liberaret, non per solam po"tentiam deitatis; sed etiam per justi"tiam et humilitatem passionis," ut dicit Aug. lib. 13. de Trin. cap. 13. 14. et 15.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus pati debuerit in cruce.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit pati in cruce.

1. In figura Christi passuri præceserunt omnia sacramenta veteris legis, in quibus animalia gladio necabantur, et postmodum igni cremabantur. Ergo videtur quod Christus non debuerit pati

in cruce, sed magis gladio, vel igne mori.

Conseq. prob., quia veritas figuræ debet respondere.

2. Christus non debuit assumere detestabiles passiones, ut Dam. dicit lib. 3. ortod. fid. cap. 20. Sed mors crucis videtur fuisse maxime detestabilis. Unde dicitur Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum*. Ergo videtur quod Christus non debuerit pati mortem crucis.

3. Qui est benedictus á Deo non debet pati mortem crucis. Sed Christus est benedictus. Ergo Christus non debuit pati mortem crucis.

Maior probat. quia mors crucis erat mors maledictionis, secundum illud Deut. 21. *Maledictus á Deo, qui pendet in ligno.*

Minor prob., quia de Christo dicitur Matth. 21. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad Philip. 2. dicitur: *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ergo convenienter Christus passus est in cruce.

*Determinatio.*

Conclusio. Convenientissimum fuit Christum pati mortem crucis.

Prob. septem rationibus. Prima est, ut nobis recte vivendi præberet exemplum. Dicit enim Aug. in lib. 83. Qq. q. 25. « Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscepit. " Pertinet autem ad vitam rectam, ea " quæ non sunt metuenda non metuere: " sunt autem aliqui homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus " tamen mortis horrescunt. Ut ergo nullum genus mortis homini recte viventi " metuendum esset, illius hominis cruce " ostendendum fuit. Nullum enim erat " inter genera mortis illo genere execrabilius et formidabilius. »

Secunda, quia hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit. Et ideo conveniens fuit quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato, seipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens, quod Adam abstulerat secundum illud Ps. 68. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Unde Aug. dicit in quodam sermone de passione. « Contempsit " Adam præceptum, accipiens ex arbore " pomum; sed quicquid Adam perdidit, " Christus in cruce invenit. »

Tertia ratio est, quia ut Chrys. dicit in Serm. de passione, seu hom. de cruce et latrone quæ incipit: hodierna die, " In excelso ligno, et non sub tecto " passus est, ut etiam ipsius aëris natura mundetur; sed et ipsa terra simile " beneficium sentiebat, decurrentis de " latere sanguinis stillatione mundata. » Et super illud Jo. 3. « Oportet exaltari filium hominis, » dicit Theoph. « Exaltari audiens, suspensionem intelliges in " altum, ut sanctificaret aërem, qui sanctificaverat terram ambulando in ea. »

Quarta ratio est, quia per hoc quod in alto moritur, ascensum nobis parat in cœlum, ut Chrysost. dicit. Et inde est quod ipse dicit Jo. 12. « Ego si exaltatus fuero á terra, omnia traham ad me " ipsum. »

Quinta ratio est, quia hoc competit universali salvationi totius mundi. Unde Greg. Nissen. dicit, quod «figura crucis " á medio contactu in quatuor extrema " partita significat virtutem et providentiam ejus, qui in ea pependit, ubique diffusam. » Chryso. etiam dicit quod in cruce « expansis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, " altera eos qui ex gentibus sunt, trahat. »

Sexta ratio est, quia per hoc genus mortis diversæ virtutes designantur. Unde Aug. dicit in lib. de gratia vet. et no. test. et est epist. 120. c. 26. « Non " frustra tale genus mortis elegit, ut " latitudinis et altitudinis et longitudi-

" nis et profunditatis, de quibus Apost. " loquitur, magister existeret. Nam la- " titudo, quæ est in eo ligno, quod " transversum desuper figitur, hoc ad " bona opera pertinet quia ibi exten- " duntur manus; longitudo in eo quod " ab ipso ligno usque ad terram cons- " picuum est: ibi enim quodammodo " statur, idest persistitur, et persevera- " tur, quod longanimitati tribuitur. Al- " titudo est in ea ligni parte, quæ ab " illa, quæ transversum figitur, sursum " versus relinquitur, hoc est ad caput " crucifixi, quia bene sperantium su- " perna expectatio est. Jam vero illud " ex ligno quod fixum occultatur, unde " totum illud exurgit, profunditatem " significat gratuitæ gratiæ. » Et sicut Aug. dicit super Jo. tract. 119. " Lig- " num, in quo fixa erant membra patien- " tis, etiam cathedra fuit magistri do- " centis. »

Septima ratio est, quia hoc genus mortis plurimis figuris respondet. Ut enim Aug. dicit in serm. de pass. " De diluvio aquarum humanum genus arca lignea liberavit. De Ægypto Dei populo recedente, Moyses mare virga divisit, et Pharaonem prostravit, et populum Dei redemit. Idem Moyses lignum in aquam misit, et amaram aquam in dulcedinem commutavit. Et lignea virga de spirituali petra salutaris unda profertur, et ut Amalec vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur, et lex Dei arcæ testamenti creditur ligneæ, ut his omnibus ad lignum crucis, quasi per quosdam gradus veniatur. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod veritas respondet figuræ non quoad omnia, quia jam non esset figura, sed ipsa veritas, ut Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. cap. 26., sed quoad aliqua. Respondent enim veteris legis sacrificia passioni Christi in cruce, quantum ad aliqua, quia altare holocaustorum, in quo sacrificia animalium offerebantur, erat factum de lignis, ut habetur Exod. 26. Et loco materialis ignis, fuit in holocausto Christi ignis charitatis. Specialiter autem, ut Chrysost. dicit, «non ca- " put ei amputatur, ut Jo. Baptistæ; ne- "que sectus est, ut Isaias, ut corpus inte- " grum et indivisibile morti servet, et " non fiat occasio volentibus Ecclesiam " dividere. »

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Christus detestabiles passiones assumere renuit, quæ pertinebant ad defectum scientiæ, vel gratiæ, aut etiam virtutis: non autem illas, quæ pertinent ad injuriam ab exteriori illatam; quinimo, ut dicitur Hebr. 12. *Sustinuit crucem confusione contempta.*

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod sicut Augustinus dicit lib. 14. contra Faust. cap. 6. peccatum maledictum est, et per consequens mors et mortalitas ex peccato proveniens, caro autem Christi mortalis fuit, similitudinem habens carnis peccati; et propter hoc Moyses eam nominat maledictum, sicut et Apostolus nominat eam peccatum, dicens 2. Cor. 5. « Eum, qui non noverat " peccatum, pro nobis peccatum fecit, » idest pœnis peccati subjecit. Nec ideo maior injuria est, quia dixit « Maledic- " tus est á Deo, nisi enim Deus pecca- " tum odisset, et mortem nostram non ad " eam suscipiendam, atque tollendam fi- "lium suum mitteret. Confitere ergo ma- " ledictum suscepisse pro nobis, quem " confiteris mortuum esse pro nobis; » unde ad Galat. 3. dicitur; «Christus nos re- " demit de maledicto legis, factus pro no- "bis maledictum. » Ille igitur, qui est benedictus á Deo factus est maledictum, idest subjectus factus est pœnis peccati, ut nos á peccato, et peccati pœnis redimeret.

## ARTICULUS V.

*Utrum Christus omnes passiones sustinuerit.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus omnes passiones sustinuerit.

1. Hilarius dicit lib. 10. de Trin. "Unigenitus Dei, ad peragendum mortis "suæ sacramentum, consummasse se "omne humanarum genus passionum "testatur, cum inclinato capite emisit "spiritum." Ergo videtur quod Christus omnes humanas passiones sustinuerit.

2. Christus est exaltatus, secundum hoc quod habuit omnem gratiam, et omnem scientiam, pro quo super eum multi admirantes obstupuerunt. Ergo videtur quod Christus inglorius fuerit sustinendo omnem humanam passionem.

Conseq. probat. Quia Isaiæ 52. de Christo dicitur. "Ecce intelliget servus "meus, et exaltabitur, et elevabitur, "et sublimis erit valde, sicut obstupue-"runt super eum multi, sic inglorius "erit inter viros aspectus ejus, et forma "ejus inter filios hominum."

3. Christus venit liberare homines ab omni genere peccatorum. Ergo debuit pati omne genus passionum.

Conseq. prob, quia passio Christi ordinata est ad liberationem hominis á peccato, ut art. 3. hujus q. dictum est.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Jo. 19. dicitur quod "milites, primi "quidem fregerunt crura, et alterius "qui crucifixus est cum eo; ad Jesum "autem cum venissent, non fregerunt "ejus crura." Ergo Christus non est passus omnem humanam passionem.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Passiones humanæ, quæ ab extrinseco absque spirituali damno inferri possunt (de his enim est præsens sermo; non enim decuit eum ægritudines corporales pati, ut q. 14. art. 4. dictum est) possunt considerari dupliciter: uno modo quantum ad speciem; secundo quantum ad genus.

1.ª Conclusio. Christus non potuit pati omnes humanas passiones quantum ad speciem.

Prob. Quia multæ passionum species sibi invicem contrariantur; sicut combustio in igne, et submersio in aqua.

2.ª Conclusio. Christus passus est omnem humanam passionem secundum genus.

Prob. Patet enim hoc tripliciter. Primo ex parte hominum, á quibus passus est. Passus enim est Christus aliquid á gentilibus, et aliquid á judæis. Et á masculis, et á fœminis, ut patet de ancillis accusantibus Petrum: passus est etiam á principibus, et á ministris eorum, et á popularibus, secundum illud Psal. 2. «Quare fremuerunt gentes, et "populi meditati sunt inania? Astite-"runt reges terræ, et principes conve-"nerunt in unum adversus Dominum "et adversus Christum ejus." Passus est etiam á familiaribus, et notis, sicut patet de Juda eum prodente, et Petro ipsum negante.

Alio modo patet idem ex parte eorum, in quibus homo potest pati: passus est enim Christus in suis amicis eum deserentibus; in fama per blasphemias contra eum prolatas; in honore, et gloria, per irrisiones, et contumelias ei illatas; in rebus, per hoc quod etiam vestibus spoliatus est; in anima per tristitiam, tædium, et timorem; in corpore, per vulnera, et flagella.

Tertio potest hoc patere, quantum ad corporis membra. Passus est enim Christus in capite pungentium spinarum coronam; in manibus, et pedibus, fixionem clavorum; in facie, alapas, et sputa; et in toto corpore flagella. Passus est etiam secundum omnem sensum corporeum: secundum tactum quidem fuit flagellatus, et clavis confixus; secundum gustum, felle, et aceto potatus: secundum olfactum, in loco fœtido cadaverum mortuorum, qui dicitur Calvario, appensus patibulo; secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium, et irridentium; secundum visum, videns matrem, et discipulum, quem diligebat, flentes. Omnes igitur passiones, secundum genus sustinuit Dominus, quia pas-

sus est ab omni genere hominum, in omni genere eorum, in quibus homo potest pati, et in omnibus corporis membris.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod verbum illud Hilarii est intelligendum quantum ad omnia genera passionum, non autem quantum ad omnes species.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod similitudo ibi attenditur, non quantum ad numerum passionum, et gratiarum; sed quantum ad magnitudinem utriusque. Quia sicut sublimatus est in donis gratiæ super alios, ita dejectus est infra alios per ignominiam passionis.

Ad 3. Negatur consequentia. Nam secundum sufficientiam, una minima passio Christi suffecisset ad redimendum genus humanum ab omnibus peccatis; secundum convenientiam tamen sufficiens fuit quod pateretur omnes passiones tantum secundum genus, sicut in corpore dictum est.

## ARTICULUS VI.

*Utrum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod dolor passionis Christi non fuerit maior omnibus aliis doloribus.

1. Quidam martyres graviores et diuturniores passiones sustinuerunt, quam Christus, sicut patet de Laurentio, qui fuit assatus in craticula, et de Vincentio, cujus carnes fuerunt unguis ferreis laceratæ. Ergo videtur, quod dolor Christi non fuerit maximus.

Conseq. prob., quia dolor patientis augetur secundum gravitatem et diuturnitatem passionis.

2. In eo, in quo est perfectissima virtus mentis, non potest esse maximus dolor. Sed in Christo fuit perfectissima virtus mentis. Ergo in Christo non fuit maximus dolor.

Maior prob., quia virtus mentis est mitigativa doloris; in tantum, quod stoici posuerunt tristitiam in animum sapientis non cadere. et Arist. 2. Ethic. capit. 2. 6. et 9. posuit quod virtus moralis medium tenet in passionibus.

3. Anima est sensibilior quam corpus: Adam etiam in statu innocentiæ videtur corpus sensibilius habuisse, quam Christus. Ergo videtur, quod dolor animæ patientis in purgatorio, vel in inferno, vel etiam dolor Adæ, si passus fuisset, maior fuisset, quam dolor passionis Christi.

Antecedens quoad primam partem prob., quia corpus sentit ex anima. Quoad secundam vero, quia Christus assumpsit corpus humanum cum sensibilibus defectibus.

Conseq. prob., quia quanto aliquod patiens est magis sensibile, tanto maior sequitur dolor passionis.

4. Peccator peccando amittit maius bonum, quam Christus patiendo. Ergo videtur, quod dolor Christi non fuerit maximus dolorum.

Anteced. prob., quia vita gratiæ, quam amittit peccator, melior est, quam vita naturæ, quam Christus amisit. Christus etiam qui amisit vitam post triduum resurrecturus, minus aliquid amisisse videtur, quam illi qui amittunt vitam in morte permansuri.

Conseq. prob., quia maioris boni amissio maiorem causat dolorem.

5. Dolor ejus qui innocenter patitur non est maximus. Sed Christus innocenter passus est. Ergo dolor Christi non fuit maximus.

Maior prob., quia innocentia patientis diminuit dolorem passionis.

Minor prob., quia de Christo dicitur Hiere. 11. «Ego autem quasi agnus « mansuetus, qui portatur ad victimam.»

6. Minimus dolor Christi suffecisset ad finem salutis humanæ. Ergo superfluum fuisset assumere maximum dolorem.

Anteced. prob., quia dolor ille Christi

minimus habuisset infinitam virtutem ex persona divina.

Conseq. prob., quia in his quæ Christi sunt, nihil est superfluum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Tren. 1. dicitur ex persona Christi. *Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.*

*Determinatio.*

Conclusio. Dolor passionis Christi fuit maximus inter dolores præsentis vitæ.

Quæ conclusio declaratur, deinde prob. Declaratur quoad illum terminum (dolor) dolor enim est duplex; quidam est dolor sensibilis, qui causatur ex corporali nocivo. Quidam vero est dolor interior, qui causatur ex apprehensione alicujus nocumenti, qui dicitur tristitia, et uterque dolor fuit in Christo; et quidem quod in Christo fuerit dolor sensibilis, probatum est q. 15. a. 5. Quod vero in Christo fuerit tristitia probatum fuit eadem q. artic. 6. Præsens igitur conclusio intelligenda est tum de dolore sensibili exteriori, tum de dolore interiori, qui tristitia dicitur; scilicet, quod in Christo fuerit maximus dolor, et maxima tristitia inter dolores, et tristitias præsentis vitæ.

Probatur autem conclusio sic explicata ex quatuor.

Primo ex causis doloris, et tristitiæ. Nam læsio corporalis, quæ est causa doloris sensibilis, acerbitatem habuit in Christo ex duobus; primo ex generalitate passionis, de qua dictum est artic. præced. Secundo ex genere passionis, quia mors confixorum in cruce, est acerbissima, quia configuntur in locis nervosis, et maxime sensibilibus, scilicet in manibus, et pedibus, et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem: et cum hoc etiam est doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur, sicut illi, qui gladio interficiuntur. Doloris autem interioris, scilicet tristitiæ causa fuit: Primo quidem omnia peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat patiendo. Unde et quasi sibi adscribit dicens Ps. 22. *Verba delictorum meorum*; secundo specialiter casus Judæorum, et aliorum in ejus morte delinquentium, et præcipue discipulorum, qui scandalum passi sunt in Christi passione; tertio etiam amissio vitæ corporalis, quæ naturaliter est horribilis humanæ naturæ. Ex acerbitate igitur causæ doloris, et tristitiæ, fuit in Christo maximus dolor, et maxima tristitia.

Secundo fuit maximus dolor, et maxima tristitia in Christo ex perceptibilitate patientis. Et secundum corpus, ex qua causatur dolor sensibilis, et secundum animam ex qua causatur tristitiæ magnitudo. Nam Christus, secundum corpus, erat optime complexionatus, cum corpus ejus fuerit formatum miraculose, operatione Spiritus Sancti, sicut et alia quæ miraculose facta fuerunt, aliis potiora extiterunt, ut Chryso. dicit Homil. 21. in Joannem, de vino, in quod Christus aquam convertit in nuptiis. Et ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor. Anima etiam secundum vires interiores efficacissime apprehendit omnes causas tristitiæ. Ex perceptibilitate igitur patientis, et secundum animam, et secundum corpus, fuit in eo maxima tristitia, et maximus dolor.

Tertio. Magnitudo doloris Christi fuit ex doloris et tristitiæ puritate: nam in aliis patientibus mitigatur tristitia interior, et etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis, per quamdam derivationem, seu redundantiam á superioribus viribus ad inferiores quod in Christo patiente non fuit, quia «unicui-«que virium permisit agere quod est si-«bi proprium,» ut Dam. dicit l. 3. ort. fid. cap. 15.

Quarto consideratur dolor Christi patientis ex hoc, quod passio illa et dolor fuerunt assumpta á Christo voluntarie

propter finem liberationis hominum á peccato; et ideo tantam quantitatem doloris assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur.

Ex his igitur omnibus causis simul consideratis manifeste apparet quod dolor Christi patientis fuerit maximus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ratio illa procedit ex uno tantum prædicatorum, scilicet quod dolor martyrum fuerit magnus ex læsione corporali; sed dolor passionis Christi, non solum ex hoc, sed ex aliis causis auctus fuit, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod virtus moralis aliter mitigat tristitiam interiorem, et aliter exteriorem dolorem sensibilem; tristitiam enim interiorem diminuit directe, in ea medium constituendo, sicut in propria materia. Medium autem in passionibus virtus moralis constituit (ut 1. 2. quæst. 64. art. 1. et 2. habitum est) non secundum quantitatem rei, sed secundum quantitatem proportionis, ut scilicet passio non excedat regulam rationis. Et quia stoici reputabant, quod nulla tristitia esset ad aliquid utilis, credebant quod totaliter á ratione discordaret, et per consequens, quod totaliter esset sapienti vitanda. Sed secundum rei veritatem tristitia aliqua est laudabilis, ut Aug. probat. lib. 14. de Civ. Dei, c. 9. quando scilicet procedit ex sancto amore, utpote quando aliquis tristatur de peccatis propriis, vel alienis. Assumitur etiam ut utilis ad finem satisfactionis pro peccato, secundum illud Apost. 2. Cor. 9. *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et ideo Christus, ut satisfaceret pro peccatis omnium hominum, assumpsit tristitiam, maximam quidem quantitate absoluta, non tamen excedentem regulam rationis: hæc enim in virtuoso esse non potest.

Ad 3. Conceditur antecedens, quoad primam partem, et etiam conseq. quoad id, quod ex prima parte antecedentis concluditur, scilicet quod dolor animæ patientis in alia vita sit maior. Dolor enim animæ separatæ patientis pertinet ad statum futuræ damnationis, quæ excedit omne malum hujus vitæ, sicut sanctorum gloria excedit omne bonum hujus vitæ. Unde cum dicimus Christi dolorem esse maximum, non comparamus ipsum dolori animæ separatæ.

Ad aliam partem antecedentis dicitur, quod corpus Adæ in statu innocentiæ pati non poterat, nisi prius ipse Adam peccasset, et tunc effectum fuisset ejus corpus passibile et mortale; et minus passum fuisset, quam Christus, propter dictas rationes. Fuisset igitur corpus illud in statu innocentiæ sensibilius, sed in tali statu nullum dolorem pati potuisset. Sed dato per impossibile, quod in statu innocentiæ pati potuisset, minor fuisset dolor ejus, quam fuerit dolor Christi, quia Adam una ratione, sive causa doluisset, Christus autem omnibus prædictis rationibus maxime doluit.

Ad 4. Negatur anteced. Ad prob. dicitur dupliciter. Primo ad primam partem, quod probatio hæc supponit unum falsum, scilicet quod Christus doluerit solum pro amissione corporalis vitæ propriæ. Christus enim non solum doluit de amissione corporalis vitæ propriæ, sed etiam pro peccatis omnium aliorum, qui dolor in Christo excessit omnem dolorem uniuscumque contriti, tum quia ex maiori sapientia, et charitate processit, ex quibus dolor contritionis augetur; tum etiam, quia pro omnibus peccatis simul doluit, secundum illud Isa. 35. *Vere languores nostros ipse tulit.*

Dicitur secundo ad eamdem prob. quod vita corporalis Christi fuit tantæ dignitatis, et præcipue propter divinitatem unitam, quod de ejus amissione etiam ad horam, magis esset dolendum, quam de amissione alterius hominis, per quodcumque tempus. Unde, et Phil. dicit 3.

Ethic. c. 9. quod virtuosus plus diligit vitam suam, quanto scit eam esse meliorem, et tamen eam exponit propter bonum virtutis; et similiter Christus vitam suam maxime dilectam exposuit propter bonum charitatis, secundum illud Hierem. 12. *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus.*

Ad 5. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod innocentia patientis diminuit quidem dolorem passionis quantum ad numerum, quia cum nocens patitur, dolet non solum de pœna, sed etiam de culpa. Innocens autem solum dolet de pena, qui tamen dolor in eo augetur ex innocentia, in quantum apprehendit nocumentum illatum, ut magis indebitum: unde etiam et alii magis sunt reprehensibiles, si ei non compatiuntur, secundum illud Isa. 57. *Justus autem perit, et non est qui recogitet in corde suo.*

Ad 6. Neg. conseq. Christus enim voluit humanum genus liberare, non sola potestate, sed etiam justitia. Et ideo non attendit quantam virtutem dolor ejus haberet ex divinitate unita, sed etiam quantum dolor ejus sufficeret, secundum humanam naturam, ad tantam satisfactionem; et per hoc nihil in doloribus Christi fuit superfluum.

## ARTICULUS VII.

### *Utrum Christus passus sit secundum totam animam.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non sit passus secundum totam animam.

1. Anima non est actus corporis, secundum quamlibet sui partem. Ergo Christus non est passus secundum totam animam.

Anteced. prob., quia intellectus nullius corporis est actus, ut dicitur 3. de An. tex. 6. et 12.

Conseq. probat., quia anima patitur, patiente corpore, per accidens, in quantum est actus corporis.

2. Christus non est passus secundum rationem superiorem. Ergo Christus non est passus secundum totam animam.

Conseq. patet. quia superior ratio ad animam pertinet.

Antecedens prob. Christus nullum potuit pati nocumentum ex rationibus æternis. Ergo Christus non est passus secundum superiorem rationem.

Antecedens hujus prob. Quia rationes æternæ in nullo contrariantur Christo, ut ex his pati possit.

Conseq. hujus prob. Quia rationes æternæ sunt objectum rationis superioris, *quibus ipsa superior ratio inspiciendis, et consulendis intendit*, ut Aug. dicit 12. de Trin. c. 7. Potentia autem animæ ex suo objecto patitur.

3. In Christo non fuit completa passio, sed solum *propassio*, ut Hieron. dicit super Matth., 26. et Dion. dicit in Epist. ad Jo. ad Evang. quod *passiones sibi illatas patiebatur Christus secundum judicare solum.* Ergo Christus non est passus secundum totam animam.

Conseq. prob., quia passio sensibilis tunc completa dicitur, quando usque ad rationem pertingit, passio igitur non completa ad rationem non pertingit. Unde ille, in quo non est completa passio, non patitur secundum partem superiorem animæ.

4. In intellectu speculativo Christi non poterat esse dolor. Ergo Christus non poterat pati secundum totam animam,

Anteced. prob., quia «delectationi, «quæ est ab eo, quod est considerare, «nulla tristitia opponitur,» ut dicitur 1. Top. c. 13.

Conseq. prob., quia passio dolorem causat. Si igitur in intellectu speculativo Christi non poterat esse dolor, non patiebatur secundum intellectum, ac per hoc, nec secundum totam animam.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Anima Christi repleta fuit doloribus. Ergo Christus passus est secundum totam animam.

Anteced. prob., quia Psal. 87. dicitur ex persona Christi. *Repleta est malis anima mea*, super quæ dicit Glos. ex August. ibid. *Non vitiis, sed doloribus, quibus anima carni compatitur, vel malis, scilicet pereuntis populi, compatiendo.*

Conseq. prob., quia non fuisset anima ejus his malis repleta, si non secundum totam animam passus esset.

*Determinatio.*

1.ª *Distinctio.* Anima dicitur tota dupliciter. Uno modo totalitate essentiæ. Alio modo totalitate potentiarum, quæ dicuntur animæ partes.

2.ª *Distinctio.* Anima potest pati dupliciter: uno modo passione propria potentiarum: alio modo passione subjecti. Patitur potentia passione sibi propria á suo objecto, sicut quando visus patitur á superabundanti visibili, et auditus á superabundanti audibili. Patitur vero passione subjecti, quando patitur subjectum, in quo potentia fundatur. Sicut si pungatur oculus, aut per calorem distemperetur, patitur etiam ipsa visiva potentia.

*Sensus quæsiti.*

Potest igitur quæsitum hoc habere triplicem sensum. Primus, utrum anima Christi tota secundum essentiam passa sit. Secundus, an omnes potentiæ animæ Christi passæ fuerint ex suis objectis. Tertius est, an omnes potentiæ animæ Christi passæ sint ex suis subjectis.

1.ª Conclusio. Christus passus est, secundum totam animam, secundum quod anima dicitur tota totalitate essentiæ.

Prob. quia tota essentia animæ conjungitur corpori, ita quod tota est in toto, et tota in qualibet parte ejus, et ideo corpore patiente, et disposito ad separationem ab anima, tota anima patiebatur.

2.ª Conclusio. Christus non est passus secundum omnes potentias animæ, passione propria ipsis potentiis; sed tantum secundum omnes vires inferiores.

Manifestatur. Patiebatur enim secundum omnes vires inferiores; quia in singulis viribus inferioribus animæ, quæ circa temporalia operantur, inveniebatur aliquid quod erat causa doloris Christo, sicut patet ex dictis art. 5. et 6. Superior autem ratio secundum hoc non patiebatur in Christo, ex parte sui objecti, scilicet Dei, qui non erat animæ Christi causa doloris, sed delectationis, et gaudii.

3.ª Conclusio. Christus passus est secundum omnes suas potentias, secundum illum modum passionis, quo potentia aliqua dicitur pati ex parte sui subjecti.

Prob. Quia omnes potentiæ animæ radicantur in essentia ejus, ad quam pervenit passio, patiente corpore, cujus est actus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, et ad ejus prob. quod licet intellectus secundum quod est potentia quædam, non sit corporis actus; essentia tamen animæ, in qua radicatur potentia intellectiva, est corporis actus, ut dictum est 1. par. q. 77. art. 6. et 8. Et hoc sufficit ad hoc quod intellectus pati dicatur ex subjecto.

Ad 2. Dicitur quod ratio illa concludit, Christum non esse passum secundum omnes potentias passione, quæ est potentiis propria. Potentia enim ejus intellectiva non est passa ex suo proprio objecto, ut dictum est.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod passio potest dici completa, sive perfecta dupliciter. Uno modo quia vere dolorem causat, et sic in Christo fuit perfecta, et completa passio etiam in parte superiori, non quidem ex primario ejus objecto, sed ex subjecto, in quo radicata est, ut in corpore dictum est. Alio modo dicitur perfecta passio, et completa, quia dolor sensitivæ partis pertingit usque ad rationem, immutando et perturbando ipsam, ut scilicet sequatur passionem et non habeat liberum arbitrium super eam; et sic in

Christo non fuit perfecta et completa passio, sed solum propassio, ut alias abunde dictum est. Probat igitur argumentum quod dolor, et passio Christi non pervenerit ad turbandum rationem, cum quo tamen stat quod in tota anima Christi fuerit passio, et dolor, secundum dictos modos.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod intellectus speculativus non potest habere dolorem, vel tristitiam ex parte sui objecti absolute considerati, quia tale objectum est perfectio ejus: potest tamen ad ipsum pertingere dolor, vel causa doloris, per modum jam dictum, quatenus scilicet patitur subjectum, in quo ipsa ratio radicatur.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum tota anima Christi in passione frueretur fruitione beata.*

*Pro negativa.*—Videtur, quod anima Christi in articulo illius passionis, non tota frueretur fruitione beata.

1. Impossibile est idem simul dolere et gaudere. Sed anima Christi tota patiebatur dolorem in tempore passionis, ut art. præced. dictum est. Ergo non poterat esse, ut tota frueretur.

Maior prob., quia dolor et gaudium sunt contraria.

2. Dolor passionis Christi fuit maximus ut art. 6. ostensum est; et delectatio fruitionis similiter est maxima, ut dictum est 1. 2. quæst. 4. Ergo non potuit esse quod anima Christi tota simul pateretur, et frueretur.

Conseq. prob., quia Phil. dicit 7. Ethic. cap. ult. quod tristitia si sit vehemens, impedit non solum delectationem contrariam, sed quamcumque delectationem. Sicut etiam vehemens delectatio omnem abigit dolorem, vel tristitiam. Non ergo videtur possibile quod quis maxime delectetur, et simul maxime tristetur.

3. Non omnes animæ vires attingunt ad cognoscendum, et amandum Deum. Ergo non tota anima Christi fruebatur.

Conseq. prob., quia fruitio beata est secundum cognitionem et amorem divinorum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Proprium erat animæ Christi, in quantum erat beata, quod frueretur. Ergo passio ejus fruitionem non impediebat.

Consequentia probat., quia *divinitas Christi permisit carni agere et pati, quæ propria*, ut Damas. dicit in 3. lib. c. 15.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Anima potest dici tota dupliciter. Uno modo secundum essentiam. Alio modo secundum potentiam: de qua distinctione dictum est art. præced. in corp.

1.ª Conclusio. Anima Christi, secundum essentiam, tota fruebatur.

Prob. Quia tota essentia animæ erat subjectum superioris partis animæ, cujus est frui divinitate. Sicut enim passio ratione essentiæ attribuitur superiori parti animæ, ita é converso fruitio ratione superioris partis animæ attribuitur essentiæ.

2.ª Conclusio. Anima Christi non tota fruebatur totalitate potentiarum.

Prob. Non enim fruebatur secundum omnes potentias directe, quia fruitio non potest esse actus cujuslibet partis animæ. Nec per reduntantiam gloriæ, quia dum Christus erat viator, non fiebat redundantia gloriæ á superiori parte ad inferiorem, nec ab anima in corpus.

3.ª Conclusio. Superior pars animæ perfecte fruebatur, Christo patiente.

Prob., quia superior pars animæ non impediebatur circa id quod est sibi proprium, per inferiorem partem, sicut nec inferior per superiorem á propriis impediebatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod nihil prohibet cotraria eidem inesse, non secundum idem: et quia gaudium fruitionis non contrariatur directe dolori passionis, cum non sint de eodem;

ideo gaudium fruitionis potest pertinere ad superiorem partem rationis per propriam actum, dolor autem passionis secundum suum subjectum. Ad essentiam animæ pertinet dolor passionis ex parte corporis, cujus est forma; gaudium vero fruitionis convenit ei ex parte potentiæ, cui subjicitur.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod verbum illud Phil. habet veritatem ratione redundantiæ, quæ naturaliter fit ab una potentia animæ in aliam: quod in Christo non fuit, ut redemptionis mysterium perficeretur, ut alias dictum est in corp. et art. 6.

Ad 3. Dicitur quod hoc argumentum probat, quod anima non fruereturs secundum omnes suas potentias, et sic probat secundam conclusionem.

## ARTICULUS IX.

### *Utrum Christus fuerit convenienti tempore passus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fuerit convenienti tempore passus.

1. Christus non est passus, quando immolabatur agnus paschalis. Ergo Christus non est convenienti tempore passus.

Anteced. prob., quia agnus paschalis immolabatur quartadecima die ad vesperam, quo die Christus non est passus, cum celebraverit pascha, cum discipulis secundum illud Marc. 14. *Prima die azymorum, quando Pascha immolabant*, sed passus est die sequenti.

Conseq. prob., quia passio Christi figurabatur per immolationem agni paschalis: unde et Apost. dicit 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

2. Passio Christi dicitur ejus exaltatio, secundum illud Jo. 3. *Oportet exaltari filium hominis.* Ergo videtur quod Christus, qui est sol justitiæ, debuerit pati hora sexta, quando sol est in sua maxima exaltatione. Cujus tamen contrarium videtur factum fuisse per id quod dicitur Marc. 15. *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.*

3. In solstitio æstivali, maxime exaltatur sol in quolibet anno, sicut hora sexta exaltatur in quolibet die. Ergo Christus potius debuit pati circa tempus æstivalis solstitii, quam circa tempus æquinoctii vernalis.

4. Per præsentiam Christi in mundo mundus illuminabatur secundum illud Jo. 9. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Ergo conveniens fuisset humanæ saluti, ut diutius vixisset in hoc mundo, ita quod non in juvenili, sed in senili ætate pateretur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Jo. 13. "Sciens Jesus, quia "venit hora ejus, ut transeat de hoc "mundo ad patrem," et Jo. 2. dicit: "Nondum venit hora mea." Ubi Aug. dicit trac. 8. in Jo. "Ubi tantum fecit, "quantum sufficere judicavit, venit ho"ra ejus, non necessitatis, sed voluntatis." Ergo Christus convenienti tempore passus est.

*Determinatio.*

Conclusio. Passio Christi convenienti tempore est celebrata.

Prob. Voluntas Christi, cui ejus passio erat subjecta, regebatur divina sapientia, quæ omnia convenienter, et suaviter disponit, ut dicitur Sapien. 8. Ergo passio Christi convenienti tempore est celebrata.

Et confirmatur. Quia August. dicit in quæst. nov. et veter. test. q. 95. quod *omnia propriis locis et temporibus gessit Salvator.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Quidam dicunt Christum fuisse passum decima quarta luna, quando judæi Pascha immolabant. Unde et Joan. 18 dicitur quod "judæi non introierunt "in prætorium Pilati ipso die passionis, "ut non contaminarentur, sed ut man"ducarent Pascha." Ubi Chrys. Hom. 82. in Jo. dicit quod "tunc judæi fa"ciebant Pascha; ipse vero ante unam "diem celebravit pascha, reservans suam

" occisionem sextæ feriæ, quando vetus " Pascha fiebat. » Cui videtur consonare id quod Jo. 13. dicitur: quod « ante diem " festum Paschæ Christus, facta cæna, pe- " des discipulorum lavit. »

*Reprobatio.*

Sed contra hoc videtur esse quod dicitur Matth. 26. quod " prima die azy- " morum, accesserunt discipuli ad Jesum " dicentes: ubi vis paremus tibi comede- " re pascha ?» Ex quo patet quod " cum " primus dies azymorum dicatur deci- " mus quartus dies mensis primi, quan- " do agnus immolabatur, et luna plenissi- " ma est, » ut Hieron dicit super Matth. c. 26. constat quarta decima luna Christum cænam fecisse, et decimaquinta eum esse passum. Et hoc expressius manifestatur per id quod dicitur Mar. 14. «Pri- " ma die azymorum, quando Pascha im- " molabant, » et Luc. 22. " venit dies " azimorum, in quo necesse erat occidi " Pascha. »

*Aliorum responsio..*

Et ideo quidam dicunt quod Christus die convenienti, in decima quarta luna pascha cum discipulis suis manducavit, demnostrans quòd usquead ultimum diem non erat legi contrarius, ut Chrys. dicit Hom. 8. in Matth. Sed judæi occupati circa procurationem mortis Christi, contra legem, celebrationem paschæ in crastinum distulerunt. Et propter hoc de his dicitur, quod in die passionis Christi noluerunt intrare in prætorium, ut non contaminarentur sed ut manducarent Pascha.

*Reprobatio.*

Sed nec istud videtur esse consonum verbis Marci dicentis: *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* Simul ergo Christus, et judæi vetus pascha celebraverunt.

*Vera sententia.*

Dicendum est ergo, sicut Beda cap. 43. dicit super Marcus capitul. 14. " quod licet Christus, qui est Pascha " nostrum, sit crucifixus sequenti die, » hoc est decima quinta luna, "attamen " nocte, qua agnus immolabatur, cor- " poris, sanguinisque sui discipulis tra- " dens mysteria celebranda, et á ju- " dæis tentus, ac ligatus ipsius immola- " tionis, hoc est passionis suæ sacravit " exordium.» Cum autem dicitur Jo. 13. " Ante diem festum Paschæ, » intelligitur hoc fuisse decimaquarta luna, quod tunc evenit quinta feria. Nam, luna existente decimaquinta, erat dies solemnissimus paschæ apud judæos; et sic eumdem diem, quem Joan. nominat " ante " diem festum paschæ, » propter distinctionem naturalem dierum, Matth. nominat primum diem azymorum, quia secundum ritum judaicæ festivitatis, solemnitas incipiebat á vespere præcedentis diei. Quod autem dicitur eos comesturos esse pascha in decimaquinta luna, intelligendum est quod ibi Pascha non dicitur agnus paschalis, qui immolatus fuerat decima quarta luna; sed dicitur cibus paschalis, idest azymi panes, quos oportebat comedi á mundis. Unde Chrys. ibidem Hom. 82. in Jo. aliam expositionem ponit, quod Pascha potest accipi pro toto festo judæorum, quod septem diebus agebatur.

Ad formam igitur argumenti, negatur antecedens: nam Christi passio incœpit in sero quaterdecimæ lunæ, quando immolabatur agnus ; et perfecta est in die quintæ decimæ lunæ, hora nona.

Ad 2. Dicitur ad conseq. quod Christus crucifixus est hora sexta. Ad id autem quod dicitur Marc. 15. " erat hora " tertia, et crucifixerunt eum. » Aug. respondet in lib. 3. de cons. Evang. cap. 13. quod quando traditus est Dominus á Pilato crucifigendus, hora erat quasi sexta, ut Jo. dicit. " Non enim erat " plene sexta, sed quasi sexta ; idest " peracta quinta, et aliquid etiam de " sexta esse cœperat, donec peracta sex- " ta, Christo pendente in cruce, tene- " bræ fierent. Intelligitur autem fuisse " hora tertia, cum clamaverunt judæi, " ut Dominus crucifigeretur, et vera-

“ cissime demonstratur tunc eos crucifixisse, quando clamaverunt. Ergo ne “ quisquam cogitationem tanti criminis “ aversus á judæis, in milites converteret, erat, inquit, hora tertia, et crucifixerunt eum, ut illi eum potius crucifixisse inveniantur, qui hora tertia, “ ut crucifigeretur, clamaverunt. »

Ad 3. Negatur consequentia. Sicut enim dicitur in lib. de quæst. nov. et vet. testa.quæst. 55. « Tunc voluit Dominus passione sua mundum redimere “ et reformare, quando eum creaverat, “ idest in æquinoctio, unde mundus initium cœpit, et dies super noctem increvit, quia per passionem Salvatoris á tenebris ad lucem perducimur.» Et quia perfecta illuminatio erit in secundo adventu Christi, ideo tempus secundi adventus æstati comparatur Matt. 24. ubi dicitur, « cum ramus ejus “ jam tener fuerit, et folia nata, scitis “ quia prope est æstas: ita et vos, cum “ videritis hæc omnia, scitote quia prope est, et in januis:» et tunc erit etiam maxima Christi exaltatio.

Ad 4. Neg. conseq. Christus enim in juvenili ætate pati voluit propter tria. Primo, ut ex hoc magis suam dilectionem commendaret, quod vitam suam pro nobis dedit, quando erat in perfectissimo statu. Secundo, quia non conveniebat, ut in eo appareret naturæ diminutio, sicut nec morbus, ut dictum est supra qu. 14. art. 4. Tertio, ut in juvenili ætate moriens, et resurgens, futuram resurgentium qualitatem, in seipso præmonstraret. Unde dicitur ad Eph. 4. “ Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in “ virum perfectum, in mensuram ætatis “ plenitudinis Christi. »

## ARTICULUS X.

### *Utrum Christus fuerit convenienti loco passus.*

*Pro negativa.* ==Videtur, quod non convenienti loco Christus passus fuerit.

1. Caro humana, secundum quam Christus passus est, fuit concepta ex virgine matre in Nazareth, et nata in Bethleem. Ergo videtur, quod non in Hierusalem, sed in Nazareth, vel in Bethleem pati debuerit.

2. Sacrificia veteris legis, per quæ Christi passio præfigurabatur, offerebantur in templo. Ergo videtur, quod etiam Christus in templo pati debuerit.

Conseq. prob., quia veritas debet respondere figuræ.

3. Adam, contra cujus peccatum passio Christi fuit medicina, non fuit sepultus in Hierusalem, sed in Hebron, ut dicitur Josuæ, cap. 14. Ergo videtur, quod Christus in Hebron, et non in Hierusalem debuerit pati.

Conseq. prob., quia medicina debet morbo respondere.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ 13. dicitur: *Non capit prophetam perire extra Hierusalem.* Sed Christus fuit propheta. Ergo Christus convenienter passus est in Hierusalem.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus passus est convenienti loco, sicut convenienti tempore.

Prob. Quia sicut dicitur in lib. quæst. nov. et vet. test. quæst. 55. *Omnia propriis locis, et temporibns gessit Salvator*: quia sicut omnia tempora sunt in manu ejus, ita etiam omnia loca.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Convenientissime enim Christus in Hierusalem passus est. Primo quidem quia Hierusalem erat locus á Deo electus ad sacrificia sibi offerenda, quæ quidem figuralia sacrificia figurabant Christi passionem, quod est verum sacrificium, secundum illud ad Ephes. 5. « Tradidit semetipsum hostiam, oblationem in odorem suavitatis:» unde Beda dicit in quad. Hom. scil. in dom. palm. quod «appropinquante hora « passionis, Dominus appropinquare voluit loco passionis,» scilicet Hierusalem quo pervenit ante sex dies Paschæ, si-

cut agnus Paschalis ante sex dies Paschæ, idest decima luna secundum præceptum legis, ad locum immolationis ducebatur.

Secundo, quia virtus passionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, in medio terræ habitabilis pati voluit, idest in Hierusalem. Unde dicitur in Psal. 73. "Deus autem rex noster ante secula, "operatus est salutem in medio terræ," idest in Hierusalem, quæ dicitur esse umbilicus terræ.

Tertio, quia hoc maxime conveniebat humilitati ejus, ut scilicet, sicut turpissimum mortis genus elegit, ita ad ejus humilitatem pertinuit, quod in loco tam celebri confusionem pati non recusaverit. Unde Leo Papa in Serm. 1. Epiph. dicit: "Qui servi susceperat formam, "Bethleem præelegit nativitati, Hieru"salem passioni."

Quarto, ut ostenderet á principibus populi judæorum exortam esse iniquitatem occidentium ipsum, et ideo in Hierusalem, ubi principes morabantur, voluit pati. Unde dicitur Act. 4. "Conve"nerunt in ista civitate adversus sanc"tum puerum tuum Jesum, quem un"xisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum "gentibus et populis Israel." Licet igitur caro Christi fuerit concepta in Nazareth, et nata in Bethleem, tamen conveniens fuit, quod in Hierusalem pateretur.

Ad 2. Neg. conseq. Christus enim non in templo, sed extra portam passus est, propter tria.

Primo, ut veritas responderet figuræ. Nam vitulus et hircus, qui solemnissimo sacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra castra comburebantur, ut præcipitur Levit. 16. Unde dicitur ad Hebr. 13. "Quorum "animalium infertur sanguis pro pec"cato in sancta per Pontificem, horum "corpora cremantur extra castra. Prop"ter quod et Jesus, ut sanctificaret per "suum sanguinem populum, extra por"tam passus est."

Secundo, ut per hoc daret nobis exemplum exeundi á mundana conversatione; unde ibidem subditur, "exeamus igi"tur ad eum extra castra, improperium "ejus portantes."

Tertio, ut Chrysost. dicit in Serm. de pass. qui incipit hodierna die: "noluit "Dominus pati sub tecto, nec in templo "judaico, ne judæi subtraherent sacri"ficium salutare, ne putares pro illa "tantum plebe oblatum. Et ideo foras "civitatem, foras muros, ut scias sacrifi"cium esse commune, quod totius terræ "est oblatio: quod communis est puri"ficatio." Ad prob. igitur dicitur quod immo per hoc implentur figuræ præcipuorum sacrificiorum, ut dictum est.

Ad 3. Quidam negant antecedens. Dicitur enim, quod in loco, in quo Dominus crucifixus est, fuerat Adam sepultus. Unde Hieron. in illud Matth. 27. "et venerunt in locum qui dicitur Gol"gotha" dicit, quod «quidam exposuit "Calvariæ locum, in quo sepultus est "Adam, ideo sic appellatum, quia ibi "antiqui hominis sit conditum caput. "Favorabilis interpretatio, et mulcens "aurem populi, nec tamen vera,» quia "Adam sepultum juxta Hebron, et Ar"bee in Jesu filii Nave volumine legi"mus."

Aliter igitur respondetur negando consequentiam. Quia enim Christus patiebatur, non solum pro peccato personali Adæ, sed etiam pro peccatis totius mundi, conveniens fuit, ut pateretur in loco communi damnatorum, sicut erat Calvariæ locus, quod nomen desumptum est á capitibus decalvatis damnatorum, quæ ibi truncabantur, et ut ubi erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii.

## ARTICULUS XI.

*Utrum conveniens fuerit Christum cum latronibus crucifigi.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod non fuerit conveniens Christum cum latronibus crucifigi.

1. Ille, qui factus est nobis justitia non convenienter fuit crucifixus cum his ad ad quos pertinet injustitia. Sed Christus factus est nobis justitia á Deo; ad latrones autem pertinet injustitia. Ergo Christus non convenienter fuit inter latrones crucifixus.

Maior prob. 2. Cor. 6. dicitur: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?*

2. Non erat conveniens quod aliquis homo, etiam justus, simul cum Christo moreretur. Ergo multo minus videtur fuisse conveniens, quod Christus cum latronibus pateretur.

Antecedens prob. Nam super illud Matth. 26. "Si oportuerit me mori te-"cum, non te negabo," dicit Orig. Hom. 35. in Matth. "Mori cum Jesu pro om-"nibus moriente, hominum non erat," et Amb. dicit lib. 1. super illud Lucæ 22. "Paratus sum tecum, et in carcerem "et in mortem ire." «Passio, inquit, Do-"mini æmulos habet, pares non habet.» 3. Matth. 27. dicitur, quod "latrones "qui crucifixi erant cum eo, improbe-"rabant ei," sed Lucæ 23. dicitur, quod "unus eorum, qui crucifixus erat cum "Christo, ei dicebat: memento mei Do-"mine, dum veneris in regnum tuum." Ergo videtur, quod præter latrones blasphemantes fuerit cum eis crucifixus alius non blasphemans, et sic videtur inconvenienter ab Evangelistis narratum, quod Christus fuerit cum latronibus crucifixus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

De Christo fuerat prophetatum Isaiæ 53. *Et cum sceleratis reputatus est.*

*Determinatio.*

Conclusio. Christus convenienter cum latronibus fuit crucifixus, alia quidem ratione quantum ad intentionem judæorum; alia vero quantum ad Dei ordinationem.

Manifestatur quoad utramque partem, et quoad primam, quia judæi duos latrones simul cum Christo crucifixerunt, "ut eorum suspicionis fieret particeps," idest ut æstimarent populi videntes eum fuisse latronem, ut Chrysost. dicit Hom. 88. in Matth. "Sed non ita "evenit: nam de illis latronibus nihil di-"citur: hujus autem ubique crux hono-"ratur. Reges diademata deponentes "assumunt crucem in purpuris, in dia-"dematibus, in armis, in mensa sacrata; "ubique terrarum crux emicat."

Quantum vero ad Dei ordinationem, Christus cum latronibus crucifixus est. Primo, quia ut Hierony. dicit super Matth. cap. 27. "Sicut pro nobis ma-"ledictum crucis factus est Christus; sic "pro omnium salute inter noxios, quasi "noxius, crucifigitur."

Secundo, quia ut dicit Leo Papa in Serm. 4. de pass. "Duo latrones, unus "ad dexteram, et alius ad sinistram "crucifiguntur, ut in ipsa patibuli spe-"cie monstraretur illa, quæ in judicio "ipsius omnium hominum facienda est "discretio." et Aug. dicit tract. 13. in Joan. "Ipsa crux, si attendas, tribunal "fuit: in medio enim judice constituto, "unus qui credidit liberatus, alius qui "insultavit damnatus est, jam significa-"bat quid facturus est de vivis et mor-"tuis, alios positurus ad dexteram, alios "vero ad sinistram."

Tertio, secundum Hilarium Can. 33. in Matth. "duo latrones lævæ ac dex-"træ affiguntur, omnem humani gene-"ris universitatem vocari ad sacramen-"tum passionis Domini ostendentes. Sed "quia per diversitatem fidelium, ac in-"fidelium, fit omnium secundum dex-"tram, sinistramque divisio, unus ex "duobus ad dextram ejus situs, fidei "justificatione salvatur."

Quarto, quia sicut Beda dicit cap. 44. super Marc. c. 15. "latrones, qui cum "Domino crucifixi sunt, significant eos, "qui sub fide et confessione Christi, vel "agonem martyrii, vel quælibet arctio-"ris disciplinæ instituta subeunt; sed "qui hoc pro æterna gloria gerunt, dex-

"tri latronis fide designantur; qui vero "humanæ laudis intuitu, sinistri latro- "nis mentem imitantur et actus."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod Christus non meruit cum latronibus crucifigi, cum ipse sit factus nobis justitia, et ad illos iniquitas pertineret, voluit tamen cum iniquis deputari, ut sua virtute iniquitatem destrueret. Sicut etiam etsi debitum mortis non habuerit, mortem voluntarie subiit, ut sua virtute vinceret mortem. Unde Chrysost. dicit Hom. 84. in Joan. quod "latronem in cruce convertere, et in "paradisum inducere, non minus fuit, "quam concutere petras."

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod non erat conveniens, ut aliquis homo cum Christo moreretur ex eadem causa, idest pro redemptione humani generis, et sic intelligenda sunt verba Orig. qui ibidem subdit: "omnes fuerant in pec- "catis, et omnes opus habebant, ut pro "eis alius moreretur, non ipsi pro aliis:» latrones autem non moriebantur ex hac causa, sed ex propriis delictis.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo, secundum August. in lib. 3. de consensu Evang. cap. 16. quod Matthæus posuit pluralem numerum pro singulari, quando dixit, "latrones improperabant "ei." Vel potest dici secundum Hieron. super Matth. 27. quod "primum uter- "que blasphemaverit, deinde visis sig- "nis, unus eorum crediderit," de quo Lucas dicit, quod clamavit: "memento "mei Domine, dum veneris in regnum "tuum."

## ARTICULUS XII.

*Utrum passio Christi sit ejus divinitati attribuenda.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod passio Christi sit ejus divinitati attribuenda.

1. Christus est crucifixus, secundum quod est Dominus gloriæ. Ergo passio Christi est divinitati attribuenda.

Anteced. prob., quia 1. Cor. 2. dicitur, "si cognovissent, numquam Domi- "num gloriæ crucifixissent."

Conseq. prob., quia Christus est Dominus gloriæ secundum divinitatem.

2. Si passio Christi ad ejus divinitatem non pertineret, videretur, quod non posset nobis esse salutifera.

Conseq. prob., quia principium salutis humanæ est ipsa divinitas, secundum illud Psal. 36. *Salus autem justorum á Domino.*

3. Judæi puniti sunt pro peccato occisionis Christi, tamquam homicidæ ipsius Dei: quod magnitudo pœnæ eis illatæ demonstrat. Ergo passio Christi ad ejus divinitatem pertinuit.

Conseq. prob., quia non fuissent puniti, ut homicidæ Dei, si ejus passio ad divinitatem non pertinuisset.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Impassibile non potest pati. Sed Deus est impassibilis. Ergo Christi passio non est ejus divinitati attribuenda.

Minor prob., quia Athanas. dicit in Epist. ad Epictetum, quæ incipit: ego arbitrabar. *Natura Deus manens Verbum est impassibile.*

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Passio Christi pertinet ad suppositum divinæ naturæ, ratione naturæ passibilis assumptæ, non ratione divinæ impassibilis.

Prob. Divinitati proprium est, quod sit impassibilis. Ergo passio Christi non est divinitati attribuenda.

Conseq. prob., quia sicut dictum est supra quæst. 2. art. 2. et 3. unio humanæ naturæ et divinæ facta est in persona et supposito, manente tamen distinctione naturarum, ut scilicet sit eadem persona et hypostasis divinæ et humanæ naturæ, salva tamen utriusque naturæ proprietate. Et ideo supposito divinæ naturæ attribuenda est passio, non ratione divinæ naturæ, quæ est impassibilis; sed

ratione humanæ naturæ, que est passibilis.

Et confirmatur, quia Cyrillus dicit in Epist. Synodali, ut habetur can. 12. Syn. Ephes. "Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, Anathema sit."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod Dominus gloriæ dicitur crucifixus, non secundum quod est Dominus gloriæ, sed secundum quod erat homo passibilis.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod sicut dicit Cyrillus in quodam Sermone Ephesini Concilii, "Mors Christi, tamquam facta mors "Dei," scilicet per unionem in persona, "destruit mortem, quoniam Deus et "homo erat qui patiebatur. Non enim "natura Dei læsa est, sed humana, ne- "que mutatione sua suscepit passiones." Fuit igitur nobis passio Christi salutifera, quia persona divina passa est, non ratione naturæ divinæ, sed humanæ.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem negatur assumptum, fuerunt enim puniti judæi, quia Verbum Dei occiderunt, non ratione divinitatis, quæ passiones pati non potest, sed ratione humanitatis passibilis assumptæ. Unde in eodem Serm. Cyrilli dicitur; "non pu- "rum hominem crucifixerunt judæi, sed "Deo intulerunt præsumptiones. Pone "enim principem loqui per verbum, et "hoc formari per litteras in carta ali- "qua, et dirigi civitatibus, et aliquis "inobediens cartam disrumpat, ad mor- "tis sententiam deducetur, non tamquam "cartam disrumpens, sed tamquam ver- "bum imperiale disrumpens: non ergo "securus sit judæus, tamquam purum "hominem crucifigens: quod enim vide- "bat, quasi carta erat: quod vero in ea "celabatur, imperiale verbum erat, na- "tum ex natura, non prolatum per lin- "guam." Puniuntur igitur judæi tamquam Dei homicidæ, quia Deo in humana natura mortem intulerunt.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 45.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem, et á fortiori quidem interimas hæresim *Fausti* Manichæi dicentis, Christum non potuisse mori. Si enim conveniens, et necessarium fuit, ut revera fuit, et articulus multipliciter probat, quod Christus pateretur, idest, usque ad mortem inclusive pateretur, ut de glossæ istius bonitate patet consideranti probationes conclusionis *secundæ*, multo magis utique per eamdem articuli rationem multiplicem manifestum est, tamquam necessario inclusum, atque suppositum, quod Christus potuit usque ad mortem inclusive pati, idest, mori. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim illam merito damnari á Jo. 3. *Sicut Moyses*, etc. ut *in arg. cont.* Pro cujus ampliori notitia ad confutationem prædictæ, multarumque hæresum, vide veritates aureas super totam legem veterem, Numer. 21. concl. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Item merito hæresim illam damnari ab Exod. 6. "Redimam vos in judiciis magnis, et in brachio excelso." Maxime si hoc dictum accipias simul cum expositione veritatum aurearum, ibi cap. eod. concl. 3. Unde et ad hujus articuli juvamen plurima facientia per teipsum facile sumes. Item á Concilio Ephesino 1. can. 12. "si quis non confitetur; Dei Verbum passum carne, crucifixum carne, et mortem carne gustasse: anathema sit." Item á symbolo fidei: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus.* Item ad Heb. 2. "Decebat eum, propter quem omnia, per passionem consummari." Et infra. "Ut per mortem des-

trueret eum, qui habebat mortis imperium, idest, diabolum. » Et iterum. " In eo, in quo passus est ipse, et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari. » Item á 1. Corinth. 15. " Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris. » Dic tu, suaviter inflectendo hoc, contra hæresim prædictam. Si Christus non est mortuus, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris. Quandoquidem, ut patet, resurrectio vera Christi, quam, ducendo adversarios ad illa tria inconvenientia, vult adstruere ibi Apostolus, præsupponit necessario veram Christi non tantum possibilitatem moriendi, sed etiam actualem mortem. *Tertio* vides: quomodo, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas et á fortiori quidem, hæresim *Theodori Bizantini*, ut refert Prateolus in titul. *Bassus*, dicentis: Jesum Christum non esse Salvatorem. Si enim necessarium ex suppositione divinæ præordinationis fuit, ut fuit, et articulus probat, quod Christus pateretur propter nostram salutem, multo magis constat, ipsum esse hominum salvatorem. Nam esse necessario salvatorem, includit esse salvatorem, et super hoc addit aliquid, scilicet necessitatem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari à 1. Tim. 2. " Unus est mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum pro nobis. » Et item de Christo ait ibid. cap. 2. " Qui est Salvator hominum. » Et Philip. 3. " Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit, » etc. Et ad Titum 3. " Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei. » Et intra. " Quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. » Et cap. 2. " Expectantes adventum Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis. » Item á 1. Joan. 4. " Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. » Item á fortiori damnatur á Beato Augustino per hoc, quod monstrat, nihil ad salvandum nos esse commodius, quam Christum. Nam inquit: *Modum, quo nos per*, etc ut *in arg. cont.* Ubi ex ly *divinæ congruum dignitati* notabis hanc mirabilem veritatem, quod Deus reputavit homines in tantum, ut magnificaverit *facere cum eis*, psalm. 125. idest, ut æstimaverit congruum esse suæ dignitati divinæ *facere nobiscum*, idest, salvare nos per passionem Christi unigeniti sui. Item damnatur etiam á nomine proprio ipsius Christi, quod est Jesus Matth. 1. Luc. 1. Hoc est, si latine nomen illud interpretemur, salvator. Idem ergo est dicere, Christum non esse salvatorem, quod est Christum non vocari Jesum. Et, cum legatur Matth. 1. *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*, negare Christum esse Salvatorem, erit ignorare propriam vocem, et dicere contradictoria, idest, Christum non esse Christum. *Tertio* consequenter ex prædictis habes: quomodo per rationem multiplicem interimas hæresim, derideasque justissime insanam temeritatem *Menandri*, qui, ut videre est in Euseb. lib. 3. c. 2. et in Isidoro, ac D. Aug lib. de hæresib. asserebat, se fuisse destinatum salvatorem mundi, et se ex Olympo demissum ad hominum salutem. Prædictis ergo contra hujus hæresis damnationem addes illud Acto. 5. " Non est in aliquo alio salus. Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. » Item á dictis in qu. 28. artic. 1. Valebunt quoque contra dictas hæreses illa, quæ dicuntur in qu. 1. art. 2. Elucid. et veritatibus aureis super totam legem veterem, Levit. 16. conclus. 8. et addit. artic. num. 332. Elucid. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Augustino, quod modus convenientior liberandi hominem fuit per passionem Christi. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Isa. 5. *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci?* Si enim affuisset alius modus convenientior ad reparandam istam vineam, quæ, ut ex eodem cap. habetur, est homo: non diceretur hoc, scilicet *quid est, quod*, etc. Nam per hujusmodi sententiam vult ostendere Deus, quod pro exornanda ista vinea fecit, quæ decentissima erant fieri. Quod, si aliquis alius modus decentior pro liberando homine fuisset, videretur potuisse responderi Deo ibi in persona patruelis Isaiæ lo-

quentis; quod debuit aliquid ultra facere vineæ suæ. Cujus tamen contrarium, ut consideranti patet, innuitur per illam formam loquendi. Hæc autem prophetæ auctoritas tanto magis facit ad propositum art. quanto de passione Christi nonnulla interserit. Præmiserat enim in contextu ly *torcular extruxit in ea.* Nomine siquidem torcularis solet intelligi passio Christi ab eodem propheta, juxta illud capit. 63. *Torcular calcavi solus.* Angelis enim inquirentibus ibi á Christo ad cœlos ascendente, 1. qu. 57. art. 5. cur haberet indumentum rubrum, et vestimenta, sicut calcantium in torculari, idest cur haberet corpus insignitum stigmatibus lanceæ, atque clavorum, respondit ip se Christus, *torcular calcavi solus*, idest passionem torsionibus plenam viriliter, quasi calcando, idest minus curando ejus acerbitatem, sustinui solus; ita, quod nullus mecum particeps, solus ego omnia vulnera passionis ab hostibus inflicta excepi, et propterea sanguine abundantissimo vestimenta mea aspersa sunt. In proposito igitur passionis loquens subdit ly *quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci?* Hoc est. Via ad excolendam vineam meam, idest ad reducendum hominem ex deformitate in statum suæ pulchritudinis, nulla fuit congruentior, et aptior, quam passio Christi. Ut sine errore intelligere possis ly *debui*, vide part. 1. q. 21. ar. 1. ad 3. Insinuatur et idem in principio dictum ab Exod. 6. *Redimam vos in judiciis magnis, et in brachio,* etc. Ibi enim plurima per passionem Christi expedientia fini, scilicet saluti hominum designantur: et ideo convenientia major, ut probatio conclusionis docuit. De illis plurimis sic designatis, et consequenter in servitium textus præsentis articuli, vide veritates aureas super totam legem veterem, Exod. 6. concl. 3. ad longum. Juvabit et proposito textus videre ar. 1. 2. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Ecclesia, quod convenientissimum fuit, Christum mori in cruce; á scripturis quidem, ut per dictum Philipp. 2. *Factus obediens usque*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Idem enim est, ut sæpius dictum est, Christum fecisse aliquid, et convenientissime fecisse illud: sicut é converso proportionaliter idem est diabolum, Antichristumque, et universaliter quoscumque inimicos Christi, ut sic, facere aliquid, et inconvenientissime facere illud. Item per dictum 1. Corinth. 1. " Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est: his autem, qui salvi fiunt, » idest nobis, " virtus Dei est. » Hic per ly *virtus* intelligit oppositum stultitiæ, de qua in contraposita propositione locutus fuerat. Ac si dixerit: verbum crucis, idest crux Christi, et consequenter, Christum esse mortuum in cruce, est res convenientissima, utpote plena sapientiæ. Ubi et nota, quod, secundum Apostolum, crucis verbum tanto magis virtus est, quanto pereuntibus stultitia est. Adeo quod ipsum esse stultitiam pereuntibus, est quædam demonstratio ampla, et confirmatio, quod revera est virtus. Nam pereuntes judicium perversum habent; sicut é contra hi, qui salvi fiunt, rectum. Patet autem, quod aliquam rem judicari malam ab habentibus perversum judicium, est grande signum, quod eadem res judicabitur bona ab habentibus rectum judicium, et consequenter, quod vere est bona. Quasi aperte dicat Apostolus. Vis videre, quod verbum crucis, idest, Christum esse crucifixum, est virtus, et sapientia? Inspice non solum ad habentes judicium rectum, idest, ad christianos, sed etiam ad habentes judicium perversum, idest ad infideles: quoniam ex utrorumque judicio seorsum conclusionem hanc veram habebis, scilicet quod crux Christi vere est virtus, et sapientia: directe quidem á recto judicio, indirecte autem á perverso. Nam, quanto magis perversum contranitetur ad rectum, dicendo, scilicet stultitiam illud, quod rectum dicit sapientiam: hinc, ut patet terminos penetranti, tanto magis te certificabit de veritate rei, idest, de hoc, quod illud est sapientia. Revera igitur fuisse convenientissimum, quod Christus pateretur in cruce, dicunt ii, et qui pereunt, et qui salvi fiunt: sed primi nolentes, secundi volentes; primi per oppositum, secundi per directum, primi negando, secundi affi mando. Porro, si ad hoc propositum, et consequenter in servitium articuli, plura volueris scitu dignissima, vide veritates aureas

super legem veterem, Num. 17. concl. 1. 2. 3. ad longum. Ab Ecclesia vero insinuatur idem in principio dictum per hoc, quod in præfatione ad Deum dicit " Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti: ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; et qui per lignum vincebat, per lignum quoque vinceretur; per Christum Dominum nostrum. » Idest, in ipso ligno crucifixum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus non est passus omnes passiones, quæ possunt ab hominibus inferri. Ut per hoc, quod á volentibus eum lapidare abscondit se Jo. 8. et consequenter lapidatus non est: et á volentibus eum præcipitare, ibat, transiens per medium illorum, Luc. 4. et consequenter non est præcipitatus: et á volentibus crura ejus frangere non est sic fractus, Jo. 19. secundum quod est *in arg. cont.* Item à Matth. 16. " cœpit ostendere discipulis suis, quia oporteret, eum multa pati á senioribus » etc. Item á Mar. 9. " scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur, et contemnatur. » Item à Luc. 9. " oportet, filium hominis multa pati, et reprobari á senioribus, » etc. Item ab eod. c. 17. " Primum oportet, illum multa pati, et reprobari á generatione hac. » Si enim annotaveris, quod in his locis allegatis singillatim dicitur ly *multa pati*, non autem dicitur, omnia: tunc videbis ad litteram expressum ibi esse articuli hujus intentum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per ejus rationem tamquam ex superabundanti interimas hæreses et *Cerdonis* dicentis, Christum non esse passum vere, sed simulasse passionem, et *Simoniacorum* dicentium, Christum nihil mali pertulisse. Per hunc enim articulum ponentem in Christo dolorem omnium maximum, discimus; et Christum non tantum vere, sed etiam verissime, fuisse passum; et ipsum aliquid, immo multum mali pertulisse. Quamquam hæc ultima hæresis directius impugnetur, et expugnetur ab ar. 5. Ex eo namque, quod Christus omnes dolores pertulit, patet directissime, falsum esse, quod ipse nihil mali pertulerit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Threnor. 1. *Attendite*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi ly *si* stat pro non, sicut et in Amos 3. " Si erit malum in civitate: » et in Ps. 94. " si introibunt in requiem meam. » Hoc est: " Attendite, et videte, quod non est dolor, sicut: *etc.* Non erit malum, *etc.* Non introibunt in, » *etc.* Item á Papa *Eugenio IV.* in Concil. Flor. " Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur, et prædicat, Dei filium in assumpta humanitate ex virgine vere natum, vere passum, vere mortuum, et sepultum, vere ex mortuis resurrexisse, etc. Anathematizat autem, execratur, et damnat omnem hæresim contraria sapientem. » Hæc ille in constitut. super unione Jacobinorum. Item ab Isa. 53. *Vere dolores nostros ipse portavit.* Item á dictis supra articulorum num. 1. 94. 95. 96. 33. 195. 246. Et á veritatibus aureis super totam legem veterem, num. 17. concl. 1. et Deut. 9. concl. 7. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas merito esse insinuatum á scripturis; quod Christus passus est secundum totam animam. Ut per hoc, quod dicitur Psal. 87. *Repleta*, etc. secundum quod cum expositione ponitur *in arg. cont.* Item per dictum Isa. 1. « Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. » Hoc enim (secundum sacros doctores) juxta sensum mysticum intelligitur de Christo. Nec immerito quidem: ut pœna satisfactoria Christi correspondeat in omnibus culpæ hominum, de quibus Isaias ibi loquitur ad litter. Taceo, quod in artic. 6. corpor. fin. ly quarto potest considerari magnitudo, etc. dictum est; quod pœnam suam Christus voluit esse tantam, quanta proportionaretur fini, idest liberationi hominum à peccatis. Cum itaque peccata populum á planta pedis usque ad verticem, et in corpore et in anima occupaverunt; non tantum enim opere, sed etiam corde, idest cogitatione peccáverant: conveniens fuit ut scriptura hæc Isaiæ secundum mysticum intellectum attribueret Christo passionem et secundum totum corpus, et secundum totam animam Secundum corpus, inquam, ut denotavit per ly *omne caput languidum:* se-

eundum animam vero: ut designavit per ly *omne cor mœrens*: secundum totum auem, et totam; ut importavit, utrumque á se prædictorum limitando per ly *á planta pedis* (scilicet tum corporalis, tum spiritualis, idest affectus animæ) *usque ad verticem* (cilicet, tum corporalem, tum spiritualem, idest partem superiorem animæ) non est in eo, scilicet Christo homine, sanitas. Modum tamen, qno in superiori parte, scilicet intellectiva non erat, et erat sanitas, vide in conclusionibus 2. 3. ne erres. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 8. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Damasceno: quod Christi anima tempore passionis fruebatur fruitione beata. A Damasceno quidem: ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur; humanitatem Christi ab illo nunc, quo assumpta est, fuisse beatam, Psalm. 64. *Beatus, quem elegisti, et assumpsisti.* Ac si aperte dicatur ibi: quod Christus homo fuit comprehensor simul, dum erat viator. De ratione enim comprehensorum est continuitas operationis, qua Deum videndo attingunt, secundum illud Psalm. 124. *Non commovetur in æternum, qui habitat in Hierusalem:* et consequenter per idem ostendunt scripturæ, Christi hominis operationem beatificam numquam etiam tempore passionis fuisse interruptam: per quod ostenderant, Christum, secundum quod homo, esse comprehensorem. Cæterum, si vis quoque per apertam rationem videre, quod continuitas operationis (ut habetur 1. 2. quæst. 3. art. 2. ad quartum) sit de ratione comprehensorum, seu felicitate perfecta beatorum. Ecce. Anima intellectiva numquam ad finem ultimum pertingit, nisi quando naturale desiderium ejus quietatur. Desiderat autem naturaliter felicitatis perpetuitatem, idest perpetuam continuitatem: sicut naturaliter desiderat felicitatem. Quia enim anima intellectiva est perpetua in sua substantia: ideo illud, quod propter se desiderat, et non propter aliud, desiderat, ut semper habendum. Unde patet: quod felicitas ultima non esset felicitas ultima, nisi perpetuo sine ulla discontinuitate operationis, in qua consistit, 1. 2. quæst. 3. art. 4. permaneret. Audi, si vis, et aliam. Illud, quod naturaliter movetur ad aliquid, sicut ad finem motus sui, non removetur ab eo, nisi per violentiam, ut patet de gravi, cum projicitur sursum. Constat autem ex lib. 3. cont. gent. c. 50. quod substantia intellectualis, qualis est anima humana, tendit desiderio naturali ad visionem Dei per assentiam. Anima ergo intellectiva videns essentiam divinam non deficit ab ipsa visione, nisi per violentiam. Patet autem, quod nihil tollitur per violentiam alicujus, nisi virtus auferentis sit major virtute illud causantis. Cum igitur causa visionis divinæ sit Deus, lib. 3. cont. Gent. c. 52. 53. et nulla virtus excedat Dei virtutem; sequitur, quod impossibile sit, ipsam visionem tolli per violentiam creaturæ quantumcumqne magnam ab anima beata. Discontinuitas itaque operationis beatificæ nulla potuit intervenire in anima Christi intellectiva, sed nec impedimentum aliquod per violentiam passionum sibi á Judæis illatarum: etiamsi illæ violentiæ fuissent majores. Violentias tamen has Christus voluntarie passus est, quæst. 14. art. etc. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 9. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Ecclesia; quod Christus est convenienti per antonomasiam, idest, convenientissimo tempore, passus (sic enim dicta omnia de Christo, quantum est ex parte Christi, antonomastice intelliguntur, quæst. 35. art. 8. in Elucid. post conc.) á scripturis quidem: ut Joan. 13. et 2. secundum quod cum expositione B. Aug. est *in arg. cont.* Ubi *ly hora mea* exponatur sic, idest hora meæ passionis á me determinata. Item per hoc, quod dictur Sapient. 11. *omnia in numero, pondere, et mensura disposuisti, Domine.* Subsume tu particularem hanc. Sed tu Domine disposuisti passionem tuam, ut cuique in sacris literis experto patet; ergo in numero, pondere, et mensura disposuisti illam. Quapropter, cum tu, Domine, sic eam disposueris, impossibile est, quod passio ipsa non fuerit convenienti tempore celebrata. Item á dictis *quæst.* 42. *articulorum suorum appendicibus,* generalia illa suaviter inflectendo ad particulare hoc intentum. Ab Ecclesia vero insinuatur per hoc, quod confi-

cit sacramentum Euchar. in azymo. Designat enim facto ipso, quod Christus in cœna ultima, quando instituit hoc sacramentum, usus est azymo: ut qui primo die azymorum, quando pascha immolabant, *Matth.* 26. *Marc.* 14. supremam illam cœnam demonstrans ideo, quod usque ad ultimum diem non erat contrarius legi, manducaverit. Ecclesia igitur factis ipsis protestatur; quod Christus seipsum verum agnum 14. luna mensis apud Hebræos primi, idest Martii, immolavit, consentiente ad hoc universa multitudine bonorum filiorum Israel. Vide veritates aureas super totam legem veterem, *Exod.* 12. *concl.* 1. in ly *immolabit*, etc. Consequenter ergo protestatur, quod Christus 14. Luna secundum legem in Exod. 12. præscriptam immolatus est ad vesperam incruente, et é vestigio cruente per succesionem continuam. Sic enim oportuit secundum verum legis antiquæ sensum fieri reddendo singillatim figurata figuris. Nam cœnæ figurali succedit immediate cœna figurata, Agni, scilicet, Christi, sacramentalis comestio, et immolationi cruentæ figurali succedit post cœnam immediate immolatio cruenta figurata (Adhortum enim mox Christus accedit; ubi cruento sudore, *Luc.* 22. totam continuandam similem, idest cruentam, sui immolationem consecravit.) Nec obstat, quod agnus figuralis prius occidebatur, et postea manducabatur secundum illud Exod. 12. «ponent de sanguine ejus super utrumque postem domorum; in quibus comedent illum.» Hoc, inquam, non obstat: quoniam figuratum figuræ debere succedere ibi in Exodo præmonstratum est, non autem ordinem ordini. Licet enim veritas, idest figuratum debeat respondere figuræ; non tamen necessario quantum ad omnia, quia jam inter illa non esset similitudo, sed veritas, idest, identitas, art. 4. ad 1. et quæst. 2. art. 6. ad 1. ex Damasceno utrobique, speciatim autem in proposito non oportuit ordinem figurati respondere ordini figuræ, ne fieret confusio inversa, idest quod post cœnam figuralem Christus clavis realiter immediate caucifigeretur, et post crucifixionem statim ipse coenam figuratam celebraret. Passum igitur Christum tempore convenienti, idest tempore ab Exodo præsignato, docet Ecclesia, dum in azymo consecrat. Non objicias, quod Grecis ipsa concedit, ut in fermentato consecrent, quia non facit hoc ad denotandum contrarium, idest, quod Christus non sit passus tempore prædicto convenienti, absit, sed hoc facit ad denotandum, quod de necessitate consecrationis non est panem esse azymum, licet hoc sit de melius esse, quæst. 64, art. 4. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod in loco convenienti, scilicet in Hierusalem, et Calvariæ passus est Christus. Quod quidem in talibus locis, uno tamquam communi, scilicet Hierusalem, altero tamquam proprio, passus sit, insinuatur Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Jo. 19. Quod vero ipsum pati in prædictis locis fuerit conveniens, insinuatur Luc. 13. Isa. 53. Et Lucas quidem Christum ad litteram loquentem de passione sua futura introducit, ibi, et dicentem: *Non capit, prophetam perire extra Hierusalem.* Applica tu, ut *in arg. cont.* Isaias autem ibi de Christo prophetat in præteritum propter certitudinem rei, et inquit: *Cum sceleratis reputatus est.* Non enim hoc scilicet ly *sceleratis* solum ad latrones, cum quibus crucifixus est, refertur: sed et ad sceleratorum absolute, idest ad communiter damnatorum locum. Ac si apertius Isaias in proposito dixerit. Christus in loco sceleratorum, pro illorum sceleribus puniendis deputato, crucifigendus proculdubio est. Item insinuatur á dictis etc. Vide a. 9. append. locaque ibi citata: et facile inflectendo illa, aliaque universalia ad hoc particulare propositum, abundanter satisfactus eris. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 11. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, quod conveniens fuit, Christum crucifigi cum latronibus. Ut per hoc, quod dicitur de Christo Isa. 53. *Et cum*, etc. ut *in arg. cont.* Conveniens namque est, ut prophetarum dicta, secundum quod dependent á voluntate Dei, adimpleantur. Item per hoc, quod Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. narratur

factum, scilicet, quod cum latronibus crucifixus est. Sæpius enim regula illa universalissima, et verissima adducta fuit, quæ et præsens propositum confirmat: quod videlicet omnia facta, et dicta de Christo, in quantum tamen ex parte Christi considerantur, idest in quantum á voluntate beneplaciti ejus dependent, sunt convenientia antonomastice, idest convenientissima: immo, cum Christus sit Dei sapientia, aliter esse non possunt. Item per hoc, quod legitur Num. 17. " Accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, ponesque eas in tabernaculo fœderis. » Hæ enim virgæ figurabant cruces: Aaronis quidem virga crucem Christi, aliorum autem cruces latronum. Ponuntur aliorum virgæ simul cum virga Aaronis in tabernaculo fœderis: ut designetur, quod cum latronum crucifixione associandus erat Christus in monte Calvario. Mons etenim Calvariæ gerebat tunc locum tabernaculi foederis, idest testimonii; quoniam in ipso monte, ut insinuavit Christus per ly *consumatum est*, omnia á prophetis testificata, sive omnia prophetarum testimonia de Christo crucifixo adimpleta fuerunt. Ut tamen hanc figuram cum figurato suo melius capias, et consequenter præsenti articulo melius inservias, vide veritates aureas super totam legem veterem, Num. 17. concl. 4. Item per hoc, quod, secundum translationem septuaginta interpretum, dicitur Abachuch. 3. " Domine audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi: in medio duorum animalium innotesceris. » Hic enim loquitur propheta iste de passione Christi, secundum expositionem Ecclesiæ infrascriptam, et eum esse innotescendum in medio duorum animalium contestatur. Pro cujus captu recole, Christum dixisse judæis Jo. 8. " Cum exaltaveritis filium hominis; tunc cognoscetis, quia ego sum. » In cruce ergo innotescendus, idest, cognoscendus erat Christus pro Deo vero, et tunc, quando sic innotesceris Domine, inquit ipse propheta, eris in medio duorum animalium, idest, crucifixus in medio duorum latronum. Peccatores enim nomine animalium solent in scriptura significari, ut intelligi datur ex Psalm. 48. "Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis, et similis factus est illis, » juxta quod animalia ipsa conditiones ignobilitatem, et malitiam quamdam importantes habent. Dixi ly *secundum expositionem Ecclesiæ*, quia Ecclesia illud dictum prophetæ Abachuch legit in die parasceves, ut patet in Missali, denotans per hoc, sensum ipsius prophetæ ibi esse de passione Christi, in qua ille innotuit dextro latroni, Centurioni, multisque percutientibus pectora sua, Luc. 23. quod erat vere filius Dei, Deus, et rex coelestis regni. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Acephalorum* dicentium: quod Christi natura divina fuit passa, et crucifixa. Et *Apollinaristarum* dicentium: Christum passionem in divinitate sua sustinuisse ita, ut divinitas, cum humanitate fuerit mortua, et resuscitata. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari à Malach. 3. *Ego Deus, et non mutor*. Idest, Deus, ut Deus, non mutor. Item á Concil. *Tolet*. 1. quod á Leone Papa etiam auctorizatum est. " Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem Christi convertibilem, vel passibilem fuisse: anathema sit. » Hæc illud in cap. 21. ubi tradit regulas fidei catholicæ. Item á Papa Felice III. in Epist. ad Petrum episcopum Antiochiæ. Monet enim ibi ipsum, ne in trisagio addat, " crucifixus propter nos, » idest, ne dicendo : " Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, » addat, " qui pro nobis crucifixus es: » et hoc, ne trinitatem convincatur dicere esse crucifixam, quod est pessima hæresis. Vide illam epistolam memoria indelebili dignam: sed adeo pro rei necessitate longam, ut hic ad verbum recitari non potuerit, sed tantum summatim, ut diximus. Inter cætera tamen dicit. " Unigenitus Dei filius, qua ratione verbum est in propria substantia, non potest pati: patitur autem proprium animatum corpus, quod ipsum substantiale Dei verbum ex ipsa sanctæ, et intemeratæ virginis vulva sibi conjungens, ex muliere processit. » Et infra. " Rursus, qua parte ex muliere natum est, et substantiæ nostræ, ac generationis est particeps absque peccato, sustinuit passionem. » Item á Concilio 6. *generali*, *Constantinopoli* celebrato, canon. 81. " Quoniam nos novimus, in quibusdam locis in trisagio acclamari post illud, sanctus immortalis, cruci-

fixus pro nobis: nos, cum antiquis patribus statuentes, anathematizamus eos, qui talem deinceps susceperint vocem. » Ubi patres propter eamdem causam, ex qua motus est Papa Felix, ne scilicet Deitas crucifixa credatur, illud sub anathemate prohibent. Ex quo aperte constat: quod hanc, scilicet Deitatem esse passam, habent pro hæresi, et pro tali eam damnant. Item á Concilio *Ephesino* cap. 14. ut refertur á Cyrillo in Epistola ad Dioscorum. " Christum dicimus passum esse: non quia Deus verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera susceperit, Deus namque incorporalis extra passionem est, sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit: ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus qui pati non poterat. Simili modo et mortem ipsius intelligimus. Immortale enim, et incorruptibile est naturaliter, et vita, et vivificans, Deus Verbum: sed quia corpus ipsius proprium, gratia Dei, juxta Pauli vocem, pro omnibus mortem gustavit, idcirco ipse dicitur mortem passus pro nobis. Non quod ipse mortem, quantum ad ipsius naturam pertinet, esset expertus, insania enim est hoc sentire, vel dicere; sed quod vera caro ipsius mortem gustavit. » Ubi intellige ly *quantum ad ipsius naturam*, scilicet divinam. Licet enim et natura humana sit ex tempore ipsius natura: tamen non absolute, idest, quandocumque fuit persona illa divina, fuit ejus natura. Item á dictis supra art. num. 86. 104. Eluc. et á veritatibus aureis super legem veterem, Gen. 37. concl. 7. *Tertio* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA SEPTIMA,

### DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causa efficiente passionis Christi.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum Christus fuerit ab aliis occisus, vel à seipso.

Secundo, ex quo motivo seipsum passioni tradiderit.

Tertio, utrum Pater tradiderit eum ad patiendum.

Quarto, utrum fuerit conveniens ut per manus gentium pateretur, vel potius á judæis.

Quinto, utrum occisores ejus eum cognoverint.

Sexto, de peccato eorum qui Christum occiderunt.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus fuerit ab alio occisus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fuerit ab alio occisus, sed á seipso.

1. Ille cujus anima non tollitur ab alio, sed á seipso, non occiditur ab alio, sed á seipso. Sed Christi anima non est ablata ab alio, sed á seipso. Ergo Christus non est occisus ab alio, sed á seipso.

Maior prob., quia ille dicitur aliquem occidere, qui ejus animam tollit.

Minor prob., quia ipse Christus dicit Joan. 10. « Nemo tollit animam meam á « me, sed ego pono eam. »

2. Illi qui ab aliis occiduntur, paulatim debilitata natura deficiunt, et maxime hoc apparet in crucifixis: ut enim dicit August. 4. de Trin. cap. 13. «Longa morte cruciabantur ligno suspensi. » Sed in Christo hoc non accidit; nam *clamans voce magna emisit spiritum*, ut dicitur Matth. 27. Ergo Christus non ab aliis, sed á seipso est occisus.

3. Ille qui voluntarie est mortuus, non fuit ab aliis occisus. Sed Christus voluntarie mortuus est. Ergo Christus non fuit ab aliis occisus, sed á seipso.

Maior prob., quia illi qui ab aliis occiduntur, per violentiam moriuntur, et

ita non voluntarie, quia violentum opponitur voluntario.

Minor prob., quia August. dicit in 4. lib. de Trin. cap. 13. quod « spiritus « Christi non deseruit carnem invitus; « sed quia voluit, quando voluit, et quo« modo voluit.»

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Luc. 18. dicitur: *postquam flagellaverint, occident eum*, scilicet Christum. Ergo Christus fuit ab aliis occisus.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Aliquid potest esse causa alicujus effectus dupliciter. Uno modo directe in illud agendo. Alio modo indirecte, scilicet non impediendo cum impedire possit, sicut si dicatur aliquis alium perfundere, quia non clausit fenestram, per quam imber ingreditur, cum claudere posset.

1.ª Conclusio. Christus directe non est occisus á seipso, sed ab aliis.

Manifest. Nam directe persecutores Christum occiderunt, quia suficientem causam mortis ei intulerunt, cum intentione occidendi ipsum, et effectu subsequente, quia scilicet ex illa causa est mors subsecuta.

2.ª Conclusio. Christus fuit indirecte causa suæ passionis.

Prob. quia Christus poterat suam passionem, et mortem impedire, quam tamen non impedivit. Poterat enim Christus suam passionem duobus modis impedire. Primo quidem adversarios reprimendo, ut eum non vellent, aut non possent interficere. Secundo quia spiritus ejus habebat potestatem conservandi naturam carnis suæ, ne á quocumque læsivo inflicto oprimerentur, quod quidem habuit anima Christi, quia erat Verbo Dei conjuncta in unitate personæ, ut Aug. dicit in 4. de Trin. cap. 13. Quia ergo anima Christi non repulit á proprio corpore nocumentum illatum; sed voluit quod natura corporalis illi nocumento succomberet, dicitur suam animam posuisse, vel voluntarie esse mortuus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur. minor. Tulerunt enim crucifigentes, et alii qui mortem Christi procuraverunt, animam Christi. Ad prob. dicitur quod cum dicitur: *nemo tollit animam meam*, intelligitur, me invito: tollitur enim aliquid ab aliquo, eo invito, qui non potest resistere auferenti; si vero aliquis auferat aliquid ab aliquo, qui potest resistere, et tamen non resistit, illud non aufertur eo invito. Animam Christi abstulerunt judæi, non eo invito, quia poterat resistere; non tamen restitit, quia pro hominum salute mortem pati voluit.

Ad 2. Dicitur quod maior est quidem vera de aliis, de Christo autem nequaquam. Christus enim ut ostenderet quod passio illata per violentiam, ejus animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conservavit, ut etiam in extremis positus, voce magna clamaret; quod inter alia miracula mortis ejus computatur. Unde dicitur Matth. 15. «Videns autem centurio, qui ex adverso « stabat, quia sic clamans expirasset, ait: « vere hic homo filius Dei erat.» Fuit etiam mirabile in Christi morte, quod velocius aliis mortuus fuerit, qui simili passione afficiebantur. Unde dicitur Joan. 19. quod eorum qui cum Christo crucifixi erant fregerunt crura, ut cito morerentur; « ad Jesum autem cum venis« sent, ut viderunt eum jam mortuum, « non fregerunt ejus crura;» et Marc. 15. dicitur quod « Pilatus mirabatur si jam « obiisset,» sicut enim ejus voluntate, natura corporalis conservata est in suo vigore usque ad extremum, sic etiam quando voluit, subito cessit nocumento illato.

Ad 3. Negatur maior in proposito, dum de Christi morte est sermo: Christus enim simul, et violentiam passus est, ut moreretur, et tamen voluntarie mortuus fuit. Passus est violentiam, quia violentia corpori ejus illata est; volun-

tarie passus et mortuus est, quia violentia tantum in corpore ejus prævaluit, quantum ipse voluit.

## ARTICULUS II.

### *Utrum Christus fuerit ex obedientia mortuus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fuerit ex obedientia mortuus.

1. Non legitur Christo fuisse præceptum, quod pateretur. Ergo Christus non est passus ex obedientia.

Conseq. prob., quia obedientia respicit præceptum.

2. Christus non ex necessitate, sed voluntarie passus fuit. Ergo Christus non est passus ex obedientia.

Conseq. prob., quia illud dicitur aliquis ex obedientia facere, quod facit ex necesssitate præcepti.

3. Christus legitur ex charitate passus secundum illud ad Ephes. 5. «Ambulate in dilectione, sicut et Christus «dilexit nos, et tradidit semetipsum pro «nobis.» Ergo passio Christi magis debet attribui charitati, quam obedientiæ.

Conseq. prob., quia charitas est excellentior virtus, quam obedientia.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur ad Philip. 2. *Factus est obediens Patri usque ad mortem.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenientissimum fuit quod Christus ex obedientia pateretur.

Prob. tripliciter: primo quia hoc conveniebat justificationi humanæ, quod «sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius hominis obedientiam justi constituantur multi,» ut dicitur ad Rom. 5.

Secundo; hoc conveniens fuit reconciliationi Dei ad homines. Unde dicitur Rom. 1. 5. "Reconciliati sumus Deo per "mortem Filii ejus," in quantum scilicet ipsa mors Christi fuit quoddam sacrificium acceptissimum Deo, secundum illud ad Ephes. 5. "Tradidit semetipsum "pro nobis oblationem, et hostiam Deo "in odorem suavitatis." Obedientia vero omnibus sacrificiis antefertur, secundum illud 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quam victimæ.* Et ideo conveniens fuit, quod sacrificium passionis, et mortis Christi ex obedientia procederet.

Tertio: hoc conveniens fuit ejus victoriæ, qua de morte, et auctore mortis triumphavit. Non enim miles vincere potest, nisi obediat, et ita homo Christus victoriam obtinuit pro eo quod fuit Deo obediens, secundum illud Prov. 21. *Vir obediens loquitur victorias.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur anteced. Christus enim mandatum accepit á Patre, ut pateretur; dicitur enim Joann. 10. «Potestatem «habeo ponendi animam meam, et po«testatem habeo iterum sumendi eam; «et hoc mandatum accepi á Patre meo,» scilicet ponendi animam, et sumendi eam «ex quo, ut Chrys. dicit Hom. 59. in «Joan. non est intelligendum, quod prius «exspectaverit audire, et opus ei fuerit «discere; sed voluntarium monstravit «processum, et contrarietatis ad patrem «suspicionem destruxit.» Dicitur etiam quod quia in morte Christi lex vetus consummata est, secundum illud quod ipse moriens dixit Joan. 19. *Consummatum est*, potest intelligi quod patiendo omnia legis præcepta implevit. Præcepta enim antiquæ legis erant in triplici differentia, scilicet moralia, cæremonialia et judicialia. De quibus 1. 2. abunde dictum est. Moralia omnia in præceptis charitatis fundantur, et hæc implevit Christus, in quantum passus est et ex dilectione Patris, secundum illud Joan. 14. «ut cognoscat mundus, quia «diligo Patrem, et sicut mandatum de«dit mihi Pater, sic facio: surgite eamus «hinc,» scilicet ad locum passionis. Et etiam ex dilectione proximi, secundum illud ad Gal. 2. *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Cæremonialia vero præcepta legis præcipue, quæ ad sacrificia, et oblationes ordinantur, implevit

Christus sua passione, in quantum omnia antiqua sacrificia figuræ fuerunt illius veri sacrificii, quod Christus obtulit moriendo pro nobis, unde dicitur ad Colos. 2. « Nemo vos judicet in cibo, « aut in potu, aut in parte diei festi, « aut neomeniæ, quæ sunt umbra futu« rorum, corpus autem Christi, » eo scilicet quod Christus comparatur ad illa, sicut corpus ad umbram. Præcepta vero judicialia legis, quæ præcipue ordinantur ad satisfaciendum injuriam passis, implevit Christus sua pasione: quoniam, ut in Psalm. 68. dicitur: *quæ non rapuit, exolvit*, permittens se ligno affigi pro pomo, quod de ligno homo rapuerat contra Dei mandatum.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod obedientia, etsi importet necessitatem respectu ejus, quod præcipitur, tamen importat voluntatem respectu impletionis præcepti, et talis fuit obedietia Christi. Nam ipsa passio et mors secundum se considerata, naturali voluntati repugnabant; volebat tamen Christus Dei voluntatem circa hoc implere, secundum illud Psalm. 39. « Ut facerem « voluntatem tuam, Deus meus, volui. » Unde dicebat Matth. 26. « Si non potest « transire á me calix iste, nisi bibam « illum, fiat voluntas tua. »

Ad 3. Neg. conseq. Eadem enim ratione Christus passus est ex charitate, et ex obedientia; quia et præcepta charitatis ex obedientia implevit, et obediens fuit ex dilectione ad Patrem præcipientem.

## ARTICULUS III.

### *Utrum Deus Pater tradiderit Christum passioni.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod Deus Pater non tradiderit Christum passioni.

1. Deus est absque ulla iniquitate. Ergo Deus Pater non tradidit Christum passioni.

Anteced. prob. Quia dicitur Deut. 32. *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate.*

Conseq. prob. Quia iniquum et crudele videtur esse, quod innocens passioni et morti tradatur.

2. Christus tradidit semetipsum pro nobis, secundum quod dicitur Isaiæ 53. *Tradidit in mortem animam suam.* Ergo non videtur quod Deus Pater eum tradiderit.

Conseq. prob. Quia non videtur quod aliquis á seipso et ab alio morti tradatur.

3. Judas vituperatur ex eo, quod tradidit Christum judæis, secundum illud Joan. 6. *Unus ex vobis diabolus est*, quod dicebat propter Judam, qui eum erat traditurus. Similiter etiam vituperantur judæi, qui eum tradiderunt Pilato, secundum quod ipse dicit Jo. 18. *Gens tua, et pontifices tui tradiderunt te mihi.* Pilatus etiam *tradidit ipsum, ut crucifigeretur*, ut habetur Jo. 19. Ergo videtur quod Deus Pater non tradiderit Christum passioni.

Prob. conseq., quia *non est participatio justitiæ cum iniquitate*, ut dicitur 2. Cor. 6.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Rom. 8. dicitur: *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

*Determinatio.*

Conclusio. Deus Pater tradidit ipsum passioni.

Prob. et declaratur. Probatur: quia Christus passus est voluntarie ex obedientia Patris, ut dictum est art. præc.

Declaratur vero: Deus enim Pater tradidit Christum passioni secundum tria. Primo modo, secundum quod sua æterna voluntate præordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem, secundum illud Isaiæ 53. " Do" minus posuit in eo iniquitatem om" nium nostrum; » et iterum: " Domi" nus voluit conterere eum in infirmi" tate. »

Secundo, in quantum inspiravit ei voluntatem patiendi pro nobis infun-

dendo ei charitatem. Unde ibidem sequitur: *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Tertio, non protegendo eum á passione, sed exponendo persequentibus, unde legitur Matth. 27. quod Christus pendens in cruce, dicebat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quia scilicet persequentium potestati eum exposuit, ut August. dicit Epist. 120. de gratia novi testamenti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod innocentem hominem passioni et morti tradere contra ejus voluntatem est impium et crudele: sic autem Deus Pater Christum non tradidit, sed inspirando ei voluntatem patiendi pro nobis, in quo ostenditur, et Dei severitas qui peccatum sine pœna dimittere noluit, quod signat Apos. dicens; *proprio Filio suo non pepercit:* et bonitas ejus in eo quod cum homo sufficienter satisfacere non posset per aliquam pœnam, quam pateretur, ei satisfactorem dedit: quod etiam signavit Apostolus dicens: *Pro nobis omnibus tradidit illum*, et Rom. 3. dicitur: *Quem*, scilicet Christum, *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.*

Ad 2. Dicitur ad antec. quod Christus, secundum quod Deus, tradidit semetipsum in mortem eadem voluntate et actione, qua et Pater tradidit eum. Sed in quantum homo tradidit seipsum voluntate à Patre inspirata. Unde non est contrarietas in hoc quod Pater tradidit Christum, et ipse tradidit semetipsum.

Ad 3. Negatur consequentia. Eadem enim actio diversimode judicatur in bono vel in malo, secundum quod ex diversa radice procedit. Pater enim tradidit Christum, et ipse semetipsum ex charitate, et ideo laudantur. Judas autem tradidit ipsum ex cupiditate; judæi, ex invidia; Pilatus vero ex mundano timore, quo Cæsarem timuit; et ideo ipsi vituperantur.

## ARTICULUS IV.

*Utrum conveniens fuerit Christum pati á gentibus.*

*Pro negativa.*=Videtur quod non fuerit conveniens Christum pati à gentilibus.

1. In morte Christi peccaverunt judæi, ex quorum persona dicitur Matth. 23. *Hic est hæres, venite occidamus eum.* Ergo videtur conveniens fuisse quod in peccato occisionis Christi gentiles non implicarentur.

Conseq. prob., quia cum per mortem Christi homines essent à peccato liberandi, conveniens videbatur ut paucissimi in morte ejus peccarent.

2. Figuralia sacrificia veteris legis non gentiles, sed judæi offerebant. Ergo neque passio Christi, quæ fuit verum sacrificium, impleri debuit per manus gentilium.

Conseq. prob., quia veritas debet respondere figuræ.

3. Judæi quærebant Christum interficere, et quia solvebat sabbatum, et quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se Deo faciens, ut dicitur Joan. 5. Quæ erant tantum contra legem judæorum, unde et ipsi dicunt Jo. 19. « Secundum « legem debet mori, quia Filium Dei se « fecit.» Conveniens ergo fuisse videtur quod Christus à judæis, et non á gentibus pateretur. Et falsum esse videtur quod judæi dixerunt: « nobis non licet interfi- « cere quemquam,» cum multa peccata, secundum legem, morte puniantur, ut patet Levit. 20.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus dicit Matth. 20. *Tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum non solum á judæis, sed etiam á gentilibus pati.

Manifestatur. Passio Christi habuit primo effectum salutis in judæis, quorum plurimi in morte Christi baptizati

sunt, ut patet Act. 2. et 3. Secundo vero, judæis prædicantibus, effectus passionis Christi transivit ad gentes. Ergo conveniens fuit ut Christus á Judæis pati inciperet, et postea, judæis tradentibus, per manus gentilium ejus passio finiretur.

Prob. Conseq. quia in ipso modo passionis Christi præfiguratus est effectus ipsius.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod Christus ad ostendendam abundantiam pietatis et charitatis suæ, ex qua patiebatur, in cruce positus veniam persecutoribus postulavit; et ideo ut hujus petitionis fructus ad judæos et gentiles perveniret, voluit Christus ab utrisque pati.

Ad 2. Negatur conseq. Passio enim Christi fuit quidem sacrificii oblatio, in quantum Christus propria voluntate mortem sustinuit ex charitate, in quantum tamen á persecutoribus est passus, non sacrificium, sed peccatum gravissimum fuit.

Ad 3. Negatur conseq. Etsi namque ea propter quæ judæi Christum morti tradiderunt, essent tantum contra legem judæorum, tamen propter dictas rationes conveniens fuit, quod etiam á gentilibus pateretur.

Ad id vero quod judæi dixerunt, quod eis non licebat interficere quemquam, dicitur secundum Aug. tract. 114. in Joan. quod judæi intellexerunt « non « licere sibi interficere quemquam, propter sanctitatem diei festi, quam jam « celebrare inceperant. »

Vel hoc dicebant, secundum Chrysost. Hom. 22. in Joan. 1. « quia volebant « eum occidi, non tamquam transgressorem legis; sed tamquam publicum hostem, quia regem se fecerat, de quo non « pertinebat ad eos judicare: » vel quia non licebat eis crucifigere, ut cupiebant; sed lapidare quod in Stephano fecerunt. Vel melius dicendum est quod per romanos, quibus erant subjecti, erat eis potestas occidendi interdicta.

## ARTICULUS V.

*Utrum Christi persecutores eum cognoverint.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod persecutores Christi eum cognoverint.

1. Dicitur Matth. 21. quod agricolæ videntes filium, dixerunt intra se, "Hic "est hæres; venite, occidamus eum." Ubi dicit Hieron. "Manifeste Dominus "probat ex his verbis judæorum prin- "cipes, non per ignorantiam, sed per "invidiam Dei Filium crucifixisse: intel- "lexerunt enim eum esse illum, cui pa- "ter per Prophetam dicit: Postula á me, "et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.» Ergo videtur, quod persecutores Christi cognoverint èum esse Deum.

2. Illud, quod videtur, manifeste cognoscitur. Sed judæi viderunt Christum esse Dei Filium. Ergo judæi manifeste cognoverunt Christum esse Deum.

Minor prob., quia Dominus dicit Joan. 15. « Nunc autem viderunt et oderunt, « et me et Patrem meum. »

3. In quodam sermone Ephes. Concil. dicitur, quod judæus Christum, quem viderat, crucifigens, pœnas dabit, tamquam in ipsum Deum, Verbum præsumptiones injiciens. Ergo videtur, quod judæi crucifigentes Christum, cognoverint eum esse Filium Dei.

Conseq. prob., quia hoc non esset, si eum esse Filium Dei cognovissent; ignorantia enim eos excusasset.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur 1. Cor. 2. "Si cognovissent, "numquam Dominum gloriæ crucifixis- "sent," et Act. 3. dicit Petrus judæis loquens: "scio quia per ignorantiam fe- "cistis, sicut et principes vestri;» et Dominus pendens in cruce dicit. "Pater, "dimitte illis, non enim sciunt, quid fa- "ciunt."

*Determinatio.*

*Distinctio.* Apud judæos quidam erant

maiores, qui eorum principes dicebantur, et quidam erant minores, idest populares.

1.ª Conclusio. Maiores judæorum cognoverunt Christum esse Messiam in lege promissum.

Prob. Quia videbant in eo omnia signa, quæ prophetæ prædixerant futura.

2.ª Conclusio. Judæi maiores ignorabant mysterium divinitatis Christi.

Prob. Quia Apost. dicit 1. Cor. 2. « Si cognovissent, numquam Dominum « gloriæ crucifixissent. »

3.ª Conclusio. Maiorum judæorum ignorantia non excusabat eos á crimine.

Prob. Quia erat quodammodo ignorantia affectata: videbant enim evidentia signa divinitatis ipsius; sed ex odio et invidia Christi ea pervertebant, et verbis ejus, quibus se Dei Filium fatebatur, credere noluerunt; unde ipse de eis dicit Joan. c. 15. "Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non "haberent: nunc autem excusationem "non habent de peccato suo." Et postea subdit: "si opera non fecissem in "eis, quæ nemo alius fecit, peccatum "non haberent," et sic ex persona eorum accipi potest, quod dicitur Job. 21. "dixerunt Deo: recede á nobis, scientiam viarum tuarum nolumus."

4.ª Conclusio. Minores judæorum, idest populares, non plene cognoverunt ipsum esse Christum, nec Filium Dei.

Prob. quia minores mysteria scripturæ non noverant.

5.ª Conclusio. Licet aliqui de minoribus crediderint, multitudo tamen non credidit Christum esse Messiam, nec Dei Filium.

Hæc patet ex processu evangelicæ historiæ.

6.ª Conclusio. Minores aliquando dubitaverunt propter signorum multitudinem, et efficaciam doctrinæ, tamen postea decepti sunt á suis principibus, ut eum non crederent Filium Dei, neque Christum.

Prima pars habetur Joan. 7. Secunda vero pars probatur, quia Petrus popularibus dixit Act 3. "Scio, quod per "ignorantiam fecistis, sicut et principes "vestri," quia scilicet per principes seducti erant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicendum, quod illa verba dicuntur ex persona colonorum vineæ, per quos significantur rectores illius populi, qui eum cognoverunt esse hæredem in quantum cognoverunt eum esse Christum promissum in lege.

*Objectio.*

Sed contra hanc responsionem esse videtur, quod illa verba Psalm. 2. "Postula á me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam;" eidem dicuntur, cui dicitur: «Filius meus es tu, ego hodie genui te." Si ergo cognoverunt eum esse illum, cui dictum est: "postula á me, et "dabo tibi gentes hereditatem tuam;" sequitur quod "cognoverint eum esse "Filium Dei." Beda etiam dicit cap. 94. super illud Luc. 23. "Qui nesciunt, "quid faciunt." « Notandum, inquit, "quod non pro eis orat, qui quem Filium "Dei intellexerunt, crucifigere, quam "confiteri maluerunt."

*Responsio.*

Sed ad hoc potest responderi, quod cognoverunt eum esse Filium Dei, non per naturam, sed per excellentiam gratiæ singularis.

Possumus tamen secundo dicere, quod etiam verum Dei Filium cognovisse dicuntur, quia evidentia signa hujus rei habebant, quibus tamen assentire propter odium, et invidiam noluerunt, ut eum cognoscerent esse Filium Dei.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod ante illa verba præmittitur: "si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non habe"rent:» et postea subditur, *Nunc autem viderunt*, scilicet opera mea, *et oderunt me, et Patrem meum*. Per quod ostenditur, quod videntes opera Christi miri-

fica, ex odio processit, quod eum Filium Dei esse non cognoverunt.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ignorantia affectata non excusat a culpa, sed magis videtur culpam aggravare. Ostendit enim hominem ita vehementer esse affectum ad peccandum, quod vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet, et ideo judæi peccaverunt tamquam interfectores, non solum hominis Christi, sed Dei crucifixores.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum peccatum crucifigentium Christum fuerit gravissimum.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod peccatum crucifigentium Christum non fuerit gravissimum.

1. Peccatum quod habet excusationem, non est gravissimum. Sed peccatum crucifigentium Christum habet excusationem. Ergo peccatum crucifigentium Christum non fuit gravissimum.

Minor prob., quia ipse Dominus excusavit peccatum se crucifigentium dicens: "Pater ignosce illis, quia nesciunt "quid faciunt."

2. Peccatum Pilati, qui fecit Christum crucifigere, non fuit gravissimum. Ergo peccatum aliorum crucifigentium Christum non fuit gravissimum.

Anteced. prob., quia Dominus dixit Pilato Jo. 19. *Qui tradidit me tibi maius peccatum habet.* Ergo videtur, quod peccatum Judæ proditoris fuerit maius peccatum, quam peccatum Pilati, et aliorum crucifigentium Christum.

3. Crucifigentes Christum non fecerunt Christo injustum. Ergo peccatum eorum non fuit gravissimum, immo nec actus ille videtur fuisse peccatum.

Antecedens prob. Volenti non fit injustum, nullus enim patitur injustum volens, et nullo patiente injustum, non fit injustum. Sed Dominus voluntarie passus est se crucifigi. Ergo non est passus injustum, ac per hoc judæi crucifigentes non videntur fecisse injustum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Super illud Matth. 23. «et vos implete mensuram patrum vestrorum,» dicit Chrysost. hom. 45. in Matth. op. imperf. «quantum ad veritatem excesserunt mensuram patrum suorum; illi «enim occiderunt homines, isti Deum «crucifixerunt.»

*Determinatio.*

*Distinctio.* Illi qui Christi crucifixioni cooperati sunt, fuerunt in triplici differentia, scilicet maiores judæorum, minores, et gentiles, scilicet Pilatus et milites.

1.ª Conclusio. Peccatum principum judæorum fuit gravissimum, tum ex genere peccati, tum ex malitia voluntatis.

Prob. Fuit gravissimum ex genere peccati, quia Filio Dei mortem procuraverunt. Fuit vero gravissimum ex malitia voluntatis, quia principes judæorum cognoverunt Christum, et si aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorantia affectata, quæ eos non poterat excusare, ut artic. præced. dictum est.

2.ª Conclusio. Minores judæi gravissime peccaverunt quantum ad genus peccati; in aliquo tamen diminuebatur eorum peccatum.

Probat. Quia et ipsi Filio Dei mortem appetierunt clamando: crucifige, crucifige; tamen propter eorum ignorantiam, eorum peccatum diminuebatur in aliquo.

3.ª Conclusio. Peccatum gentilium, per quorum manus Christus est crucifixus, excusatur multo magis, quam peccatum minorum judæorum.

Probat. Quia gentiles scientiam legis non habebant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod si sit sermo de peccato principum judæorum, est falsa; eorum enim peccatum non habet excusationem, nec eos Dominus excusavit. Si vero sermo sit de peccato minorum judæorum et gentilium, habet excusationem; ad eorum enim peccatum refertur excusatio Domini; et ideo

peccatum eorum non fuit gravissimum, ut dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Pilatus enim etsi Christum fecerit crucifigere, minus tamen peccavit, quam maiores judæorum, tum quia Pilatus notitiam legis non habebat, tum quia fecit crucifigere Christum, non ex odio et invidia, ut maiores judæorum fecerunt, qui per invidiam eum Pilato tradiderunt, de quorum peccato Dominus loquitur, cum dicit: qui tradidit me tibi, maius peccatum habet; nec ex cupiditate, sicut Judas qui Christum judæis tradidit; sed solum ex timore Cæsaris. Peccatum igitur principum fuit gravissimum, quia excessit peccatum Judæ, qui non ex odio, sed ex cupiditate, et peccatum Pilati, ut dictum est.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur dupliciter. Primo quod Christus voluit quidem suam passionem, sicut et Deus eam voluit; iniquam tamen actionem judæorum non voluit, et ideo occisores Christi ab injustitia non excusantur. Dicitur secundo ad eamdem probationem, quod occidens hominem, etiam volentem occidi, injustum facit, quia per hoc facit injuriam Deo et reipublicæ, sicut etiam et ille qui seipsum occidit, ut dicitur 5. Ethic. cap. ultimo. Unde et David damnavit illum ad mortem, qui non timuerat mittere manum, ut occideret Christum Domini, quamvis eo petente, ut legitur 2. Reg. cap. 1.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 47.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus occissus est ab aliis. Ut á Luc. 18. secundum quod est *in arg. cont.* Item á Matth. 21. *Apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.* Hoc enim de judæis contra Christum dictum fuit. Unde ibid. infra dicitur. " Cum audissent principes sacerdotum, et pharisæi parabolas ejus, cognoverunt, quod de ipsis diceret. » Item á Genes. 49. " Simeon, et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea: quia in furore suo occiderunt virum.» Per hoc enim prophetavit Jacob, quod sacerdotes, et pharisæi á Levi, et Simeon descendentes ab iniquitate propria, et nimio furore moti occisuri erant virum, idest Christum, de quo scriptum est Hierem. 31. *Fœmina circumdabit virum.* Nam Jacob ibi loquitur ad litteram de his, quæ ventura erant in diebus novisimis, ut contextus in principio docet, et dies Messiæ dicuntur in scripturis dies novissimi, juxta illud 1. Joan. 2. *Filioli novissima hora est.* et 1. Corinth. 10. *nos sumus, in quo fines sæculorum devenerunt.* De facto, inquam, occisuri erant Christum, et non solum in voluntate, seu attentando occidere ipsum. In cujus signum ad differentiam occisionis hujus viri, immediate sequitur ly *et in voluntate sua suffoderunt murum.* Ecce murum suffossuri erant in voluntate solum, id, quod contraponitur ad ly *occiderunt virum.* Ac si aperte dicatur: judæi occident simpliciter virum, et suffodient murum non simpliciter, sed cum limitatione factum rei diminuente, idest, in voluntate sua. De facto itaque judæi, et consequenter á simili populi quicumque numquam suffodient murum, idest, Ecclesiam quæ dicit Cantic. 8. *Ego murus, et ubera mea, sicut turris:* id, quod et Christus manifeste aperuit Matth. 16. *portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* sed virum illum, idest, Christum erant de facto occisuri: ut diversitas harum sententiarum, quæ ibi innuitur, ut patet consideranti, servetur. Sic ergo judæi Christo nocumentum mortiferum actu intulerunt, et propterea animæ ejus injuriam fecerunt: quoniam injuria fit ei, cum propter nocumentum illatum expelli-

tur de corpore contra naturalem appetitum animæ. Naturalem dico, non autem rationalem: quoniam anima Christi non est expulsa de corpore contra ejus talem appetitum, idest, contra voluntatem rationis, ut rationis qu. 18. art. 2. 3. Nemo enim ei abstulit animam suam ipso invito: sed ipse volens tradidit, seu emisit spiritum. Nam mortifero illi nocumento sibi illato natura eo volente restitit usque in finem plus, quam in aliis hominibus possit, ut dicitur *Quolibeto primo*, art. 2. quamvis esset delicatior, et, ut ita dicam, passibilior aliis, qu. 46. artic. 6. et, quando voluit, ipsi nocumento natura totaliter cessit. Et hoc est, quod dicebatur in resp. ad 3., et postea in examinis declaratione intendebatur, scilicet, quod violentia illata tantum corpori Christi prævaluit, quantum ipse voluit. Nec tamen culpandus est, quasi sui homicida, quia corpus propter animam est, non autem é converso. Unde si anima haberet in sua potestate, ut fuit in Christo, recedere á corpore, quando vellet, et iterum advenire, tunc non majoris esset culpæ, si corpus desereret, quam quod habitator deserit domum, quamvis culpæ sit, quod inde expellatur invitus. Invitus, inquam, in proposito, quantum erat ex parte intentionis judæorum expellentium. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus ex obedientia passus, et mortuus est. Ut Philipp. 2 secundum quod est *in arg. cont.* Ad cujus captum, quia ly *usque ad mortem* intelligitur inclusive, facit illud D. Bernardi, scilicet *Christus potius perdidit vitam, quam obedientiam*, et illud Matth. 13. *abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam*, scilicet pretiosam margaritam. Negotiator enim iste, qui, inventa pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam, est Christus, qui inventa obedientia, quæ divinæ voluntatis adimpletionem requirebat, quo nihil pretiosius pro ipsa habenda, et firmiter, tamquam ipsius possessor, secundum omnes temporis, atque loci circumstantias tenenda, vitam suam corporalem perdere voluit. Quo, inquam, nihil pretiosius: quoniam scriptum est Ecclesiast. 23: "Nihil melius est, quam timor Dei, et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini." Id, quod est, nihil pretiosius esse, quam adimplere voluntatem divinam ex obedientia, idest voluntarie, ad complacendum ei. Item insinuatur per hoc, quod dicitur Luc. 22. *filius hominis, secundum quod definitum est, vadit*. Ibi enim loquitur de passione sua Christus, et ire, secundum quod definitum est á Deo, est pati ex obedientia ad tales Dei definitiones, sive, quod in idem redit, ad Deum, qui talia definivit. Ac si aperte per illa verba dixerit. Ego in patiendo, et in modo patiendi adimplebo voluntarie omnem Dei voluntatem expressam in scripturis prophetarum suorum. Nam ly *secundum quod* supponendo pati importat modum patiendi; et ly *vadit* dicit voluntarium quid, et ly *definitum* determinationem voluntatis divinæ cum ipsius denuntiatione in scripturis sanctis facta consignificat. Quando ergo dicit art., quod Christus passus est ex obedientia, quia loquitur secundum scripturas, intelligit, quod ipse et talia, et sic ex obedientia passus est. *Verbi gratia*: Flagellari, spinis coronari, passus fuit ex obedientia; et flagellari sub Pontio Pilato, idest ad jussionem, seu ad dictum Pilati, passus est ex obedientia. Ita, quod tunc obedivit Christus et Pilato, et ministris ejus, ex obedientia ad Deum Patrem. Quod autem de Pilato dico, et ejus ministris, intelligendum est etiam de Anna, Caipha, Herode, ipsorumque ministris. Et hoc est, quod Christus de obedientia sua loquens dixit Joann. 14. *Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio*. Idest. Ego mandatum, quod pater mihi dedit, adimpleo, et sic illud adimpleo, sicut mandavit pater, idest, modo illo obedio, quo pater vult, me obedire. Quod utique nullo rectam rationem habentium discrepante, non tantum est obedientia, sed etiam perfectissima obedientia. Antonomastice ergo intelligitur in art. conclusione ly *ex obedientia*, idest ex summa, seu perfectissima obedientia. Porro, quod ex scripturis iisdem præmissis insinuetur quoque hoc, scilicet Christum pati ex tali obedientia fuisse convenientissimum: prudens lector vigili suo ingenio facile intelliget ex declaratis in q. 41. a. 1. corol. post concl. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum

à scripturis, quod Deus pater tradidit Christum passioni. Ut Rom. 8. secundum quod est *in arg. cont.* Item ab Act. 4. " Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, et Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus, et populis Israel, facere, quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri. » Ex eo enim, quod Deus pater decrevit fieri adversus Christum omnia illa pœnalia, quæ judæi, ac gentes fecerunt, sequitur aperte, quod Deus ipse tradidit Christum passioni cuicumque à persequentibus Christo inflictæ. Dixi ly *pœnalia* ad differentiam culpæ: quoniam, si de prædictis, Act. 4. in quantum culpabilia sunt, loquimur, sic Deus non decrevit illa fieri, sed decrevit permittere, illa fieri. Non enim vult Deus culpam; cum velle peccatum non sit bonum: sed vult permittere culpam, quoniam permissio peccatorum est bonum in Deo. Vide q. 19. et q. 22. art. 2. ad 2. Differentiam banc de velle Dei absoluto, et de ipsius velle permissivo, item de pœnalibus, ut pœnalia sunt, et de pœnalibus, ut culpabilia sunt, diligenter adverte: quam sciolus quidam, *Calvinum* dico, nesciens, aut certe nescire volens, aperta est enim duplex hæc differentia intelligentibus recte scripturas, non erubuit tales evomere hæreses, quales vel posse præ sua pravitate concipi ab aliquo alio, quamvis scelesto, vix existimes. Hæresum tam detestabilium ignorantiam maximam Calvini exprimentium, damnationem pleniorem (hic enim occasione textus Act. 4. incœpta solum est) vide in veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 2. concl. 10. et cap. 3. concl. 6. Item 1. par. ar. num. 123. 259. 475. 515. cum Elucid. Item 1. 2. art. num. 428. cum Elucid. Item Additio. art. num. 198. cum Elucid. Insinuatur et illud in principio append. dictum á Psal. 88. " Tu vero repulisti, et despexisti Christum tuum; destruxisti omnes sepes ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem. Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus. Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello. Perfudisti eum confusione. » His enim verbis psalmista alloquitur Deum patrem, ostendens prophetando, quid pater facturus sit, licet præterito ad certitudinem rerum denotandam utatur erga Christum ipsius Dei patris filium in tempore passionis ejus: et summatim per hæc dicendo declarat, ac declarando dicit, quod Deus pater tradidit Christum passioni multiplici, adversariorumque potestati, renuens ei auxiliari in bello. Nota, quam optime propheta declaret sensum illius verbi á Christo in cruce dicti, scilicet *Heli, Heli, Lamasabactani.* et quod ly *lætificasti omnes inimicos ejus*, intelligitur solum quoad exteriorem persecutionem. Nam quoad interiorem, quæ importat peccatum, scilicet impatientiam, iram, odium, vel invidiam contra persecutores, auctoritas illa non potest intelligi: quoniam est veraciter contrarium, alia recte intellecta. Psalm. 29. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*, dando scilicet mihi patientiam, stareque inter omnia adversa sine ullo peccato, *nec delectasti inimicos meos super me.* Hinc vide: quomodo Deus pater tunc simul erat derelictor, et susceptor Christi secundum diversas considerationes. Juvabit quoque ampliorem hujus rei intelligentiam videre veritates aureas super legem veterem, Num. 21. concl. 6 *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod conveniens fuit, ut Christus pateretur á gentilibus. Ut Matth. 20. secundum quod ponitur *in arg. cont.* Sufficit enim narrasse factum: quoniam in proposito sunt idem duo hæc, scilicet esse factum, et esse convenienter factum, quatenus tamen factum hujusmodi consideratur ex parte Christi. Vide q. 35. ar. 8. Eluc. et q. 41. a. 1. Corol. post concl. et aliis locis Elucid. Item insinuatur á Gen. 37. " Extrahentes Joseph de cisterna vendiderunt eum Ismaelitis. » Et cap. 39. " Emit eum vir Ægyptius princeps exercitus Pharaonis de manu Ismaelitarum. » Et infra. " His auditis Dominus Joseph, et nimium credulus verbis conjugis, tradidit Joseph in carcerem: ubi vincti regis custodiebantur. » Per hæc enim simul juncta patet, quod figura Christi, idest Joseph, quod etiam ob hoc mystice vocatur Salvator mundi, ca. 41. á judæis fratribus primo patitur, utpote ab eis post missionem in cisternam venditus: deinde patitur ab Ismaelitis, et viro illo Ægyptio, idest gentilibus:

quo præsignabatur intentum, scilicet, quod Christus, ut figuræ corresponderet, á gentibus passurus erat, postquam primo á judæis incœperat pati. Porro quod á figuris ad figurata liceat efficaciter argumentari, docet Concilium *Hispalense* 2. facto suo circa sacerdotium: quod vide narratum á veritatibus aureis super totam legem veterem, Levit. 8. concl. 2. Cæterum pro ampliori præcedentium, et præsentis textus notitia vide easdem veritates aureas Gen. 37. concl. 6. Et cap. 45. concl. 6. et cap. 48. concl. 6. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem, tamquam in radice supposita interimas hæreses *Theodori* dicentis: De Christo nihil expresse dictum fuisse in veteri testamento. Et *Buceri* dicentis, Christum non esse verum illum promissum, sed alium cum judæis expectandum. Hoc enim tamquam radicem firmissimam (ut patet) supponit articulus, scilicet quod principes Judæorum signa omnia á prophetis de Messia, idest de Christo prædicta viderint verificari de Jesu Nazareno. Constat siquidem, quod nonnissi de prophetis veteris testamenti, quibus solis Judæi studebant, loquitur, et consequenter, quod et aliqua signa expresse fuerunt dicta de Christo in veteri testamento, et quod illa de Jesu verificata sunt, et quod ideo Jesus ipse est verus Mesias, idest verus Christus in lege veteri promissus, et quod nullus alius est cum judæis modernis expectandus. Nam in odium Jesu Christi, et Christianorum moderni Judæi depravarunt, et depravant scripturas apertas de Messia prædictas: quoniam (ut patet 2. *Corint.* 3.) illis usque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, sed cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Nec mirum certe, quia justo Dei judicio illa ipsorum maledictio contra eos descendit, qua se cum suis furore contra Christum cæcati, condemnaverunt unanimiter conclamantes: *sanguis ejus super nos, et super filios nostros*, Matth. 27. De velamine prædicto (in confirmationem etiam textus præsentis, scilicet quod judæi antiqui, nondum velamine posito super cor eorum, viderunt omnia signa prophetarum de Jesu Christo verificari) vide Veritates Aureas super totam legem veterem, *Exod.* 34. *conclusion.* 8. 9. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses illas merito damnari á Genes. 49, « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.» Idest donec veniat Messias. Sic enim habet translatio Chaldaica apud Judæos tam authentica, ut in passibus text. Hebraici dubiis ea pro expositione utantur. Item á Mich. 3. Tu Bethlehem, etc. *Ex te enim exiet dux.* Idest Messias, secundum translationem Chaldaicam. Item á Hierem. 23. «Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum. Idest Messiam. Nomine enim justi, simpliciter dicti in scripturis intelligitur Christus: quoniam ipse solum sine ullo peccato semper fuit tam in actu, quam in potentia. Sic namque de ipso legitur, et intelligitur illud Isaiæ 53. « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.» Item á Daniel. 9. « Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit populus ejus, qui eum negaturus est. » Ecce: in vulgata latina editione fit etiam expressa mentio de Christo, idest Messia. Nam ly *Christus*, quando simpliciter, idest nullo alio addito in contextu dicitur (ut hic) tunc sumitur in scripturis pro Messia mundi redemptore: licet, quando cum alio addito in circumstantibus locis dicitur, sumatur pro illa persona per additum designata, ut in dignitate tali, puta regali, sacerdotali, vel prophetali, per unctionem constituitur. Ut Isai. 45. « Christo meo Cyro.» Et 1. Reg. 10. « Num coram Domino est Christus ejus? et ib. 24. num faciam rem hanc Domino meo Christo? et ibi 26. Quis extendet manum suam in Christum Domini et innocens erit? et item. Non custodistis Dominum vestrum Christum. Et 2. Reg. 1. Ut occideres Christum Domini. Item Psalm. 104. Nolite tangere Christos meos. Danielis vero dictum ad propositum veri Messiæ mundi redemptoris exponit etiam Spiritu Sancto jam repletus Apostolorum principes dicens, Actu. 3. " Quem vos negastis ante faciem Pilati judicante illo dimitti. " Item ostendes, illas hæreses merito damnari á Deuter. 18. " Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem

tui, et ponam verba mea in ore ejus: loquenturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquentur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam." Nam hic propheta est Christus (secundum sanctos Doctores) qui sæpius in Evangelio dicit se venisse, et operari, et loqui, in nomine patris sui. *Joan.* 5. 10. 14. 8. 12. Et de quo turbæ magnificantes Deum (ergo verum dicebant) una voce clamabant Luc. 7. *Propeta magnus* (idest ille à Deo, *Deuteron.* 18. promissus) *surrexit in nobis.* De qua re etiam tamen ut plenius contra prædictas hæreses instruaris; vide Veritates Aureas super legem veterem Deuteron. conc. 18. 6. Porro illa Buceri Judaizantis præcipue, et speciatim damnatur ab omnibus Evangelistis per hoc, quod facta Christi, puta nativitatem, fugam in Ægiptum, prædicationem, conversationem, miraculorum operationem, passionem, crucifixionem, mortem, resurrectionem, etc. referunt ad vetus testamentum, idest, ostendunt, omnia de Christo Domino nostro fuisse jam in veteri testamento prænuntiata. Manifestissimum enim per hujusmodi allegationes de antiquis libris factas á scribentibus totam vitam Christi fit etiam apud tenuiter recta ratione utentes: quod ille Jesus sic ab Evangelistis descriptus pro certo est Messias, idest Christus verus á Deo vero in testamento veteri promissus, et talibus conditionibus ab eodem, ut postea in mundum veniens absque ullo errore cognosceretur, designatus. Patent hæc omnia, et ita: ut omnis recta ratio ista considerans ab ipsa veritatis claritate coacta ex intimis erumpens clamet; «impossibile est rem hanc aliter se habere. Vide prim. part. quæst. 1. art. 10. Elucid. in ultima append. " per totum: ut citata ab Evangelistis bene intelligas. Cæterum, quia mille scripturarum sanctarum locis damnari possunt hæreses illæ, nec præsens locus (cum sit compendium quoddam, idest summa Theologicæ) tantam prolixitatem patitur: ideo si plura contra falsitates illas videre placuerit, recurre ad Dominum Jacobum de Valentia Episcopum Christopolitanum, qui post Psalmorum, etc. expositionem facit tractatum contra judæos. Super omnia autem ne omittas, videre tractatum Domini Petri della Cavalleria Hispani: cujus titulus est, *Zelus Christi contra Judæos, Saracenos*, etc. Post quem tractatum comperies alligatum alium quemdam, qui prætitulatur *Aureus Rabbi Samuelis tractatus ad Isaac Rabbi Synagogæ*, etc. Hunc vere Aureum omnino videas; et inde cognosces, quanta sit vis Christianæ veritatis, ex quo suos principales inimicos tam fortiter cogit ad suiipsius validissimam defensionem ita, ut pro sua veritate dicere possit Ecclesia illud Deuteron. 32. *Non enim est Deus noster* (idest Jesus Christus,) *ut dii eorum* (idest, ut dii gentilium: dii utique falsi) *et* (idest etiam) *inimici nostri sunt judices*, scilicet de hac veritate. *Tertio* ex eodem articulo habes: quomodo per rationem, et ostendas, et recte intelligas: merito esse à scripturis insinuatum, quod persecutores Christi eum non cognoverunt. Ut 1. Cor. 2. *Si cognovissent*, etc. ut est *in arg. cont.* Pro cujus amplori captu notandum est quod dicit sanctus Doctor super epistolam 1. ad Timoth. cap. 1. lect. 3. Exponendo ly *ignorans feci in incredulitate.* Verba autem ejus sunt hæc " Ex parte mea est aliqua excusatio peccati; quia ignorans feci. Minus dicit, plus significat, quia aliud est ignoranter agere, aliud per ignorantiam. Quia ignoranter facit aliquid, qui nescit, quod facit: tamen si sciret, etiam faceret illud: sicut credens occidere feram, occidit inimicum suum, quem tamen occidisset etiam libentius, si novisset eum. Sed per ignorantiam facit aliquid, quod non faceret, si nosset, sicut occidens patrem, quem si sciret, non occideret eum: tamen occidit, quia eum credit inimicum. Paulus ergo fecit per ignorantiam: quia, si scivisset, quod Christus esset filius Dei, hoc non fecisset. Sed judæi per ignorantiam non occiderunt Christum, sed ignoranter: quia, si scivissent, ipsum esse filium Dei, libentius occidissent eum." Ubi patet, quod Apostolus in ly *ignorans feci* significavit plus, secundum naturam locutionis: cum facere ignoranter sit plus, quam per ignorantiam: sed tamen, sic significando plus dixit idest secundum rectum sensum veritatis intellexit minus, idest, se fecisse per ignorantiam. Ubi etiam patet, quod hoc, quod judæi occidentes Christum non cognoverint de facto ipsum esse filium Dei, ut dicitur in corp. articuli, non excusat eos

á voluntaria occisione filii Dei: quia, si scivissent, Messiam ipsum esse filium Dei, libentius occidissent eum. Ignorantia tamen Sauli excusabat aliqualiter eum à voluntaria persecutione filii Dei, quia, si scivisset Christum, idest illum, quem tunc persequebatur, esse filium Dei, non fuisset persecutus eum. Ex verbis ergo sancti doctoris super *ad Timoth.* constare jam potest, quod illud 1. Corinth. 2. *Si cognovissent,* etc. adductum *in arg. cont.* intelligitur formaliter præcise, idest stando in tali cognitione solum, idest cum præcisione á quocumque impedimento superveniente, seu commixto ipsi cognitioni. Ac si aperte dixisset Apostolus. Si cognovissent, Christum esse Dei sapientiam, idest, Dei verum filium, ipsi, secundum quod ista cognitio exigit ambulando aliunde non impediri, numquam ipsum Dominum gloriæ crucifixissent Cum hac tamen veritate stat hoc aliud, scilicet, quod, si cognovissent Christum esse verum Dei filium, et non ambulassent secundum exigentiam istius cognitionis, sed secundum impedimentum (hoc fuit invidia) commixtum, aut superveniens tali cognitioni: tunc iidem judæi libentius ipsum Dominum gloriæ crucifixissent. Data enim cognitione excellentiæ majoris de Christo, puta, quod esset Filius Dei, dabatur simul majus objectum invidiæ, si affuiset, quoniam objectum invidiæ est excellentia illius, cui invidet. Sic ergo patet, quod cognitione excellentiæ de Christo augmentata simul etiam augebatur objectum invidorum, et per consequens invidia judæorum, si á nullo impedita stetisset, fuisset facta major, et propterea ipsi libentius eum occidissent, ut super *ad Timoth.* intellexit Divus Thomas. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod crucifigentium Christum peccatum fuit gravissimum. Ut per hoc, quod dicitur Matth. 23. *et vos*, etc. secundum quod ponitur cum expositione D. Chrysost. *in arg. cont.* Ubi ly *implete* sumitur prænunciative, sive etiam permissive, non autem præceptive. Non enim imperat, aut præcipit, quod impleant, sed prænuntiat, et permittit, quod implebunt. Ac si dicat. *Vos* ex vobis *implebitis mensuram patrum vestrorum*, idest, plus peccabitis, quam patres vestri: et ego ex mea justissima providentia permittam, quod vos sic peccetis. Item per hoc, quod dicitur Danielis 9. " Occidetur Christus, et non erit populus ejus, qui eum negaturus est, *etc.* Et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio. » Item per hoc, quod dicitur Oseæ cap. 3. " Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine ephod, et sine theraphim. » Item per hoc, quod legitur Isa. 63. " Torcular calcavi solus: et de gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. » Clarum est enim, quod pœna proportionata esse debet culpæ, secundum illud Deut. 25. *Pro mensura delicti erit et plagarum modus.* Gravissimum ergo esse peccatum judæorum propter crucifixionem Christi ostendunt prophetæ prædicti, dum punitionem eis á Deo majorem omnibus aliis præcedentibus propter hoc datam esse testantur, quod et experientia docet. Ecce, Daniel supra post occisionem Christi dicit, judæos, qui antea erant populus Dei (ut habes Deut. 4.) non amplius futuros populum Dei: id. quod utique pejus, pœnosius, damnosius quasi improportionabiliter est, quam quælibet alia pœna. Subinfert quoque, quod desolatio judæorum propter idem peccatum occisionis durabit usque in finem sæculi, idest usque tunc erit continua, et perpetua. Qualis autem sit ista desolatio, declarat Oseas: cui adde illud Deuter. 28. " Disperdet te Dominus in omnes populos á summitate terræ usque ad terminos ejus. » Calcandos item, et conculcandos judæos à Crucifixo in ira, et in furore suo, et ultra hoc, post præsentem vitam ad diem ultionis, justissimæque retributionis divinæ, contestatur Isaias: et hoc propter sanguinem, quo abundanter vestimenta, idest humanitatem ejus asperserunt. Cum igitur pœna hæc á singulis horum prophetarum denotata sit major, quam fuerit pœna pro idololatria, et occisione prophetarum eis inflicta, quæ 70 annis solum duravit, restat manifeste, quod peccatum crucifixionis Christi, pro quo tantas luunt pœnas, sit et occisione prophetarum

omnium (*Quem enim ipsorum non persecuti sunt patres vestri?* Act. 7.) et idololatria tanta (ut habes in libris regum) majus, et consequenter sit gravissimum. De magnitudine desolationis hujus perpetuæ, et consequenter hujus peccati, vide aureum illum tractatum Rabbi Samuelis ad Rabbi Isaac, qui (ut diximus in art. 5. append.) colligatus est post tractatum D. Petri Hispani, cujus titulus est, *Zelus Christi contra judæos, saracenos,* etc. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA OCTAVA,

### DE MODO PASSIONIS CHRISTI QUANTUM AD EFFECTUM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu passionis Christi. Et primo de modo efficiendi. Secundo de ipso effectu.

*Circa primum quæruntur sex.*

Primo, utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti.

Secundo, utrum per modum satisfactionis.

Tertio, utrum per modum sacrificii.

Quarto, utrum per modum redemptionis.

Quinto, utrum esse redemptorem sit proprium Christi.

Sexto, utrum causaverit effectum nostræ salutis per modum efficientiæ.

### ARTICULUS I.

*Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod passio Christi non causaverit nostram salutem per modum meriti.

1. Illud per quod aliquis aliquid meretur, habet principium in eo qui meretur. Sed passio Christi non habuit principium in Christo; sed fuit ab exteriori, scilicet ab his qui eum flagellaverunt et crucifixerunt. Ergo passio Christi non causavit nostram salutem per modum meriti.

Maior prob., quia nullus meretur vel laudatur, nisi per id cujus principium est in ipso.

2. Christus ab initio suæ conceptionis meruit sibi et nobis, ut dictum est qu. 19. art. 4. et q. 34. art. 3. Ergo Christus per suam passionem non meruit nostram salutem.

Conseq. probat., quia superfluum est aliquem mereri id quod jam ante meruerat.

3. Charitas Christi non fuit magis aucta in passione, quam antè. Ergo non magis meruit nostram salutem patiendo, quam antea fecerit.

Conseq. prob., quia radix merendi est charitas.

*PRO AFFIRMATIVA.*

*Argumentum sed contra.*

Christus glorificatus est, non solum in seipso; sed etiam in suis fielibus, ut ipse dicit Joan. 17. Ergo Christus non solum sibi meruit, sed suis fidelibus etiam meruit salutem.

Conseq. prob., quia super illud ad Philip. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum,* dicit August. Tract. 104. in Joan. *Humilitas passionis, claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.*

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Christus per suam passionem meruit, non solum sibi, sed omnibus membris suis salutem.

Prob. Christo data est gratia, non solum sicut singulari personæ, sed in quantum est caput Ecclesiæ, ut scilicet ab ipso redundaret ad membra, ut dictum est qu. 8. Ergo Christus per suam passionem meruit, non solum sibi, sed etiam suis fidelibus salutem.

Conseq. manifest. Ex hoc enim quod

Christo data est gratia capitis, manifestum est quod Christi opera hoc modo se habent ad se et ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Homo autem in gratia constitutus, qui propter justitiam patitur, ex hoc ipso meretur salutem, secundum illud Matth. 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Ergo Christus constitutus caput fidelium per gratiam capitis, pro se et pro membris suis meruit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod passio potest considerari dupliciter. Uno modo, in quantum passio, et sic non est meritoria, quia passio, ut passio, infertur ab altero. Alio modo in quantum est voluntarie ab aliquo tolerata, et sic habet principium ab interiori, et est meritoria, et quia passio Christi fuit voluntarie á Christo tolerata, propterea fuit maxime meritoria. Ad formam negatur minor, passio enim Christi habuit principium ab interiori in ipso Christo, quia eam voluntarie sustinuit, et sic fuit meritoria.

Ad 2. Dicitur ad anteced., quod Christus á principio suæ conceptionis meruit nobis salutem æternam; sed ex parte nostra erant quædam impedimenta, quibus impediebamur consequi effectum præcedentium meritorum: unde ad removendum illa impedimenta oportuit Christum pati, ut dictum est quæst. 46. art. 3. Negatur igitur conseq. In principio enim suæ conceptionis meruit Christus nostram salutem; in passione vero removit impedimenta, quibus impediebamur á consequenda salute, quam meruerat, et sic nihil superflue actum est.

Ad 3. Negatur conseq. Passio enim Christi habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita, non propter maiorem charitatem, sed propter genus operis, quod erat conveniens tali effectui: ut patet ex rationibus supra inductis de convenientia passionis Christi, in quæst. 46. art. 3.

## ARTICULUS II.

*Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod passio Christi non causaverit nostram salutem per modum satisfactionis.

1. Christus non peccavit, secundum illud 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit.* Ergo Christus per suam passionem non satisfecit.

Conseq. prob., quia ejusdem videtur esse satisfacere, cujus est peccare, sicut patet in aliis pœnitentiæ partibus: ejus enim est conteri et confiteri, cujus est peccare.

2. In Christi passione maxima fuit offensa perpetrata. Ergo per passionem Christi non potuit Deo satisfieri.

Antecedens probat., quia gravissime peccaverunt illi, qui eum occiderunt, ut dictum est qu. præced. art. 6.

Conseq. probatur, quia nulli satisfit per maiorem offensam.

3. Passio Christi non videtur esse æqualis omnibus peccatis humani generis. Ergo Christus sua passione non satisfecit pro peccatis nostris.

Anteced. probat. Quia Christus non est passus secundum divinitatem, sed secundum carnem, secundum illud 1. Petr. 4. *Christo igitur passo in carne*; anima autem in qua est peccatum, potior est quam caro.

Conseq. prob., quia satisfactio importat æqualitatem quamdam ad culpam, cum sit actus justitiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ex persona Christi dicitur Psal. 68. *Quæ non rapui, tunc exolvebam.* Ergo Christus patiendo, perfecte satisfecit pro peccatis nostris.

Conseq. prob., quia non exolvit, qui perfecte non satisfacit.

*Determinatio.*

Conclusio. Passio Christi, non solum sufficiens, sed etiam superabundans

satisfactio fuit pro peccatis humani generis.

Probat. primo. Quia Joan. 2. dicitur: "ipse est propitiatio pro peccatis "nostris, non pro nostris autem tantum, "sed etiam pro totius mundi."

Secundo. Christus ex charitate, et ex obedientia patiendo maius Deo aliquid exhibuit, quam exigeret recompensatio offensæ totius humani generis. Ergo passio Christi fuit non solum sufficiens, sed superabundans satisfactio pro peccatis humani generis.

Conseq. prob., quia ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod æque vel magis diligit, quam oderit effensam.

Anteced. probat. Propter tria enim Christus patiendo maius aliquid Deo exhibuit, quam fuerit offensa Deo facta. Primo propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur. Secundo propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei et hominis. Tertio propter generalitatem passionis, et magnitudinem doloris assumpti, ut dictum est, q. 46. art. 6.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Potest enim ille qui non peccavit, satisfacere pro eo, qui est unum cum eo qui satisfacit aliquo modo. Nam duorum hominum qui sunt unum in charitate, unus pro alio satisfacere potest, ut patebit infra in sup. 13. art. 2. Et quia caput, et membra sunt una persona, cum Christus sit caput corporis mystici omnium fidelium, ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet. Ad prob. negatæ consequentiæ dicitur, quod non est similis ratio de satisfactione ex una parte, et de confessione, et contritione ex altera, quia satisfactio consistit in actu exteriori, ad quem assumi possunt instrumenta, inter quæ etiam amici computantur; confessio autem et contritio consistunt in interiori, vel proprio actu ipsius, qui conteritur vel confitetur.

Ad 2. Negatur conseq. Etsi enim maxima fuerit offensa perpetrata in passione Christi; maior tamen fuit charitas Christi patientis, quam malitia crucifigentium; et ideo plus potuit Christus satisfacere sua passione, quam crucifixores offendere occidendo, in tantum quod passio Christi sufficiens fuit, et superabundans ad satisfaciendum pro peccatis occidentium ipsum. Ad prob. dicitur, quod nulli satisfit per maiorem offensam ut sic; potest tamen ei satisfieri per tolerantiam offensæ illatæ ei, qui satisfacit.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad prob. dicitur, quod dignitas carnis Christi non est æstimanda solum secundum carnis naturam; sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet caro Christi erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.

## ARTICULUS III.

*Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii.*

*Pro negativa.*=Videtur quod passio Christi non sit operata per modum sacrificii.

1. In sacrificiis veteris legis, quæ eran figuræ Christi, numquam offerebatur caro humana, quinimmo hæc sacrificia nefanda habebantur, secundum illud Psal. 105. "effuderunt sanguinem in"nocentem, sanguinem filiorum suorum, "et filiarum suarum, quas sacrificave"runt sculptilibus Chanaam." Ergo passio Christi non potest dici sacrificium.

Conseq. prob., quia figuræ debet veritas respondere.

2. Sacrificium est signum. Sed passio Christi non est signum, sed magis signatum per alia signa. Ergo passio Christi non est sacrificium.

Maior prob., quia August. dicit 10. de Civit. Dei cap. 5. quod "sacrificium "visibile invisibilis sacrificii sacramen"tum, idest sacrum signum est."

3. Quicumque offert sacrificium, aliquod sacrum facit; ut ipsum nomen sa-

crificii demonstrat. Sed illi qui Christum occiderunt, non fecerunt aliquod sacrum, sed magnam malitiam perpetraverunt. Ergo passio Christi magis fuit maleficium quam sacrificium.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Passio Christi fuit verum sacrificium.

Prob. Opus, quod fit in honorem proprie Deo debitum ad ipsum Deum placandum, est proprie et verum sacrificium. Sed passio Christi fuit opus factum in honorem proprie Deo debitum ad ipsum placandum. Ergo passio Christi fuit verum sacrificium.

Maior prob., quia August. dicit 10. de Civit. Dei cap. 6. «Verum sacrificium "est omne opus, quod agitur ut sancta "societate inhæreamus Deo, relatum sci- "licet ad illum finem boni, quo veraci- "ter beati esse possumus."

Minor prob., quia ut ibidem subdit August. Christus *seipsum obtulit in passione pro nobis*, et hoc ipsum opus quo voluntarie passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex charitate maxime proveniens.

2.ª Conclusio. Passio Christi fuit excellentissimum sacrificium.

Prob., quia omnia alia sacrificia hoc passionis Christi sacrificium figurarunt. Unde August. subdit in eodem lib. "Hujus veri sacrificii multiplicia, varia- "que signa erant sacrificia prisca sanc- "torum, cum hoc unum per multa fi- "guretur, tamquam verbis multis res "una diceretur, ut sine fastidio multum "commendaretur."

Manifestatur etiam excellentia hujus sacrificii ratione ejus, qui offert, cui offertur, quod offertur, et pro quibus offertur. Ille enim qui offert est Deus homo; cui offertur est Deus; quod offertur est idem Christus; pro quibus offertur sunt unum cum Christo. Unde August. dicit 4. de Trin. cap. 14. «Cum quatuor "considerentur in omni sacrificio, scilicet "cui offeratur, á quo offeratur, quid of- "feratur, pro quibus offeratur; idem "ipse unus, verusque mediator, per sa- "crificium pacis reconcilians nos Deo, "unum cum illo maneret, cui offerebat, "unum in se faceret, pro quibus offere- "bat, unus ipse esset, qui offerebat, et "quod offerebat."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod licet veritas respondeat figuræ quantum ad aliquid, non tamen ei respondet quantum ad omnia, quia oportet quod veritas figuram excedat. Et ideo convenienter figura hujus sacrificii, quo caro Christi offertur pro nobis, fuit caro non hominum; sed aliorum animalium significantium carnem Christi, quæ est perfectissimum sacrificium. Primo quidem quia ex eo, quod est humanæ naturæ caro, congrue pro hominibus offertur, et ab eis sumitur sub sacramento. Secundo quia ex eo, quod erat passibilis et mortalis, erat apta immolationi. Tertio quia per hoc, quod erat sine peccato, efficax erat ad emundanda peccata. Quarto quia ex eo, quod erat ipsius offerentis, erat Deo accepta, propter charitatem carnem offerentis. Unde August. dicit in 4. de Trinit. cap. 14. "quid tam congruenter ab hominibus "sumeretur, quod pro eis offerretur, "quam humana caro? et quid tam ap- "tum huic immolationi, quam caro mor- "talis? Et quid tam mundum pro mun- "dandis vitiis mortalium, quam sine "contagione carnalis concupiscentiæ caro "nata in utero, et ex utero virginali? Et "quid tam grate offerri et suscipi pos- "set, quam caro sacrificii nostri, corpus "effectum sacerdotis nostri."

Ad 2. Dicitur dupliciter. Primo negatur maior, non enim oportet, quod omne sacrificium sit signum. Ad proba-

tionem dicitur, quod August. loquitur de sacrificiis visibilibus figuralibus.

Secundo negatur minor: passio enim Christi licet sit aliquid signatum per alia sacrificia figuralia, est tamen signum alicujus rei observandæ á nobis, secundum illud 1. Pet. 4. "Christo igitur passo in "carne, et vos eadem cogitatione ar- "mamini, quia qui passus est in carne, "desit á peccatis, ut jam non hominum "desideriis, sed voluntati Dei, quod re- "liquum est in carne vivat temporis."

Ad 3. Dicitur argumentum hoc concludere, quod passio Christi ex parte occidentium non fuerit sacrificium, quod verum est; fuit enim ex parte eorum maleficium et non sacrificium; fuit autem sacrificium ex parte Christi ex charitate patientis, quod sacrificium obtulit ipse Christus, non autem illi, qui occiderunt. Unde qui obtulit sacrificium, sacrum aliquod fecit: non autem occisores, qui nec sacrum fecerunt, nec sacrificium obtulisse dicuntur.

## ARTICULUS IV.

*Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod passio Christi non sit operata nostram salutem per modum redemptionis.

1. Homines numquam desierunt esse Dei, secundum illud Psal. 23. "Domini "est terra, et plenitudo ejus, orbis ter- "rarum et universi, qui habitant in eo." Ergo Christus non redemit homines sua passione.

Conseq. prob., quia nullus emit, vel redimit, quod suum esse non desiit.

2. Diabolus creaturam Dei, scilicet hominem, dolose decepit et eum sibi subjugavit. Ergo videtur, quod non debuerit homo per modum redemptionis ab ejus eripi potestate.

Conseq. prob., quia cum diabolus á Christo justitia superandus esset, ut Aug. dicit 13. de Trin. cap. 13. et justitia hoc exigat, quod ille qui invasit dolose rem alienam, debeat privari ea, quia fraus et dolus nulli debet patrocinari, ut etiam jura humana dicunt, evidenter sequitur quod si diabolus dolose sibi subegit hominem, non erat ab eo eripiendus homo per modum redemptionis; sed nullo soluto pretio, debuit ab eo liberari.

3. Quicumque emit, aut redimit aliquid, pretium solvit ei, á quo redimit et qui possidebat. Sed Christus non solvit sanguinem suum (qui dicitur esse pretium redemptionis nostræ) diabolo, qui nos captivos tenebat. Ergo Christus non redemit nos sua passione.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur 1. Petr. 1. "non corruptibili- "bus auro, vel argento redempti estis, "de vana vestra conversatione traditionis "paternæ; sed pretioso sanguine quasi "agni immaculati et incontaminati "Christi." Et Gal. 3. dicitur: "Chris- "tus nos redemit de maledicto legis, "factus pro nobis maledictum." Dicitur autem pro nobis factus maledictum, in quantum pro nobis passus est in ligno. Ergo Christus per passionem suam nos redemit.

*Determinatio.*

Conclusio. Passio Christi dicitur esse nostra redemptio.

Probatur et declaratur: passio Christi fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab obligatione peccati et reatus pœnæ. Ergo passio Christi fuit nostra redemptio.

Anteced. prob. Passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccato et reatu pœnæ generis humani. Ergo passio Christi fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab utraque obligatione.

Conseq. hæc prob. quia ipsa satisfactio, qua quis satisfacit sive pro se, sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum, vel alium redimit á peccato et á pœna, secundum illud Dan. 4. «Peccata

tua eleemosynis redimet, satisfactio igitur pro peccato generis humani, est pretium quoddam, quo genus humanum fuit redemptum.

Utrumque antecedens et tota ratio manifestatur. Homo enim per peccatum dupliciter obligatus erat. Primo, quidem servitute peccati, quia *qui facit peccatum, servus est peccati*, ut dicitur Joan. 8., et 2. Pet. 2. *A quo quis superatus est, hujus et servus est.* Quia igitur diabolus hominem superaverat, inducendo eum ad peccatum, homo servituti diaboli addictus erat: secundo, quantum ad reatum pœnæ, quo homo erat obligatus secundum Dei justitiam. Et hoc etiam est servitus quædam. Ad servitutem enim pertinet quod aliquis patiatur quod non vult, cum liberi hominis sit uti seipso ut vult. Quia igitur passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccato et reatu pœnæ generis humani, ac per hoc pretium quoddam, quod Christus satisfecit pro utroque, non quidem pecuniam dando, aut aliquid hujusmodi, sed dando id quod fuit maximum, seipsum scilicet pro nobis; sequitur quod ejus passio fuerit operata nostram salutem per modum redemptionis.

### AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod homo dicitur esse Dei dupliciter. Uno modo in quantum subjicitur potestati ejus, et hoc modo homo numquam desiit esse Dei, secundum illud Dan. 4. « Dominatur excelsus in regno hominum, « et cuicumque voluerit dabit illud. » Alio modo per unionem charitatis ad Deum, secundum quod dicitur Rom. 8. « Si quis spiritum Christi non habet, hic « non est ejus. » Et hoc modo desiit esse Dei per peccatum, et ideo in quantum fuit á peccato liberatus, Christo passo satisfaciente, dicitur per passionem Christi esse redemptus.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod homo peccando obligatus erat Deo et diabolo; quantum enim ad culpam Deum offenderat, et diabolo se subdiderat ei consentiens. Unde ratione culpæ non erat factus servus Dei, sed potius á Dei servitute recedens, diaboli servitutem incurrerat, Deo juste hoc permittente, propter offensam in se commisam; sed quantum ad pœnam principaliter homo erat Deo obligatus, sicut summo judici, diabolo autem tamquam tortori secundum illud Matth. 5. « Ne forte tradat te adversarius tuus judici, et judex « tradat te ministro » id est « Angelo pœnarum crudeli, » ut Chryst. dicit Homil. 11. op. imperf. in Matth. quamvis igitur diabolus injuste (quantum in ipso erat) hominem sua fraude deceptum, sub servitute teneret, et quantum ad culpam, et quantum ad pœnam; justum tamen erat hoc hominem pati, Deo permittente hoc quantum ad culpam, et ordinante quantum ad pœnam. Et ideo per respectum ad Deum, justitia exigebat quod homo redimeretur, non autem per respectum ad diabolum. Argumentum igitur probat quod homo non deberet redimi á diabolo per respectum ad diabolum; cum quo stat quod deberet redimi per respectum ad Deum.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod qui redimit, solvit pretium ei, respectu cujus requiritur redemptio, sicut qui redimit eum, qui propter æs alienum detinetur in carceribus, non solvit pretium custodi carcerum, sed ei cujus est debitor: tunc ad minorem dicitur quod quia redemptio requirebatur ad hominis liberationem per respectum ad Deum offensum, non autem per respectum ad diabolum, non erat pretium solvendum diabolo, sed Deo; et ideo Christus sanguinem suum, qui est pretium nostræ redemptionis, non dicitur obtulisse diabolo, qui erat tantum carcerarius et tortor, sed Deo qui erat ex peccato hominis offensus.

## ARTICULUS V.

*Utrum esse redemptorem sit proprium Christi.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod esse redemptorem non sit proprium Christi.

1. Illud quod convenit toti Trinitati, non est proprium Christi. Sed esse redemptorem convenit toti Trinitati. Ergo esse redemptorem non est proprium Christi.

Minor prob., quia in Psal. 30. dicitur: *redemisti me, Domine Deus veritatis:* esse autem dominum veritatis, convenit toti Trinitati.

2. Ille qui dat pretium redemptionis dicitur redimere. Sed Deus Pater dedit Filium suum redemptionem pro peccatis nostris, secundum illud Psal. 110. *Redemptionem misit Dominus populo suo*, Glos. ordin. idest *Christum, qui dat redemptionem captivis.* Ergo non solum Christus, sed etiam Deus Pater nos redemit.

3. Non solum passio Christi, sed etiam passio aliorum sanctorum proficua fuit ad nostram salutem, secundum illud ad Colos. 1. «Gaudeo in passionibus meis "pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt "passionum Christi in carne mea, pro "corpore ejus, quod est Ecclesia.» Ergo non solum Christus debet dici redemptor, sed etiam alii sancti.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Solus Christus factus est pro nobis maledictum. Ergo solus Christus debet dici noster redemptor.

Anteced. simul cum conseq. probat. quia dicitur ad Gal. 3. «Christus nos "redemit de maledicto legis, factus pro "nobis maledictum.»

*Determinatio.*

Conclusio. Esse immediate redemptorem proprium est Christi, in quantum est homo, quamvis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati, sicut primæ causæ.

Probatur prima pars. Ei qui per seipsum solvit pretium quod est suum, pro aliqua re redimenda, proprium est esse redemptorem. Sed Christus, in quantum est homo, per seipsum solvit pretium quod suum erat pro redemptione hominis. Ergo proprium est Christo esse redemptorem.

Maior prob., quia ad hoc quod aliquis redimat, duo requiruntur, scilicet actus solutionis, et pretium solutum. Si enim aliquis solvat pro redemptione alicujus rei prætium quod non est suum, sed alterius, ipse non dicitur redimere principaliter, sed magis ille, cujus est prætium. Ille igitur, qui per se solvit suum, proprie est redemptor.

Minor prob., quia pretium redemptionis nostræ est sanguis Christi, vel vita ejus corporalis quæ est in sanguine, quam ipse Christus exsolvit: unde Christus in quantum homo solvit pretium, et pretium suum pro redimendo homine.

Altera pars conclusionis manifestatur, quia ipsa vita Christi est sanctæ Trinitatis, á qua etiam inspiratum fuit ipsi homini Christo, ut pateretur pro nobis: unde nostra redemptio pertinet ad totam Trinitatem, sicut ad causam primam et remotam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. minor: esse enim redemptorem convenit Trinitati, tantum ut causæ primæ et remotæ. Ad probationem dicitur quod Glos. sic exponit. «Tu «Domine Deus veritatis, redemisti me in «Christo clamante: in manus tuas Domi«ne commendo spiritum meum.» Et sic redemptio immediate pertinet ad hominem Christum, principaliter autem ad Deum.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod pretium redemptionis nostræ homo Christus solvit immediate, sed de mandato Patris, sicut primordialis auctoris; et sic esse redemptorem convenit Christo; Patri vero convenit, ut causæ principali mandanti nostram redemptionem.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod passiones sanctorum proficiunt Ecclesiæ

non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli, et exhortationis, secundum illud 2. Cor. 1. *Sive tribulamur pro vestra exhortatione et salute.*

## ARTICULUS VI.

*Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiæ.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod passio Christi non sit operata nostram salutem per modum efficientiæ.

1. *Christus crucifixus est ex infirmitate*, ut dicitur 2. Cor. 13. Ergo passio Christi non est operata efficienter nostram salutem.

Conseq. probat., quia causa efficiens nostræ salutis est magnitudo divinæ virtutis, secundum illud Isaiæ 59. « Ecce " non est abbreviata manus ejus, ut sal- " vare non possit. »

2. Passio Christi non potuit contingere omnes homines. Ergo passio Christi non potuit efficienter operari ad salutem omnium hominum.

Conseq. prob., quia nullum agens corporale efficienter agit, nisi per contactum. Unde etiam et Christus tangendo sanavit leprosum, « ut ostenderet carnem " suam salutiferam habere virtutem, » ut Chryst. dicit Hom. 26. in Matth. et in op. imperf. Hom. 22.

3. Passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti. Ergo passio Christi non est operata nostram salutem per modum efficientiæ.

Conseq. prob., quia non videtur ejusdem esse operari per modum meriti, et per modum efficientiæ, quia ille qui meretur, expectat effectum ab alio.

### PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Virtus Dei efficienter operatur nostram salutem. Sed *Verbum crucis his, qui salvi fiunt, est virtus Dei*, ut dicitur 1. Cor. 1. Ergo passio Christi in cruce efficienter operata est nostram salutem.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Duplex est efficiens, principale, et instrumentale.

1.ª Conclusio. Efficiens principale humanæ salutis est Deus.

Hæc conclusio habita est artic. præced. in corpore et ad 1.

2.ª Conclusio. Passio Christi efficienter instrumentaliter causat nostram salutem.

Prob. quia humanitas Christi est divinitatis instrumentum, ut dictum est quæst. 13. art. 3. Ideo ex consequenti omnes actiones et passiones Christi instrumentaliter operantur virtute divinitatis ad salutem humanam.

### AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod passio Christi relata ad Christi carnem, congruit infirmitati assumptæ; relata vero ad divinitatem, consequitur ex ea infinita virtus, secundum illud 1. Cor. 1. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*, quia scilicet ipsa infirmitas Christi, in quantum est Dei, habet virtutem excedentem omnem virtutem humanam, et formalius negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod causa principalis nostræ salutis est magnitudo infinitæ virtutis, quæ mediante humanitate Christi, salutem efficit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod etsi passio Christi non potuerit contingere omnes contactu corporali, omnes tamen contingere potest contactu spirituali; licet enim passio Christi fuerit corporalis, habet tamen spiritualem virtutem ex divinitate unita. Et ideo per spiritualem contactum efficaciam sortitur, scilicet per fidem et fidei sacramentum, secundum illud Apostol. Rom. 3. « Quem " proposuit Deus propitiationem per fi- " dem in sanguine ipsius. »

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod non est ejusdem operari per modum meriti, et per modum efficientis secundum idem, sed secundum diversa non inconvenit. Passio igitur Christi, se-

cundum quod consideratur per comparationem ad divinitatem, agit per modum efficientiæ, in quantum vero comparatur ad voluntatem animæ Christi, agit per modum meriti. Secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi, agit per modum satisfactionis, in quantum per eam liberamur á reatu pœnæ. Per modum vero redemptionis, in quantum per eam liberamur á servitute culpæ. Per modum autem sacrificii, in quantum per eam reconciliamur Deo. Et sic passio Christi, secundum diversam considerationem et comparationem, diversimode operata est nostram salutem.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 48.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Bernardo, quod passio Christi causavit nostram salutem per modum meriti. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Phil. 2. *propter quod*, etc. secundum quod cum expositione B. Aug. et discursu ponitur *in arg. cont.* Ad cujus intelligentiam pro ly *etiam in suis fidelibus*, ut ipse dicit Joan. 17. nota, ibi duo loca, scilicet, *et clarificatus sum in eis*: item *pro eis ego sanctifico meipsum.* A D. Bernardo autem per id, quod in vita ejus ab Ecclesia legitur. " Aliquando graviter infirmatus visum est sibi, ante tribunal Domini præsentari: ubi, cum Satan ejusque satellites multa contra eum dixissent, ipse nihil territus respondit. Fateor, non sum dignus propriis meritis obtinere regnum cœlorum; sed duplici jure obtinens illud Dominus meus, hæreditate scilicet patris, et merito passionis, altero ipse contentus alterum mihi donavit. Cujus dono illud mihi vendicare non confundor. Ad hæc confusus inimicus cum suo conventu discessit. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam, ex eo quod male intelligebant Apostolum ad Colossenses, dicentium, quod passio Christi non fuit satisfactio sufficiens pro peccatis nostris. Apostoli autem dictum ad Colossenses cap. 2. hoc est " Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. » Prædicti enim hæretici, cum sint *indocti et instabiles*, ut dicitur 2. Pet. 3. idest á stabili sensu scripturarum voluntarie deviantes " depravarunt hanc, sicut et cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem, » ideoque dixerunt. Ecce, quod Apostolus dicit, se adimplere ea, quæ desunt passionum Christi pro Ecclesia, idest in satisfactionem pro peccatis Ecclesiæ. Ubi aperte ad litteram inquiunt, demonstrat, quod passiones Christi desunt, idest, non sunt sufficientes de se sine passionibus aliorum sanctorum, ad satisfaciendum pro Ecclesia. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim illam damnari per hoc, quod dicitur Rom. 5. " Non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. » Ubi et post multa concludit de isto dono dicens: " Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. » Quid vero per donum ibi intelligat Apostolus, declaraverat in cap. eod. per ly " Christus pro nobis, cum adhuc peccatores essemus, mortuus est. » Quid autem per ly *superabundavit* intelligat, declaraverat etiam ibidem per ly " reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus. » Mors ergo Christi fuit, secundum expressum contextum Apostoli superabundans ad reconciliandum nos peccatores Deo. Hoc est ut patet ex sensu terminorum, ad satisfaciendum pro nobis pec-

catoribus Deo. Item á Psalm. 68. *Quæ non rapui*, et cætera, ut cum expositione est *in arg. cont.* Nota ly *exolvebam*, idest non solum solvebam, sed etiam exactissime solvebam: id, quod est justitiæ divinæ de hujusmodi rapina pretium exigenti, et satisfacere, et perfectissime satisfacere. Item á symbolo fidei catholicæ per ly " Qui propter nostram salutem passus, crucifixus, et mortuus est. » Ex hoc enim relativo qui, apertissime demonstratur, quod passio sua fuit sufficientissima ad satisfaciendum pro peccatis, non tantum nostris, sed etiam infinitorum mundorum, quantum est ex seipsa. Nam ly *qui* refert filium Dei unigenitum, consubstantialem Patri, coæqualem coæternum, coomnipotentem, infinitum, ac Deum verum, ut patet ex contextu ipsius symboli, et consequenter per hoc manifestat quod passio illius fuit infiniti vigoris, virtutis, ac pretii ad satisfaciendum æqualiter absolute, imo etiam plusquam æqualiter, pro offensis Deo ab omnibus hominibus quocumque tempore factis sive in præteritum, sive in futurum, q. 49. art. 1. ad 3. Non enim offensa, seu culpa, procedit, nisi á creatura cujus actio secundum se non potest esse, nisi vigoris finiti, cum et ipsa creatura finita sit, et per consequens passio Christi, cum nonnisi infiniti vigoris secundum se esse possit, plusquam æqualiter absolute pro culpis omnibus quorumlibet hominum satisfecit. Nec solum hoc de tota passione sua, attento supposito humanitatis patientis, verum est, sed et de minimo quovis dolore ipsius qu. 46. art. 6. arg. 6. Quod et idem S. Doct. confirmavit in Ryth. ad sacratissimam Eucharist. dicens:

« Pie Pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una gutta salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere. »

Item á Psalm. 129. *Copiosa apud eum redemptio.* Ibi enim ly *copiosa* demonstrat intentum et maxime si consideretur, quod sumitur antonomastice, idest, pro copiositate excellentissimo, et summo modo dicta, et quod proportionantur redemptio, ac satisfactio art. 3. corp. *Tertio* ex præmissis constat evidentissime, quod sensus ab hæreticis illis datus Apostolicæ sententiæ: *Adimpleo ea, quæ*, etc. est perversissimus, utpote contra eumdem Apostolum, contra fidei symbolum, et contra omnem rectam, quam adduximus, rationem. Nec est difficile in Apostolo verum sensum invenire, cum ipsemet in text. veritatem á se intentam declaret: *Adimpleo* (inquit) *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Dicit enim ly *desunt in carne mea*, et non dicit, desunt in carne sua: quoniam noverat, et passiones Chrisiti non defuisse, immo superfuisse, idest, superabundanter fuisse in carne Christi, et passiones Christi adhuc deesse in carne sui ipsius Pauli. Nam sciebat se nondum tanta passum esse, quanta debebat pati secundum præordinationem divinam ad hoc, ut juxta mensuram passionum ab ipsa præordinatione prætaxatam se passionibus Christi capitis sui conformaret. Quotidie tamen istam suarum passionum, quas ideo passiones Christi appellat, quia eas pro Christo patiebatur, mensuram adimplebat, dum magis, ac magis, ut seipsum Christo conformaret, passiones in carne propria sustineret, vel ab aliis sibi illatas, vel etiam à semetipso sponte asumptas. *Pro corpore* (inquit) *ejus, quod est Ecclesia.* Hoc est. Ad utilitatem Ecclesiæ per modum exempli, et exhortationis ad salutem, non autem per modum satisfactionis, quasi addentis aliquid passionibus Christi, tamquam ad satisfaciendum per se solas insufficientibus (Absit), licet per modum satisfactionis, tamquam redundantis ex plenissima plenitudine satisfactionis Christi. In hoc enim ultimo sensu satisfactionis, non autem in primo, dicimus, quod thesaurus Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, sunt merita et Christi, et sanctorum, ut videre est contra hæreses Lutheri, etc. in Additio. in art. 97. 102. Elucid. Nam sic passiones sanctorum non inferunt insufficientiam passionum Christi, sed inferunt eorumdem maximam sufficientiam ad satisfaciendum: quoniam illam Christi sufficientiam ostendunt esse tantam, ut ex redundantia sua faciat, passiones sanctorum esse satisfactiones, non solum sui ipsorum, sed etiam aliorum de Ecclesia commembrorum

suorum. Ac si sol per reverberationem quamdam faciat, quod crystallum á se sole illuminatum illuminet alia corpora circumstantia. Quod enim tale crystallum alia quædam illuminet, non est ex insufficientia solis ad illuminandum alia etiam sine crystallo, sed ex vehementi ipsius solis sufficientia: quæ tanta est, ut non solum illuminare possit alia, sed etiam sua illuminatione facere quod aliud, puta crystallum, illuminet alia. Sic juxta Apostolicum sensum ibi pro indulgentiis passiones sanctorum nihil penitus conferunt sufficientiæ passionibus Christi ad satisfaciendum pro Ecclesia: sed ex abundantissima satisfactione ipsius Christi hoc tamquam per quamdam reverberationem habent, ut satisfacere etiam pro aliis possint. Stant ergo optime simul (quod tamen indocti non perceperunt) duo hæc, scilicet, quod passiones sanctorum ad satisfaciendum pro Ecclesia aliquid valeant, et quod passiones Christi solæ sint superabundantes ad satisfaciendum: illud primum, scilicet sufficientia sanctorum tamquam effectus, demonstrat hoc primum; scilicet superabundantiam satisfactionis Christi esse verum, tamquam causam illius. " Torcular ergo calcavit solus Christus, et de gentibus non est vir secum » (ut ipse de se dicit Isa. 63.) idest, passio sua per se sola, nullis virtuosorum hominum passionibus adjunctis, est ad satisfaciendum pro omnibus sufficiens: et adeo, ut ex sufficientia sua ad passiones sanctorum suorum redundet, quod in Ecclesiæ utilitatem non tantum exempli, et exhortationis, sed etiam satisfactionis (modo tamen prædeclarato) veniant. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice interimas hæresim *Lutheri* dicentis, quod missa non est sacrificium. Patet enim ex hac radice, missam esse sacrificium, quod Christus in passione oblatus est verum sacrificium: ut articulus iste determinat. Nam sicut tota arbor virtute consistit in radice, ita missæ tota virtus in oblatione Christi crucifixi consistit. Hinc est, quod in idem redit demonstrare, missam esse sacrificium, et passionem Christi, seu Christum in passione oblatum, esse sacrificium, et quod quicumque dicit, vel negat unum, dicit etiam sententialiter, vel negat alterum. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, prædictam hæresim merito damnari á Conciliis *Lateranensi* sub *Innoc. III.* et *Flor.* et *Trid.* abundanter, et á scripturis sanctis, summisque pontificibus. De quibus omnibus, tum pro confutatione hæresum, tum pro textus præsentis, si recte applicentur, multa confirmatione, vide veritates aureas super totam legem veterem, Genes. 14. concl. 5. et Levit. 21. concl. 7. et c. 24. concl. 2. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á scripturis, quod passio Christi operata est nostram salutem per modum redemptionis. Ut per hoc, quod dicitur 1. Petr. 1. *non corruptibilibus*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi nota: utrobique vocabulo redemptionis, puta ly *redempti estis* ly *redemit*, esse usum Apostolum, et hoc, ut insinuaret, Christum crucifixum esse, et redemptorem nostrum, et redemptionem nostram. Redemptorem quidem, quia redemit, redemptionem autem, quia non aliis á se, puta auro, vel argento, sed seipso tamquam pretio redemit nos. Seipso, inquam; quia non solum sanguinem pretiosissimum ad nos redimendos dedit, sed totum se, secundum quod passibilis erat. Quod utique confirmatur á Divo Thoma in sermone de Sacracrament.: " Unigenitus Dei filius suæ divinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, ut homines Deos faceret factus homo: Et hoc insuper, quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo patri, et sanguinem suum fudit in pretium simul, et lavacrum, ut redempti á miserabili servitute, á peccatis omnibus mundaremur. » Confirmatur et idem ab eodem in art. 5. corp. per ly *prætium redemptionis nostræ est vita Christi corporalis*. Ex quibus dic, quod Apostolus ipse dicens ly *pretioso sanguine*, locutus est per figuram illam, quæ minus dicendo significat plus. Solum enim sanguinem expressit, et sub eo intellexit, quicquid ad Christi humanitatem pertinuit: puta labores, dolores, fatigationes, itinera, etc. A sanguine autem D Petrus, totam corporalem vitam Christi denominat, quia ipsa vita est in sanguine, artic. 5. Observando

præterea, quod etiam minimus, non tantum sanguis, sed et labor, Christi fuit secundum se sufficientissimus ad redimendum nos de vana nostra conversatione paternæ traditionis, ut patet artic. 2. append. licet ad declarandam nobis et maximam peccati gravitatem, ac nocumentum, et maximam suiipsius charitatem erga nos, ac patientiam, et maximam justitiæ Dei severitatem contra peccata punienda, ad obstruendum os loquentium iniqua, idest, facientium nimis, idest, temerarie magnum forum de infinita misericordia Dei, voluerit Christus ipse juxta præordinationem suam æternam, tot, tantaque ad præfixum numerum, atque mensuram pati pro nobis redimendis, quæst. quadragesima sexta, artic. sexto. Hæc dicta sint pro declaratione argum. cont. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Theodoti Bizantini*, ut refert Prateolus titul. *Bassus* dicentis; Christum non esse salvatorem, seu redemptorem. Et *Menandri*, ut refert Eusebius lib. 3. cap. 3. et D. August. lib. de hæresibus, dicentis, se fuisse destinatum salvatorem, seu redemptorem mundi, ac ex Olympo ad hominum salutem demissum. Articulus enim iste utramque impugnat, et expugnat: cum doceat et affirmativam, scilicet, Christum esse redemptorem, et negativam, scilicet, nullum præter ipsum, nec etiam SS. Apostolos esse redemptorem. Nam hoc esse proprium Christo, ut dicit conclusio articuli, includit utrumque: ac si diceretur, solus Christus est salvator, seu redemptor. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari per hoc, quod dicitur Galat. 3. *Christus nos* etc. ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item á dictis supra artic. numero secundo 247. et in addit. articul. num. 332. cum Elucidat. ubique. Item á veritatibus aureis super legem veterem, Levit. 16. concl. 8. Item per dictum Matthæi 1. *Vocabis nomen ejus Jesum.* Quod quidem dicitur Isai. 62. *nomen novum, quod os Domini nominavit.* Et hoc, quia nullus salvat populum suum á peccatis eorum, nisi Christus. Legitur enim Act. 4. " Non esse aliud nomen sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi nomen Christi. » Vide resp. ad 3. et q. 1. art. 2. ad 2. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse à scripturis insinuatum, quod crux, seu passio Christi operata est salutem nostram per modum efficientiæ. Ut per hoc, quod dicitur 1. Cor. 1. *Verbum crucis*, etc. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item per multa dicta Num. 17. secundum quod patet in veritatibus aureis super totam legem veterem, Num. 17. concl. 1. 3. ubi de crucis virtute ad longum tractatur, et hic repetere illa non est opus. Quia vero á figuris ad figurata procedes: ideo, ut scias talem processum esse et validum. et doctrinæ Ecclesiæ consentaneum vide hoc edoceri factis ipsis á Concilio *Hispalensi* 2. quod affertur à veritatibus aureis prædictis, lib. Levit. 8. concl. 2. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

---

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA NONA,

### DE EFFECTIBUS PASSIONIS SCHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ipsis effectibus passionis.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum per passionem Christi simus liberati á peccato.

Secundo, utrum per eam simus liberati á potestate diaboli.

Tertio, utrum per eam simus liberati á reatu pœnæ.

Quarto, utrum per eam simus Deo reconciliati.

Quinto, utrum per eam sit nobis aperta janua cœli.

Sexto, utrum per eam Christus aperta sit exaltationem.

## ARTICULUS I.

*Utrum per passionem Christi simus liberati á peccato.*

*Pro negativa.*= Videtur, quod per passionem Christi non simus liberati à peccato.

1. Christus non est passus secundum quod Deus, sed secundum quod est homo. Ergo per passionem Christi non sumus liberati à peccato.

Conseq. prob., quia liberare à peccato est proprium Dei, secundum illud Isaiæ 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.*

2. Corporale non agit in spirituale. Sed passio Christi est corporalis, peccatum autem non est nisi in anima, quæ est spiritualis creatura. Ergo passio Christi non potuit nos emundare á peccato.

3. Multa peccata sunt commisa post passionem Christi, et tota die committuntur. Ergo per passionem Christi non sumus liberati á peccato.

Conseq. prob., quia nullus potest liberari á peccato quod nondum commisit, sed quod in posterum est commissurus.

4. Præter passionem Christi, requiruntur adhuc alia ad remissionem peccatorum. Ergo passio Christi non fuit sufficiens causa remissionis peccatorum.

Conseq. prob., quia posita causa sufficienti, nihil aliud requiritur ad inducendum effectum.

5. Prov. 10. dicitur: *universa delicta operit charitas*, et Act. 15. dicitur: *per misericordiam et fidem purgantur peccata.* Ergo passio Christi non est propria causa remissionis peccatorum.

Conseq. prob., quia præter passionem Christi, multa alia sunt, de quibus habemus fidem, et quæ sunt provocativa charitatis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apoc. 1. dicitur: « Dilexit nos et lavit " nos à peccatis nostris in sanguine suo.»



*Determinatio.*

Conclusio. Passio Christi est propria causa remissionis peccatorum.

Prob. Tripliciter enim passio Christi causat remissionem peccatorum. Primo, per modum provocantis ad charitatem, quia ut Apost. dicit ad Rom. 5. « Com- " mendat Deus suam charitatem in no- " bis quoniam cum adhuc inimici esse- " mus Christus pro nobis mortuus est.» Et quia per charitatem consequimur veniam peccatorum, secundum illud Lucæ 7. « Dimissa sunt ei peccata multa, quo- " niam dilexit multum,» sequitur quod dum passio Christi provocat ad charitatem, sit causa remissionis peccatorum. Secundo, passio Christi causat remissionem peccatorum per modum redemptionis; quia enim ipse est caput nostrum, per passionem suam, quam ex charitate et ex obedientia sustinuit, liberavit nos tamquam membra sua à peccatis, quasi per pretium suæ passionis: sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se á peccato, quod pedibus commisisset. Sicut enim naturale corpus est unum, ex membrorum diversitate consistens, ita tota Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, computatur quasi una persona cum suo capite, quod est Christus. Tertio, passio Christi est causa remissionis peccatorum per modum efficientiæ, in quantum caro (secundum quam Christus passionem sustinuit) est instrumentum divinitatis, ex quo ejus passiones, et actiones operantur virtute divina ad expellendum peccatum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Etsi enim Christus non sit passus secundum quod Deus, cui proprium est, ut primæ causæ, liberare á peccato; tamen caro ejus est divinitatis instrumentum, et ex hoc passio ejus habet quamdam divinam virtutem dimittendi peccata, ut in corp. in 3. ratione dictum est. Ad probationem igitur

dicitur, quod liberare á peccato, ut prima causa, est proprium Dei; communicata tamen fuit virtus dimittendi peccata humanitati assumptæ, ut instrumento.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod licet passio Christi sit corporalis, sortitur tamen quamdam spiritualem virtutem, ex divinitate, cujus caro ei unita est, ut instrumentum, secundum quam virtutem passio Christi est causa remissionis peccatorum.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod Christus sua passione liberavit nos à peccato causaliter, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata, quandocumque remitti, præsentia, præterita, vel futura. Sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari, etiam in futurum. Ad probationem igitur dicitur, quod etsi nullus possit sanari á peccato, quod nondum commisit, potest tamen institui medicina, qua possit sanari aliquis á futuro peccato, quando illud commisserit.

Ad 4. Negatur consequentia. Ad probationem negatur assumptum de causa universali: posita enim causa universali, non sequitur effectus, nisi virtus universalis causæ applicetur singulis, in quibus debet effectum producere. Et quia passio Christi præcessit, ut causa quædam universalis remissionis peccatorum, ut dictum est, quæst. 46. artic. 4. necesse est, quod singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum. Hoc autem fit per baptismum et per pœnitentiam et per alia sacramenta, quæ habent virtutem ex passione Christi.

Ad 5. Dicitur, quod ad charitatem, quæ peccata operit, provocamur per passionem Christi, ut in prima ratione dictum est in corp. Per fidem etiam applicatur nobis passio Christi ad percipiendum fructum ipsius, secundum illud Rom. 3. «Quem proposuit Deus propi-«tiatorem per fidem in sanguine ejus,» et quia fides, per quam á peccato mundamur, est formata charitate, applicatur nobis passio Christi per fidem, et quantum ad intellectum, et quantum ad affectum; et sic peccata remittuntur virtute passionis Christi.

## ARTICULUS II.

*Utrum per passionem Christi simus liberati á potestate diaboli.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod per passionem Christi non simus liberati á potestate diaboli.

1. Diabolus numquam habuit super homines potestatem. Ergo per passionem Christi non sumus liberati á potestate diaboli.

Antecedens prob. Ille qui habet potestatem super aliquos, potest in illis facere aliquid, vel quæcumque vult, sine permissione alterius. Sed diabolus numquam potuit aliquid in nocumentum hominum facere, nisi ex permissione divina, sicut patet Job. 1. et 2. quod potestate divinitus accepta, eum primo in rebus, et postea in corpore læsit. Et similiter Matth. 8. dicitur, quod dæmones non potuerunt in porcos intrare, nisi Christo concedente.

2. Diabolus post Christi passionem homines tentat et corporaliter vexat. Ergo non sumus per passionem Christi à potestate diaboli liberati.

Conseq. prob., quia diabolus potestatem suam exercet in homines, tentando, et corporaliter vexando.

3. Virtus passionis Christi in perpetuum durat, secundum illud ad Heb. 10. «Una oblatione consummavit sanctifica-«tos in sempiternum.» Similiter etiam ubique extenditur. Sed liberatio á potestate diaboli, nec est ubique, quia in multis partibus mundi adhuc sunt idololatræ, nec etiam erit semper, quia tempore antichristi maxime suam potestatem diabolus exercebit in hominum nocumentum, de quo dicitur 2. Thes. 2. quod «ejus adventus erit secundum ope-«rationem sathanæ in omni virtute, et «signis, et prodigiis mendacibus, et in

« omni seductione iniquitatis. » Ergo videtur, quod passio Christi non sit causa liberationis humani generis á potestate diaboli.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus dicit Joan. 12. imminente passione: « nunc princeps hujus mundi « ejicietur foras; et ego si exaltatus fuero « á terra, » quod per passionem factum est, « omnia traham ad me ipsum. » Ergo per passionem Christi diabolus est á potestate hominum ejectus.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Circa potestatem, quam diabolus in homines ante Christi passionem exercebat, tria sunt consideranda. Primum quidem ex parte hominis, qui suo peccato meruit, ut in potestatem diaboli traderetur, per cujus tentationem fuerat superatus. Aliud autem est ex parte Dei, quem homo peccando offenderat, qui per suam justitiam hominem reliquerat potestati diaboli. Tertium est ex parte ipsius diaboli, qui sua nequissima volontate hominem á consecutione salutis impediebat.

1.ª Conclusio. Per passionem Christi liberati sumus à potestate diaboli, quantum ad id, quod consideratur in hac potestate ex parte hominis.

Prob. Quia passio Christi est causa remissionis peccatorum. ut art. præced. dictum est.

2.ª Conclusio. Per passionem Christi liberati sumus á potestate diaboli, quantum ad id, quod in exercitio hujus potestatis consideratur, ex parte Dei.

Prob. Quia per passionem Christi Deo reconciliati sumus, ut art. 4. dicetur.

3.ª Conclusio. Per passionem Christi liberati sumus á potestate diaboli, quantum ad id quod consideratur ex parte ipsius diaboli.

Prob. Quia diabolus in passione Christi excessit modum potestatis sibi traditæ á Deo, machinando in mortem Christi, qui non habebat meritum mortis, cum esset sine peccato. Unde August. dicit lib. 13. de Trin. cap. 14. « Justitia Christi victus « est diabolus, quia cum in eo nihil mor- « te dignum invenisset, occidit eum ta- « men, et utique justum est, quod debi- « tores, quos tenebat, liberi dimittantur, « in eum credentes, quem sine ullo de- « bito occidit. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem negatur maior: nam dicitur habere potestatem super aliquem etiam ille, cui juste permittitur ut aliquid faciat circa ipsum. Sicut non solum judex, sed etiam ministri judicis et tortores habent potestatem super reum, dum eis permittitur á judice juste, ut circa reum faciant ea, quæ justum est fieri. Diabolus igitur non dicitur potestatem habuisse in homines, quasi posset eis nocere, Deo non permittente; sed quia juste permittebatur nocere hominibus, quos tentando ad suum consensum perduxerat.

Ad 2. Negatur consequentia. Nam etsi diabolus etiam nunc possit homines tentare, quantum ad animam, et vexare quantum ad corpus, tamen præparatum est homini remedium per passionem Christi, quo se potest tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis æternæ. Et quicumque ante passionem Christi diabolo resistebant, per fidem passionis Christi hoc facere poterant, licet passione Christi nondum peracta. Quantum autem ad aliquid ante passionem Christi, nullus poterat diaboli manus evadere, ut scilicet non descenderet in infernum, á quo post passionem Christi se possunt homines ejus virtute tueri.

Ad 3. Negatur minor. Liberantur enim homines per virtutem passionis Christi semper et ubique. Nam, etsi Deus permittat diabolo posse decipere homines in certis personis, temporibus et locis, secundum occultam rationem

judiciorum suorum, semper tamen per passionem Christi est paratum hominibus remedium se tuendi contra nequitias dœmonum, etiam tempore antichristi, sed si aliqui uti hoc remedio negligant, nil deperit efficaciæ passionis Christi.

## ARTICULUS III.

*Utrum per passionem Christi, homines sint liberati á pœna peccati.*

*Pro negativa.*— Videtur, quod per passionem Christi non sint homines liberati á pœna peccati.

1. Illi qui damnati erant in inferno, non sunt per Christi passionem liberati. Ergo videtur, quod passio Christi non liberaverit homines á pœna peccati.

Anteced. prob., quia in inferno nulla est redemptio.

Conseq. prob., quia præcipua pœna peccati est æterna damnatio.

2. Illis, qui sunt liberati á reatu pœnæ, non est aliqua pœna injungenda. Sed pœnitentibus injungitur pœna satisfactoria. Ergo per passionem Christi non sunt homines liberati á reatu pœnæ.

3. Post passionem Christi adhuc homines moriuntur. Ergo per passionem Christi non sunt liberati homines á pœna peccati.

Conseq. prob., quia mors est pœna peccati, secundum illud Rom. 6. *Stipendium peccati mors.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Isaiæ 53. dicitur: *Vere langores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.*

*Determinatio.*

Conclusio. Per passionem Christi liberati sumus á reatu pœnæ.

Prob. Dupliciter enim per Christi passionem á reatu pœnæ liberati sumus. Primo modo directe, in quantum passio Christi fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis; exhibita enim sufficienti satisfactione tollitur reatus pœnæ. Alio modo indirecte, in quantum scilicet passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ.

Aliter: conclusio. Per passionem Christi liberati sumus à reatu pœnæ directe et indirecte.

Prob. Liberati sumus per Christi passionem directe, quia passio Christi fuit superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis. Indirecte vero, quia passio Christi est causa remissionis peccati, in quo reatus pœnæ fundatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad consequentiam, quod passio Christi sortitur effectum suum in illis, quibus applicatur per fidem, charitatem, et per fidei sacramenta. Et ideo damnati in inferno qui prædicto modo passioni Christi non conjunguntur, effectum ejus percipere non possunt.

Negatur igitur consequentia: nam etsi passio Christi fuerit sufficientissima ad liberandum omnes á pœna peccati, tamen effectus liberationis non procedit nisi ad eos, quibus passio Christi applicari per fidem et sacramenta potest.

Ad 2. Negatur maior in proposito: sunt enim aliqui, quibus debet aliqua pœna imponi, ut á pœna peccati liberari possint, scilicet pœnitentes. Pro quo est considerandum quod ad hoc, ut consequamur effectum passionis Christi, oportet nos ei configurari; configuramur autem Christo dupliciter: uno modo in baptismo sacramentaliter, secundum illud Rom. 6. *Consepulti sumus ei per baptismum in mortem*; et illis qui sic Christo configurantur, nulla imponitur pœna, ut de baptizatis patet, quia isti sunt totaliter liberati per satisfactionem Christi. Quia vero Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est, ut dicitur 1. Pet. 3. non potest homo secundo configurari morti Christi, per sacramentum baptismi. Unde oportet quod illi qui post baptismum peccant, configurentur Christo patienti per aliquid pœnalitatis, vel passionis, quam in seipsis sustineant: quæ tamen multo

minor sufficit, quam esset condigna peccato, cooperante satisfactione Christi. Et sic patet quod ad hoc, ut his, qui post baptismum peccaverunt, remittatur peccati pœna, oportet ut patiantur aliquam pœnam.

Ad 3. Negatur conseq. Nom enim homo debuit per passionem Christi liberari à pœna temporalis mortis. Nam satisfactio Christi habet effectum in nobis in quantum incorporamur et configuramur ei, ut membra suo capiti. Et ideo sicut Christus primo habuit gratiam in anima cum passibilitate corporis, et per passionem ad gloriam immortalitatis pervenit; ita et nos, qui sumus membra ejus, per passionem ipsius liberamur quidem á reatu cujuslibet pœnæ, ita tamen quod primo recipimus in anima spiritum adoptionis filiorum, quo adscribimur ad hæreditatem immortalis gloriæ, adhuc corpus passibile et mortale habentes; postmodum vero configurati passionibus, et morti Christi, in gloriam immortalem perducimur, secundum illud Apost. Rom. 8. « Si filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur ut et conglorificemur. »

## ARTICULUS IV.

*Utrum per passionem Christi simus Deo reconciliati.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod per passionem Christi non simus Deo reconciliati.

1. Deus semper nos dilexit, secundum illud Sapien. 11. "Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti." Ergo passio Christi non reconciliavit nos Deo.

Conseq. prob., quia reconciliatio non habet locum inter amicos.

2. Dilectio Dei est principium passionis Christi, secundum illud Jo. 3. "Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret." Ergo non videtur, quod per passionem Christi simus reconciliati Deo, ita ut de novo nos amare inciperet.

Conseq. prob., quia idem non potest esse principium et effectus, unde gratia, quæ est principium merendi, non cadit sub merito.

3. Passio Christi impleta est per homines Christum occidentes, qui ex hoc graviter Deum offenderunt. Ergo passio Christi est magis causa indignationis, quam reconciliationis hominis cum Deo.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit Rom. 5. « Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. »

*Determinatio.*

Conclusio. Passio Christi est causa reconciliationis nostræ ad Deum.

Prob. dupliciter. Primo: passio Christi removit peccatum, per quod homines constituuntur inimici Dei, secundum illud Sapient. 14. « Similiter odio sunt « Deo impius et impietas ejus. » Et in Psalm. 6. dicitur: « odisti omnes, qui « operantur iniquitatem. » Ergo per passionem Christi reconciliati sumus Deo. Secundo, passio Christi est sacrificium Deo acceptissimum. Ergo per passionem Christi reconciliati sumus Deo.

Conseq. prob., quia hoc est proprie effectus sacrificii, ut per ipsum placetur Deus; sicut cum homo offensam in se commisam remittit propter aliquod obsequium acceptum, quod ei exhibetur. Unde dicitur 1. Reg. 26. *Si Dominus incitet te adversum me, odoretur sacrificium*; et similiter tantum bonum fuit, quod Christus voluntarie passus est, quod propter hoc bonum in natura humana inventum Deus placatus est super omni offensa generis humani, quantum ad eos, qui Christo passo conjunguntur, secundum modum dictum in art. præced.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad anteced. quod Deus diligit omnes homines, quantum ad naturam, quam ipse fecit; sed odit omnes peccatores quantum ad culpam, quam

contra eum committunt, secundum illud Eccl. 12. *Altissimus odio habet peccatores.*

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod idem non potest esse principium et effectus ejusdem secundum idem; tamen secundum diversa non inconvenit. In dilectione Dei erga homines duo considerantur; unum quod est ex parte ipsius Dei, scilicet actus dilectionis. Alterum quod est ex parte hominis, et hoc est auferre, vel ponere odii causam; si enim homo peccatum committat, ponit ex parte sui, odii causam. Passio igitur Christi est effectus divinæ dilectionis; est tamen causa remotionis causæ odii. Non dicitur ergo passsio Christi reconciliasse nos Deo per hoc quod de novo nos Deus inciperet amare, cum scriptum sit Hierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te*; sed quia per passionem Christi sublata est odii causa, tum per ablationem peccati, tum per recompensationem acceptabilioris boni, qualis fuit vita et sanguis Christi, quem in passione Patri obtulit.

Ad 3. Negatur conseq. Sicut enim occisores Christi homines fuerunt, ita et Christus occisus homo fuit. Maior autem fuit charitas Christi patientis, quam fuerit iniquitas occidentium. Et ideo passio Christi magis valuit ad reconciliandum Deum toti humano generi, quam iniquitas occidentium ad provocandum iram Dei.

## ARTICULUS V.

*Utrum Christus sua passione aperuerit nobis januam cœli.*

*Pro negativa.*=Videtur quod Christus sua passione non aperuerit nobis januam cœli.

1. Sancti Patres, qui operàti sunt opera justitiæ, consecuti essent introitum regni cœlestis per fidem, absque Christi passione. Ergo passio Christi non est causa apertionis regni cœlestis.

Anteced. prob., quia sancti patres meruerunt introitum cœli, quia qui operantur opera justitiæ, merentur mercedem fidelem, ut dicitur Prov. 11. quæ est ingressus regni cœlestis.

2. Ante passionem Christi Elias raptus est in cœlum, ut dicitur 4. Reg. 2. Ergo videtur quod apertio januæ cœlestis non sit effectus passionis Christi.

Conseq. prob., quia effectus non præcedit causam.

3. Matth. 3. legitur quod Christo baptizato, aperti sunt ei cœli. Ergo apertio cœli non est effectus passionis Christi.

Conseq. prob., quia baptismus præcessit passionem.

4. Micheæ 2. dicitur: *Ascendit pandens iter ante eos.* Ergo videtur quod janua cœli sit nobis aperta, non per passionem Christi, sed per ejus ascensionem.

Conseq. prob., quia pandere iter cœli nihil aliud esse videtur, quam ejus januam aperire.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit ad Heb. 10. *Habemus fiduciam in introitu sanctorum*, scilicet cœlestium, *in sanguine Christi.*

*Determinatio.*

Conclusio. Per passionem Christi aperta est nobis janua regni cœlestis.

Prob. Per passionem Christi liberati sumus, non solum á peccato communi totius naturæ, quantum ad culpam et quantum ad pœnam, ipso Christo solvente pretium pro nobis; sed etiam á peccatis propriis singolorum, qui communicant ejus passioni per fidem et charitatem et fidei sacramenta, ut ex dictis in præced. art. patet. Ergo per passionem Christi aperta est nobis janua cœli.

Consequentia declaratur, et probat. Pro quo est sciendum quod clausio januæ est obstaculum quoddam prohibens homines ab ingressu. Removens igitur obstaculum prohibens ingressum dicitur januam aperire. Prohibebantur autem

homines ab ingressu regni cœlestis propter peccatum, quia, sicut dicitur Isa. 35. « Via illa sancta vocabitur, et non « transibit per eam pollutus. » Est autem duplex peccatum impediens ab ingressu regni cœlestis: unum quidem commune totius humanæ naturæ, quod est peccatum primorum parentum, ex quibus trahitur in posteros. Et per hoc peccatum præcludebatur homini aditus regni cœlestis. Unde legitur Gen. 3. quod post peccatum primi parentis « collocavit Deus " Cherubim, et flammeum gladium at- " que versatilem ad custodiendam viam " ligni vitæ. » Aliud est peccatum speciale uniuscujusque personæ, quod committitur per proprium actum uniuscujusque hominis. Illud igitur, per quod tollitur utrumque peccatum quoad culpam, et quoad pœnam, aperire dicitur januam regni cœlestis. Ex hoc igitur, quod per passionem Christi liberati sumus ab utroque peccato quantum ad omnia, evidenter sequitur, quod aperuerit nobis cœli januam. Et remanet declarata et probata consequentia.

Et confirmatur conclusio auctoritate Apostol. ad Hebr. 9. dicentis, quod « Christus assistens pontifex futurorum " bonorum, per proprium sanguinem " introivit semel in sancta, æterna re- " demptione inventa. »

Et hoc etiam figuratur Num. 35. ubi dicitur: quod « homicida manebit ibi, » scilicet in civitate refugii, « donec sacer- " dos magnus, qui oleo sancto unctus " est, moriatur; quo mortuo, poterit in " domum suam redire. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod sancti patres operando opera justitiæ meruerunt introitum regni cœlestis per fidem passionis Christi, secundum illud ad Hebr. 11. « Sancti per fidem vicerunt regna, ope- « rati sunt justitiam: » per quam etiam unusquisque á peccato purgabatur, quantum pertinet ad emundationem propriæ personæ. Non tamen alicujus fides et justitia sufficiebat ad removendum impedimentum, quod erat per reatum totius humanæ naturæ, quod quidem remotum est pretio sanguinis Christi. Et ideo ante passionem Christi nullus intrare poterat regnum cœleste, adipiscendo scilicet beatitudinem æternam, quæ consistit in plena Dei fruitione.

Ad 2. Dicitur quod Helias sublevatus est in cœlum aëreum, non autem in cœlum empyreum, qui est locus sanctorum. Et similiter etiam Enoch raptus est ad paradisum terrestrem, ubi cum Helia simul creditur vivere usque ad adventum antichristi.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod baptismus, etsi præcesserit passionem Christi, habet tamen efficaciam ex ea. Plura ad hoc argumentum dicta sunt in quæst. 39. art. 5. ad ult.

Ad 4. Negatur conseq. Christus enim per suam passionem meruit nobis introitum regni cœlestis et impedimentum removit, sed per suam ascensionem nos quasi in possessionem regni cœlestis introduxit; et hoc est quod dicitur de ipso: *ascendit pandens iter ante eos.*

## ARTICULUS VI.

### *Utrum Christus per suam passionem meruerit exaltari.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus per suam passionem non meruerit exaltari.

1. Christus secundum quod homo habuit cognitionem omnis veritatis, non ex aliquo merito præcedente, sed ex ipsa unione Dei et hominis, secundum illud Joan. 1. « Vidimus gloriam ejus, " gloriam quasi unigeniti á Patre plenum " gratiæ et veritatis. » Ergo neque exaltationem habuit ex merito passionis, sed ex sola unione.

Conseq. probat., quia sicut cognitio veritatis est propium Deo, ita et sublimitas, secundum illud Psal. 112. « Ex- " celsus super omnes gentes Dominus, et " super cœlos gloria ejus. » Sicut igitur

Verbum ex unione ad naturam humanam communicavit animæ Christi cognitionem omnis veritatis absque ullo merito, sic debuit homini Christo sine meritis, communicare exaltationem.

2. Non fuit maior charitas, qua Christus meruit in passione, quam illa qua meruit in primo instanti suæ conceptionis. Ergo non magis meruit suam exaltationem in sua passione, quam in primo instanti suæ conceptionis.

Conseq. prob., quia charitas est merendi principium: igitur cum æquali charitate non est majus meritum; ac per hoc, vel Christus meruit suam exaltationem in primo instanti suæ conceptionis, vel nullo modo ipsam ex merito habuit.

3. Christus per passionem suam non meruit exaltationem, quantum ad gloriam animæ. Ergo neque per passionem meruit exaltationem, quantum ad gloriam corporis, sed eam habuit sine merito.

Anteced. prob., quia anima Christi fuit beata in primo instanti suæ conceptionis.

Conseq. prob., quia gloria corporis resultat ex gloria animæ, ut August. dicit in Epist. ad Diosc. quæ est. 56.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur ad Philipp. 2. « Factus obe- " diens usque ad mortem, mortem au- " tem crucis, propter quod et Deus exal- " tavit illum.»

*Determinatio.*

Conclusio. Christus per suam passionem meruit suam exaltationem.

Probatur. Ille qui ex justa voluntate se humiliat infra suam dignitatem, meretur exaltari. Sed Christus in sua passione seipsum humiliavit infra suam dignitatem. Ergo Christus per suam passionem meruit exaltationem.

Maior prob. Nam meritum importat quamdam æqualitatem justitiæ. Unde et Apost. dicit Rom. 4. quod «ei qui operatur, merces imputatur secundum de- « bitum.» Cum autem aliquis ex sua voluntate sibi attribuit plusquam sibi debeatur, justum est ut diminuatur etiam quantum ad id quod sibi debebatur; sicut cum furatur quis unam ovem, reddet quatuor, ut dicitur Exod. 22. Et hoc dicitur meruisse, in quantum punitur ejus iniqua voluntas. Ita etiam cum aliquis sibi ex justa voluntate subtrahit, quod debebat habere, meretur ut sibi amplius superaddatur, quasi merces justæ voluntatis. Et inde est, quod sicut dicitur Lucæ 14. *Qui se humiliat exaltabitur.* Et sic patet maior.

Minor prob. Christus enim in sua passione seipsum humiliavit infra suam dignitatem quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad passionem et mortem, cujus debitor non erat. Secundo, quantum ad locum, quia corpus ejus positum est in sepulchro, et anima in inferno. Tertio, quantum ad confusionem, et opprobria, quæ sustinuit. Quarto, quantum ad hoc, quod est traditus humanæ potestati, secundum quod ipse dicit Pilato Jo. 19. " Non haberes in me " potestatem, nisi tibi datum esset de- " super." Et ideo per suam passionem meruit exaltari quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad resurrectionem gloriosam: unde dicitur in Psal. 138. *Tu cognovisti sessionem meam*, idest, humilitatem meæ passionis, *et resurrectionem meam.* Secundo, quantum ad ascensionem in cœlum: unde dicitur ad Ephesios. 4. « Descendit primum in " inferiores partes terræ: qui autem " descendit, ipse est et qui ascendit su- " per omnes cœlos.» Tertio, quantum ad consessum paternæ dexteræ et manifestationem divinitatis ipsius, secundum illud Isa. 52. « Exaltabitur et elevabitur " et sublimis erit valde: sicut obstupue- " runt super eum multi, sic inglorius " erit inter viros aspectus ejus:» et ad Philipp. 2. dicitur: « Factus est obe- " diens usque ad mortem, mortem au-

" tem crucis, propter quod et Deus " exaltavit illum, et dedit illi nomen, " quod est super omne nomen,» ut scilicet ab omnibus nominetur Deus. Et hoc est quod subditur, « ut in nomine Jesu " omne genu flectatur, cœlestium, ter- " restrium, et infernorum. » Quarto, quantum ad judiciariam potestatem: dicitur enim Job. 36. « Causa tua quasi " impii judicata est, causam, judicium- " que recipies. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. conseq. Non enim est eadem ratio de scientia, et de exaltatione. Scientia enim est animæ perfectio, exaltatio autem ad corporis perfectionem pertinet, ex parte autem animæ est principium merendi, corpus vero est instrumentum meritorii actus. Et ideo perfectio animæ Christi, quæ fuit merendi principium, non debuit in eo acquiri per meritum, sicut perfectio corporis quod fuit passionis subjectum, et per hoc fuit meriti instrumentum. Ad probationem igitur dicitur, quod etsi sublimitas sit Deo propria, sicut scientia; non tamen debuit dari corpori sine merito, ratione dicta.

Ad 2. Dicitur ad consequentiam, quod Christus meruit exaltationem in primo instanti suæ conceptionis, et per suam passionem: diverso tamen modo. Nam per priora merita meruit exaltationem ex parte ipsius animæ, cujus voluntas charitate et aliis virtutibus informabatur; sed in passione meruit suam exaltationem per modum cujusdam recompensationis, etiam ex parte corporis. Justum est enim quod corpus quod fuerat ex charitate passioni subjectum, acciperet recompensationem in gloria.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod gloria corporis est ex gloria animæ, tamen in Christo ex dispensatione quadam factum est, ut gloria animæ ante passionem non redundaret in corpus ad hoc, ut gloriam corporis honorabilius obtineret, quando eam per passionem meruisset. Gloriam autem animæ differre non conveniebat, quia anima immediate uniebatur Verbo; unde decens erat, ut gloria repleretur ab ipso Verbo; corpus autem uniebatur Verbo, mediante anima, et ideo, etc.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 49.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod passio Christi nos liberavit á peccato. Ut per dictum Apoc. 1. *dilexit*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Item per dictum Joann. 1. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Nomine enim agni intellexit immolationem ipsius Christi, quem tunc digito monstrabat: de cujus immolatione diffuse patet in veritatibus aureis super totam legem veterem, Exod. 12. concl. 1. Cum igitur Christum, ut agnum, tollere peccata mundi, dicat, relinquit per hoc sapientibus intelligendum, quod passione sua Christus abstulit peccata mundi, seu (quod idem est) quod nos per passionem ejus liberati sumus á peccato. Item per hoc, quod dicitur ad Titum cap 2. " Qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate. » Nam per ly *dedit semetipsum* denotat illius passionem, et per ly *ut nos*, etc. denotat ejusdem passionis fructum, scilicet quod liberavit nos ab omni peccato. Item á dicto ad Heb. 9. " Quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis? » idest *á peccatis. Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Concilio, quod per passionem Christi liberati sumus á diaboli potestate (non dico á jure, quia ex pate diaboli nullum erat jus, q. 48. art. 4. 2. 3.) A scripturis quidem, ut per dictum Joann. 12. *Nunc*, idest, per passionem meam cito subeundam, *princeps*, idest tyrannus, qui est diabolus, *hujus mundi ejicietur foras*, hoc est illam suam potestatem injuste, quantum est ex se, habitam in mundum, amittet juste. Item per dictum ad Coloss. " Eripuit nos de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, et remissionem peccatorum. » A Concilio autem Trid. sess. 6. quod, postquam dixerat cap. 1. " Omnes homines usque adeo servi erant peccati, et sub potestate diaboli, ac mortis, ut non modo gentes per viam naturæ, sed ne judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari, ac surgere possent; » subintulit can. 2. " Quo factum est, ut cœlestis Pater Christum Filium suum ad homines miserit, ut et judæos liberaret, et gentes. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris. » Ecce: quod eramus (secundum Concilium) sub potestate diaboli, et quod inde liberati sumus per sanguinem Christi. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod per passionem suam Christus nos liberavit á pœna peccati. Ut per hoc, quod dicitur Isa. 53. *Vere languores*, etc. ut *in arg. cont.* Pro cujus captu scias, quod ista auctoritas secundum D. Thom. denotat duo, scilicet quod Christus veraciter assumpsit in se nostras infirmitates, et quod per talium assumptionem, idest per hoc, quod ipse passus est tales pœnas, liberavit nos ab ipsis pœnis. In primo sensu facit ad q. 14. a. 1. et q. 15. a. 5. in secundo sensu facit ad hunc art. ita tamen, ut ipsa in primo sensu sumpta serviat ad secundum causando ipsum. Ideo enim Christus tulit á nobis languores nostros, idest nos ab eis liberavit, quia ipse eos assumpsit, et pertulit in corpore suo. Nam sic nos per viam justitiæ liberavit, ut intendebat q. 48. art. 4, ad 2. Ex justitia siquidem divina obligati eramus pro peccatis nostris ad pœnas illas sustinendas: et Christus, qui ex peccato proprio (quod nullum erat) ad hujusmodi non obligabatur pœnarum talium in corpore suo voluntariam sustinentiam, obtulit justitiæ divinæ pro nobis tamquam pretium ad liberandum nos á pœnis illis. Ac si pro damnato ad carceres pro delictis suis á justo judice alius quidam ejus amicus liber velit de facto carceribus mancipari in satisfacitonem, et redemptionem debitoris illius, qu. 48. art. 2. 4. carcere namque proprio tunc ipse ex seipso liber liberat secundum justitiæ legem á carceribus illum damnatum, et eo maxime, si charitatem ipsius amici, qua pro altero vult carcerari, diligat magis justitiam, quam oderit offensam contra se ab illo damnato factam, sicut fuit in proposito de Christo passo, et nobis peccatoribus, respectu divinæ justitiæ, qu. 48. a. 2. Rursus. Auctoritatem illam Isaiæ intellige sic, scilicet quod Christus languores nostros tulit, idest, á languoribus nos liberavit, non quia fecerit, quod nos non simus habituri languores, et dolores: sed quia nobis contra languores (nomine hoc intellige quascumque pœnas) per passionem suam tale robur attulit, ut non solum ab eis non vinci, et eos vincere, verum etiam ex eis mirabiliter proficere, valeamus. Vide, á simili art. 2. ad 2. Dixi ly *non quia fecerit, quod nos non simus habituri languores*, eo quod constat, passionem Christi in adjutorium prædestinatorum datam esse, non autem in nocumentum, et destructionem ipsorum. Nam prædestinationis verbum, et quidem irrefragabile hoc est. " Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. » Rom. 8. Patet enim quod Christo filio Dei, qui est ipsa imago patris, 1. q. 35. a. 2. conformari non possumus, nisi eidem multipliciter passo et nos pro modulo nostro, atque mensura á Deo prædestinante nobis taxata compatiamur. Alioquin quomodo conformitas, imo quomodo non monstruositas, si sub spinoso capite, quod Christus est, qu. 8. a. 1. membrum non spinosum, sed delicatum esse velit? Ad hæc omnia significanda Apostolus, postquam de prædestinatis dixit Rom. 8. *Cohæredes autem Christi*, mox immediate subintulit, *si tamen compatimur*, *ut et*

*conglorificemur*. A servitute ergo, non à passione poenarum peccati liberavit nos passio Christi: quia pœnas nos pati voluit, sed á poenis nos calcari noluit. " Calcari enim non potest, nisi inferior » (ut dicit S. Augustinus homil. super Matth. 5. *vos estis sal terræ*) " et inferior non est, qui, quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen in coelo fixus est. » Utique ergo á poenis, sive ab hominibus poenas aliquas infligentibus non calcatur ille, qui poenas, vel persecutiones patitur: sed qui poenas, vel persecutiones, timendo infatuatur, idest qui temporalium poenarum, vel persecutionum timore dimittit veritatem, 2. 2. qu. 109. art. 3. vel etiam amittit bona spiritualia, quæ sunt æterna. Contra quam infatuationem, quoniam passio Christi remedium attulit ( ut patet in SS. Apostolis, etc. ) ideo vere dicitur liberasse nos á poena peccati. Insinuatur et idipsum per hoc, quod de Christo dicitur Hebr. 2. " Ut per mortem liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod per passionem Christi Deo reconciliati sumus. Ut á Rom. 5. secundum quod est *in arg. cont.* Item á multis auctoritatibus supradictis, q. 48. art. 2. append. Nam ibi, tamquam in radice, monstratur reconciliatio, ubi narratur esse satisfactio Item per hoc, quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio affigens illud cruci. Hoc est. Schedulam, in qua erant omnia peccata nostra descripta, tulit de medio Christus per suiipsius crucifixionem. Hoc autem factum virtualiter est reconciliatio hominum cum Deo, ut patet. De qua schedula, seu chirographo, antiquitus figurata, per Christumque de medio auferenda, quod totum etiam facit ad hujus articuli confirmationem, utpote á figura ad figuratum discurrendo, vide veritates aureas super totam legem veterem, Lev. 16. concl. 8. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod passione sua Christus aperuit nobis januam coeli. Ut per dictum Hebr. 10. secundum quod est *in arg. cont.* Item per dictum Levit. 16. " Cumque mactaverit hircum, inferet sanguinem ejus intra velum. » Hoc est, in figurato á figura ista. Cum occisus fuerit Christus, qui ratione similitudinis carnis peccati congrue figuratur ab hirco, 1. 2. q. 102. ar. 5. ad 6. sanguis ejus januam coeli, ut in ipsam de cætero virtute ipsius sanguinis introire possimus, aperiet. Vide veritates aureas super legem veterem, Lev. 16. concl. 9. et (ut scias, discursus á figuris ad figurata esse juxta Concilii doctrinam validos ) Lev. concl. 2. Item per dictum Num. 35. " Exules, et profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes suas reverti potuerunt: postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam » Hæc enim est figura de utilitate passionis Christi primi Pontificis, 1. Petr. 2. quod scilicet nos homicidæ, profugi, atque exules propter peccatum originale, etc. possumus, postquam ipse mortuus est, coelestem patriam, ad quam creati fueramus, ingredi: et consequenter in figura ipsa supponitur hæc veritas, scilicet quod mors Christi januam illius patriæ aperuit. Vide veritates aureas, etc. Num. 35. concl. 3. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas merito esse insinuatum á scripturis, et August. quod Christus meruit passione sua exaltationem. A scripturis quidem, ut per dictum Phil. 2. *factus*, etc. secundum quod ponitur *in arg. cont.* Ubi nota ly *propter quod*, scilicet totum præcedens, et ly *exaltavit*, scilicet quadrupliciter. Item per dictum Num. 21. *fac serpentem æneum, et pone eum pro signo*. Hoc est ut exponitur Joann. 3. *exalta eum pro signo*. Serpens enim hic ideo dicitur exaltandus localiter, ut per hoc figuretur, quod Christus per crucem exaltandus erat multipliciter: unde et dicit ipse Joann. 12. " Ego si exaltatus fuero á terra, omnia traham ad meipsum. » Pro ampliori tamen captu vide veritates aureas super totam legem veterem. Num. 21. concl. 11. et Exod. 6. concl. 3. ad longum, et Num. 17. concl. 1. 3. A D. Aug. autem per hoc, quod in homil. super Joan. 17. ly " clarifica filium tuum, » dicit. «Ut mediator Dei, et hominum homo Christus

Jesus resurrectione clarificaretur: prius humiliatus est passione. Non enim á mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est proemium. Sed hoc factum est in forma servi. In forma vero Dei semper fuit, semper erit claritas; immo non fuit, quasi non sit, nec erit, quasi nondum sit: sed sine initio, sine fine, semper est claritas. Quod ergo ait: Pater, venit hora, clarifica filium tuum; sic intelligendum est, tamquam dixerit. Venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis. » *Secundo* vides: etc.

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA.

### DE MORTE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de morte Christi.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum conveniens fuerit Christum mori.

Secundo, utrum per mortem fuerit separata divinitas á carne.

Tertio, utrum fuerit separata divinitas ab anima.

Quarto, utrum Christus in triduo mortis fuerit homo.

Quinto, utrum corpus ejus fuerit idem numero vivum, et mortuum.

Sexto, utrum mors ejus sit aliquid operata ad nostram salutem.

### ARTICULUS I.

*Utrum conveniens fuerit Christum mori.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod non fuerit conveniens Christum mori.

1. Illum qui est fons et principium vitæ, non est conveniens mori. Sed filius Dei est fons, et principium vitæ, secundum illud Psalm. 35. *Apud te est fons vitæ.* Ergo Christus non fuit conveniens mori.

Maior prob., quia illud quod est primum principium in aliquo genere, non disponitur per illud quod est contrarium illi generi; sicut ignis, qui est principium caloris, numquam potest esse frigidus. Unde nec principium vitæ potest mortem pati.

2. Non fuit conveniens Christum aliquo morbo languescere, ut Chryst. dicit: ergo nec fuit conveniens Christum mori.

Conseq. prob., quia maior est defectus mortis, quam morbi, quia per morbum pervenitur ad mortem.

3. Dominus dicit Joan. 10. «Ego "veni, ut vitam habeant, et abundan- "tius habeant.» Ergo videtur quod non fuerit conveniens Christum moti.

Conseq. prob., quia oppositum non perducit ad oppositum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 11. dicitur; «expedit vobis, ut unus "homo moriaturpro populo, et non tota "gens pereat," quod quidem Caiphas prophetice dixit, ut Evangelista testatur.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum mori.

Prob. Fuit enim hoc conveniens propter quinque.

Primo, ad satisfaciendum pro humano genere, quod erat morti adjudicatum propter peccatum, secundum illud Gen. 2. *Quacumque die comederitis, morte moriemini.* Est autem conveniens modus satisfaciendi pro alio, cum aliquis se subjicit pœnæ, quam alius meruit. Et ideo Christus mori voluit, ut moriendo, pro nobis satisfaceret, secundum illud 1. Pet. 3. «Christus semel pro peccatis nostris «mortuus est.»

Secundo, ad ostendendum veritatem

naturæ assumptæ. Sicut enim Eusebius dicit. «Si aliter post conversationem cum « hominibus evanescens, subito evolaret « fugiens mortem, ab omnibus comparatur phantasmati.» Tertio, ut moriendo nos á timore mortis liberaret. Unde dicitur ad Heb. 2. quod « communicavit « carni et sanguini, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium,» idest diabolum, «et liberaret eos, « qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.» Quarto ut corporaliter moriendo similitudini peccati, idest pœnaliati, daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato: unde dicitur Rom. 6. « quod enim mortuus est « peccato, mortuus est semel, quod autem « vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate mortuos quidem esse peccato, vivere autem Deo.» Quinto, ut á mortuis resurgendo, et virtutem suam ostenderet, qua mortem superavit, et nobis spem resurgendi á mortuis daret. Unde Apost. dicit 1. Cor. 15. «Si Christus prædicatur, quod resurrexit á mortuis, « quomodo quidam in vobis dicunt, quod « resurrectio mortuorum non est?»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod ille, qui est fons vitæ, secundum quod est fons vitæ, mori non potest; si vero mortale sibi uniat, secundum mortale assumptum mori potest. Tunc ad minorem dicitur, quod Christus est fons vitæ secundum quod Deus, et non secundum quod homo; et mortuus est, non secundum quod Deus, sed secundum quod est homo. Unde Aug. dicit in lib. contra Felic. c. 14. "Absit, quod Christus sic "senserit mortem, ut quantum in se est "vita, vitam perdiderit; si enim hoc ita "esset, vitæ fons aruisset: sensit ergo "mortem participatione humani affectus, quem sponte susceperat; non naturæ suæ perdidit potentiam, per quam "cuncta vivificat."

Ad 2. Neg. conseq. Christus enim non sustinuit mortem ex morbo proveniente, ne videretur ex necessitate mori propter infirmitatem naturæ. Sed sustinuit mortem ab exteriori illatam, cui se spontaneum obtulit, ut mors ejus voluntarie ostenderetur. Huic argumento etiam satisfactum est, q. 14. artic. ult. ad ult.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod unum oppositum per se non ducit ad aliud, sed quandoque per accidens; sicut frigidum quandoque per accidens calefacit. Et hoc modo Christus per suam mortem nos perduxit ad vitam, dum sua morte mortem nostram destruxit; sicut ille, qui pœnam pro alio sustinet, removet pœnam illius pro quo patitur.

## ARTICULUS II.

*Utrum in morte Christi fuerit separata divinitas á carne.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod in morte Christi fuerit separata divinitas á carne.

1. Matth. 27. dicitur, quod Dominus in cruce pendens clamabat. "Deus meus, "Deus meus, ut quid dereliquisti me?" Quod exponens Amb. lib. 10. in Luc. dicit: "Clamabat homo separatione divinitatis moriturus; nam cum divinitas "á morte libera sit, utique mors ibi "esse non poterat, nisi vita discederet, "quia vita divinitas est." Ergo videtur, quod in morte Christi divinitas sit separata á carne.

2. Divinitas unita est carni, mediante anima, ut dictum est quæst. 6. art. 1. Ergo in morte Christi, in qua fuit separata anima á carne fuit etiam divinitas á carne separata.

Conseq. prob., quia remoto medio, separantur extrema. Aliter. In morte separata fuit anima Christi á carne. Ergo separata etiam fuit divinitas á carne.

Conseq. prob. Remoto medio, separantur extrema. Sed caro fuit unita divinitati, mediante anima, ut loco citato dictum est. Ergo separata anima á carne, separata etiam fuit divinitas à carne.

3. Corpus Christi non poterat mori,

nisi separata anima. Ergo multo minus mori poterat, non separata divinitate.

Conseq. prob., quia maior est virtus vivificativa Dei, quam animæ.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illa, quæ conveniunt corpori post mortem, dicuntur de Filio Dei. Ergo á corpore Christi post mortem non fuit separata divinitas.

Anteced. prob. Nam corpori post mortem convenit esse sepultum, et hoc dicitur de Filio Dei, ut patet in Symbolo fidei, ubi dicitur quod "Filius Dei con-"ceptus est, et natus ex Virgine, pas-"sus, mortuus et sepultus."

Conseq. prob., quia ea quæ sunt humanæ naturæ, non dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis; unde si corpori non fuisset unita divinitas, non posset dici, quod Filius Dei fuit sepultus.

*Determinatio.*

Conclusio. In morte Christi non fuit separata divinitas á carne.

Prob. Illud, quod per gratiam Dei conceditur, numquam absque culpa revocatur. Sed unio divinitatis cum carne Christi est quoddam magnum donum, quod per Dei gratiam datum fuit; in Christo autem nulla fuit culpa. Ergo divinitas numquam fuit separata á carne Christi.

Maior prob., quia *sine pœnitentia sunt dona Dei*, ut dicitur ad Rom. cap. 11.

Et confirmatur ratio. Gratia adoptionis non perditur sine culpa, ut prob. 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. et 2. 2. q. 24. art. 12. Ergo multo minus gratia unionis potest solvi sine culpa.

Conseq. prob., quia gratia unionis, per quam divinitas unita est carni Christi in persona, multo maior est, quam gratia adoptionis, per quam alii sanctificantur, et etiam magis permanens ex sui ratione, quia hæc gratia ordinatur ad unionem personalem; gratia autem adoptionis ad quamdam unionem affectualem. Et tamen videmus, quod gratia adoptionis numquam perditur sine culpa. Et confirmatur conclusio, auctoritate Dam. dicentis in 3. lib. ortod. fid. cap. 27. quod sicut ante mortem caro Christi unita fuit secundum personam, et hypostasim Verbo Dei, ita remansit unita post mortem, ut scilicet non esset alia hypostasis Verbi Dei, et carnis Christi post mortem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo, quod derelictio illa non est referenda ad solutionem unionis personalis, ut Amb. eam videtur referre; sed ad hoc, quod Deus Pater eum exposuit passioni. Unde derelinquere ibi idem est, quod non protegere á persequentibus. Vel dicit se derelictum, quantum ad illam orationem, qua dixerat: «Pater, si fieri potest, tran-"seat à me calix iste," ut Aug. exponit in lib. de grat. nov. testam. Epist. l. 20. c. 6. et 10.

Ad 2. Neg. conseq. utriusque formæ. Ad prob. dicitur, quod Verbum Dei dicitur unitum carni, mediante anima, in quantum caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam Filius Dei intendebat assumere; non autem quod anima sit quasi medium ligans carnem et divinitatem. Habet autem caro ab anima, quod pertineat ad humanam naturam, etiam postquam anima separatur ab ea, in quantum scilicet in carne mortua remanet ex divina ordinatione quidam ordo ad resurrectionem, et ideo ex separatione animæ non tollitur unio divinitatis ad carnem.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod anima habet vim vivificandi formaliter, et ideo ea præsente et unita formaliter, necesse est corpus esse vivum. Divinitas autem non vivificat formaliter, sed effective; non enim potest ese corporis forma: et ideo non est necesse, quod manente unione divinitatis ad carnem, caro sit viva, quia Deus non ex necessitate agit, sed ex voluntate.

## ARTICULUS III.

*Utrum in morte Christi fuerit facta separatio divinitatis ab anima.*

*Pro affirmativa.* — Videtur, quod in morte Christi fuerit facta separatio divinitatis ab anima.

1. Dominus dicit Jo. 10. «Nemo tollit animam meam á me, sed ego pono «eam, et iterum sumo eam.» Ergo per mortem fuit anima Christi á Verbo separata.

Conseq. prob., quia hæc verba Domini non possunt intelligi de corpore, quasi corpus dicat, quod ponit animam et eam sumit, quia anima non subjicitur potestati corporis, sed potius é converso; et sic videtur quod Christo, secundum quod est Verbum Dei, conveniat animam suam ponere, idest á se separare. Verbum igitur animam posuit, idest eam á se separavit.

2. Filius Dei assumpsit denuo totum hominem, idest in resurrectione. Ergo in morte fuit divinitas á corpore separata.

Antec. probat., quia Athan. ut refertur 3. senten. dist. 21. dicit. «Maledic«tum, qui totum hominem, quem as«sumpsit Dei Filius, denuo assumptum «vel liberatum, tertia die á mortuis re«surrexisse non confitetur.»

Conseq. prob., quia non potuit totus homo denuo assumi, nisi aliquando fuerit totus homo á Verbo Dei separatus: totus autem homo componitur ex anima et corpore; et cum divinitas non fuerit separata à corpore, ut artic. præced. est prob. sequitur, quod fuerit separata saltem ab anima.

3. Si soluta unione animæ et corporis per mortem Verbum Dei remansit unitum animæ, sequeretur, quod vere dici potuisset Filium Dei esse animam. Sed hoc est falsum. Ergo in morte Christi anima fuit á Verbo separata.

Conseq. prob., quia propter unionem ad totum hominem, vere Filius Dei dicitur homo. Ergo si Verbum remansisset post mortem unitum animæ, propter illam unionem cum anima, vere Verbum Dei posset dici anima.

Falsitas consequentis prob. Quia cum anima sit forma corporis, sequeretur quod Verbum Dei fuerit corporis forma, quod est impossibile.

4. Si Verbum Dei in triduo remansit unitum tam corpori quam animæ Christi, separatis eis ab invicem per mortem, sequeretur quod Verbum Dei durante morte Christi, fuerit duæ hypostases, quod est inconveniens. Ergo post mortem Christi non remansit anima Verbo unita.

Conseq. prob., quia anima et corpus ab invicem separata non sunt una hypostasis, sed duæ.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 3. lib. ortod. fid. cap. 27. «Etsi Christus mortuus est, ut homo, «et sancta ejus anima ab incontaminato «divisa est corpore, divinitas tamen in«separabilis ab utrisque permansit, ab «anima dico et corpore.»

*Determinatio.*

Conclusio. In morte Christi non est separatum Verbum ab anima.

Prob. Verbum Dei non est separatum in morte á corpore, ut artic. præced. dictum est. Ergo multo minus est separatum ab anima.

Conseq. prob., quia anima unita est Verbo Dei immediatius et proprius, quam corpus, quod est unitum Verbo Dei mediante anima, ut dictum est art. præced. Et confirmatur conclusio, quia sicut de Filio Dei prædicatur id, quod convenit corpori ab anima separato, scilicet esse sepultum, ita de eo in symbolo dicitur, quod descendit ad inferos, quia anima ejus á corpore separata descendit ad inferos.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod August. Tract. 47. in Jo. exponens verbum Joannis inquirit, cum Christus sit Verbum, anima, et caro, "utrum

ex eo, quod est Verbum, ponat animam, an ex eo, quod est anima, an iterum ex eo, quod est caro: » et dicit quod « si dixerimus, quod Verbum Dei animam posuit, sequitur quod aliquando anima illa separata est á Verbo; quod est falsum: mors enim corpus ab anima separavit, á Verbo autem animam separatam esse non dico. Si autem dixerimus, quod ipsa se anima ponat, sequitur quod anima ipsa á se separata sit, quod est absurdum.» Relinquitur ergo «quod ipsa caro animam suam ponit, et iterum eam sumit, non potestate sua; sed potestate Verbi inhabitantis carnem.» Quia sicut dictum est art. præc. non est separata divinitas á carne.

Ad 2. Dicitur ad anteced. et ad ejus prob., quod in verbis illis Athanasius non intellexit, quod totus homo denuo sit assumptus, idest omnes partes ejus, quasi Verbum Dei partes humanæ naturæ deposuerit per mortem; sed quod iterato totalitas naturæ assumptæ sit in resurrectione redintegrata per iteratam unionem animæ, et corporis.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod Verbum Dei propter unionem humanæ naturæ non dicitur humana natura, sed dicitur homo, quod est habens humanam naturam; anima autem et corpus sunt partes essentiales humanæ naturæ: unde propter unionem Verbi ad utrumque eorum, non sequitur quod Verbum Dei sit anima, vel corpus, sed quod sit habens animam, vel corpus.

Ad 4. Neg. conseq. Ad prob. negatur assumptum. Sicut enim dicit Dam. in 3. lib. c. 27. "quod in morte Christi est separata anima á carne, non est una hypostasis in duas hypostases divisa: nam et corpus et anima Christi, secundum idem ex principio in hypostasi Verbi habuerunt existentiam, et in morte invicem divisa singulum eorum mansit, unam hypostasim Verbi habens. Quare una Verbi hypostasis, Verbi, et animæ et corporis extitit hypostasis: numquam enim neque anima, neque corpus propriam habuerunt hypostasim, præter Verbi hypostasim. Una enim semper Verbi hypostasis et numquam duæ."

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus in triduo mortis fuerit homo.*

*Pro affirmativa.* — Videtur, quod Christus in triduo mortis fuerit homo.

1. Aug. dicit in 1. de Trin. c. 13. "Talis erat illa susceptio, quæ Deum "hominem faceret, et hominem Deum," Ergo videtur, quod Christus per mortem in triduo non desierit esse homo.

Conseq. prob., quia illa susceptio, qua Deus erat homo, non cessavit per mortem.

2 Post mortem Filius Dei non est separatus ab anima intellectuali. Ergo in illo triduo Filius Dei fuit homo.

Conseq. prob., quia Phil. dicit 9. Ethic. c. 4. quod *unusquisque homo est suus intellectus.* Unde et post mortem, animam Petri alloquentes dicimus: *Sancte Petre ora pro nobis*, quasi quod anima Petri sit Petrus.

3. Omnis sacerdos est homo. Sed Christus in illo triduo fuit sacerdos. Ergo Christus in illo triduo fuit homo.

Minor prob., quia alioquin non esset verum, quod dicitur in Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum.*

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Illud, quod est homo, est vivum et animatum. Sed corpus Christi in illo triduo mortis non fuit vivum, nec animatum. Ergo in illo triduo non fuit homo.

Maior prob., quia posito inferiori, ponitur superius, et remoto superiori, removetur inferius. Sed vivum sive animatum est superius ad hominem. Ergo illud, quod non est vivum, non est homo.

*Determinatio.*

Conclusio. Dicere Christum in triduo mortis hominem fuisse simpliciter et absolute loquendo, erroneum est.

Prob. Asserere illud, per quod tollitur veritas mortis Christi est error con-

tra fidem. Sed ad veritatem mortis hominis pertinet, quod per mortem desinat esse homo vel animal. Ergo dicere Christum in triduo mortis hominem fuisse, simpliciter et absolute loquendo, est erroneum.

Maior prob., quia Christum vere fuisse mortuum est articulus fidei. Et confirmatur maior. Quia propter hoc in epistola synodali Cyrilli, quæ habetur in Conc. 1. Fphes. cap. 12. dicitur: « Si "quis non confitetur Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et "quod mortem gustavit carne, anathema sit. »

Minor prob., quia mors hominis vel animalis provenit ex separatione animæ, quæ complet rationem animalis vel hominis, et sic per mortem homo desinit esse homo.

Declaratur conclusio, quoad illa verba (simpliciter, et absolute loquendo.) Nam potest dici quod Christus in triduo fuit homo mortuus, quod est esse hominem secundum quid.

*Aliorum quorumdam sententia, et excusatio.*

Quidam tamen confessi sunt Christum in triduo hominem fuisse, dicentes quidem verba erronea, sed sensum erroris in fide non habentes. Sicut Hugo de sancto Vict. lib. 2. de sacra. 1. part. cap. 11. ea ratione dixit Christum in triduo fuisse hominem, quia dicebat animam esse hominem. Quod tamen est falsum, ut in 1. par. q. 75. artic. 4. ostensum est.

Magister etiam sententiarum in lib. 3. d. 22. posuit quod Christus in triduo mortis fuit homo, alia ratione. Credidit enim quod unio animæ et carnis non esset de ratione hominis, sed sufficeret ad hoc quod aliquid sit homo quod habeat animam humanam et corpus, sive conjuncta, sive non conjuncta. Quod etiam patet esse falsum ex his quæ dicta sunt in 1., parte quæst. 75. artic. 4. Et ex his quæ supra dicta sunt in qu. 2. art. 5. circa modum unionis. Habent igitur rationes, quibus Hugo et Magister moti sunt ad asserendum Christum in triduo mortis hominem fuisse, errorem, sed non in fide.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod illa susceptio in triduo mortis quoad aliquid cessavit, et quoad aliquid non cessavit. Cessavit, quia Filius Dei assumpsit carnem et animam unita, et quantum ad hoc cessavit, quia in morte anima separata fuit á carne. Non cessavit, quia Filius Dei in morte non dimisit animam, neque carnem.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod homo dicitur esse suus intellectus, non quia intellectus sit totus homo; sed quia intellectus est principalior pars hominis, in quo virtualiter consistit tota dispositio hominis: sicut si rector civitatis dicatur tota civitas, quia in eo consistit tota dispositio civitatis.

Ad 3. Negatur maior. Esse enim sacerdotem convenit homini ratione animæ in qua est ordinis character: unde per mortem homo non perdit ordinem sacerdotalem, et multo minus Christus, qui est totius sacerdotii origo.

ARTICULUS V.

*Utrum fuerit simpliciter idem numero corpus Christi viventis et mortui.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit idem numero corpus Christi viventis et mortui.

1. Corpus cujuslibet alterius hominis non est simpliciter idem numero mortuum et vivum. Ergo neque corpus Christi est simpliciter idem numero mortuum et vivum.

Anteced. prob., quia corpus vivum et mortuum differunt essentiali differentia.

Conseq. probat., quia Christus vere mortuus fuit, sicut alii homines moriuntur.

2. *Quæcumque sunt diversa specie, sunt etiam diversa numero*, ut dicitur 5. Met. tex. 12. Sed corpus Christi vivum

et mortuum fuit diversum specie. Ergo corpus Christi non fuit simpliciter idem numero vivum et mortuum.

Minor prob., quia non dicitur oculus, aut caro mortui, nisi æquivoce, ut patet 2. de ani. tex. 9. et 7. Met. tex. 35.

3. Illud quod corrumpitur corruptione substantiali, postquam corruptum est, jam non est. Sed illud quod est mortuum, est corruptum corruptione substantiali. Ergo illud quod est mortuum, jam non est. Sed corpus Christi fuit mortuum. Ergo non remansit idem numero.

Maior prob., quia corruptio est mutatio de esse in non esse.

Minor prob., quia mors est quædam corruptio.

Aliter. Illud quod corrumpitur corruptione substantiali, non remanet idem numero. Sed corpus Christi corruptum fuisse videtur corruptione substantiali. Ergo corpus Christi non remansit in triduo idem numero.

Maior prob. quia corruptio est mutatio de esse in non esse. Unde illud quod corrumpitur corruptione substantiali, postquam corruptum est, jam non est.

Minor prob., quia mors est corruptio quædam substantialis, cum in morte separetur anima á corpore.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Corpus quod fuit circumcisum, ligno affixum, et in sepulcro positum, fuit idem numero. Sed corpus vivum fuit circumcisum, et ligno affixum; mortuum vero fuit in sepulchro positum. Ergo corpus Christi vivum, et mortuum fuit idem numero.

Maior probatur, quia Atha. dicit in Epist. quæ incipit: ego arbitrabar, ad Epictetum. «Circumciso corpore, et por-
" tato et manducante et laborante, et in
" ligno affixo, erat impassibile, et in-
" corporeum Dei Verbum; hoc erat in
" sepulchro positum.»

*Determinatio.*

*Distinctio.* Hoc, quod dico simpliciter, potest accipi dupliciter. Uno modo secundum quod simpliciter idem est quod absolute, sicut simpliciter dicitur quod nullo addito dicitur. Alio modo simpliciter idem est quod omnino, vel totaliter.

1.ª Conclusio. Corpus Christi vivum et mortuum fuit simpliciter, idest nullo addito, idem numero vivum et mortuum.

Prob. Corpus Christi vivum et mortuum fuit supposito idem. Ergo corpus Christi vivum et mortuum fuit simpliciter, idest nullo addito, idem numero.

Anteced. prob., quia corpus Christi non habuit aliam hypostasim vivum et mortuum, præter hypostasim Verbi Dei ut art. 2. dictum est.

Conseq. prob., quia dicitur aliquid idem numero simpliciter, idest nullo addito, quia est supposito idem.

2.ª Conclusio. Corpus Christi vivum et mortuum non fuit simpliciter, idest totaliter idem numero.

Prob. dupliciter. Primo: illud quod amittit aliquid pertinens ad essentiam, non remanet totaliter idem. Sed corpus per mortem amittit vitam, quod est prædicatum essentiale corporis viventis. Ergo corpus mortuum non remanet idem simpliciter, idest totaliter cum vivo.

Secundo, si diceretur quod corpus Christi mortuum totaliter idem remaneret cum vivo; sequeretur quod corpus Christi non esset corruptum, corruptione dico mortis. Quod est hæresis Gajanitarum, ut Isid. dicit 8. Etym. c. 5. et habetur in decr. 24. q. 3. c. *Quidam autem.* Et Damasc. dicit in 3. lib. cap. 28. quod «corruptionis nomen duo significat:
" uno modo separationem animæ á cor-
" pore, et alia hujusmodi: alio modo per-
" fectam dissolutionem in elementa. Er-
" go incorruptibile dicere corpus Domi-
" ni, secundum Julianum et Gajanum
" secundum primum corruptionis mo-
" dum ante resurrectionem, est impium:
" quia corpus Christi non esset con-
" substantiale nobis, nec in veritate
" mortuum esset, nec secundum veri-

"tatem salvati essemus. Secundo autem "modo corpus Christi fuit incorruptum."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod si ly sympliciter quod antec. ponitur, idem significet quod totaliter, sive, omnibus modis, argumentum probat secundam conclusionem; si vero ly, simpliciter, idem sit quod nullo addito, negatur consequentia; non enim est eadem ratio de corpore alicujus alterius hominis et Christi. Corpus enim mortuum cujuscumque alterius hominis non remanet unitum alicui hypostasi permanenti, sicut corpus Christi mortuum. Et ideo corpus mortuum cujuscumque alterius hominis non est idem simpliciter, sed secundum quid: quia est idem secundum materiam, non autem secundum formam. Corpus autem Christi remanet idem simpliciter; propter identitatem suppositi, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Dicitur, quod maior non est vera de hypostasi subsistente in duabus naturis, qualis est sola hypostasis Christi. Tale potest remanere idem numero, non remanente unitate speciei. Nam idem numero dicitur aliquid secundum suppositum, idem autem specie est idem secundum formam. Ubicumque ergo suppositum subsistit in una sola natura, oportet quod sublata unitate speciei auferatur unitas numeralis; sed quia hypostasis Verbi Dei subsistit in duabus naturis, quamvis in Christo non remaneat corpus idem secundum speciem humanæ naturæ, remanet tamen idem numero secundum suppositum Verbi Dei.

Ad 3. Dicitur, quod probat Christum non remansisse eumdem hominem, et hoc verum est; nec enim remansit homo, ut supra dictum est artic. præced. non autem probat quod corpus ejus non remanserit simpliciter, idest nullo addito idem numero. Unde ad minorem utriusque formæ dicitur, quod Christus mortuus est, secundum quod homo, ac per hoc corruptionem substantialem, secundum humanitatem, passus est, idest separationem animæ á corpore; tamen quia fuit idem suppositum, cum Verbum non fuerit separatum ab anima et á corpore Christi, propterea remansit idem numero.

## ARTICULUS VI.

*Utrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod mors Christi nihil operata sit ad nostram salutem.

1. Privatio non habet aliquam virtutem operandi. Sed mors est privatio quædam, scilicet vitæ. Ergo mors non potuit aliquid ad nostram salutem operari.

2. Mors Christi non potuit operari aliquid ad nostram salutem per modum meriti. Ergo mors Christi nihil ad nostram salutem operata est.

Anteced prob. Quia in morte separatur á corpore anima, quæ est merendi principium.

Conseq. probat., quia passio Christi operata est ad nostram salutem per modum meriti, et sic etiam operata fuisset mors ad nostram salutem, si aliquid operata esset.

3. Corporale non est causa spiritualis. Sed mors Christi fuit corporalis. Ergo mors Christi non fuit causa spiritualis salutis animæ nostræ.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit 4. de Trio. cap. 3. *Una mors nostri Salvatoris*, scilicet corporalis, *duabus mortibus nostris*, idest animæ et corporis *saluti fuit.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* De morte Christi dupliciter loqui possumus. Uno modo, secundum quod est in fieri. Alio modo, secundum quod est in facto esse. Dicitur autem mors esse in fieri, quando aliquis per aliquam passionem, vel naturalem, vel violentam tendit in mortem, et hoc modo idem est loqui de morte Christi

et de passione ipsius. In facto esse consideratur mors Christi, secundum quod jam facta est separatio corporis et animæ, et hoc est proprie loqui de morte Christi, et sic de ea modo loquimur.

1.ª Conclusio. Mors Christi in fieri operata est ad nostram salutem.

Prob. Passio Christi operata est ad nostram salutem, ut dictum est q. 49. per totam. Sed mors Christi in fieri idem est quod ejus passio, ut supra immediate dictum est. Ergo mors Christi operata est nostram salutem.

2.ª Conclusio. Mors Christi in facto esse est causa nostræ salutis, non per modum meriti sed per modum efficientiæ.

Prima pars, scilicet quod non sit operata per modum meriti, remanet probata ex secundo argumento pro negativa. Secunda vero pars probatur: per mortem non fuit separata divinitas á carne Christi. Ergo quicquid contigit circa carnem Christi, etiam separata anima, fuit nobis salutiferum virtute divinitatis unitæ.

3.ª Conclusio. Mors Christi operata est stinctionem utriusque mortis nostræ, scilicet animæ, et corporis.

Prob. Mors Christi fuit quædam privatio vitæ propriæ ipsius Christi. Ergo effectus mortis Christi attenditur circa remotionem eorum, quæ contrariantur nostræ saluti, quæ quidem sunt mors animæ, et mors corporis nostri.

Conseq. prob., quia effectus alicujus causæ proprie consideratur secundum similitudinem causæ. Unde quia mors est quædam privatio vitæ propriæ, effectus mortis Christi erit removere impedimenta, quæ impediunt effectum nostræ salutis.

Et confirmatur, quia propter hoc in scriptura dicitur, quod per mortem Christi fuit destructa in nobis mors animæ, quæ est per peccatum nostrum secundum illud Rom. 4. *Traditus est*, scilicet Christus in mortem, *propter delicta nostra*, et mors corporis, quæ consistit in separatione animæ, secundum illud 1. Cor. 15. *Absorpta est mors in victoria.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod privatio non habet virtutem operandi, ut privatio, et tamen ratione alicujus alterius potest esse operativa. Tunc ad minorem dicitur quod mors Christi est operata salutem nostram, non ex sola ratione mortis, sed virtute divinitatis unitæ.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem negatur etiam consequentia, quæ innuitur, scilicet quod ex hoc, quod passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti, etiam mors Christi per modum meriti fuisset operata, si aliquid esset operata ad salutem nostram. Nam passio Christi operata est per modum meriti, non autem mors Christi in facto esse; sed operata est per modum efficientiæ virtute divinitatis unitæ carni, ut in corp. dictum est.

Ad 3. Dicitur ad maiorem quod corporale non causat spirituale virtute propria, potest tamen causare spirituale prout est instrumentum causæ spiritualis superioris. Tunc dicitur ad minorem quod mors Christi fuit quoddam corporale, sed tamen corpus illud mortuum fuit instrumentum divinitatis sibi unitæ operans virtute ejus etiam mortuum.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 50.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod conveniens fuit Christum mori. Ut per illud Jo. 11. *Expedit, ut*, etc. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Ex quo consideranti patet, quod, quia dictum tale fuit á Spiritu Sancto per Caipham, sicut olim per asinam Balaam, loquente, oportet dicere, quod expedire, idest, conveniens fuisse Christum mori, Spiritu Sancto docente didicimus. Item per illud Heb. 2. *Decebat auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Ibi enim (ut patet per contextum) de Christo, et de morte ejus intelligit hoc. Item per illud Heb. 9. " Novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. » Item per illud Heb. 13. " Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. » Ex hoc enim loco habes á simili, quod mors animalium omnium mandato legis in sacrificiis oblatorum erat figura, quod mors Christi subsecutura erat. Cum igitur conveniens sit, figuratum respondere figuris, conveniens utique (secundum Apostolum) erit Christum esse mortuum: cæterum ex abundanti ista adducta fuerunt ad propositum ostendendum. Nam hoc, scilicet conveniens fuisse, Christum mori, monstratum sufficienter fuisset per auctoritatem de morte ejus actuali protestantem ut per ly *inclinato capite tradidit spiritum*, Joann. 10. Vel per ly *expiravit*. Luc. 23. Mar. 14. vel per ly *emisit spiritum*. Idem enim est Christum fecisse sic, vel sic, et ipsum convenienter fecisse sic, vel sic, cum *ipse sit Dei sapientia*, 1. Corinth. 1. et *omnia in pondere numero, et mensura disponens*, Sap. 11. maxime autem, quæ circa se sunt. Vide q. 35. art. 7. 8. Elucid. et q. 41. art. 1. corol. post concl. et art. multorum ibid. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et symbolo fidei, quod Deitas á carne Christi in morte non fuit separata. A symbolo quidem fidei : secundum quod cum discursus ratiocinatione ponitur *in arg. cont.* Pro quo facit q. 16. art. 4. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Ephes. 4. " Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ. Qui descendit, ipse est, et qui ascendit. » Christus enim in inferiores partes terræ secundum carnem descendit per hoc, quod fuit caro ejus in sepulcro: sicut et secundum animam descendit in inferiores partes terræ per hoc, quod anima ipsius descendit ad lymbum SS. Patrum. Idem vero fuit, qui descendit, et qui ascendit: quia ubique Deus, tum cum carne tum cum anima. Ac si ergo Apostolus dixerit. Deitas, quæ cum Christo in cœlos ascendente personaliter juncta fuit et carni, et animæ ejus conjunctis, fuit etiam cum Christo descendente sive in sepulcrum, sive in lymbum personaliter juncta et carni, et animæ separatis. *Secundo* habes: quomodo per rationem, tamquam in radice, omnino evellas, interimasque impiissimam hæresim *Præmonstratensis* Apostatæ dicentis (ut refert Prateolus tit. *Antichristiani*) quod Christus eoquod in cruce desperarit, fuit damnatus. Legerat enim hic scelestissimus, Christum dixisse Matth. 27. *Eli, Eli, Lamma-sabactani*, et ignorantiam summo sceleri de suo conjungens verba hæc ad desperantis sensum torquere non erubuit. Sed quid mali non audeat, et non machinetur apostata ? Quippe qui sub tantorum malorum funestissimo jugo venundatus sit; qualia narrantur 2. 2. q. 12. art. 1. 2. et Proverb. 6. Dixi ly *quomodo per rationem, tamquam in radice evellas*, etc. quoniam peccatum omne ab eo funditus expellatur, necesse est, etiam sola ratione dictante: cum quo personaliter unita est Deitas. Vide not. post prob. concl. et

dicta, citataque in resp. ad 1. *Tertio* habes: quomodo per rationem, tamquam per radicem firmissimam ostendas, hæresim illam immanissimam merito damnari à dictis supra art. num. 119. Elucid. et in veritatibus aureis super totam legem veterem, Levit. 16. concl. 10. ubi ad longum dignissima scitu contra hæreticos, et ad catholicorum eruditionem invenies. Item á Num. 21. per hoc, quod ibi serpens æneus figura Christi in patibulo crucis positi designatur: id, quod clarius intelliges esse verum, si illud Joan. 3. *sicut Moyses exaltavit serpentem*, etc. præmissæ figuræ conjunxeris. Nam ideo Christus patiens in cruce vocatus est æneus, quia erat futurus mirandæ, immo insuperabilis patientiæ. Bonam vero patientiam opponi é diametro desperationi, quis nesciat? Vide veritates aureas, etc. Num. 21. concl. 6. Et à figuris ad figurata validum fieri processum disce ex Concilio *Hispalensi* 2. quod recitatur in eisdem veritatibus aureis Lev. 8. concl. 2. Item ab ipso crucifixo per hoc, quod expiraturus, paterni amoris, fiduciæque filialis memor, ac plenus dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. Item ab eodem Christo, ad passionem eunte per hoc, quod dicit Joann. 14. " Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quicquam. Sed, ut cognoscat mundus quia diligo patrem et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. » Si enim diabolus in Christo tanta patiente non invenit quicquam, idest aliquod vel minimum peccatum, quomodo Christus desperationem, tam grave peccatum, 2. 2. qu. 20. artic. 3. et consequenter á diabolo multum visibile, 1. qu. 57. art. etc. cum qu. 64. art. 1. incurrere umquam potuit? Et, si Christus non tantum facit patris mandatum, sed etiam sicut, idest, eo modo, quo pater voluit, et non pro aliquo solum tempore, sed etiam semper, facit, quæ placita sunt ei, Joann. 8. quomodo desperationis vel minimam scintillam, seu primum motum habere potuisse dicendus est? Numquid Deo patri placet desperatio, aut mandatum dedit ei pater, ut desperaret? Vide quantarum insaniarum, et palpabilium hæresum tenebras nobis offundere conatur sermone illo suo primo diabolico prædictus apostata. *Quarto* igitur habes: quod illud Christi verbum Elí, Elí, Lamma-sabactani alio modo, quam indoctus ille, ac instabilis, 2. Petr. 3. ad suam ipsius perditionem depravabat, intelligendum est. Pro qua re sciendum est: quod Christus omnia, quæ de ipso erant per prophetas dicta, in passione sua adimplere voluit (ut patet Matth. 20. Lucæ 18., et alibi in Evangelistis) A propheta autem in persona Christi loquente dictum fuerat Psalm. 17. *Dolores inferni circumdederunt me.* Necesse igitur erat ut hoc de Christo crucifixo verificaretur. Id, quod fuit tunc, quando ipse dolores inferni, pro quanto sine peccato licuit, in semetipso expressit: ut prophetatum erat per ly *dolores inferni* (idest his, qui sunt in inferno, similes) circumdederunt me. Quid est inter dolores inferni? Tanta á Deo derelictio, ut dixerit Psalm. 87. *quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Oportuit ergo tunc, Christum dolorem hunc in seipso exprimere dicendo. *Elì, Elì, Lamma-sabactani.* Nec solum hunc, sed et cæteros: unde non in singulari dolorem, sed in plurali *dolores*, Psalm. 17. dixit. Occasione itaque hujus, scilicet Elì, etc. prosequamur et berviter alios. Quid est in doloribus inferni? Maxima sitis, nec ad ipsam mitigandam modicæ aquæ subventio, Luc. 16. Oportuit ergo tunc Christum dicere, *sitio*; et ad ejus sitim extinguendam nec guttulæ aquæ refrigerium invenire, Joann. 19. Quid est in doloribus inferni? Fletus, et stridor dentium, Matth. 13. Cum clamore igitur valido, et lachrymis, Hebr. 5. seipsum Christus offerre debuit: ut ly *stridor dentium* exprimatur tunc per clamorem validum, sicut ly *fletus* per lachrymas. Quid inter inferni dolores adest? Quod ligatis manibus, et pedibus Matth. 22. ibi torquentur. Oportuit ergo Christum tunc manibus, et pedibus, quasi alligatis, clavorum vinculo cruciari. Quid amplius dolorum in inferno reperitur? Tenebræ exteriores, Matth. 25. Opus ergo fuit, ut tunc, sole obscurato, tenebræ fierent super universam terram, Luc. 23. Sed quid adhuc in inferni doloribus connumeratur? Mala societas, scilicet cum diabolo, et angelis ejus, Matth. 25. Necessum ergo fuit, ut Christus tunc cum iniquis crucifigeretur. Inter dolores inferni quid ulterius est? Omnium membrorum omne sine ulla

consolatione tormentum (ut potet ex Addition. qu. 97. art. 1. 2. Elucid.) Oportebat igitur, quod Christus et in loco fœtido crucifigeretur, qu. 46. art. 10. et omne passionum genus sustineret, ibid. art. 5. et dolorem maximum in his absque ulla relevationis redundantia sentiret, ibid. aat. 6. 7. Ecce adimpletam prophetiam illius Psal. 27. Adde: quod oportuit etiam Christum, tamquam ex reverentiali obedientia solicitum ad observanda de se prænuntiata á Psalm. 21. *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* correspondenter per seipsum dicere. *Eli, Eli, Lamma-sabactani.* Numquid non ergo vides, quod oculus prædicti apostatæ nequam est quia Christus bonus est? Matth. 20. *Quinto* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á scripturis, et Damasceno, quod Deitas non fuit separata ab anima Christi in morte. A Damasceno quidem, secundum quod est *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi,* etc. ut in ar. 2. append. De re hac vide Compend Alber. Mag. lib. 4. c. 22. schol. *Secundo* habes: quomodo per rationem tamquam in radice, omnino evellas, interimasque impiissimam hæresim *Præmonstratensis* apostatæ, etc. ut in art. 2. append. usqne in finem. Cæterum scito, quod quamvis illa hæresis adducta sit, et expugnata ibi, ut á fortiori fieret ejus damnatio; tamen ad hunc articulum directius pertinet utrumque, cum desperatio principaliter respiciat animam. Dico ly *ut á fortiori fieret ejus damnatio:* quoniam, si ex eo, quod á corpore numquam fuit separata divinitas, non potest aliquando fuisse desperatio in Christo, multo magis utique ex eo, quod ab anima numquam separata est divinitas, non poterit aliquando cadere desperatio in ipso. Perge egitur in illa appendice per totam. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito à scripturis, et Concil. esse insinuatum: quod Christus in triduo mortis desiit esse homo. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Rom. 14. « In hoc Christus mortuus est, et resurrexit, ut et vivorum, et mortuorum dominetur.» Adde illud Job. 14. " Homo, cum mortuus fuerit, ubi quæso est?» Ex his enim simul junctis patet intentum. Apostolus namque dicit, Christum vere esse mortuum: Job autem, tamquam manifestum ex modo interrogandi relinquit, quod homo mortuus non est homo: *Cum* (inquit) *mortuus fuerit, ubi quæso est?* Idest patet, quod amplius non est homo. Constat vero quod Christus mansit mortuus in triduo, quandoquidem anima á corpore separata pro tempore illo semper fuit, ut habetur ex Concilio Lateranensi sub Innocent. III. de summa Trinitat. et fid. Cathol. cap. firmiter: " Descendit ad inferos, resurrexit á mortuis, et ascendit in cœlum: sed descendit in anima, et resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque » Mortuus, inquam, mansit in triduo: ergo secundum scripturas etiam constat, quod pro toto illo tempore non fuit homo. A Concilio autem Viennensi sub Clemente V. de Summa Trinitate, et fid. Cath. insinuatur idem per hoc, quod Christum fuisse mortuum probavit lancea latos ejus apariens, adeo, quod si mortuus antea non fuisset (cum tamen vere jam fuerit) ex tali cordis perforatione esset omnino mortuus. Verba autem Concilii sunt hæc: " Dei Verbum emisso jam spiritu, perforari lancea sustinuit latus suum, ut exinde profluentibus undis aquæ et sanguinis, formaretur unica, et immaculata, ac virgo, sancta mater Ecclesia, conjux Christi. Sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in conjugium est formata. Ut sic certæ figuræ primi, et veteris Adæ, qui secundum Apostolum est forma futuri, in nostro novissimo Adam, idest Christo veritas responderet. Hæc est inquam veritas illius prægrandis aquilæ vallata testimonio, quam propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris Evangelicis transvolantem, beati Joannis videlicet Apostoli et Evangelistæ, qui sacramenti hujus rem gestam narrans, et ordinem in Evangelio suo, dicit: ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, etc. ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis. Nos igitur ad tam præclarum testimonium, ac sanctorum patrum, et doctorum communem scientiam, Apostolicæ considerationis, ad

quam dumtaxat hæc declarare pertinet, aciem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus, prædictum Apostolum, et Evangelistam Joannem rectum in præmissis factæ rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo jam mortuo, unus militum lancea latus ejus aperuit. » Quæ ideo etiam fusius, quam illi nostro proposito insinuando suffecisset, adduxi: ut hinc clare videas: damnatam esse hæresim cujusdam *Petri Joannis* dicentis (ut refert Directorium inquisitorum 2. par.) quod Christus sustinuit vulnus lanceæ, cum adhuc esset vivus. Hoc autem dicens ad Evangelium Beati Joannis præmissum respondebat, quod Apostolus ipse narravit ibi factum, sed non ordinem facti; quoniam per quamdam figuram, puta recapitulationem hoc dixit. Cæterum ad propositum illud primum juvabit videre compend. Alb. Mag. lib. 4. c. 22. schol. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum à scripturis, et Athanasio, quod corpus Christi vivum et mortuum sunt idem numero. A D Athanasio quidem, secundum quod adducitur cum applicatione *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod suppositum in Christo dicunt esse æternum, per ly " Tu credis in Filium Dei? » Respondit ille, et dixit, " Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus. Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. » Joan. 9. Nam ly *filius* dicit suppositum, q. 35. art. 1. 2. ly *quis*, ly *qui loquitur*, ly *ipse est*; dicunt suppositum ut patet. Item ly *credis in filium*, ly *credam in eum*, connotant suppositum divinum, idest, quod est verus Deus. Quandoquidem credere in aliquem, non potest dici de creatura, sed solum de creatore, 2. 2. q. 1. art. 9. arg. et resp. 5. In prædictis ergo verbis Evangelista sentit, quod in Christo, qui tunc cæco illuminato loquebatur, est suppositum divinum, idest, quod illius humanitatis visæ est solum unum invisibile suppositum, quod est Deus verus. Consequenter ergo implicite manifestat, quod illud suppositum in Christo remanet semper idem, sive corpus Christi mortuum fuerit, sive vivum, quoniam Deus verus est omnino immutabilis: 1. quæst. 9. art. 1. et æternus: 1. quæst. 10. art. 2. 3. Aliquid autem dicitur idem numero, non secundum animam actu corpori conjunctam, vel separatam, sed secundum suppositum. Ac si ergo Evangelista scholastice in proposito per verba illa dixerit. Suppositum Christi est Deus, et ideo corpus Christi, sive moriatur, sive vivat, est idem numero. Valent prædicta et in favorem quæst. 2. art. 2. Item quæst. 4. art. 2. Item quæst. 16. art. 12. Item quæst. 25. art. 1. cum Elucid. Et in damnationem hæresum inibi recitatarum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et Augustino quod mors Christi operata est ad nostram salutem. A D. Aug. quidem, secundum quod est *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Jo. 19. " Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua. » Ecce enim, quod corpus Christi mortuum operatur ad nostram salutem sacramenta, scilicet, et baptismi per emissionem aquæ, et eucharistiæ per emissionem sanguinis: in quibus duobus sacramentis, tamquam excellentioribus vel necessitate ut baptismus, vel contenti dignitate, ut eucharistia, cointelliguntur profluisse alia sacramenta. Ex his autem formatur Ecclesia: ergo ex latere illo corporis mortui formata est sponsa Christi unica, dilecta, immaculata: id, quod est magna operatio ad salutem, ut patet. De hoc opere tam excellenti salutis nostræ á corpore mortuo, ut et melius capias intentum, scilicet, quod secundum scripturam mors Christi operatur in nobis, vide art. 4. app. ex Clemen. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA PRIMA,

DE SEPULTURA CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de sepultura Christi.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum conveniens fuerit, Christum sepeliri.

Secundo, de modo sepulturæ ejus.

Tertio, utrum corpus ejus fuerit in sepulcro resolutum.

Quarto, de tempore, quo jacuit in sepulcro.

### ARTICULUS I.

*Utrum fuerit conveniens Christum sepeliri.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit conveniens Christum sepeliri.

1. «Christus factus est sicut homo in«ter mortuos liber:» ut dicitur in Psal. 87. Ergo non videtur fuisse conveniens quod corpus Christi sepeliretur.

Prob. Quia in sepulcro includuntur corpora mortuorum, quod videtur esse contrarium libertati.

2. Nihil circa Christum debuit fieri, quod non esset nobis salutiferum. Sed quod Christus fuerit sepultus, in nullo videtur ad salutem humanam pertinere. Ergo non fuit conveniens Christum sepeliri.

3. Inconveniens esse videtur, quod Deus, qui est excelsus super omnes cœlos, in terra sepeliretur. Ergo inconveniens videtur Christum fuisse sepultum.

Conseq. prob., quia illud quod convenit corpori Christi mortuo, attribuitur Deo ratione unionis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus dicit Matth. 26. de muliere, quæ eum inunxerat. «Opus bonum ope«rata est in me.» Et postea subdit. «Mittens enim hoc unguentum in cor«pus meum, ad sepeliendum me fecit.»

ARTIC. I.

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Conveniens fuit Christum sepeliri.

Prob. Fuit enim hoc conveniens propter tria.

Primo ad comprobandum veritatem mortis; non enim in sepulcro aliquis ponitur, nisi quando jam de veritate mortis constat. Unde et Marc. 15. dicitur, quod Pilatus, antequam concederet Christum sepeliri, diligenti inquisitione cognovit eum mortuum esse. Secundo, quia per hoc quod Christus de sepulcro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum his, qui sunt in sepulcro, secundum illud Joan. 5. «Omnes «qui in monumentis sunt, audient vocem «Filii Dei, et qui audierint, vivent.»

Tertio ad exemplum eorum, qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet absconduntur á conturbatione hominum. Unde dicitur ad Colos. 3. «Mortui estis, et vita vestra «abscondita est cum Christo in Deo.» Unde et baptizati qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo per immersionem, secundum illud Rom. 6. «Consepulti sumus cum «Christo per baptismum in mortem.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Christus enim sepultus ostendit se liberum inter mortuos in hoc, quod per inclusionem sepulcri non potuit impediri, quin ab eo resurgendo exiverit. Unde inclusio corporis Christi in sepulcro non fuit contra libertatem ejus, sed magis ex hoc magna ejus libertas demonstrata est.

Ad 2. Negatur minor. Sicut enim mors Christi efficienter operata est nostram salutem, ita etiam et ejus sepultura. Unde Hier. dicit super Matth. *Sepultura Christi resurgimus.* Et super illud Isa. 53. *Dabit impios pro sepultura*, dicit Glos. ordin. idest «gentes, quæ sine "pietate erant, Deo, patrique dabit, quia "mortuus et sepultus eos acquisivit."

Ad 3. Neg. anteced. Sicut enim dici-

tur in quodam Serm. concil. Ephes. «Nihil horum quæ salvant homines, injuriam Deo facit, quæ ostendunt eum non passibilem, sed clementem.» Et in alio Serm. ejusdem concil. legitur "Nihil putat injuriam Deus, quod est occasio salutis hominibus, tu quidem non ita vilem Dei naturam arbitraberis, tamquam quæ aliquando possit esse subjecta injuriis."

## ARTILULUS II.

### Utrum *convenienti modo Christus fuerit sepultus.*

*Pro negativa.*=Videtur, non convenienti modo Christum fuisse sepultum.

1. Christus passus fuit mortem abjectissimam, secundum illud Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum.* Ergo inconveniens fuisse videtur, quod Christo exhibita fuit honorabilis sepultura, in quantum á magnatibus fuit tumulatus, scilicet á Joseph ab Arimathea, qui erat *nobilis decurio*, ut habetur Matth. 15. et à Nicodemo, qui erat *princeps judæorum*, ut habetur Jo. 3.

Conseq. prob., quia sepultura respondet morti ejus.

2. Non debuit circa Christum aliquid fieri, quod esset superfluitatis exemplum. Sed quod ad sepeliendum Christum Nicodemus «venit ferens mixturam «myrrhæ, et aloes quasi libras centum,» ut dicitur Jo. 19. præsertim cum mulier prævenerit ungere corpus ejus in sepulturam: ut dicitur Marc. 14. superfluitatis fuisse videtur. Ergo non fuit hoc convenienter circa Christum factum.

3. Sepultura Christi fuit simplex ex una parte, quia scilicet Joseph *involvit corpus ejus in syndone munda*, ut dicitur Matth. 27. Non autem *auro, aut gemmis, aut serico*, ut Hieron. ibidem dicit. Ex alia vero parte videtur fuisse ambitiosa, in quantum eum cum aromatibus sepelierunt. Ergo videtur non fuisse conveniens modus sepulturæ Christi.

Conseq. prob., quia non est conveniens quod aliquod factum sibi ipsi sit dissonum.

4. Quædam scribuntur in Evangeliis circa sepulturam Christi, quæ in nullo videntur ad nostram doctrinam pertinere: sicut quod fuit sepultus in horto, quod in monumento alieno et novo, et exciso in petra. Ergo inconveniens fuit modus sepulturæ Christi.

Conseq. prob., quia *quæcumque scripta sunt*, præcipue de Christo, *ad nostram doctrinam scripta sunt*, ut dicitur Rom. 15.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Isaiæ 11. dicitur. *Et erit sepulcrum ejus gloriosum.*

*Determinatio.*

Conclusio. Modus sepulturæ Christi fuit conveniens.

Prob. Ostenditur enim modus sepulturæ Christi fuisse conveniens, quantum ad tria.

Primo, ad confirmandam fidem mortis et resurrectionis ipsius.

Secundo, ad commendandam pietatem eorum, qui eum sepelierunt. Unde August. dicit in 1. lib. de Civ. Dei, c. 13. "laudabiliter commemorantur in "Evang. qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum, sepeliendumque curarunt."

Tertio, quantum ad mysterium, per quod informantur illi, qui Christo consepeliuntur in mortem, ut dicetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. neg. conseq. Non enim est eadem ratio de passione, et Christi sepultura. Circa passionem enim Christi et ejus mortem commendatur patientia et constantia ejus, qui mortem est passus; et tanto magis, quanto mors fuit abjectior. Sed in sepultura honorifica consideratur virtus morientis, qui contra intentionem occidentium etiam mortuus honorifice sepelitur; et præfiguratur devotio fidelium, qui erant Christo mortuo servituri.

Ad prob. dicitur, quod non est necesse sepulturam respondere mortis abjectioni.

Ad 2. neg. minor: nihil enim superfluum circa sepulturam Christi actum fuit. In hoc enim, quod Evangelista dicit: "sepelierunt eum, sicut mos est judæis sepelire," sicut August. dicit tract. 120. in Jo. «admonuit in hujusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cujuslibet gentis esse servandum. Erat autem istius gentis consuetudo, ut mortuorum corpora variis aromatibus condirentur, ut diutius servarentur illæsa." Unde, et in lib. 3. de doct. Christ. cap. 12. dicitur, "quod in omnibus talibus, non usus rerum, sed libido utentis in culpa est." Et postea subdit, "quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina, vel prophetica persona maxime cujusdam rei signum est.» Myrrha enim, et aloes propter sui amaritudinem significant pœnitentiam, per quam aliquis in seipso Christum conservat absque corruptione peccati. Odor autem aromatum significat bonam famam. Non fuerunt igitur ista superflua in sepultura Christi; tum quia erat mos judæis, sic sepelire; tum etiam quia omnia ista aliquid signabant,

Ad 3. Negatur conseq. Sepultura enim habuit simplicitatem sine aliqua ambitione. Myrrha enim, et aloes adhibebantur corpori Christi, ut immune á corruptione servaretur, quod videbatur ad quamdam necessitatem pertinere. Unde datur nobis exemplum, quod licite possumus aliquibus pretiosis uti medicinaliter pro necessitate nostri corporis conservandi. Sed involutio corporis pertinebat ad solam quamdam decentiam honestatis, et in talibus simplicibus debemus esse contenti. Per hoc tamen significabatur, ut Hieron. in Matth. cap. 27. dicit, quod "ille in Syndone munda involvit Jesum, qui mente pura eum susceperit." Et hinc, ut Beda cap. 44. dicit super Marc. "Ecclesiæ mos obtinuit, ut sacrificium altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini est in syndone munda sepultum.»

Ad 4. Neg. antec. Omnia enim quæ ab Evangelistis scribuntur gesta fuisse circa sepulturam Christi, ad nostram doctrinam gesta et scripta sunt. Sepelitur enim Christus in horto ad significandum, quod per mortem et sepulturam ipsius liberamur á morte quam incurrimus per peccatum Adæ in horto paradisi commissum. Ideo autem Salvator in aliena ponitur sepultura, ut August. dicit in Serm. 133. qui est 2. in vig. Paschæ, "quia pro aliorum moriebatur salute; sepulcrum autem mortis est habitaculum." Per hoc etiam considerari potest paupertatis abundantia pro nobis susceptæ. Nam qui domum in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulcro reconditur, et nudus existens á Joseph cooperitur. In novo autem ponitur monumento, ut Hierony. dicit. in Matth. cap. 27. "ne post resurrectionem cæteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur.» Potest autem et novum sepulcrum Mariæ virginalem uterum demonsrare. Per hoc etiam datur intelligi quod per Christi sepulturam omnes innovamur, morte et corruptione destructa. In monumento autem exciso in petra conditus est, ut Hieron. ibid. dicit, «ne si ex multis lapidibus ædificatum fuisset, tumuli fundamentis suffossis, ablatus furto diceretur.» Unde, et saxum magnum, quod appositum fuit, ostendit quod "non absque auxilio plurimorum sepulcrum potuisset reserari.» Si etiam fuisset sepultus in terra, dicere poterant: "suffoderunt terram, et furati sunt eum,» sicut Aug. dicit in Serm. 2. Vig. Pasc. Significatur autem mystice per hoc, ut Hilar. dicit can. ult. in Matth. quod "per Apostolorum doctrinam in pectus duritiæ gentilis quodam doctrinæ opere excisum, Christus infertur, rude

"scilicet ac novum, et nullo antea in-"gressu timori Dei pervium. Et quia "nihil præter eum oportet in pectora "nostra penetrare, lapis ostio advolvi-"tur." Et sicut Orig. dicit hom. 35. in Matth. "Non fortuito scriptum est, "quod Joseph involvit corpus Christi sin-"done munda et posuit in monumento no-"vo, et quod advolvit lapidem magnum, "quia omnia, quæ sunt circa corpus Je-"su, munda sunt et nova et valde mag-"na." Et sic patet quod omnia, quæ scripta sunt ab Evangelistis fuisse facta in sepultura Christi, ad nostram doctrinam scripta sunt.

## ARTICULUS III.

### *Utrum corpus Christi in sepulcro fuerit incineratum.*

*Pro affirmativa.*=Videtur, quòd corpus Christi in sepulchro fuerit incineratum.

1. Christus mortem sustinuit, ut nos á morte liberaret. Ergo etiam incinerari debuit corpus ejus, ut nos ab incineratione liberaret.

Conseq. prob., quia sicut mors est pœna peccati primi parentis, ita etiam et incineratio; dictum est enim primo homini post peccatum: *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, ut dicitur Gen. 3.

2. Corpora nostra statim post mortem resolvi incipiunt et ad putredinem disponuntur, quia exhalante calido naturali supervenit calor extraneus, qui putrefactionem causat. Ergo videtur, quod hoc idem in corpore Christi acciderit.

Conseq. prob., quia corpus Christi fuit ejusdem naturæ cum corporibus nostris.

3. Christus sepeliri voluit, ut daret hominibus spem resurgendi etiam de sepulcris, ut art. 1. dictum est. Ergo etiam incinerationem pati debuit, ut spem resurgendi incineratis post incinerationem daret.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In Psal. 15. dicitur, *non dabis sanctum tuum videre corruptiònem*: quod Dam. lib. 3. ortod. fid. cap. 18. exponit de corruptione, quæ est per resolutionem in elementa.

*Determinatio.*

Conclusio. Non fuit conveniens corpus Christi putrefieri, vel quocumque modo incinerari.

Prob. Putrefactio cujuscumque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non potest amplius corpus continere in unum. Sed mors Christi non debuit esse ex naturæ infirmitate, ne crederetur non esse voluntaria, propter quod non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se obtulit sponte. Ergo non fuit conveniens corpus Christi putrefieri; sed ne ejus mors infirmitati adscriberetur, noluit Christus corpus suum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque resolvi; sed ad ostensionem suæ virtutis voluit corpus illud incorruptum permanere. Unde Chrysost. in demonstrat, quod Deus sit cont. Gentil. dicit, quod "viventibus aliis ho-"minibus, his scilicet, qui egerunt stre-"nue, arridet propria gesta; his au-"tem pereuntibus, perennt. Sed in "Christo est totum contrarium: nam an-"te crucem omnia sunt mœsta et infir-"ma: ut autem crucifixus est, omnia "clariora sunt facta, ut noscas non pu-"rum hominem crucifixum." Ne igitur suspicari quis posset mortem Christi fuisse ex infirmitate, qua non potuisset conservare corpus suum nec vivum, nec incorruptum, et ut divina virtus in illo corpore existens ostenderetur, non debuit corpus Christi mortuum incinerari, nec qualitercumque resolvi in elementa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1 neg. conseq. Non enim est eadem ratio de morte et de incineratione, quamvis utraque fuerit pœna peccati; Christus enim cum non esset subjectus peccato, neque morti erat obnoxius, neque incinerationi. Voluntarie tamen mortem sustinuit propter nostram salutem,

secundum rationes supradictas in corp. et quæst. præced. Si autem corpus ejus fuisset putrefactum, vel resolutum, magis hoc fuisset in detrimentum salutis humanæ, dum non crederetur in eo esse virtus divina. Unde ex persona ejus in Psal. 29. dicitur: "quæ utilitas in san-"guine meo, dum descendero in cor-"ruptionem," quasi dicat, "si corpus "meum putrescat, perdetur effusi san-"guinis utilitas."

Ad 2. neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod corpus Christi, quantum ad conditionem naturæ passibilis, putrefactibile erat, licet non quantum ad meritum putrefactionis, quod est peccatum. Sed virtus divina corpus Christi à putrefactione præservavit, sicut et resuscitavit á morte.

Ad 3. neg. conseq. Christus enim resurrexit de sepulcro virtute divina, quæ nullis terminis coarctatur. Et ideo hoc, quod á sepulcro surrexit, sufficiens argumentum fuit, quod homines erant resuscitandi virtute divina, non solum de sepulcris, sed etiam de quibuscumque cineribus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus fuerit in sepulcro solum una die et duabus noctibus.*

*Pro negativa.*— Videtur, quod Christus non fuerit in sepulcro solum una die, et duabus noctibus.

1. Dominus ipse dicit Matth. 12. "Si-"cut fuit Jonas in ventre ceti tribus "diebus et tribus noctibus; ita Filius "hominis erit in corde terræ» idest in sepulcro, « tribus diebus, et tribus nocti-"bus." Ergo Christus non fuit in sepulcro tantum uno die et duabus noctibus.

2. Christus surrexit media nocte. Ergo non fuit in sepulcro duabus noctibus integris.

Anteced. prob., quia Greg. dicit Hom. 21. in Evang. quod « sicut Sanson abs-"tulit media nocte portas Gazæ, ita "Christus media nocte auferens portas "inferni resurrexit. »

Conseq. prob., quia postquam Christus, resurrexit non fuit in sepulcro.

3. Per mortem Christi lux, ad quam pertinet dies, prævaluit tenebris, ad quas pertinet nox. Ergo convenientius fuisset, quod corpus Christi fuerit in sepulcro duobus diebus et una nocte, quam é converso.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in 4. de Trin. c. 6. «A ves-"pera sepulturæ usque ad diluculum "resurrectionis triginta sex horæ sunt, "idest nox tota, cum die tota et nocte "tota.»

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit quod Christus una die et duabus noctibus esset in sepulcro.

Prob. Per mortem Christi liberati sumus á duplici morte, ut art. 6. q. præc. dictum est, scilicet á morte animæ et á morte corporis, quæ significantur per duas noctes, quibus anima in sepulcro permansit. Mors autem ejus, quia non fuit ex peccato proveniens, sed ex charitate suscepta, non habuit rationem noctis, sed diei, et ideo significatur per diem integrum, quo Christus fuit in sepulcro. Ergo convenienter Christus una die et duabus noctibus in sepulcro permansit.

Conseq. probat., quia ipsum tempus, quo Christus in sepulcro mansit, effectum mortis ejus repræsentat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod sicut Aug. dicit de Cons. Evang. lib. 3. c. 24. «Quidam "modum locutionis nescientes, noctem "voluerunt annumerare tres illas horas, "á sexta usque ad nonam, quibus sol "obscuratus est; et diem tres alias ho-"ras, quibus iterum terris est redditus, "idest á nona, usque ad ejus occasum; "sequitur enim nox futuri sabbati, qua "cum suo die computata, erunt jam "duæ noctes, et duo dies. Porro autem "post sabbatum sequitur nox primi sab-

"bati, idest illucescentis diei Dominicæ, "in qua tunc Dominus resurrexit; et ita "adhuc non constabit ratio trium die- "rum et trium noctium. Restat ergo ut "hoc inveniatur illo Scripturarum usi- "tato loquendi modo, quo á parte to- "tum intelligitur, ita scilicet quod "unam noctem et unum diem accipiamus "pro uno die naturali:» et sic primus dies computatur ab extrema parte sui, qua Christus in sexta feria est mortuus et sepultus; secundus autem dies est integer cum 24. horis diurnis et nocturnis. Nox autem sequens pertinet ad tertium diem. Sicut enim primi dies, propter futurum hominis lapsum á luce in noctem, ita isti propter hominis reparationem, á tenebris computantur in lucem. Ut ait Aug. in alia part.

Ad 2. Neg. antec. Sicut enim dicit Aug. lib. 4. de Trin. c. 5. Christus in diluculo surrexit, in quo aliquid lucis appareret, et adhuc tamen aliquid remanet tenebrarum noctis. Unde de mulieribus dicitur Jo. 20. quod cum adhuc essent tenebræ venerunt ad monumentum. Ad prob. igitur dicitur quod Greg. hom. 21. in Evang. ratione illarum tenebrarum Christum media nocte surrexisse dicit, non quidem divisa nocte in duas partes æquales, sed infra ipsam noctem. Illud enim diluculum, et pars diei et pars noctis dici potest, propter convenientiam, quam cum utroque habet.

Ad 3. Dicitur ad anteced. quod in tantum lux in morte Christi prævaluit (quæ significatur per unam diem,) quod tenebras duarum noctium, idest duplicis mortis nostræ fugavit, ut in corpore dictum est.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 51.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et symbolo fidei, quod Christum sepeliri fuit conveniens. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Matth. 26. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item per dictum 1. Corinth. 15. "Tradidi vobis in primis, quod Christus mortuus, et sepultus est secundum scripturas.» Item per dictum Matth. 12. "Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus: ita erit filius hominis in corde terræ.» Item per dictum Eph. 4. *Descendit in inferiores partes terræ.* Vide q. 50. ar. 2. app. et art. 4. app. A symbolo autem fidei insinuatur idem per ly *crucifixus, mortuus, et sepultus.* Ad demonstrandum enim, quod Christum sepeliri fuerit conveniens, sufficit narrare factum, idest, dicere, quod sepultus est. Sicut et in omnibus circa Christum factis, in quantum ex parte Christi considerantur, hoc ipsum verificatur, scilicet, quod narrare factum sufficit ad probandum, quod tale quid sic fieri fuit conveniens. Rationem hujus (quod valet pro regula universalissima) vide in q. 41. ar. 1. corol. post concl. et art. 2. 3. 4. appendicibus, et qu. 42. 43. 44. art. multorum append. et q. 45. art. 1. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod modus sepeliendi Christum fuit conveniens. Insinuatur vero per hoc, quod dicitur Isa. 11. ut *in arg. cont.* Et simul per hoc, quod legitur in Evangeliis quoad ejus sepulturæ qualitatem, ut Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19. Patet enim ibi quod gloriosum ex multis partibus fuit sepulcrum Christi, hoc est, quod modo multipliciter glorioso sepultus est Christus. Id, quod olim ab Isaia prædictum fuerat per ly *erit sepulcrum ejus gloriosum.* Constat autem, quod conveniens est adimplere prophetiam, cum sic Deus in suis dictis verax comprobetur in

facto. Modus ergo, quem circa sepulturam Domini servatum videmus per Evangelia, non potest non esse conveniens; quoniam per correspondentiam ad divinum oraculum, Isa. 11. præexpressum sit. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et BB Vincentio, et Chrysostomo quod Christi corpus non debuit incinerari. A scripturis quidem, per dictum Ps. 15. *Nec dabis*, etc. ut cum Damasc. expositione est *in arg. cont.* Item per dictum Psalm. 29. *Quæ utilitas*, etc, ut cum expositione in ad *primum*. A BB. autem Vincentio, et Chysostomo ut habetur in ser. Paras. ejusdem S. Vincentii, ubi dicit. " Sexto fuit in passione Christi sepelitio terrenalis. Ratio, quoniam ex peccato Adæ humanum genus non solum fuit condemnatum ad mortem, sed etiam ad sepulturam, et resolutionem, et corruptionem. » Gen. 3. *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* " Ideo Christus voluit sepeliri, sed non corrumpi, juxta illud David. Non dadis sanctum tuum videre corruptionem. » Et infra. " Istud unguentum amaritudine sua coercet vermes á cadaverum corrosione, et corruptione, et putredine. Ex quo patet secundum Chrys. quod isti non habuerunt adhuc de Christo plenam et perfectam fidem; non intelligentes illud Psalm. Non dabis, sanctum tuum videre corruptionem. Unde si corpus Christi jacuisset in sepulcro usque ad diem novissimum, non fuisset incineratum, nec putrefactum, quia erat balsamatum divinitate. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Armenorum* dicentium, Christum de sepulcro resurrexisse die sabbati post Parasceven hora sexta. Per hoc enim, quod articulus iste monstrat, quod Christus mansit in sepulchro duabus noctibus integris, constat aperte, quod impugnat, et expugnat prædictum errorem. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Psal. 56. " Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cythara; exurgam diluculo. » Item á Psal. 107. ubi eisdem verbis resurrectionis Dominicæ horam determinat esse diluculum. Ibi enim Deus pater invitat filium ad exurgendum á mortuis, seu de sepulcro, per ly *exurge gloria mea, exurge psalterium, et cythara*; et Deus filius ei respondet per ly *exurgam diluculo*. Vide resurrectionem in ly *exurgam;* vide horam resurgendi in ly *diluculo*. Nec mireris, quod pater vocet filium, *gloria mea, psalterium, cythara;* quoniam nomina hæc tria realitati rei conveniunt, et maxime quidem præ cæteris omnibus. Christus namque in hac vita semper in omnibus, quæ quocumque modo fecit, dixit, cogitavit, et passus est, diligebat, maximoque studio procurabat honorem patris: juxta illud Joann. 8. *Ego gloriam meam non quæro, sed honorifico patrem meum*. Ideo jure optimo Pater Christum vocat gloriam suam. Item Christus legem veterem venerat adimplere, Matth. 5. quam sane legem designat psalterium eo, quod habet decem chordas, et est instrumentum cameræ secretum, et non sonat multum. Sic lex Mosaica fuit tamquam instrumentum cameræ secretum, cum data sit soli populo judæorum, 1. 2. qu. 98. art. 4. et decem chordas habuit, quia principaliter in decem præceptis consistit, 1. 2. qu. 100. art. 1. 3. et non sonat multum, quoniam cessatura erat tempore novo, 1. 2. q. 103. a. 3. Merito igitur ex obedientia tanta ad legem veterem Christus vocatur psalterium. Item Christus legem novam mundo dedit, 1. 2. q. 106. art. 1. 2. ad omne tempus in futurum se extendentem, 1. 2. q. 106. a. 4. et ad omnes absolute eos obligando, in tota terra habitantes, sonum suum emittentem, juxta illud Psalm. 18. " In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum,» quam sane legem repræsentat cythara in hoc, quod ipsa est instrumentum habens vocem clariorem, et magis audibilem etiam á remotis. De novæ legis super veterem claritate, seu perfectione majori, vide 1. 2. q. 107 et 108. articulis suis. Recte ergo propter tantæ legis lationem Christus á patre vocatus est cythara. Damnatur quoque antedicta hæresis ab Osea in persona populorum in Christum crediturorum, dicente c. 6. " Vivificabit nos post duos dies, et in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus, sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum. Quasi diluculum præparatus est egressus ejus. » Ex his prophetæ verbis ad

propositum Christi resurgentis dictis, notato ly *quasi diluculum præparatus est egressus ejus*, scilicet de sepulcro. Item á Matth. 16. 20. Marc. 9. 10. Luc. 18. *tertia die resurget*, Si tertia die, ergo non potest hoc esse in die sabbati, ut patet. Item á Matth. 12. " Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus. » Quod quidem Christi dictum fuit expositum ab Angelo dicente Matth. 28. *surrexit, sicut dixit*. Hoc est. Non tantum surrexit, quod scilicet se surrecturum esse dixit: sed etiam surrexit, sicut, idest eo modo, quo dixit. Cum ergo (secundum Ecclesiæ doctrinam, ut nunc videbimus) Christus surrexerit diluculo Dominicæ primæ post Parasceven, patet, quod facto ipso monstravit, quod illud suum dictum scilicet *tribus diebus, et tribus noctibus* debet de necessitate intelligi per figuram synecdoche, exceptis una die, et duabus noctibus artificialibus integris (ut *ad primum*). Constat itaque quod per illud dictum Matth. 12. exponente Christo, condemnatur hæresis *Armenorum*. Item á symbolo fidei Apostolorum, Patrum Concilii *Nicæni primi*, et totius Ecclesiæ catholicæ, per ly *tertia die resurrexit á mortuis*, per ly *resurrexit tertia die secundum scripturas*. Id, quod et in scripturis populorum, idest in solemnitatibus festivis, eadem Ecclesia, cujus auctoritas maxima est, 2. 2. q. 10. ar. 12. descripsit patenter ab orbe universo legendum: quando quotannis resurrectionis Christi gaudium in Dominica die, non sabbato, celebrandum instituit, et celebrat. Tali enim facto suo profitetur coram toto mundo, et Christum in Dominica die á mortuis resurrexisse, et phantasticam illam positionem de sabbato esse pro hæresi judicandam, atque damnandam. Propterea etiam in hujus veritatis continuam protestationem, et in signum perpetuum suæ gratitudinis pro resurrectione sponsi sui diem solis, qui immediate diei saturni juxta morem gentilium nominibus planetarum olim dies hebdomadæ designantium succedebat, vocavit nomine alio, scilicet, dominicam, á Domino dominantium, qui est Christus tali die resurgens, denominationem faciendo. Ex his omnibus Ecclesiæ institutis patet, quod male, et contra ipsius intentionem, immo et contra expressa ejusdem verba, occasio contrarium de die resurrectionis opinandi accipitur (ut videntur illius hæresis patroni accepisse) ex ceremonia, missa, officiisque aliquibus ecclesiasticis in die saturni, idest, in sabbato post Parasceven hora sexta, vel nona observatis. Ecce. Tunc benedicit cereum paschalem sacris vestibus gaudiosis indutus Ecclesiæ minister, tunc in missa Evangelium de resurrectione Matth. 28. canit. Tunc epistolam, præfationem, canonis partem, collectasque de resurrectione tractantia jubilosis vocibus tum hominum, tum campanarum, tum organorum, proclamat. Viderunt ii, hæc tunc fieri in Ecclesia, et ex hoc (ut videtur) scandalizati sunt, idest acceperunt occasionem errandi. Nescierunt (quod tamen scire debuerunt) Ecclesiam per prædicta protestari, et hoc expresse, se prævenire officium illud, quod in nocte sequenti; idest, in nocte Dominicæ solebat primitus fieri, et hoc justis de causis emergentibus. Dixi ly *quod tamen scire debuerant*, quoniam nulla ignorantia eos in hoc potuit excusare: adeo clara et manifesta sunt, quæ dicuntur. In benedictione cerei quoties fit mentio de nocte per ly *hæc nox est*, ly *ó vere beata nox*, ly *hæc est illa nox*, etc In collectis item per ly *sacratissimam noctem:* in præfatione quoque per ly *sed in hac potissimum nocte*. In particula etiam canonis per ly *et noctem sacratissimam*. Numquid non et ad Evangelium recitandum nox commemoratur per hoc, quod accolyti modo insolito, idest sine luminaribus accensis illuc ipsum audituri accedunt? Quæ igitur, et quanta eorum cæcitas in accipiendo hinc scandalum fuit, et inter tot memorias noctis in meridie factas non agnoscendo mysterium! Hoc videlicet, quod tunc Ecclesia non diem, non horam, non festum resurrectionis celebrat, sed quædam quasi præludia tam gaudiosæ mox venturæ solemnitatis agit. Vide in Decretis. dist. 75. c. quod á patribus, et de consc. dist. 3. c. sabbato. *Tertio* vides: quomodo, etc.

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA SECUNDA,

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de descensu Christi ad inferos.

*Et circa hoc quæruntur octo.*

Primo, utrum fuerit conveniens Christum ad inferos descendere.

Secundo, in quem infernum descenderit.

Tertio, utrum totus fuerit in inferno.

Quarto, utrum aliquam moram ibi traxerit.

Quinto, utrum sanctos patres ab inferno liberaverit.

Sexto, utrum damnatos ab inferno liberaverit.

Septimo, utrum liberaverit pueros in peccato originali defunctos.

Octavo, utrum liberaverit homines de purgatorio.

### ARTICULUS I.

*Utrum fuerit conveniens Christum ad infernum descendere.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit conveniens Christum ad infernum descendere.

1. Anima Christi non descendit ad aliquod malum. Ergo anima Christi non descendit in infernum.

Anteced. prob., quia nec animæ justorum ad aliquod malum descendunt.

Conseq. prob., quia infernus aliquod malum significat. Unde August. dicit in Epist. 99. ad Evodium. "Nec ipsos quidem inferos uspiam scripturarum in "bono appellatos potui reperire."

2. Christo non potest convenire descensus ad inferos, secundum naturam divinam, nec fuit necesarium, ut ad inferos descenderet secundum humanam naturam. Ergo non fuit conveniens, quod Christus ad inferos descenderet.

Anteced. quoad primam partem patet, quia natura divina est omnino immobilis. Quo vero ad secundam partem probatur. Ea quæ Christus fecit, vel passus est in natura assumpta, ordinantur ad humanam salutem. Sed descensus ad inferos non potuit ordinari ad humanam salutem, cum per passionem suam, quam in hoc mundo sustinuit, nos liberaverit á culpa et pœna, ut dictum est supra quæst. 50. art. 6. Ergo non fuit necessarium, nec conveniens, quod Christus secundum humanam naturam in infernum descenderet.

3. Christus non descendit in infernum secundum corpus, nec secundum animam, nec secundum utrumque. Ergo Christus nullo modo descendit in infernum.

Anteced. quoad omnes partes prob. Non secundum corpus, quia corpus ejus in sepulcro jacuit: nec secundum animam solam, quia anima cum sit incorporea, non videtur quod localiter possit moveri; hoc enim est proprium corporum, ut prob. 6. Phys. tex. 32. Descensus autem corporalem motum importat. Nec secundum utrumque quia per mortem fuit anima Christi á corpore separata.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

In symbolo dicitur *descendit ad inferos.* Et Apost. dicit ad Ephes. 4. "quod "autem ascendit quid est, nisi quia et "descendit primum in inferiores partes "terræ," "idest ad inferos," ut Glos. interl. dicit.

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum ad infernum descendere.

Prob tripliciter. Primo Christus venerat pœnam nostram portare, ut nos á pœna eriperet, secundum illud Isaiæ 53. "Vere languores nostros ipse tulit, et "dolores nostros ipse portavit." Ergo conveniens fuit ut Christus ad inferos descenderet.

Conseq. prob., quia homo ex peccato incurrerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos. Et ideo sicut fuit conveniens eum mori, ut nos á morte corporis eriperet, ita con-

veniens fuit eum ad inferos descendere, ut nos á descensu ad inferos liberaret. Unde dicitur Oseæ 13. "Ero mors tua, ô mors: ero, morsus tuus inferne!"

Secundo, quia conveniens erat ut victo diabolo per passionem, vinctos eriperet, qui detinebantur in inferno, secundum illud Zach. 9. "Tu quoque in "sanguine testamenti emissisti vinctos de "lacu." Et Colos 2. dicitur, "expo- "lians principatus et potestates, tradu- "xit confidenter."

Tertio, ut sicut potestatem suam Christus ostendit in terra, vivendo et moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno, ipsum visitando et illuminando. Unde dicitur in Psal. 23. "Attollite portas principes vestras," ubi dicit Glos. ordin. et interlin. «idest prin- "cipes inferni auferte potestatem ves- "tram, qua usque nunc homines in infer- "no detinebatis," et sic «in nomine Jesu "omne genuflectatur, non solum cœlestium," sed etiam infernorum, ut dicitur Phil. 2.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antec. quod Christus non descendit ad aliquod malum culpæ. sed potuit descendere ad aliquod malum pœnæ, quale malum est infernus non tamquam debitor pœnæ, sed ut eos, qui erant pœnæ obnoxii, liberaret.

Ad 2. Neg. anteced. quantum ad secundam ejus partem. Ad cujus prob. neg. minor. Ordinatus enim fuit descensus ad inferos ad nostram salutem. Et ad improbationem dicitur, quod passio Christi fuit quasi quædam causa universalis humanæ salutis, tam vivorum quam mortuorum; causa autem universalis applicatur ad particulares effectus per aliquod speciale. Unde sicut virtus passionis Christi applicatur viventibus per sacramenta configurantia nos passioni Christi, ita etiam applicata est mortuis, per descensum Christi ad inferos. Propter quod signanter dicitur Zach. 9. quod *eduxit vinctos de lacu in sanguine testamenti sui*, idest per virtutem passionis suæ, ut Glos. interlin. exponit.

Ad 3. Neg. anteced. quoad secundam partem; descendit enim Christus ad inferos, secundum animam. Ad cujus improbationem dicitur quod anima Christi non descendit ad inferos eo genere motus, quo corpora moventur, sed eo genere motus, quo Angeli moventur, sicut in 1. par. q. 53. habitum est.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus descenderit ad infernum damnatorum.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus descenderit etiam ad infernum damnatorum.

1. Ex ore divinæ sapientiæ dicitur Eccles. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* Ergo Christus, qui est Dei sapientia, etiam usque ad infernum damnatorum descendit.

Conseq. prob., quia inter partes inferiores terræ computatur etiam infernus damnatorum, secundum illud Psal. 62. *Introibunt in inferiora terræ.*

2. Petrus dicit Act. 2. quod «Deus Christum suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.» Ergo Christus descendit in infernum damnatorum, vel saltem in purgatorium, ubi homines puniuntur pœna sensus pro peccatis actualibus.

Conseq. prob., quia dolores non sunt in inferno patrum, neque etiam in inferno puerorum, qui non puniuntur, pœna sensus, propter peccatum actuale, sed solum pœna damni propter peccatum originale.

3. Dicitur 1. Pet. 3. quod «Chris- "tus his, qui in carcere conclusi erant, "spiritu veniens prædicavit, qui increduli "fuerant aliquando." Quod, secundum Athan. in Epist. ad Epictetum intelligitur de descensu Christi ad inferos. Dicit enim quod corpus Christi fuit in sepulcro positum, quando ipse perrexit prædicare his, qui in custodia erant spiritibus, sicut dixit Petrus. Ergo Christus descendit ad infernum damnatorum.

Conseq. prob., quia constat quod increduli erant in inferno damnatorum.

4. Locus dolorum est infernus damnatorum. Sed Christus descendit in locum dolorum. Ergo Christus descendit ad infernum damnatorum.

Minor prob., quia Aug. dicit in Epist. 99. ad Evod. "si in illum Abrahæ sinum Christum mortuum venisse sacra "scriptura dixisset, non nominato inferno, ejusque doloribus; miror, si quisque ad inferos eum descendisse asserere auderet. Sed quia evidentia testimonia, et infernum commemorant et dolores; nulla causa occurrit, cur illo venisse Salvator credatur, nisi ut ab eisdem doloribus salvos faceret."

5. Christus descendit in profundissimum infernum. Ergo Christus descendit in infernum damnatorum.

Antec. prob. Christus descendit in infernum, in quo erat Job. Ergo Christus descendit in profundissimum infernum.

Antec. hoc prob., quia Aug. dicit in serm. 137. qui est 2 de resurrectione. «Christus ad infernum descendens, omnes justos, qui originali peccato adstricti tenebantur, absolvit,» inter quos erat etiam Job.

Conseq. vero secunda prob., quia Job. erat in profundissimo inferno. Ipse enim de seipso dicit: *in profundissimum infernum descendent omnia mea*, Job 17.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Nulla est conventio lucis ad tenebras, ut dicitur 2. Cor. 6. Sed Christus est lux, infernus autem tenebra secundum quod dicitur Job. 10. «Antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, ubi "nullus ordo, sed sempiternus horror "inhabitat." Ergo Christus non descendit ad infernum damnatorum.

*Determinatio.*

*Distinctio.* Dupliciter dicitur esse aliquid alicubi: uno modo per suum effectum. Alio modo per suam essentiam.

1.ª Conclusio. Christus per suum effectum descendit in quemlibet infernorum; aliter tamen, et aliter. Manifestatur: nam in infernum damnatorum habuit hunc effectum quod descendens ad inferos, eos de sua incredulitate et malitia confutavit. Illis vero, qui detinebantur in purgatorio spem consequendæ gloriæ dedit. Sanctis autem patribus, qui pro solo peccato originali detinebantur in inferno, lumen æternæ gloriæ infudit.

2.ª Conclusio. Anima Christi, secundum essentiam, descendit solum ad locum inferni, in quo justi detinebantur.

Manifestatur, quia conveniens fuit ut quos ipse per gratiam interius visitabat. eos etiam secundum animam visitaret, et loco.

Coroll. Anima Christi in una parte inferni existens effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes derivavit. Sicut etiam in uno loco terræ passus totum mundum sua passione liberavit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur ad antecedens, quod est scripturæ auctoritas, quod Christus, qui est Dei sapientia, penetravit omnes inferiores partes terræ, non localiter, secundum animam omnes circumeundo: sed effectum suæ potentiæ aliqualiter ad omnes partes extendendo. Ita tamen, quod solos justos illuminavit; sequitur enim: «et illuminabo omnes «sperantes in Domino.»

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod duplex est dolor, unus de passione pœnæ, quem patiuntur homines pro peccato actuali, secundum illud Psal. 17. *Dolores inferni circumdederunt me.* Alius autem est dolor de dilatione speratæ gloriæ, secundum illud Prov. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Quem quidem dolorem patiebantur sancti Patres in inferno, ad quod significandum Aug. in Serm. 137. qui est 2. de Resurrectione dicit, quod *lacrymabili obsecratione Christum orabant*;

utrosque autem dolores Christus solvit ad inferos descendens, aliter tamen et aliter. Nam dolores pœnarum solvit præservando ab eis, sicut medicus dicitur solvere morbum, á quo præservat per medicinam; dolores autem causatos ex dilatione gloriæ actualiter solvit præbendo gloriam. Et ex neutrorum dolorum solutione sequitur, quod Christus ad inferum damnatorum descenderit.

Ad 3. dicitur ad sententiam sancti Petri, quod illud quod ibi Petus dicit, à quibusdam refertur ad descensum Christi ad inferos, sic exponentibus verbum illud, *his qui in carcere inclusi erant*, idest his qui erant in inferno, *spiritu*, idest, secundum animam, *Christus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando*. Unde Dam. dicit in 3. lib. orthod. fid. c. 29. quod « sicut his qui in terra sunt, evangelizavit; ita et his, qui erant in infer-« no, non quidem ut incredulos ad Chris-« tum converteret; sed ut eorum infide-« litatem confutaret. » Quia ipsa prædicatio nihil aliud intelligi potest, quam manifestatio divinitatis ejus, quæ manifestata est infernalibus, per virtuosum descensum Christi ad inferos.

Aug. tamen melius exponit in Epist. 99. ad Evod. ut referatur, non ad descensum Christi ad inferos; sed ad operationem divinitatis ejus, quam exercuit á principio mundi: ut sit sensus, quod his qui in carcere inclusi erant viventes, scilicet in corpore mortali, quod est quasi quidam carcer animæ, spiritu suæ divinitatis, veniens prædicavit per internas inspirationes, et etiam per exteriores admonitiones per ora justorum: his, inquam, prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, Noe scilicet prædicanti, quando expectabant Dei patientiam, per quam differebatur pœna diluvii. Unde subdit: in diebus Noe, dum fabricaretur Arca, ex quo non sequitur, quod ad inferos damnatorum Christus descenderit.

Ad 4. Dicitur ad minorem et ad ejus prob., quod sinus Abrahæ potest secundum duo considerari. Uno modo, secundum quietem quæ ibi erat á pœna sensibili, et quantum ad hoc non competit ei nomen inferni, nec sunt ibi aliqui dolores. Alio modo potest considerari quantum ad privationem gloriæ speratæ; et secundum hoc habet rationem inferni et doloris. Et ideo nunc dicitur sinus Abrahæ illa requies beatorum, non tamen dicitur infernus, nec dicuntur nunc in sinu Abrahæ esse dolores, quia, inquam, qui ibi sunt, fruuntur gloria, quam illi tunc sperabant.

Ad 5. negatur antecedens. Ad cujus prob. negatur conseq. Et ad ejus prob. dicitur, quod sicut Gregor. lib. 13. Moral. cap. 22. dicit. Ipsa loca superiora inferni, profundissimum infernum vocat: "si enim quantum ad celsitudinem, "cœli, aer iste caliginosus infernus est. "quantum ad ejusdem aeris altitudinem; "terra, quæ inferius jacet, et infernus "intelligi et profundum potest. Quan-"tum vero ad ejusdem terræ altitudi-"nem et loca illa inferni, quæ superiora "sunt aliis receptaculis inferni, hoc mo-"do inferni profundissimi appellatione "significantur." Intelligit ergo Job per profundissimum infernum, locum valde profundum.

## ARTICULUS III.

### *Utrum Christus fuerit totus in inferno.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fuerit totus in inferno.

1. Corpus Christi non fuit in inferno, Ergo non fuit totus Christus in inferno.

Conseq. prob., quia corpus Christi est pars Christi.

2. Corpus et anima Christi, quæ erant partes humanæ naturæ, fuerunt ab invicem separata post mortem, ut dictum est quæst. 50. art. 4. et mortuus Christus ad infernum descendit. Ergo non potuit totus Christus esse in inferno.

Conseq. prob., quia nihil cujus partes

ab invicem separatæ sunt, potest dici totum.

3. Illud totum dicitur esse in aliquo loco, cujus nihil est extra locum illum. Sed aliquid Christi erat extra infernum, quia et corpus erat in sepulcro, et divinitas ubique. Ergo Christus non fuit totus in inferno.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in lib. 3. cap. 7. de symb. « Totus Filius apud Patrem, totus in cœ- « lo, totus in terra, totus in utero vir- « ginis, totus in cruce, totus in inferno, « totus in paradiso, quo latronem intro- « duxit. »

*Determinatio.*

Conclusio. In triduo mortis, Christus fuit totus in sepulcro, totus in inferno et totus ubique.

Prob. In morte Christi etsi anima fuerit separata á corpore, neutrum tamen fuit separatum á persona Filii Dei, ut dictum est quæst. 50. art. 2. 3. et 4. Ergo totus Christus fuit in sepulcro, quia tota persona Filii Dei fuit ibi per corpus sibi unitum, et totus fuit in inferno ratione animæ sibi unitæ, et totus fuit ubique ratione divinæ naturæ.

Conseq. prob., quia ut patet ex his, quæ dicta sunt, 1. parte, quæst. 31. ar. 2. ad 4. masculinum genus refertur ad hypostasim vel personam, genus autem neutrum pertinet ad naturam. Ex hoc igitur, quod persona Verbi fuit unita corpori, fuit in sepulcro totus Christus, idest persona ejus, ad quam refertur ly (totus), et totus in inferno, quia erat Verbum animæ unitum, et totus ubique, quia natura divina, quæ cum persona Filii Dei identificatur, nullis clauditur locorum terminis

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod corpus Christi quod tunc erat in sepulcro non est pars personæ, increatæ, sed naturæ assumptæ; et ideo per hoc, quod corpus Christi non fuit in inferno, non excluditur, quin totus Christus fuerit in inferno; sed ostenditur quod non fuit ibi totum, quod pertinet ad humanam naturam, sed solum secundum animam.

Ad 2. Negatur conseq. Ex anima enim et corpore unitis constituitur totalitas humanæ naturæ, non autem totalitas divinæ personæ; et ideo soluta unione animæ et corporis per mortem, remansit totus Christus; sed non remansit tota natura in sua totalitate. Fuit igitur totus in inferno, sed non secundum totam naturam humanam. Et ad prob. dicitur, quod quia partes humanæ naturæ erant in Christo mortuo separatæ, sequitur quod non esset ibi totalitas naturæ humanæ; sed quia persona divina non erat separata ab anima, erat ibi totus Christus.

Ad 3. Dicitur, quod maior est vera de his, quæ sunt in loco circumscriptive et totaliter, qualiter res creatæ in loco esse dicuntur: hæc enim ita sunt in loco, quod si totum sit alicubi, nihil ejus sit extra locum illum; non autem est vera de his, quæ non possunt circumscribi loco. Tunc ad minorem subsumendam dicitur, quod persona Christi est tota in quolibet loco; sed non totaliter, quia nullo loco circumscribitur; sed nec omnia loca simul accepta ejus immensitatem comprehendere possunt, quinimo ipse sua immensitate omnia comprehendit. Unde Aug. dicit in Serm. de Symb. lib. 3. cap. 7. « Non per diversa tempora, vel loca di- « cimus ubique Christum esse totum, ut « modo ibi totus sit, et alio tempore ali- « bi totus; sed ut semper ubique sit to- « tus. »

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus aliquam moram traxerit in inferno.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus nullam moram traxerit in inferno.

1. Christus liberavit statim animas eorum, qui in inferno detinebantur pro ori-

ginali culpa. Ergo Christus nullam moram traxit in inferno.

Anteced. prob., quia «facile est in «conspectu Dei subito honestare paupe«rem,» ut dicitur Eccles. 11.

Conseq. prob., quia Christus ad hoc in infernum descendit, ut ex eo homines liberaret.

2. «Sine aliqua mora ad imperium «Domini ac Salvatoris, omnes ferrei con«fracti sunt vectes,» ut Aug. dicit in Serm. 137. qui est 2. de Resurrect. Unde ex persona angelorum concomitantium Christum dicitur: *Tollite portas principes vestras.* Ergo Christus nullam traxit moram in inferno.

Conseq. prob., quia ad hoc Christus illuc descendit, ut vectes inferni confringeret. Unde hoc peracto, non erat cur ibi moram traheret.

3. Christus ea die, qua mortuus est, fuit in paradiso secundum animam, quæ ad infernum descenderat. Ergo Christus nullam traxit in inferno moram; sed statim confractis portis inferni, ex inferno exivit.

Antecedentis prior pars probatur, quia Lucæ 23. dicitur, quod Dominus in cruce pendens dixit latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ex quo patet, quod eodem die, quo mortuus est, fuit in Paradiso: quod non potuit esse secundum corpus, quod in sepulcro jacuit. Unde fuit in paradiso secundum animam, quæ ad inferos descendit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Petrus dicit Act. 2. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Ergo videtur, quod Christus usque ad horam resurrectionis manserit in inferno.

*Determinatio.*

Conclusio. Credendum est animam Christi fuisse in inferno per diem integrum et per duas noctes.

Prob. Corpus Christi mansit in sepulcro per diem integrum et duas noctes ad comprobandum veritatem mortis suæ. Ergo anima Christi tantumdem moram traxit in inferno.

Conseq. prob., quia sicut Christus, ut nostras pœnas susciperet, voluit corpus suum in sepulcro poni; ita etiam voluit animam suam ad infernum descendere; unde credendum est animam Christi tamdiu moram traxisse in inferno, quamdiu corpus jacuit in supulcro.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Christus statim ad infernum descendens sanctos ibi existentes liberavit, non quidem statim educendo eos de loco inferni, sed in ipso inferno eos luce propria illustrando; et tamen conveniens fuit ut anima ejus maneret in inferno, quamdiu corpus jacuit in sepulcro, ratione dicta in corpore.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod vectes inferni dicuntur impedimenta, quibus sancti Patres de inferno prohibebantur exire reatu culpæ primi parentis, quos Christus statim descendens ad inferos, virtute suæ passionis et mortis confregit; et tamen voluit in inferno aliquamdiu remanere propter rationem dictam in corpore.

Ad 3. dicitur ad antecedens et ad ejus prob., quod illud verbum Domini est intelligendum, non de paradiso terrestri corporeo; sed de paradiso spirituali, in quo esse dicuntur quicumque divina gloria perfruuntur. Unde latro, loco quidem cum Christo ad infernum descendit, ut cum Christo esset, quia dictum est ei, *mecum eris in paradiso*: sed præmio in paradiso fuit, quia ibi divinitate Christi fruebatur, sicut et alii sancti, qui in lymbo detinebantur.

## ARTICULUS V.

*Utrum Christus descendens ad inferos sanctos Patres inde liberaverit.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus descendens ad inferos, sanctos Patres inde non liberaverit.

1. Aug. dicit in Epist. ad Evod. quæ est 99. «Illis justis, qui in sinu erant «Abrahæ, cum Christus in inferna descenderet, nondum quid contulisset inveni, á quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis numquam video recessisse.» Ergo non videtur, quod Christus sanctos Patres ab inferis liberaverit.

Conseq. prob., quia multum eis Christus contulisset, si eos ab inferis liberasset.

2. Nullus in inferno detinetur, nisi propter peccatum. Sed sancti Patres, dum adhuc viverent, per fidem Christi justificati fuerant á peccato. Ergo non indigebant liberari ab inferno, Christo ad inferos descendente.

3. Per passionem Christi remotum fuit peccatum, quod est causa descendendi ad inferos. Ergo per descensum Christi ad inferos sancti Patres non sunt de inferno educti.

Conseq. prob., quia remota causa, removetur effectus.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Aug. dicit in Serm. 137. qui est 2. de resurrectione, quod Christus, quando ad inferos descendit, «portam inferni et «vectes ferreos confregit, et omnes justos, qui originali peccato adstricti tenebantur, absolvit.»

*Determinatio.*

Conclusio. Christus descendens ad inferos, sanctos Patres ab inferis liberavit.

Prob. Per passionem Christi liberatum est genus humanum, non solum á peccato, sed etiam ab omni reatu pœnæ, ut dictum est quæst. 49. art. 3. et 50. art. 6. Ergo Christus virtute suæ passionis, qua descendens ad inferos operatus est, sanctos Patres ab inferis liberavit.

Antec. simul cum conseq. manifestatur. Dupliciter enim reatu pœnæ homines erant adstricti. Uno modo pro peccato actuali, quod quilibet in sua persona commisserat. Alio modo pro peccato totius humanæ naturæ, quod á primo parente in omnes originaliter devenit, ut dicitur Rom. 5. Cujus quidem peccati pœna est mors corporalis, et exclusio á vita gloriæ, ut patet ex his, quæ dicuntur Gen. 2. et 3. Nam Deus hominem de paradiso post peccatum ejecit, cui ante peccatum mortem fuerat comminatus, si peccaret. Christus igitur descendens ad inferos, operans virtute suæ passionis, ab hoc reatu absolvit sanctos, quo erant á vita gloriæ exclusi, ut possent Deum per essentiam videre, in quo consistit perfecta hominis beatitudo, ut dictum est 1. 2. q. 3. art. 8. Per hoc autem sancti Patres detinebantur in inferno, quod eis ad vitam gloriæ propter peccatum primi parentis aditus non patebat.

Ex quibus patet primo antecedens, scilicet quod per passionem Christi liberatum fuerit genus humanum à peccato actuali et originali, et á reatu pœnæ quo propter utrumque peccatum adstrictum tenebatur. Patet etiam consequentia: nam ex hoc, quod virtute passionis Christi liberati sumus á peccato utroque, et á reatu utriusque pœnæ, et quod Christus descendens ad inferos operatus fuerit ibi virtute suæ passionis; evidenter sequitur, quod sanctos illos Patres inde liberaverit.

Et confirmatur conclusio ex hoc, quod Zach. 9. dicitur: «tu vero in sanguine «testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua,» et Colos. 2. dicitur: *Expolians principatus, et potestates*, scilicet infernales, auferendo Abraham, Isaac et Jacob et cæteros justos, *traduxit eos*, idest *longe ab hoc regno tenebrarum ad cœlum duxit*, ut Glos. interlin. et ordin. ibidem dicit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur ad antecedens, quod August. ibi loquebatur contra quosdam, qui æstimabant antiquos justos ante adventum Christi in inferno doloribus pœnarum fuisse subjectos. Unde parum an-

te verba inducta præmittit dicens, «Addunt quidam hoc beneficium antiquis «etiam sanctis fuisse concessum, ut Dominus cum in infernum venisset, á doloribus solverentur. Sed quonam modo «intelligatur Abraham, in cujus sinum «etiam pauper ille susceptus est, in illis «fuisse doloribus, ego quidem non video.» Et ideo cum postea subdit «se nondum «invenisse quid descensus Christi ad inferos antiquis justis contulerit,» intelligendum est quantum ad absolutionem á doloribus pœnarum. Contulit tamen eis quantum ad adeptionem gloriæ, et per consequens solvit eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ; ex cujus tamen spe, magnum gaudium habebant, secundum illud Jo. 8. "Abraham Pater vester exultavit, ut videret "diem meum." Et ideo subdit August. "A quibus eum secundum beatificam "præsentiam suæ divinitatis, numquam "video recessisse:" in quantum scilicet ante adventum Christi erant «beati in «spe, licet nondum essent perfecte beati «in re.»

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod sancti Patres dum adhuc viverent, liberati fuerunt per fidem Christi ab omni peccato, tam originali, quam actuali, et á reatu pœnæ actualium peccatorum, non tamen á reatu pœnæ originalis peccati, per quem excludebantur á gloria, nondum soluto pretio redemptionis humanæ. Sicut etiam nunc fideles Christi liberantur per baptismum á reatu actualium peccatorum et á reatu originalis quantum ad exclusionem á gloria, remanent tamen adhuc obligati reatu originalis peccati, quantum ad necessitatem moriendi corporaliter, quia renovantur secundum spiritum, sed nondum secundum carnem, secundum illud Rom. 8. "Corpus quidem mortuum est propter "peccatum, spiritus vero vivit propter "justificationem.»

Ad 3. Negatur conseq. Nam, mortuo Christo, statim anima ejus ad infernum descendit, et suæ passionis fructum exhibuit sanctis in inferno detentis, quamvis ex loco illo non exierint, Christo apud inferos commorante, quia ipsa Christi præsentia pertinebat ad cumulum gloriæ. Unde ad prob. dicitur quod peccatum impediebat divinam fruitionem et ingressum cœli, et, Christo passo, remotum fuit hoc impedimentum: sed quod ibi post Christi descensum ad inferos aliquamdiu permanserint, non fuit ex peccato, aut ex aliquo reatu; sed ut frui possent præsentia Christi, quod ad cumulum gloriæ pertinebat.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum Christus aliquos damnatos ab inferno liberaverit.*

*Pro affirmativa.* — Videtur, quod Christus aliquos damnatos ab inferno liberaverit.

1. Dicitur enim Isaiæ 24. «Congre-"gabuntur congregatione unius falcis "in lacum, et claudentur ibi in carcere, "et post multos dies visitabuntur:» loquitur autem ibi de damnatis, qui militiam cœli adoraverant. Ergo videtur quod etiam damnati Christo descendente ad inferos, sint visitati, quod ad eorum liberationem videtur pertinere.

2. Super illud Zach. 9. "Tu autem "in sanguine testamenti tui eduxisti "vinctos de lacu, in quo non erat aqua," dicit Glos. interl. "Tu eos liberasti, "qui tenebantur vincti carceribus, ubi "nulla misericordia eos refrigerabat, "quam dives ille petebat.» Ergo Christus liberavit aliquos de inferno damnatorum.

Conseq. prob., quia soli damnati includuntur carceribus absque misericordia.

3. Christus in hoc mundo de quolibet statu aliquos liberavit. Ergo in inferno liberavit aliquos etiam de statu damnatorum.

Conseq. prob., quia potentia Christi non fuit minor in inferno, quam in hoc mundo fuerit: utrobique enim operatus est per potentiam suæ divinitatis.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Oseæ 13. dicitur: *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne*, Glos. interl. *electos educendo; reprobos ibidem relinquendo*. Ergo per descensum Christi ad inferos non sunt aliqui de inferno damnatorum liberati.

Conseq. prob., quia soli reprobi sunt in inferno damnatorum.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus descendens ad inferos nullum damnatorum ab inferno liberavit.

Prob. Christi descensus ad inferos illis solis liberationis contulit fructum, qui fuerunt passioni Christi conjuncti per fidem charitate formatam, per quam peccata tolluntur. Sed illi, qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem passionis Christi non habuerant, sicut infideles, aut si fidem habuerant, nullam conformitatem habebant ad charitatem Christi patientis, unde nec á peccatis suis erant mundati. Ergo descensus Christi ad inferos non contulit liberationem á reatu pœnæ infernalis his, qui erant in inferno damnatorum.

Maior prob., quia Christus descendens ad inferos, operatus est virtute suæ passionis; unde illis solis contulit liberationis fructum, qui erant per fidem charitate formatam passioni conjuncti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Ad sententiam Isaiæ dicitur dupliciter. Primo quod Christo descendente ad inferos, omnes qui erant in quacumque parte inferni, sunt aliqualiter visitati; sed quidam ad suam consolationem et liberationem; quidam autem ad suam confutationem et confusionem, sicut damnati. Unde ididem subditur, *et erubescet luna, et confundetur sol, etc.* Secundo dicitur quod hoc potest referri ad visitationem, qua visitabuntur in die judicii, non ut liberentur, sed ut amplius condemnentur, secundum illud Soph. 1. *Visitabo super viros defixos in fœcibus suis.*

Ad 2. dicitur ad anteced., quod cum dicitur in Glos. cit. *Ubi nulla misericordia eos refrigerabat*, intelligendum est quantum ad refrigerium perfectæ liberationis, quia sancti Patres ab illis inferni carceribus ante Christi adventum non poterant liberari.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod non fuit propter Christi impotentiam, quod non sunt aliqui liberati de quolibet statu infernalium, sicut de quolibet statu mundanorum, sed propter diversam utrorumque conditionem: nam homines quamdiu vivunt in hoc mundo, possunt ad fidem et charitatem converti, quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel in malo, sicut post exitum ab hac vita, quando mali in malo, et boni in bono sunt confirmati.

## ARTICULUS VII.

*Utrum pueri, qui cum originali peccato decesserant, fuerint á Christo ab inferis liberati.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod pueri, qui cum originali peccato decesserant, fuerint per descensum Christi liberati ab inferno.

1. Sancti Patres fuerunt ab inferno liberati per Christum, ut dictum est ar. 5. Ergo pueri per Christum similiter sunt ab inferno liberati.

Conseq. probat., quia pueri non tenebantur in inferno, nisi pro peccato originali, sicut et sancti Patres.

2. Propter peccatum primi parentis pueri cum originali peccato decedentes in inferno detinentur. Ergo multo magis per gratiam Christi sunt ab inferno liberati.

Conseq. prob., quia Apost. dicit Roman. 5. « Si unius delicto multi mortui « sunt, multo magis gratia Dei, et do« num in gratia unius hominis Jesu Christi « in plures abundavit. »

3. Pueri per baptismum liberantur à

peccato originali, et ab inferno. Ergo similiter liberati sunt per descensum Christi ad inferos.

Conseq. prob., quia sicut baptismus operatur in virtute passionis Christi, ita et descensus ejus ad inferos.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Pueri, qui cum solo originali peccato decesserant, nullo modo fuerant participes fidei Christi. Ergo non perceperunt fructum sanctificationis Christi, ut per ipsum ab inferno liberarentur.

Conseq. prob., quia Apost. dicit Rom. 3. quod «Deus proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguine ejus.»

*Determinatio.*

Conclusio. Pueri, qui cum originali peccato decesserant, non fuerunt per descensum Christi ab inferno liberati.

Prob. Descensus Christi ad inferos in illis solis effectum liberationis habuit, qui per fidem et charitatem passioni Christi conjungebantur. Sed pueri, qui cum originali peccato decesserant, nullo modo fuerant conjuncti passioni Christi per fidem et dilectionem. Ergo pueri, qui cum originali peccato decesserant, non fuerunt per descensum Christi ab inferno liberati.

Maior prob., quia descensus Christi ad inferos virtute suæ passionis liberatorius erat. Unde in his, qui non erant passioni conjuncti, effectum liberationis non habuit.

Minor prob. Non enim fuerunt conjuncti passioni Christi per fidem propriam, quia propriam fidem habere non potuerant, qui usum liberi arbitrii non habuerant. Neque per fidem parentum, aut per aliquod fidei sacramentum fuerant á peccato originali mundati.

Secundo prob. conclusio. Sancti Patres ab inferno sunt liberati per hoc quod sunt ad gloriam divinæ visionis admissi. Sed pueri, qui in peccato originali decesserant, ad gloriam divinæ visionis non poterant admitti. Ergo pueri hi non sunt per descensum Christi ab inferno liberati.

Minor prob., quia pueri illi non habuerunt gratiam, per quam solam ad gloriam divinæ visionis potest perveniri, secundum illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod sancti Patres, etsi adhuc tenerentur adstricti reatu originalis peccati, in quantum respicit humanam naturam, tamen liberati erant per fidem Christi ab omni macula peccati, et ideo capaces erant illius liberationis quam Christus attulit descendens ad inferos. Sed hoc de pueris dici non potest, cum nec per propriam, nec per alienam fidem Christi passioni fuerint conjuncti, ac per hoc gratiæ capaces esse non poterant, ut ex dictis patet.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod cum Apostolus dicit, quod gratia Dei in plures abundavit, non est accipiendum comparative, quasi plures numero sint salvati per gratiam Christi quam damnati per peccatum Adæ; sed absolute, ac si diceret, quod gratia unius Christi abundavit in multos, sicut peccatum unius Adæ pervenit ad multos; sed sicut peccatum Adæ ad eos tantum pervenit, qui per seminalem rationem carnaliter ab eo descenderunt; ita gratia Christi ad illos tantum pervenit, qui spirituali regeneratione ejus membra sunt facti, quod non competit pueris decedentibus cum originali peccato.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod baptismus adhibetur hominibus in hac vita, in qua homo potest transmutari de culpa in gratiam, sed descensus Christi ad inferos exhibitus fuit animabus post hanc vitam ubi non sunt capaces transmutationis prædictæ, et ideo per baptismum pueri liberantur á peccato originali, non autem per descensum Christi ad inferos. Unde non est eadem utriusque ratio.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum Christus suo descensu liberaverit animas á purgatorio.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod Christus suo descensu liberaverit animas á purgatorio.

1. Christus in suo descensu ad inferos præstitit beneficium liberationis his, qui erant in doloribus constituti. Ergo Christus animas de purgatorio liberavit.

Antec. prob., quia August. dicit in Epist. 99. ad Evod. "Quia evidentia "testimonia et infernum commemorant et "dolores, nulla causa occurit cur illo "credatur venisse Salvator, nisi ut ab "eisdem doloribus salvos faceret; sed "utrum omnes quos in eis invenit, an "quosdam, quos illo beneficio dignos "judicavit, adhuc requiro; fuisse tamen "Christum apud inferos, et in eorum "doloribus constitutis, hoc beneficium "præstitisse non dubito.»

Conseq. prob., quia præter damnatos quibus Christus liberationis beneficium non præstitit ut art. 6. dictum est, nulli sunt in doloribus pœnalibus constituti nisi illi qui sunt in purgatorio.

2. Per sacramenta Christi liberantur animæ á purgatorio, et præcipuæ per sacramentum Eucharistiæ, ut dicetur, sup. q. 71. art. 9. Ergo multo magis per præsentiam Christi ad inferos descendentis sunt animæ á purgatorio liberatæ.

Conseq. prob., quia ipsa Christi præsentia non minorem effectum habuit, quam sacramenta ipsius.

3. Christus eos qui in purgatorio erant liberavit á reatu pœnæ damni, quo excludebantur á gloria. Ergo etiam liberavit eos á reatu pœnæ purgatorii.

Conseq. probat., quia "quoscumque "Christus curavit in hac vita, totaliter "curavit," ut Aug. dicit in lib. de vera et falsa pœnit. cap. 9. Et Jo. 7. Dominus ipse dicit: "totum hominem sal-"vum feci in sabbato.»

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Greg. dicit 13. Mor. cap. 15. "Dum "conditor, ac redemptor noster claus-"tra inferni penetrans, electorum exin-"de animas eduxit, nos illo ire non pa-"titur, unde jam alios descendendo li-"beravit." Ergo Christus descendens ad inferos, animas á purgatorio non liberavit.

Conseq. prob., quia Christus patitur nos ire ad purgatorium.

*Determinatio.*

Conclusio. Illi qui tempore descensus Christi ad inferos erant in purgatorio, tales, quales sunt illi, qui nunc in purgatorio detinentur, non fuerunt inde per Christum tunc liberati; qui vero tunc in purgatorio inveniebantur, tales quales sunt illi qui nunc inde liberantur, fuerunt á Christo in suo descensu inde liberati.

Prob. Passio Christi, virtute cujus descensus Christi ad inferos fuit liberatorius, non habuit maiorem virtutem, quam nunc habeat. Ergo Christus non liberavit in suo descensu illos, qui tales erant tunc, quales sunt nunc, qui ibi detinentur, et liberavit eos, qui tales erant, quales sunt nunc qui inde nunc liberantur.

Antec. prob., quia passio Christi non habet temporalem virtutem et transitoriam, sed sempiternam, secundum illud Hebr. 10. "Una oblatione consummavit "in sempiternum sanctificatos." Unde sicut passionis Christi virtute nunc non liberantur nisi complete purgati, ita tunc liberati sunt non omnes, sed illi, qui perfecte purgati erant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod ex illa auctoritate Aug. non potest concludi, quod omnes illi, qui in purgatorio erant, fuerint inde liberati, sed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum, illis scilicet qui jam sufficienter purgati erant; vel etiam, qui dum adhuc viverent, me-

ruerunt per fidem et devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur á temporali purgatorii pœna.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod non est eadem ratio de sacramentis et de descensu Christi ad inferos: virtus enim Christi operatur in sacramentis per modum sanationis est expiationis cujusdam. Unde sacramentum Eucharistiæ liberat hominem á purgatorio, in quantum est sacrificium quoddam satisfactorium pro peccato. Descensus autem Christi ad inferos non fuit satisfactorius; operabatur tamen virtute passionis, quæ fuit satisfactoria, ut dictum est supra quæst. 49. artic. 3. Sed erat satisfactoria in generali, cujus virtutem oportebat applicari ad unumquemque per aliquid specialiter ad ipsum pertinens. Et ideo non oportet quod per descensum Christi ad inferos omnes fuerint á purgatorio liberati.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. dicitur quod non est eadem ratio de his quos Christus in præsenti vita liberavit, et de his, qui erant in purgatorio. Illi enim defectus, á quibus Christus in hoc mundo simul homines liberabat, erant personales proprie ad unumquemque pertinentes. Sed exclusio á gloria Dei, erat quidam defectus generalis pertinens ad totam humanam naturam. Et ideo nihil prohibet eos, qui erant in purgatorio, per Christum esse liberatos ab exclusione á gloria, non autem á reatu pœnæ purgatorii, qui pertinet ad proprium defectum. Sicut é contrario sancti Patres ante Christi adventum liberati sunt á propriis defectibus; non autem á defectu comuni ut dictum est supra quæst. 49. art. 5. ad 1.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 52.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam, (ut refert Isidorus) dicentium, quod Christus non descendit ad inferos. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari à symbolo fidei Apostolorum, ut *in arg. cont.* Nec mireris, quod in symbolo Patrum inter missarum solemnia cantato non repetitur ly *descendit ad inferos:* quoniam intentio Patrum ipsorum non fuit condere symbolum novum, sed exponere illud Apostolorum ibi, ubi opus erat expositione, idest positione explicita eorum mysteriorum, quæ implicite continebantur in illo Apostolorum, et hoc ad fugandas hæreses hominum impiorum, qui circa symbolum Apostolicum zizania jam seminare incœperant. Quia vero nondum error contra descensum Christi ad inferos pullulaverat, ideo prædicti patres in suo symbolo hunc articulum tacuerunt. Ac si taciturnitate hac sua dixissent. Nostri instituti non est reassumere singulos fidei articulos in symbolo Apostolorum contentos, nisi eos, quorum veram intelligentiam hæretici hactenus depravare conati sunt; ut, iisdem in veritate sua nativa explicatis, volucres has descendentes super sacrificio Domini, eique infestas abigamus, adinstar fidelis Abrahæ, Gen. 15. Vide 2. 2. qu. 1. ar. 9. ad 4. Item merito damnari ab Ephes. 4. ut *in arg. cont.* Item á Concilio *Lateran.* sub Innoc 3. secundum quod patet, q. 50. ar. 4. appen. Item ab Ecclesia catholica in hymno completorii temporis paschalis, Christum sic alloquente. « Quæ te vicit clementia, ut ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, ut nos á morte tolleres; inferni claustra penetrans, tuos captivos redimens. » His enim verbis illa non tantum damnat, sed et abundanter damnat, omnes contrarium de tali descensu dicentes, sive dicturos. Nam ibi declarat, non solum, quod ad inferos descendit, sed

etiam quod ex magno motivo, et magna utilitate hoc fecit. Ex magno, inquam, antonomastice, idest, maximo motivo, quia, ut sic descenderet, sua eum clementia vicit, ex magna item antonomastice, idest maxima utilitate: quia, ut suos captivos redimeret, claustra inferni penetravit. Ecce, quanta utilitas. Quinque millia annorum jam transierant á prædicta suorum captivitate (cum ab Abel justo incœperit) et tanti temporis interstitium non potuit adducere Christum in oblivionem servorum suorum; cum tamen breviori admodum horarum decursu tum præpositus pincernarum oblitus sit interpretis sui, Gen. 40. tum plurimi, quotidiana experientia teste, obliviscantur charorum suorum. O vere B. servi tui, clementissime Jesu! Tanto etiam tempore captivi illi jam affligebantur à desiderio suo, quandoquidem *spes, quæ differtur affligit animam*, Prov. 13. Unde, secundum regulam topicam, quanto majori, boni spes fuerit, et differatur: tanto magis ex dilatione tali affligetur anima. Cum itaque bonum á captivis illis speratum, intensissimeque desideratum, esset infinite magnum, idest vita æterna, et tam longissimo temporum intervallo differretur, fatendum utique erit, quod sanctorum illorum captivorum desiderium adeo hinc affligebatur, ut non affatu solum, sed nec cogitatu quidem, sit nobis comprehensibile. Secundum Ecclesiam ergo in superioribus loquentem Christus ad inferos et descendit, et ex gravissimis causis (quæ sunt illa duo) descendit, id, quod est convenientissimum, secundum eamdem, fuisse, quod ad inferos descenderet. Hoc autem (ut patet, et supra tetigimus) est, eam ex superabundanti condemnare hæresim in princ. app. relatam. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et in recto sensu intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, concilio, et Aug. quod Christus descendit et non descendit ad infernum damnatorum. A scripturis quidem, quod illuc non descendit, ut Job. 10. simul cum 2. Corinth. 6. secundum quod applicando ponuntur *in arg. cont.* A Concilio autem *Lateranensi* per ly *descendit in anima*. Per hoc enim subintelligit aliud condistinctum, scilicet descendere per effectum. Ac si dixerit. Ad infernum patrum (de hoc enim ibi principaliter intendit concilium) descendit in anima, ad cæteros inferos descendit solum per effectum. Locum concilii videas supra q. 50. a. 4. app. A Divo Augustino autem, dum in sermone qui incipit. *Passionem, et Resurrectionem*, sic de Christo dicit. "Carnem in sepulcro reposuit, et comitante secum anima ad inferna descendit, tenebrarum, et mortis principem colligavit; legiones illius perturbavit, portam inferni, vectes ferreos confregit, et omnes justos, qui originali peccato adstricti tenebantur, absolvit. Cum autem tenebrarum terminum quasi quidam deprædator splendidus, ac terribilis, attigisset, aspicientes eum impiæ, ac tartareæ legiones, territae, ac trementes inquirere potuerunt dicentes. Unde est iste tam fortis, tam splendidus, tam praeclarus, tam terribilis? Mundus ille, qui nobis subditus fuit, semperque nostris usibus mortis tributa persolvit, numquam talem mortuum misit, numquam talia inferis munera destinavit? Quis ergo est, qui sic intrepidus fines nostros ingreditur? Non solum nostra supplicia non veretur, insuper et alios de vinculis nostris absolvit. Post istas autem crudelium, et infernalium voces, sine aliqua mora ad imperium Domini, ac Salvatoris omnes ferrei confracti sunt vectes. Et ecce subito innumerabiles sanctorum populi, qui tenebantur in morte captivi, Salvatoris sui genibus obvoluti, lachrymabili cum obsecratione deposcunt dicentes: advenisti, redemptor mundi, advenisti, quem desiderantes quotidie sperabamus. Descendisti pro nobis ad inferos, noli nobis deesse, cum fueris reversus ad superos. Posuisti titulum gloriae in cœlo, pone signum victoriae in terra.» *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Augustino, quod Christus fuit totus in inferno, et in sepulcro. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod personam in Christo ponunt esse Deum. Ut Jo. 8. *Principium, qui et loquor vobis*. Ex eo enim, quod interrogantibus judaeis de persona dicendo. *Tu quis es?* respondit Christus, se esse

principium, patet sapientibus omnibus, quod persona Christi est Deus. Non enim persona creata est principium, sed est principiatum, et duplici quidem ratione: tum, scilicet quia est quid creatum, tum, quia ex conjunctione animae, et corporis tamquam ab ipsa causata profluit. Ex eo autem, quod persona Christi est Deus, patet, quod ipse est totus in omni loco. Est enim simplicissimus Deus, 1. q. 3. a. 7. et omnino indivisibilis, 1. q. 11. a. 4. Consequenter ergo, ubicumque est, totus est. Cum igitur ponatur fuisse in inferno Christus, et in sepulcro, et ly *totus* dicat personam, sicut et ly *quis*, 1. q. 31. a. 2. ad ult. patet, quod secundum Evangelium Christus fuit ibi totus, etiam, quod esset mortuus. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis declaretur etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et á symbolo fidei, quod anima Christi mansit triduo in inferno. A scripturis quidem, ut Act. 2. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi non fit principaliter in proposito vis in ly *solutis doloribus inferni*, cum isti statim descendente Christo soluti fuerint, art. 2. ad 2. sed vis in ly *suscitavit*. Ac si dicat Petrus. Christus, solutis doloribus inferni, remansit secundum animam in loco illo quousque Deus suscitavit eum. Id, quod (ut patet) est, animam triduo fuisse in lymbo SS. Patrum, quo per synecdochem expleto, qu. 51. ar. 4. ipsa inde realiter discedens unitæ divinitatis virtute ad reassumendum corpus accessit, et sic tunc primum Deus Christum suscitavit. Et hæc est illa pœna triduana, scilicet quam anima Christi propter nos suscepisse dicebat textus corp. in prin. non quod ibi passa sit aliquem dolorem, vel tristitiam (absit) cum Christus secundum animam esset tunc *inter mortuos l ber*, Psalm. 87. sed quod ibi, qui locus vilis est, existebat. Quamvis ergo ipsa et esset læta, et lætificaret alios, comparatione tamen loci ad locatum dicitur pœnam hanc, scilicet triduo in loco tam vili manere, suscepisse pro nobis. Nihil enim prohibet, animam dici sic suscipere pœnam sine ullo sensu doloris, quandoquidem et corpus per hoc, quod jacuit in sepulcro, nostram pœnam suscepit sine ullo sensu doloris. Insinuatur autem ipsum á symbolo fidei per ly *sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit.* Ex ordine siquidem isto innui videtur, quod sepultus mansit, quousque resurrexit, et quod apud inferos, quo descenderat, fuit, quamdiu sepultus jacuit, ut pariter, idest, æquali tempore, anima, et corpus ad resurrectionem venirent. Adde, quod in benedictione cerei Paschalis, quasi hoc apertius exponendo, dicitur ly *ille, qui regressus ab inferis humano generi serenus illuxit.* Hoc est. Tunc ille Lucifer, scilicet Christus est regressus ab inferis secundum animam, quando resurrexit, et hominibus apparuit. Alioquin, si anima ibi triduo illo non mansisset: non tunc, quando surrexit, regrederetur ab inferis, sed antea diceretur esse inde regressa. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito à scripturis et Augustino esse insinuatum, quod Christus descendens ad inferos liveravit inde sanctos Patres. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* Pro quo diffusius intelligendo, vide art. 2. append. A scripturis vero in figura, quam impleri oportuit, de Joseph. Gen. 40. per hoc quod ibi narratur, ipsum sine culpa sua incarceratum lætificasse pincernam regis Pharaonis inibi prius in carcere positum. Dedit quippe illi bonum nuncium de ipsius salute, et restitutione ad pristinum officium, quo in conspectu regis adstabat. A figuris enim ad figurata licere efficaciter argumentari, docuit facto suo, scilicet sacerdotum antiquorum figura utens ad sacerdotes legis novæ, Concilium *Hispalense* 2. cujus doctrinam circa hujusmodi videre potes in veritatibus aureis super legem veterem, Lev. 8. concl. 2. Joseph igitur, ut breviter figuram applicemus, innocenter incarceratus figurat Salvatorem Christum ad carcerem Sanctorum Patrum, non ex culpa tamen propria, descendentem. Joseph ibi lætificat servum regis dando ipsi bonum nuncium de pristina salutis prosperitate. Christus lætificat Sanctos Patres veros utique servos summi regis, dando eis claritatem visionis æternæ, qua in conspectu Dei faciliter ipsi adstantes perseverent in æternum. Semper enim figuratum

præeminet figuræ, et ideo illud bonum nuncium Joseph figurabat istud admodum excellentius datum Patribus á Christo. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis declaretur etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim, quam recenset D. Aug. sine auctore, et quidam alii attribuunt *Armenis*, dicentem, quod Christus descendens ad inferos eduxit omnes animas inde. {Et loquuntur de damnatis etiam: quoniam, si sic non intelligeretur positio hæc, á D. Aug. non reputaretur hæresis. Pro hæresi enim ideo habetur ab ipso, et á tota Ecclesia, quoniam pœnam damnatorum esse perpetuam, testantur omnes sacræ litteræ (ut nunc patebit) id, quod falsum esset, si positio illa staret. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito illam hæresim damnari ab Oseæ 12. cum ejus vero sensu á glossa adducto *in arg. cont.* Item á Gen. 40. per hoc, quod Joseph innocenter incarceratus (figura utique Christi ad inferos descendentis, art. 5. append.) non tantum nullum bonum nuncium dedit pistori ibi incluso, sed malum nuncium mortis violentæ eidem attulit. Quod sane figurat, Christum descensu suo illo non tantum nullum damnatum liberasse, sed damnatos eosdem de eorum peccatis confutasse, a. 2. Valet autem argumentum à figura ad figuratum, ut ex Concilio *Hispalensi* docetur, art. 5. append. Item ab omnibus scripturis dicentibus, pœnam damnatorum esse æternam: quoniam per hoc nullam inde liberationem umquam futuram esse statuunt, ut clare patet. Dicitur ergo ab Ecclesia, quod á Job. 10. desumitur; *in inferno nulla est redemptio.* Item per hoc, quod de statu hominis morientis, vel in gratia, vel in peccato mortali, dicitur Eccles. 111. {" Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, » scilicet in æternum. Item ab ipso Christo, qui, licet descensurus esset ad inferos, nullum tamen excipit damnatum á perpetuitate pœnæ ibi existentis, immo ipse numquam esse finiendam affirmat sæpius Mar. 9. " Si scandalizaverit te manus tua, etc. in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Et si pes tuus scandalizat te, etc. in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, etc. in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. » Item Matth. 25. " Ite in ignem æternum, etc. Ibunt hi in supplicium æternum. » Excepisset vero Christus aliquem de æternitate ista (ut ratio dictat) si inde descensu suo ad inferos aliquem liberaturum se proposuisset. Ex nulla ergo exceptione tali ab ipso data constat, quod nullum damnatum inde liberaturus erat. Item de æternitate illius supplicii, seu ignis, et vermis, vide Eccles. 7. et Job 30. 38. et Judith. 16. et Apocal. 11. 12. et Isa. ultimo. *Tertio* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á scripturis, et concilio: quod descensu suo ad inferos Christus non liberavit pueros sola originali macula ibi detentos. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Rom. 3. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* A Concilio autem *Trid.* per hoc, quod dicit sess. 6. cap. 3. " Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti: cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur: cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia qua justi fiunt illis tribuatur. » Quæ facile est applicare ad propositum, ut patet consideranti, et inde clare conspicere illud, quod in præsenti quæritur. *Secundo* habes: quomodo per rationem, et per nunc dicta interimas hæresim narratam in art. 6. append. Talium namque puerorum animæ inter damnatas, pœna tamen damni solum computantur, ut patet extra de baptis. et ejus effec. cap. *Majores. Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, ipsam hæresim merito damnari et à dictis in præmissi artic. 6. append. Vide igitur illic. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum à scripturis, et Greg. quod Christus suo descensu ad inferos non liberavit omnes animas á purgatorio. A D. Greg. quidem, ut cum applicatione ponitur *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Isa. 49. " Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas; ut diceres his, qui vincti sunt, exite: et his, qui in tenebris sunt, revelamini. » His enim verbis Deus pater loquitur ad Christum monstrans per duas primas clausulas, quod ipse Christus in vita sua super terram facturus erat: per duas ultimas, quod post mortem apud inferos. Ac si apertius dixerit ad ipsum. Postquam in vita terram, idest homines in peccatis dormientes, suscitaveris prædicando, et possederis *hæreditates*, idest gentes, quas dedi tibi in hæreditatem Psal. 2. variis erroribus simulacrorum dissipatas: tu post mortem dices vinctis, *exite*, idest his, qui sunt in purgatorio (nam de damnatis nullus exit) dices, idest facies; ut é vinculis illi exeant: et dices existentibus in tenebris, *revelamini*, idest facies, quod existentes in lymbo justorum, qui lumine visionis divinæ carent, revelentur, idest tali velamine liberentur. Non solum ergo patres divina gloria tunc illustrandos (artic. 5.) prophetavit Isaias: sed etiam animas é purgatorii vinculis liberandas. Non dixit ly *omnes*: neque tamen expresse negavit, ly *omnes*, sed solum indefinite de vinctis locutus est: ad cujus verificationem sufficit liberatio aliquarum. Nihilominus, quia potest indefinita exponi etiam universaliter (ut logica docet) dicendum videtur, non esse contra intentum hoc Isaiæ, quod Christus post mortem descensu suo liberaverit omnes animas é purgatorio. Quod si admittatur exponendus est D. Thom. in hoc art. illo modo, quo D. Vincentius ordinis Prædicatorum, et ipse doctor, atque in doctrina Thomistica maxime versatus (ut patet in sermonibus suis) ex professo illum exponit. Dicit enim in serm. de sabba. sanc. verba hæc. " Quæstionem faciunt doctores, et B. Thom in 3. p. q. 52. art. 8. utrum Christus liberaverit omnes animas, quæ erant tunc in purgatorio. Ad quæstionem illam oportet respondere per distintionem, secundum quod de ista materia possumus loqui dupliciter: vel per rigorem justitiæ, vel per dulcedinem misericordiæ. Si loquamur primo modo: non liberavit, nisi illos solum qui compleverant tempus pœnitentiæ. Et istam viam sequitur B. Thom. in 3. parte. Si autem loquamur de dulcedine misericordiæ, possumus dicere, quod omnes liberavit. » Ex his ergo et ad Isa. si exponatur de illis animabus (ut sup.) universaliter, potest dici, quod tunc loquitur secundo modo, idest de dulcedine misericordiæ: et ad Thom. dices, quod locutus est alio modo, idest de rigore justitiæ. Consequenter ergo Isaias favet huic art. dum aliquas á purgatorio liberatas ponit, nec, tamen discordat ab eo, si omnes inde liberatas fuisse dicat: quoniam, pro quanto de aliquibus dicit, loquitur secundum rigorem justitiæ: et pro quanto de omnibus dicit, loquitur secundum dulcedinem misericordiæ. *Secundo* vides: etc.

---

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA TERTIA,

### DE RESURRECTIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de his quæ pertinent ad exaltationem Christi: et primo de ejus resurrectione; secundo de ejus ascensione; tertio de ejus sessione ad dexteramPatris; quarto de judiciaria potestate ipsius.

Circa primum occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est de ipsa Christi resurrectione. Secunda de qualitate resurgentis. Tertia de manifestatione resurrectionis. Quarta de ejus causalitate.

*Circa primum quæruntur quatuor.*
Primo, de necessitate resurrectionis ejus.
Secundo, de tempore.
Tertio, de ordine.
Quarto, de causa.

## ARTICULUS I.

### *Utrum fuerit necessarium Christum resurgere.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit necessarium Christum resurgere.

1. Christus non cecidit per peccatum, nec corpus ejus est dissolutum, ut patet ex dictis quæst. 51. art. 3. Ergo Christo non convenit proprie resurgere.

Conseq. prob., quia Damasc. dicit in lib. orthod. fidei cap ult. "Resurrectio "est secunda ejus, quod dissolutum est "et cecidit, animalis surrectio."

2. Ille qui resurgit, ad aliquid altius promovetur. Sed corpus Christi non potuit ad aliquid altius promoveri. Ergo Christo non competebat resurgere.

Maior prob., quia surgere est sursum moveri.

Minor prob., quia corpus Christi remansit post mortem divinitati unitum, et ita non potuit ad aliquid altius promoveri.

3. Ad salutem nostram sufficiebat passio Christi. Ergo non fuit necessarium quod Christus á mortuis resurgeret.

Conseq. prob., quia ea, quæ circa humanitatem Christi sunt acta, ad nostram salutem ordinantur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Lucæ ult. *Oportebat Christum pati, et resurgere á mortuis.*

*Determinatio.*

Conclusio. Necessarium fuit Christum á mortuis resurgere.

Prob. Fuit enim hoc necessarium propter quinque.

Primo, ad commendationem divinæ justitiæ, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, secundum illud Lucæ 1. "Deposuit potentes "de sede, et exaltavit humiles." Quia igitur Christus propter charitatem et obedientiam Dei se humiliavit, usque ad mortem crucis, oportebat quod exaltaretur á Deo usque ad gloriosam resurrectionem: unde ex ejus persona dicitur in Psal. 138. *Tu cognovisti* (idest approbasti) *sessionem meam*, (idest humilitatem et passionem) *et resurrectionem meam* (idest glorificationem in resurrectione) ut Glossa interlin. exponit.

Secundo, ad fidei nostræ instructionem, quia per ejus resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi; quia ut dicitur 2. ad Cor. ult. "etsi crucifixus est ex infirmitate, sed "vivit ex virtute Dei:" et ideo 1. ad Cor. 15. dicitur: "si Christus non re- "surrexit, inanis est prædicatio nostra, "inanis est et fides vestra." Et in Psal. 29. dicitur: "quæ utilitas in sanguine "meo," idest in effusione sanguinis mei, "dum descendo in corruptionem,? quasi dicat (nulla.) "Si enim statim non "resurgo, corruptumque fuerit corpus "meum, nemini annuntiabo, nullum lu- "crabor," ut Glossa ordin. exponit.

Tertio, hoc fuit necessarium ad sublevationem nostræ fidei; quia dum videmus Christum, qui est caput nostrum, resurgere, speramus et nos resurrecturos: unde dicitur 1. ad Cor. 15. "Si "Christus prædicatur, quod resurrexit "á mortuis, quomodo quidam dicunt in "vobis, quoniam resurrectio mortuorum "non est?» Et Job. 19. dicitur: *Scio* (scilicet per certitudinem fidei) *quod redemptor meus* (idest Christus) *vivit* (à mortuis resurgens) et (ideo) «in novissimo die de «terra surrecturus sum, reposita est hæc «spes mea in sinu meo.»

Quarto, ad informationem vitæ fidelium, secundum illud ad Rom. 6. "Quo- "modo Christus resurrexit á mortuis "per gloriam Patris, ita et nos in no- "vitate vitæ ambulemus." Et infra, "Christus resurgens ex mortuis jam non "moritur, ita et vos existimate vos mor- "tuos esse peccato, viventes autem Deo.»

Quinto, ad complementum nostræ salutis; quia sicut per hoc, quod Christus mala sustinuit, humiliatus est moriendo, ut nos liberaret á malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, secundum illud ad Rom. 4. "Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod licet Christus non ceciderit per peccatum, cecidit tamen per mortem; quia sicut peccatum est casus á justitia, ita mors est casus á vita: unde ex persona Christi potest intelligi, quod dicitur Micheæ 7. "Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam." Similiter etiam licet corpus Christi non fuerit dissolutum per incinerationem, ipsa tamen separatio animæ á corpore dissolutio quædam fuit.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod divinitas erat carni Christi post mortem unita unione personali, non autem unione naturæ, eo modo quo anima unitur corpori, ut forma, ad constituendam humanam naturam: et ideo per hoc, quod corpus ejus unitum est animæ, promotum est in altiorem statum naturæ, non autem in altiorem statum personæ.

Ad 3. Negatur antecedens: passio enim Christi, proprie loquendo, operata est nostram salutem, quantum ad remotionem malorum; resurrectio autem quantum ad inchoationem et exemplar bonorum: unde post passionem necessaria fuit ad salutem nostram etiam Christi resurrectio, ut sic salus nostra esset perfecta quantum ad remotionem malorum et ad collationem bonorum.

## ARTICULUS II.

*Utrum fuerit conveniens Christum tertia die resurgere.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod non fuerit conveniens Christum tertia die resurgere.

1. Nos qui sumus membra Christi, non resurgimus á morte tertia die, sed nostra resurrectio differtur usque ad finem mundi. Ergo videtur, quod Christus, qui est caput nostrum, non debuerit tertia die resurgere, sed quod debuerit ejus resurrectio differri usque ad finem mundi.

Conseq. prob., quia membra debent capiti conformari, et é contra.

2. «Impossibile erat Christum detineri «ab inferno et morte,» ut Petrus dicit Act. 2. Ergo videtur, quod Christi resurrectio non debuerit differri usque ad tertiam diem; sed statim eadem die resurgere, præcipue cum Glossa ordinaria inducta in corpore articuli præcedentis dicat, «nullam esse utilitatem in effusione "sanguinis Christi, si non statim resurgeret."

Conseq. prob., quia quamdium aliquis est mortuus, detinetur á morte: unde qui non poterat detineri á morte, statim surgere debebat.

3. Christus resurrexit prima sabbati ante ortum solis. Ergo Christus non resurrexit tertia die.

Anteced. prob., quia dicitur Joan. 20. quod "una sabbati Maria Magdalene "venit mane, cum adhuc tenebræ essent, "ad monumentum;" et tamen Christus jam resurrexerat, quia sequitur, *et vidit lapidem sublatum á monumento.*

Conseq. prob., quia dies incipere videntur ab ortu solis, qui sua præsentia diem causat.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Matth. 20. "Tradent eum "gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die "resurget."

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit Christum tertia die á mortuis resurgere.

Probatur unica ratione litterali, et tribus mysticis.

Ratio litteralis est. Resurrectio Christi

necessaria fuit ad instructionem fidei nostræ, ut art. præced. dictum est. Ergo resurrectio Christi non debuit differri usque ad finem mundi, nec fieri ante tertium diem.

Consequentia prob. Nam fides nostra est de divinitate et humanitate Christi: non enim sufficit alterum sine altero credere, ut patet ex prædictis. Ad hoc autem, ut confirmaretur fides de veritate divinitatis illius, oportuit quod cito resurgeret, et ejus resurrectio non differretur usque ad finem mundi. Ad hoc autem ut confirmaretur veritas humanitatis et mortis ipsius, oportuit moram esse inter mortem et resurrectionem: si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset, quod ejus mors non fuerit vera. Ad veritatem autem mortis Christi manifestandam sufficiebat, quod usque ad tertium diem ejus resurrectio differretur, quia non contingit, quin infra hoc tempus, in homine qui mortuus videtur, cum vivat, appareant aliqua indicia vitæ.

Prima autem ratio mystica est, quia per hoc, quod tertia die resurrexit, commendatur perfectio ternarii, qui est numerus omnis rei, utpote habens principium, medium, et finem, ut dicitur lib. 1. de cœl. textu 2.

Secunda est, quia per hoc ostenditur aliud mysterium, quod Christus una sua morte corporali, quæ fuit lux propter justitiam, duas nostras mortes destruxit, scilicet corporis et animæ, quæ sunt tenebræ propter peccatum. Et ideo die integra et duabus noctibus permansit in morte, ut August. dicit in lib. 4. de Trin. cap. 6.

Tertia est, quia per hoc etiam significatur, quod per resurrectionem Christi incipiebat tertium tempus. Nam primum fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status. Nam primus fuit sub figuris legis. Secundus sub veritate fidei. Tertius erit in æternitate gloriæ, quam Christus inchoavit resurgendo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod caput et membra conformantur in natura, sed non in virtute; excellentior est enim virtus capitis quam membrorum: et ideo ad demonstrandam excellentiam virtutis Christi, conveniens fuit ipsum tertia die resurgere, aliorum resurrectione dilata usque ad finem mundi.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod detentio coactionem quamdam importat: solus ille igitur detinetur á morte, qui coacte detinetur. Et quia Christus nulla necessitate mortis tenebatur adstrictus, sed erat inter mortuos liber, ideo aliquamdiu in morte mansit, non quasi detentus, sed propria voluntate, quamdiu judicavit hoc esse necessarium ad instructionem fidei nostræ. Et ad Glos. dicitur, quod statim fieri dicitur, quod fit brevi interposito tempore. Christus igitur dum mansit in morte, non fuit detentus á morte et statim resurrexit, quia parvo interposito tempore resurrexit, transacto scilicet tempore necessario ad comprobandam veritatem mortis ejus.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod Christus resurrexit circa diluculum, illucescente jam die, ad significandum, quod per suam resurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat, sicut mortuus est advesperascente jam die et recedente in tenebras, ad ostendendum quod per suam mortem destrueret tenebras culpæ et pœnæ. Dicitur tamen tertia die resurrexisse, accipiendo diem pro die naturali, qui continet spatium viginti quatuor horarum, et sicut August. 4. de Trin. cap. 6. « nox usque ad diluculum, quo « Domini resurrectio declarata est, ad « tertium pertinet diem, quia Deus, qui « dixit de tenebris lumen clarescere, ut « per gratiam novi testamenti et partici- « pationem resurrectionis Christi audi- « remus, fuistis aliquando tenebræ, nunc

« autem lux in Domino, insinuat nobis « quodammodo, quod á nocte dies sumat « initium. Sicut enim primi dies, propter « futurum hominis lapsum, á luce in noc- « tem, ita isti propter hominis reparatio- « nem, á tenebris ad lucem computantur.» Et ita patet, quod etiam si media nocte surrexisset, posset dici eum tertia die surrexisse, intelligendo de die naturali. Nunc autem, cum diluculo surrexerit, potest dici, quod tertia die surrexit, etiam accipiendo diem artificialem, qui causatur ex præsentia solis, quia jam sol incipiebat aerem illustrare. Unde et Marc. ult. dicitur: quod *mulieres venerunt ad monumentum orto jam sole*, quod non est contrarium ei, quod Joan. dicit: *cum adhuc tenebræ essent*, ut August. dicit in lib. 3. de Cons. Evang. cap. 24. « Quia die surgente, reliquiæ tenebra- « rum tanto magis extenuantur, quanto « magis oritur lux. » Quod autem dicitur Marc. ult. *Orto jam sole*, non sic accipiendum est, tamquam jam sol ipse videretur super terram, sed tamquam de proximo adveniente in has partes.

Breviter igitur dicitur, vel negando antecedens: non enim surrexit Christus ante ortum solis, quia etsi non esset ipse sol præsens, tamen illas partes incipiebat illustrare: vel negando consequentiam; quia etiam si media nocte surrexisset, tertia die diceretur surrexisse, ratione dicta.

## ARTICULUS III.

*Utrm Christus primo resurrexerit,*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non primo resurrexerit.

1. Ille ante quem alii surrexerunt, non primo resurrexit. Sed ante Christum alii surrexerunt. Ergo Christus non primo resurrexit.

Minor prob., quia in veteri testamento per Heliam, et Helisæum aliqui resuscitati legantur, secundum illud ad Heb. 11. "Acceperunt mulieres de re- "surrectione mortuos suos." Et ipse Christus ante passionem suam tres mortuos suscitavit.

2. Matth. 27. inter alia miracula quæ in passione Christi acciderunt, narratur quod "monumenta aperta sunt, et mul- "ta corpora sanctorum, qui dormierant, "surrexerunt." Ergo Christus non fuit primus resurgentium.

3. Alii prius tempore gratiam habuerunt, quam Christus; sicut omnes Patres veteris testamenti. Ergo etiam aliqui prius ad resurrectionem corporalem pervenerunt, quam Christus.

Conseq. prob., quia sicut Christus per suam resurrexionem est causa nostræ resurrectionis, ita per suam gratiam est causa nostræ gratiæ, secundum illud Joan. 1. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit 1. Cor. 15. "Christus "resurrexit á mortuis, primitiæ dor- "mientium." Glos. interl. "Quia prius "tempore et dignitate surrexit."

*Determinatio.*

*Distinctio.* Resurrexio est reparatio de morte ad vitam. Dupliciter autem aliquis eripitur á morte, sive de morte ad vitam reparatur. Uno modo solum á morte in actu, ut scilicet aliquis vivere incipiat qualitercumque, postquam mortuus fuerat. Alio modo, ut aliquis liberetur, non solum á morte, sed etiam á necessitate, et quod plus est, á possibilitate moriendi: et hæc est vera et perfecta resurrexio, quia quamdiu aliquis vivit subjectus necessitati moriendi, quodammodo mors ei dominatur, secundum illud Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est*, idest subest necessitati moriendi *propter peccatum*. Illud etiam quod possibile est esse, secundum quid dicitur esse, idest potentialiter; et sic patet quod illa resurrectio, qua quis eripitur solum ab actuali morte, est resurrectio imperfecta. Est igitur duplex resurrectio, scilicet perfecta et imperfecta. Resurrectio

perfecta est transitus á morte ad immortalem vitam, imperfecta vero est transitus á morte ad mortalem vitam.

1.ª Conclusio. Christus est primus resurgentium resurrectione perfecta.

Prob. Ille qui primus resurgendo pervenit ad vitam pœnitus immortalem, est primus resurgentium resurrectione perfecta. Sed Christus resurgens primus pervenit ad vitam penitus immortalem. Ergo Christus est primus resurgentium resurrectione perfecta.

Minor probat., quia dicitur Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.*

2.ª Conclusio. Christus non fuit primus resurgentium resurrectione imperfecta.

Probatur. Quia quidam alii surrexerunt ante Christum, ut in primo argumento pro negativa dicitur. Et hoc ad præmostrandum quasi in quodam signo resurrectionem ipsius.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod probat secundam conclusionem. Illi enim qui suscitati in veteri testamento sunt, et illi qui suscitati sunt á Christo sic redierunt ad vitam, ut iterum morerentur; unde surrexerunt solum resurrectione imperfecta.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod de illis qui surrexerunt cum Christo, duplex est opinio: quidam enim asserunt quod redierunt ad vitam tamquam non iterum morituri, quoniam magis illis esset tormentum, si iterum morerentur, quam si non resurgerent. Et secundum hoc intelligendum erit, sicut Hier. dicit super Matth. cap. 27. quod "non ante "surrexerunt, quam resurgeret Domi- "nus." Unde et Evangel. dicit quod "exeuntes de monumentis, post resur- "rectionem ejus venerunt in sanctam "civitatem et apparuerunt multis." Secundum igitur hanc sententiam dicitur ad antecedens quod illi qui dicuntur surrexisse Matth. 27. non resurrexerunt ante Christum, sed solum monumenta aperta sunt in illo terræmotu; et postea reresurrexerunt corpora sanctorum, domino resurgente, et tandem exeuntes de monumentis apparuerunt multis.

*Augustini sententia.*

Augustinus autem in Epist. ad Evod. 99. hanc opinionem commemorans dicit: «Scio quibusdam videri morte Domini Christi jam talem resurrectionem præstitam justis, qualis nobis in fine promittitur. Qui si non iterum repositis corporibus dormierunt, videndum est quomodo intelligatur Christus primogenitus á mortuis, si eum in illa resurrectione tot præceserunt. Quod si respondetur hoc esse dictum per anticipationem, ut monumenta illo terræ motu aperta intelligantur, cum Christus in cruce penderet: resurrexisse autem corpora justorum, non tunc, sed cum ille prior resurrexisset: illud adhuc restat quod moveat, quomodo Petrus non de David, sed de Christo asseruit fuisse prædictum, carnem ejus non vidisse corruptionem per hoc quod apud eos erat monumentum David: et sic illos non convincebat, si corpus David ibi» tunc, quando Petrus ista dicebat, «jam non erat; quia etsi ante in recenti sua morte resurrexisset, nec caro ejus vidisset corruptionem, posset nihilominus illud monumentum manere. Durum autem videtur, ut David non fuerit in illa resurrectione justorum, si eis jam æterna donata est, cujus Christus ex semine commendatur. Periclitabitur etiam illud quod ad Hebr. de justis antiquis dicitur: ne sine nobis consummarentur, si jam in illa resurrectiônis incorruptione constituti sunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur.» Sic ergo August. sentire videtur quod resurrexerint iterum morituri. Ad quod etiam videtur pertinere quod Hiero. dicit loc. cit. super Matth. quod "sicut Lazarus resurrexit, sic et "multa corpora Sanctorum resurrexe- "runt, ut Dominum ostenderent resur- "gentem." Quamvis hoc in sermone de

assuptione sub dubio relinquat. Rationes tamen August. multo efficaciores videntur. Ad formam igitur secundum sententiam August. dicitur, quod illi de quibus dicitur Matth. 27. quod resurrexerunt, surrexerunt resurrectione imperfecta.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de gratia viæ, et de resurrectione. Gratia enim fuit dispositio ad gloriam, sicut ea, quæ præcesserunt Christi adventum, fuerunt præparatoria ad Christum; et ideo gratia conveniebat quod esset prius in his, qui ordinabantur ad Christum. Ea autem quæ sunt gloriæ, sive quantum ad animam, ut perfecta Dei fruitio, sive quantum ad corpus, ut est resurrectio gloriosa prius debuerunt esse in Christo, sicut in auctore gloriæ.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum Christus fuerit causa suæ resurrectionis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non fuerit causa suæ resurrectionis.

1. Quicumque suscitatur ab alio, non est suæ resurrectionis causa. Sed Christus suscitatus est ab alio. Ergo Christus non est suæ resurrectionis causa.

Minor prob., quia Act. 2. dicitur: "Quem » scilicet Christum, "Deus sus- "citavit solutis doloribus inferni.» Et Rom. 8. "Qui suscitavit Jesum Chris- "tum á mortuis, vivificavit mortalia, cor- "pora nostra etc.»

2. Ille qui suam resurrectionem meretur, eamque ab alio petit, non est suæ resurrectionis causa. Sed Christus sua passione meruit resurrectionem: ipse etiam petiit á Patre se resuscitari. Ergo Christus non fuit suæ resurrectionis causa.

Minor prob. Et quod Christus resurrectionem meruerit; quia Augustin. dicit Tract. 104. in Joan. quod "humili- "tas passionis, meritum est gloriæ re- "surrectionis.» Quod vero eam Christus petierit. Quia dicitur in Psalm. 40. "tu autem Domine miserere mei, et re- "suscita me.»

3. Corpus non potest esse causa suæ resurrectionis. Sed illud quod surrexit in Christo, fuit corpus. Ergo illud quod surrexit in Christo, non fuit causa suæ resurrectionis.

Maior probat., quia corpus non potest sibi animam, quæ est eo nobilior, reunire.

Minor prob., quia Dam. prob. in 4. lib. orthod. fid. cap. ult. quod resurrectio non est animæ, sed corporis, quod per mortem cadit.

### PRO AFFIRMATIVA.

### *Argumentum sed contra.*

Ille qui iterato animam sumit est causa suæ resurrectionis. Sed Christus iterato animam sumpsit. Ergo Christus fuit causa suæ resurrectionis.

Maior prob., quia nihil aliud est resurgere, quam iterato animam sumere. Qui igitur virtute propria animam resumit, est causa suæ resurrectionis.

Minor probat., quia Joan. 10. ipse Christus dicit: "nemo tollit animam "meam á me; sed ego pono eam, et ite- "rum sumo eam.»

### *Determinatio.*

*Distinctio.* Cum per mortem Christi non fuerit separata divinitas ab anima Christi, nec ab ejus carne, ut dictum est quæst. 50. art. 2. et 3. dupliciter tam anima Christi mortui, quam ejus caro potest considerari. Uno modo ratione divinitatis. Alio modo ratione ipsius naturæ creatæ.

1.ª Conclusio. Christus ratione divinitatis fuit causa suæ resurrectionis.

Prob. Quia secundum unitæ divinitatis virtutem, et corpus resumpsit animam, quam deposuerat, et anima resumpsit corpus, quod dimisserat. Et sic Christus ratione divinitatis propria virtute resurrexit.

Et confirmatur, quia hoc est quod dicitur 2. Cor. ult. de Christo quod

" etsi crucifixus est ex infirmitate nostra " vivit ex virtute Dei. »

2.ª Conclusio. Si consideremus corpus et animam Christi mortui, secundum virtutem naturæ creatæ non potuerunt sibi invicem reuniri; sed oportuit Christum resuscitari á Deo.

Hanc probant tria argumenta pro negati va inducta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Jam dictum est quod probat secundam conclusionem, scilicet quod Christus non sit suscitatus á seipso, secundum virtutem naturæ creatæ. Sed quatenus potest tangere primam conclusionem, dicitur ad maiorem, quod ille qui suscitatur ab alio habente aliam virtutem ab eo qui suscitatur, suscitatur ab alio. Si vero resuscitetur ab alio habente eamdem virtutem suscitandi cum eo qui suscitatur, idem est á se et ab alio suscitari. Tunc ad minorem dicitur quod eadem est divina virtus et operatio Patris et Filii; et ideo hæc duo sese consequuntur quod Christus sit suscitatus divina virtute Patris et sui ipsius.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod Christus orando petiit, et per passionem meruit suam resurrectionem, in quantum homo, non in quantum Deus.

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem quod corpus, secundum naturam creatam, non est potentius anima Christi, est tamen ea potentius secundum virtutem divinam. Quæ etiam rursus secundum virtutem divinam sibi unitam est potentior corpore secundum naturam creatam considerata. Et ideo, secundum virtutem divinam, corpus et anima mutuo se resumpserunt, non autem secundum virtutem naturæ creatæ.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 53.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem, interimas hæresim *Albanensium* dicentium, Christum non surrexisse. Hæresim hanc cum quadam tamen limitatione, ut B. Aug. refert, prædixerat *Cerinthus* sic: Christum non surrexisse, sed aliquando surrecturum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á symbolo fidei tum Apostolorum, tum Patrum *Nicæni Constantinopolitani* 1. et omnium aliorum conciliorum de hac re tractantium: quandoquidem una voce consona dixerunt ly *resurrexit*. Item á Papa *Eugenio IV.* dicente. " Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur, et prædicat; Dei filium in assumpta humanitate ex virgine vere natum, vere passum, vere mortuum, et sepultum, resurrexisse vere ex mortuis, etc. Anathematizat autem, execratur, damnat omnem hæresim contraria sapientem. » Hæc ille in constitutio. Concil. *Florent.* super unio. Jacobinorum. Item á Matth. 28. *Surrexit; sicut dixit*, etc. Marc. 16. *Surrexit, non est hic*, etc. Luc. 24. " Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit, » etc. Jo. 20. " Stetit in medio, et dixit eis: *pax vobis*. Et, cum hæc dixisset, ostendit eis manus, et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino, » etc. Item a. 1. Cor. 15. " Si Christus non resurrexit; ergo inanis est fides vestra, ergo inanis est prædicatio nostra. Ergo adhuc estis in peccatis vestris; ergo invenimur falsi testes dicentes, quia surrexit: ergo mortui non resurgent; ergo qui in Christo dormierunt, perierunt. » Et infra. *Nunc autem*, ad evitanda scilicet omnia nunc deducta inconvenientia, *Christus resurrexit, primitiæ dormientium*. Item á dictis in q. 31. art. 4. app. *Tertio* vides: quomodo ex iis etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses et *Cerinthi*, ut recitatur ar. 1. append. et *Armenorum*, ut recitatur q. 51. art. 4. append. quas ibi

videas. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á dictis in eisdem append. Item á Luc. 24. *Tertia dies est hodie*, etc. Ecce, quod etiam secundum computum duorum discipulorum Christi prima sabbati post parasceven, idest dominica, est dies tertia, in qua resurrecturum se dixerat Christus: et sic eum intellexerant in ly Matth. 20. *Tertia die resuget.* Quod enim Evangelista dicit summatim, probabile est Christum diffusius declarasse: quoniam multa Christus fecit, et (á simili) dixit, quæ non sunt scripta: ex Joan. 20. Item art. 1. Cor. 15. *Christus resurrexit tertia die secundum scripturas.* Ita scilicet, quod scripturæ prænunciaverunt et ejus resurrectionem, et diem tertiam pro resurrectione. Item á symbolo fidei catholicæ per ly *tertia die resurrexit á mortuis.* Cæterum, quia dicitur in textu ly *conveniens*, ideo de convenientia scripturarum vide 2. 2. q. 122. art. 2. app. et 140. art. 1. app. et 1. 2. q. 68. art. 4. append. Quæ tu ad propositum præsens, prout opus erit, applicabis. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus primo resurrexit. Ut 1. Corinth. 15. secundum quod cum Glos. est *in arg. cont.* Pro cujus ampliori captu scito: quod resurrectio Christi dicitur prior tempore, et dignitate non tantum ratione capitis, idest ratione, qua est caput nostrum, q. 8. art. 1. 2. sed etiam ratione humilitatis spontaneæ in passione sua. Pertinet enim ad divinam justitiam exaltare illos, qui seipsos propter Deum humiliant, art. 1. et adversa patiuntur; sicut é converso eadem justitia de superbis, et nimium delicatis sub persona cujusdam dixit, Apoc. 18. " Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum. » Porro humilitas, et dolor, et passio Christi maxime superat quorumcumque humilitatem, dolores, et passiones, q. 46. art. 4. 5. 6. 9. 10. 11. et q. 47. art. 2. et 3. Oportuit ergo secundum divinam justitiam, Christum esse primitias dormientium, idest, prius tempore, et dignitate resurgere. Item per hoc insinuatur, quod dicitur in Apocal. 1. quod *Christus est primogenitus mortuorum.* Item per hoc, quod sapientia divina, quæ Filius Dei est, dicit Eccl. 24. *In omni gente primatum tenui.* Item per dictum ad Coloss. 1. " Ipse est caput corporis Ecclesiæ: qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. » *Secundo* igitur vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Lucæ Sternb.* dicentis; Christum non resurrexisse propria virtute. Nec potest iste Lucas salvare hanc suam positionem per distinctionem factam in hoc articulo, ut patet in conclusionibus, quoniam absolute intelligit dictum suum, ut qui fundet istud super aliam suam hæresim, scilicet, quod Christus non est Deus. Nullo igitur modo secundum istum Lucam Christus propria virtute surrexit. Ad hujus igitur damnationem sufficiet vel subruere fundamentum suum, monstrando scilicet, quod Christus est Deus, vel directe ostendere, quod Christus propria virtute resurrexit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim illam damnari á Jo. 10. secundum quod cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Item á Psalm. 138. *Resurrexi, et adhuc sum tecum.* Hanc enim sententiam attribuit Ecclesia Christo, ut patet in missa resurrectionis, tamquam dicenti, quod propria virtute surrexit. Item á Joan. 2. " Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dixit de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset á mortuis, recordati sunt discipuli, » etc. Christus igitur per virtutem suam excitavit corpus á solutione illa facta á judæis, idest, resuscitavit illud á morte, quam ei judæi intulerunt. Item ab omnibus scripturis, conciliis, fideique catholicæ dogmatibus, quæ dicunt, Christum esse Deum. Nulli enim dubium est, quod Deus virtute propria agit. Consequenter ergo abundanter damnatur á dictis supra articulorum num. 17 107. 108. 139. 42. Elucid. Item á Jo. 5. *Quæcumque pater facit, hæc et filius similiter facit.* Ubi nota ly *similiter*, idest, eadem potestate, ut patet legenti, et penetranti contextum. Quia ergo pater resuscitavit propria virtute Christum: sequitur necessario, quod Christus propria virtute resuscitavit semetipsum. *Tertio* vides: quomodo, etc.

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA QUARTA,

DE QUALITATE CHRISTI RESURGENTIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de qualitate Christi resurgentis.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum post resurrectionem Christus habuerit verum corpus.

Secundo, utrum resurrexerit cum corporis integritate.

Tertio, utrum corpus ejus fuerit gloriosum.

Quarto, de cicatricibus in corpore ejus apparentibus.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christus post resurrectionem habuerit verum corpus.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus.

1. Verum corpus non potest esse simul cum alio corpore in eodem loco. Sed corpus Christi post resurrectionem fuit simul cum alio corpore in eodem loco; intravit enim ad discipulos, januis clausis, ut dicitur Joan 20. Ergo videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus.

2. Verum corpus non evanescit ab aspectu intuentium, nisi forte corrumpatur. Sed corpus Christi evanuit ab oculis discipulorum eum intuentium, ut dicitur Luc. ult. Ergo videtur quod Christus post resurrectionem non habuerit verum corpus.

3. Cujuslibet veri corporis est determinata figura. Sed corporis Christi post resurrectionem non fuit determinata figura. Ergo Christus post resurrectionem non habuit verum corpus.

Minor prob. Corpus Christi post resurrectionem apparuit discipulis in alia effigie, ut dicitur Marc. ult.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Lucæ ult. dicitur: quod Christo discipulis apparente, "conturbati et con-"territi existimabant se spiritum vi-"dere," ac si non haberet verum corpus, sed phantasticum; ad quod removendum ipse postea subdit; "palpate et "videte, quia spiritus carnem et ossa "non habet, sicut me videris habere." Ergo Christus habuit post resurrectionem suam, non phantasticum, sed verum corpus.

*Determinatio.*

Conclusio. Corpus Christi post resurrectionem, et verum corpus fuit et ejusdem naturæ, cujus fuerat prius.

Prob. Corpus Christi per mortem cecidit, in quantum scilicet fuit ab eo anima separata, quæ erat ejus formalis perfectio. Ergo oportuit ad hoc, ut esset vera Christi resurrectio, ut idem corpus Christi iterato eidem animæ uniretur. Habuit igitur verum corpus Christus post resurrectionem.

Quod autem fuerit ejusdem naturæ, prob., quia reassumpsit eamdem formam ex qua est natura ipsius corporis.

Secundo prob. conclusio. Quia si corpus Christi post resurrectionem fuisset phantasticum, non fuisset vera resurrectio, sed apparens, quod est falsum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Quidam negant minorem; dicunt enim quod corpus gloriosum, et in singulari, quod corpus Christi, post resurrectionem, non ex miraculo, sed ex conditione naturæ, potest esse in eodem loco simul cum alio corpore, et per hoc, quod sine miraculo corpus Christi post resurrectionem ad discipulos, januis clausis, intrare potuit.

*Reprobatio.*

Sed utrum hoc habere possit corpus gloriosum ex aliqua proprietate sibi indita, ut simul cum alio corpore in eodem loco existat, inferius discutietur, ubi agetur de resurrectione communi in supplem. quæst. 173. art. 2. Quo in loco probabitur hoc non posse convenire corpori glorioso ex aliqua proprietate sibi inhærente.

*Vera responsio.*

Nunc ergo, quantum ad propositum sufficit, dicendum est quod non ex natura corporis, sed potius ex virtute divinitatis unitæ, illud corpus ad discipulos (licet verum esset) januis clausis introivit. Unde August. dicit in quodam Serm. 3. in oct. Pasch. et est 149. in ord. quod quidam sic disputant. "Si corpus erat, "si hoc surrexit de sepulcro, quod pependit in ligno, quomodo per ostia "clausa intrare potuit?» Et respondet. "Si comprehendis modum non est miraculum: ubi deficit ratio, ibi incipit "fidei ædificatio.» Et super Joan. Tract. 121. dicit: "moli corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt: "ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit.» Et idem dicit Greg. in 26. in Evang. Homil. Potest igitur divina virtute verum corpus esse simul cum alio corpore in eodem loco.

Ad 2. Neg. maior. Nec enim est dispositio corporis gloriosi, ut sit spirituale, idest subjectum spiritui, ut Apost. dicit 1. Cor. 15. Ad hoc autem, ut corpus sit omnino subjectum spiritui, requiritur quod omnis actio corporis subdatur voluntati spiritus. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem visibilis in visum, ut patet in 2. de an. tex. 73. 74. Et ideo quicumque habet corpus glorificatum, in potestate sua habet videri, quando vult, et quando non vult non videri. Christus autem resurrexit ad immortalem gloriæ vitam, ut dictum est quæst. præced. artic. 3. Et ideo Christus habebat potestatem, ut videretur quando et quomodo volebat. Quod tamen habuit Christus non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute divinitatis, per quam fieri potest ut etiam corpora non gloriosa miraculose non videantur, sicut præstitum fuit Beato Bartholomæo miraculose, ut si vellet videretur; non autem videretur, si non vellet. Dicitur ergo quod Christus ab oculis discipulorum evanuit, non quia corrumperetur, aut resolveretur in aliqua invisibilia; sed quia sua voluntate desiit ab eis videri vel eo præsente, vel etiam eo discedente velociter per dotem agilitatis.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod sicut Severianus dicit in Serm. Pasch. «Nemo putet "Christum sua resurrectione sui vultus "effigiem commutasse,» quod est intelligendum quantum ad lineamenta membrorum, quia nihil dæordinatum et deforme fuerat in corpore Christi per Spiritum Sanctum concepto, quod in resurrectione corrigendum esset; accepit tamen in resurrectione gloriam claritatis. Unde idem ibidem subdit: «Sed mutatur "effigies, dum eficitur ex mortali im-"mortalis, ut hoc sit acquisivisse vul-"tus gloriam, non vultus substantiam "perdidisse.» Nec tamen illis discipulis in specie gloriosa apparuit; sed sicut in potestate ejus erat ut corpus ejus videretur, vel non videretur; ita in potestate ejus erat ut ex ejus aspectu formaretur in oculis intuentium, vel forma gloriosa, vel non gloriosa, aut etiam commixta, vel qualitercumque se habens. Modica tamen differentia sufficit ad hoc, quod aliquis videatur in aliena effigie apparere.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christi corpus resurrexerit integrum.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod corpus Christi non resurrexerit integrum.

1. Corpus Christi non resurrexit cum carne et sanguine. Ergo corpus Christi non surrexit integrum.

Antec. probat. Qui surrexit ad gloriam regni Dei, non surrexit cum carne et sanguine. Dicitur enim 1. Cor. 15. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed Christus resurrexit in gloria regni Dei. Ergo Christus non resurrexit cum carne et sanguine.

Conseq. prob., quia caro et sanguis sunt de integritate humani corporis.

2. Si corpus Christi resurrexisset integrum, sequeretur quod corpus Christi post resurrectionem esset corruptibile, quod est falsum et inconveniens. Ergo non surrexit integrum.

Conseq. prob., quia si corpus Christi resurrexisset integrum, reassumpsisset sanguinem, qui est unus ex quatuor humoribus, et eadem ratione habuisset alios humores, ex quibus causatur corruptio in corporibus animalium.

3. In quibusdam Ecclesiis reservatur pro reliquiis aliquid de sanguine Christi. Ergo corpus Christi non surrexit cum integritate omnium suarum partium.

Conseq. prob., quia corpus quod resurrexit, ascendit in cœlum: cum ergo in cœlum non ascenderit integrum, sed reliquerit aliquid de sanguine in terris; sequitur quod nec integrum resurrexit.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus discipulis loquens Luc. ult. post. ressurrect. dicit; "spiritus carnem " et ossa non habet, sicut me videtis ha- " bere. "

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. In corpore Christi resurgentis fuerunt ossa, caro et sanguis et alia hujusmodi.

Prob. primo. Quicquid ad naturam humani corporis pertinet, fuit in corpore Christi resurgentis. Sed ossa, caro et sanguis et alia hujusmodi pertinent ad naturam humani corporis. Ergo omnia ista fuerunt in corpore Christi resurgentis.

Maior prob. quia corpus Christi in resurrectione fuit ejusdem naturæ, sed alterius gloriæ, ut artic. præced. dictum est. Unde debuit habere omnia, quæ ad corporis naturam pertinent.

Secundo prob. conclusio. Quia dicere, quod corpus Christi carnem et ossa et alias hujusmodi partes humano corpori naturales non habuerit, pertinet ad errorem Euthychii Constantinopolitanæ urbis episcopi, qui dicebat quod «corpus «nostrum in illa resurrectionis gloria «erit impalpabile, et ventis, aereque «subtilius, et quod Dominus post confir- «mata corda discipulorum palpantium, «omne illud, quod in eo palpari potuit, in «subtilitatem aliquam redegit.» Quod ibidem improbat Greg. hom. 26. ad Evang. quia corpus Christi post resurrectionem immutatum non fuit, secundum illud Rom. 6. «Christus resurgens «ex mortuis, jam non moritur.» Unde et ipsemet Eutychius quæ dixerat, in morte retractavit.

Et confirmatur conclusio. Quia si inconveniens est, quod Christus alterius naturæ corpus in sua conceptione acciperet, puta celeste, sicut Valentinus asseruit; multo magis inconveniens est, quod in resurrectione alterius naturæ corpus resumpserit, quia idem corpus in resurrectione resumpsit ad vitam immortalem, quod in conceptione assumpserat ad vitam mortalem.

2.ª Conclusio. Christus resurgens reassumpsit carnem et sanguinem et alia quæ pertinent ad naturæ integritatem integraliter, absque omni diminutione.

Prob. Quia non fuisset vera resurrectio, si non fuisset redintegratum quicquid per mortem ceciderat.

Et confirmatur, quia Dominus fidelibus suis promittit dicens: Matth. 10. *Vestri autem capilli capitis, omnes numerati sunt*, et Lucæ 21. dicitur: *Capillus de capite vestro non peribit.* Ergo multo magis Christus in sua resurrectione reassumpsit integraliter et sine omni diminutione quicquid ad humani corporis integritatem pertinet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem negatur maior. Ad cujus probationem dicitur. quod caro et sanguis ibi non accipitur pro natura carnis et sanguinis, sed vel pro culpa carnis et san-

guinis sicut Greg. dicit 14. Mor. cap. 31. vel pro corruptione carnis et sanguinis; quia ut August. dicit ad Consentium de resurrect. carnis, Epist. 147. «Non ibi erit corruptio et mortalitas «carnis et sanguinis:» caro igitur secundum substantiam possidet regnum Dei, secundum quod dictum est Lucæ ult. «Spiritus carnem et ossa non habet, si«cut me videtis habere.» Caro autem, cum secundum corruptionem intelligitur, non possidebit. Unde continuo additum est in verbis Apost. *Neque corruptio incorruptelam.*

Ad 2. neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut August. dicit in eadem Epist. 146. «Fortassis accepta occasione sangui«nis, urgebit nos molestior perscruta«tor, et dicet: si sanguis in corpore «Christi resurgentis fuit, cur non pi«tuita,» idest phlegma, «cur non et fel «flavum,» idest cholera, «et fel ni«grum,» idest melancholia, «quibus «quatuor humoribus naturam carnis «temperari etiam medicinæ disciplina «testatur? sed quodlibet quisquis addat, «corruptionem addere caveat, ne suæ «fidei sanitatem, castitatemque corrum«pat; valet enim divina potentia de ista «visibili, atque tractabili natura corpo«rum, quibusdam manentibus, auferre «quas voluerit qualitates, ut absit la«bes, scilicet corruptionis, adsit effigies, «adsit motio, absit fatigatio; adsit ves«cendi potestas, absit esuriendi neces«sitas.» Fuit igitur in Christo sanguis; etsi fuerint alii humores nullam possunt in glorioso corpore corruptionem parere. Sed omnia imperfecta aberunt.

Ad 3. dicitur ad antecedens, quod totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cum ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexit, et eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem et integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Sanguis autem ille, qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxit de latere Christi; sed miraculose dicitur efflaxisse de quadam imagine Christi percussa.

## ARTICULUS III.

### *Utrum Christi corpus resurrexerit gloriosum.*

*Pro negativa.*— Videtur, quod corpus Christi non resurrexerit gloriosum.

1. Corpus, quod videtur secundum rationem coloris, non est gloriosum. Sed corpus Christi post resurrectionem visum fuit secundum rationem coloris. Ergo corpus Christi non resurrexit gloriosum.

Maior prob., quia corpora gloriosa sunt fulgentia, secundum illud Matth. 13. *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum*; corpora autem fulgida videntur, secundum rationem lucis, et non secundum rationem coloris.

2. Corpus gloriosum est incorruptibile. Sed corpus Christi non videtur fuisse incorruptibile. Ergo corpus Christi non resurrexit gloriosum.

Minor prob. Corpus palpabile non est incorruptibile. Quia dicit Greg. in Hom. 26. in Evang. quod «corrumpi necesse «est, quod palpatur, et palpari non po«test, quod non corrumpitur.» Sed corpus Christi post resurrectionem fuit palpabile, sicut ipse dicit Luc. ult. *Palpate et videte, etc.* Ergo corpus Christi post resurrectionem non fuit incorruptibile.

3. Corpus gloriosum non est animale, sed spirituale, ut patet 1. Cor. 15. Sed corpus Christi post resurrectionem videtur fuisse animale, quia cum discipulis manducavit et bibit, ut dicitur Luc. ult. et Jo. ult. Ergo videtur, quod corpus Christi non fuerit gloriosum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit ad Philipp. 3. «Reforma«bit corpus humilitatis nostræ configu«ratum corpori claritatis suæ.»

*Determinatio.*

Conclusio. Corpus Christi resurrexit gloriosum.

Prob. triplici ratione. Primo: sancti in resurrectione habebunt corpora gloriosa. Ergo multo magis corpus Christi resurgentis fuit gloriosum.

Anteced. prob., quia dicitur 1. ad Cor. cap. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.*

Conseq. prob., quia resurrectio Christi fuit exemplar et causa resurrectionis nostræ, ut ibidem dicitur, causa autem est potior causato, et exemplar exemplato.

Secundo, quia per humilitatem passionis meruit Christus gloriam resurrectionis. Unde et ipse dicebat, Joan. 12. *Nunc anima mea turbata est*, quodpertinet ad passionem; et postea subdit. *Pater clarifica nomen tuum.* In quo petit gloriam resurrectionis.

Tertio, quia sicut habitum est supra quæst. 34. artic. 4. anima Christi á principio suæ conceptionis fuit gloriosa per fruitionem divinitatis perfectam; est autem dispensative factum, ut ab anima non redundaret gloria in corpus ad hoc, quod mysterium nostræ redemptionis sua passione impleret. Et ideo peracto hoc mysterio passionis, et mortis Christi, statim anima in corpus resurrectione resumptum suam gloriam derivavit, et ita factum est corpus illud gloriosum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod quia omne quod recipitur, recipitur per modum recipientis, et gloria corporis derivatur ab anima, ut Aug. dicit in Epist. ad Diosc. quæ est 56. fulgor, seu claritas corporis gloriosi est secundum colorem humano corpori naturalem, sicut vitrum diversimode coloratum recipit splendorem ex illustratione solis secundum modum sui coloris. Sicut autem in potestate hominis glorificati est, ut corpus ejus videatur, vel non videatur, ut art. 1. dictum est, ita in potestate ejus est, quod claritas ejus videatur, vel non videatur; unde potest in suo colore sine aliqua claritate videri. Et hoc modo Christus suis discipulis post resurrectionem suam apparuit.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur ad maiorem, quod corpus palpabile non potest esse incorruptibile secundum suam naturam, potest tamen ex aliquo supernaturali fieri incorruptibile, et utrumque ostenditur; et primo quod corpus palpabile sit ex sui natura corruptibile: ad hoc enim quod corpus sit palpabile, duo requiruntur; scilicet resistentia et spissitudo. Ad rarum autem et spissum sequuntur grave et leve, calidum et frigidum et alia hujusmodi contraria, quæ sunt principia corruptionis elementarium corporum, et propterea corpus quod est palpabile humano tactu, est naturaliter corruptibile. Si autem sit aliquod corpus resistens tactui, quod non sit dispositum secundum prædictas qualitates, quæ sunt propria objecta sensus humani, sicut est corpus cœleste; tale corpus non potest dici palpabile. Corpus autem Christi post resurrectionem vere fuit ex elementis compositum habens in se tangibiles qualitates, secundum quod requirit natura corporis humani, et ideo naturaliter erat palpabile; et si nihil aliud habuisset supra corporis humani naturam, fuisset etiam corruptibile, Habuit autem aliquid aliud, quod ipsum incorruptibile reddit, non quidem naturam cœlestis corporis, ut quidam dicunt, de quo infra quæst. 173. magis inquiretur, sed gloriam redundantem ab anima beata. Quia ut Aug. dicit in Epist. ad Diosc. quæ est 56. «Tam "potenti natura Deus fecit animam, ut ex " ejus plenissima beatitudine redundet in " corpus plenitudo sanitatis, idest incor- "ruptionis vigor." Et ideo sicut Greg. dicta ibidem, "ostenditur corpus Christi " post resurrectionem fuisse ejusdem na- "turæ, sed alterius gloriæ;" et sic patet alterum, scilicet, quod palpabile potest ex supernaturali gloria fieri incorruptibile; et quod corpus Christi ex propria natura fuit palpabile et corruptibile, et quod

ex gloria quæ in ipsum ab anima resultat, efficitur incorruptibile.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod (sicut August. dicit 13. de civ. Dei c. 22.) «Salvator noster "post resurrectionem, jam quidem in "spiritali carne, sed tamen vera, cibum "et potum cum discipulis sumpsit, non "alimentorum indigentia, sed ea qua "hoc poterat potestate." Ut enim Bed. dicit cap. 97. super Lucam. "Aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius calens, illa indigentia, iste "potentia." Manducavit ergo post resurrectionem, non quasi cibo indigens; sed ut eo modo naturam corporis resurgentis astrueret. Et propter hoc non sequitur, quod fuerit corpus ejus animale, idest indigens cibo: non enim cibum sumpsit ad subveniendum indigentiæ, sed ut discipulorum fidei præberet firmitatem.

## ARTICULUS IV.

*Utrum corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod corpus Christi non debuerit cum cicatricibus resurgere.

1. Corpus Christi non debuit resurgere cum aliquo pertinente ad corruptionem. Sed cicatrices et vulnera pertinent ad quamdam corruptionem et defectum. Ergo corpus Christi non convenienter cum cicatricibus resurrexit.

Maior prob., quia *mortui resurgent incorrupti*, ut dicitur 1. ad Cor. 15.

2. Corpus Christi resurrexit integrum, ut dictum est art. 2. Ergo non videtur fuisse conveniens, quod in corpore Christi aperturæ vulnerum remanerent; etsi remanerent ibi quædam vulnerum insignia, quæ sufficiebant ad aspectum, ad quem Thomas credidit, cui dictum est, *quia vidisti me Thoma, credidisti.*

Conseq. prob., quia aperturæ vulnerum contrariantur integritati corporis, eo quod corpus per eas discontinuatur.

3. Dam. dicit in 4. lib. orthod. fid. cap. 19. quod «post resurrectionem, de «Christo dicuntur quædam vere quæ non «habuit secundum naturam, sed secun«dum dispensationem, ad certificandum «quod ipsum quod passum est corpus, «resurrexit, ut cicatrices.» Ergo videtur, quod certificatis discipulis de sua resurrectione, cicatrices ulterius non habuerit. Quia cessante causa, cessat effectus. Sed non conveniebat immutabilitati gloriæ, quod aliquid assumeret, quod perpetuo in eo non remaneret. Ergo videtur, quod non debuerit corpus cum cicatricibus in resurrectione resumere.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus dicit Thomæ Joan. 20. «Infer digitum tuum huc, et vide manus «meas, et affer manum tuam, et mitte «in latus meum, et noli esse incredulus, «sed fidelis.»

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit animam Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere.

Prob. Primo, hoc fuit conveniens propter gloriam ipsius Christi. Dicit enim Beda cap. 97. super Lucam, quod "non "ex impotentia curandi cicatrices servavit; sed ut in perpetuum victoriæ "suæ circumferat triumphum." Unde et August. dicit in 22. de civ. Dei, cap. 20. quod "fortassis in illo regno in "corporibus martyrum videbimus vul"nerum cicatrices, quæ pro Christi no"mine pertulerunt. Non enim deformi"tas in eis, sed dignitas erit; et quæ"dam, quamvis in corpore, non corpo"ris, sed virtutis pulchritudo fulgebit."

Secundo, ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suæ resurrectionis, quatenus scilicet per vulnerum signum, corpus quod ceciderat, resurrexisse crederent.

Tertio ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit semper ostendat.

Quarto, ut sua morte redemptis, quam

misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis indiciis insinuet.

Postremo, ut in judicio quam juste damnentur, ibidem denuntiet. Unde sicut August. dicit lib. 2. de Symb. cap. 8. «sciebat Christus quare cicatrices in in suo corpore servaret; sicut enim demonstravit Thomæ non credenti, nisi tangeret et videret, ita etiam inimicis vultera demonstraturus est sua, ut convincens eos veritas, dicat: ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam per vos et propter vos apêrtum est, nec tamen intrare voluistis.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod cicatrices illæ, quæ in corpore Christi permanserunt, non pertinent ad corruptionem, vel defectum; sed ad maiorem cumulum gloriæ in quantum sunt quædam virtutis insignia, et in illis locis vulnerum quidam specialis decor apparebit.

Ad 2. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod illa apertura vulnerum, quamvis sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc recompensatur per maiorem decorem gloriæ, ut corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum. Thomas autem non solum vidit, sed etiam vulnera tetigit: quia ut dicit Leo Papa, suffecit sibi ad fidem propriam vidisse quod viderat; sed nobis operatus est, ut tangeret quod videbat.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod Christus in suo corpore voluit cicatrices remanere, non solum ad certificandum discipulorum fidem; sed etiam propter alias rationes in corp. hujus art. assignatas, quæ perpetuo in corpore Christi permanebunt, ut August. Epist. 146. et Greg. 14. mor. cap. 9. dicunt.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 54.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Appellitarum* dicentium: quod Christus sine carne resurrexit, et *Passionistarum* dicentium, quod Christus post passionem non surrexit in carne. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Luc. ult. secundum quod cum applicatione est *in arg. cont.* Pro cujus ampliori notitia D. Ambrosii verba faciunt in hom. super Luc. ibi, quæ sunt hæc. "Quod tangitur, corpus est, quod palpatur, corpus est. In corpore autem resurgemus. Seminatur enim corpus animale, surget corpus spirituale: sed illud crassius, hoc subtilius. Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit?» Item á Cyrillo in epistola synodali, quæ ponitur in actis Concilii *Ephesini* 1. cap. 13. "Vera caro Christi mortem gustavit. Ita et resurgente carne ipsius rursus resurrectionem dicimus; non quia in corruptionem ceciderit (quod absit) sed, quia ejus resurrexit corpus. Cum quo etiam ipse assidet patri.» Epistolæ vero omnes synodicæ Beati Cyrilli quondam præsulis Alexandrini ad *Nestorium*, et ad Orientales, inter quas annumeratur prærecitata, approbatæ sunt á Conciliis multis generalibus: ut patet in constitution. Concilii *Florent.* super unione Armenorum. Item à Luc. 24. *Surrexit Dominus vere.* Quod dictum et Ecclesia, tamquam sæpius damnationi hæresis prædictorum subscribens, frequentissime in tempore paschali replicat in horis canonicis. Item ab eadem Ecclesia in sequentia missarum resurrectionis, per ly *scimus, Christum surrexisse ex mortuis vere.* Vere autem non surrexisset Dominus: si ejus cor-

pus resurgens non fuisset verum. Nam si corpus fuisset phantasticum, seu umbraticum, tunc phantastice tantum, seu umbratice surrexisset (ut de his omnibus ex conclusionis probatione patet). Item á Papa *Eugenio IV.* per ly *resurrexisse vere*, Vide quæst 53. art. 1. append. *Tertio* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum à scripturis, quod corpus Christi resurrexit integrum. Ut per dictum Luc. ult. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi per carnem, et ossa intelligit á simili alia hujusmodi; quæ, et in quantum sunt de veritate, et integritate humani corporis. Item per dictum Deuteronom. 32. *Dei perfecta sunt opera.* Nam inter alia opera Dei magnum locum tenet resurrectio Christi; ideo ibi significavit, quod ipsa resurrectio est perfecta. Non esset autem perfecta, nisi cum integro corpore Christus surrexisset. ut in tex. corp. patet, et consequenter ibi, si applicentur generalia ad hoc particulare, denotavit intentum, scilicet, quod corpus Christi in resurrectione fuit integrum. Cæterum, si plura volueris de integritate tali, unde et possis ad propositum istud á fortiori discurrere, ut in not. supradictum est, vide Addition. quæst. 80. artic. etc. cum Elucidat. Ubi, et articulorum num. 342. 354. 358. 263. cum Elucid. videbis plura contra illum errorem *Eutychii* tactum in text. corp. Quod si etiam placuerit, de sanguine Christi reassumpto, quomodo intelligendum sit, prolixius invenire, et consequenter absque errore, quem aliqui cæcutientes incurrerunt, luminosam doctrinam S. Thomæ introspicere, ac penetrare feliciter; vide magistrum Sylvestrum de Prierio, in lib. suo, qui prætitulatur *rosa aurea.* Ibi enim in quæst. post Evangelia totius anni explanata connexis, quæstione 30. 31. 32. 33. 34. occurret tibi, quod exoptas. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas radicitus hæresim *Origenistarum* dicentium, Christum crucifixum futuris sæculis sæpius esse crucifigendum. Et hæresim *Agarenorum* dicentium; quod Christus, postquam in fine mundi interemerit Antichristum, est moriturus. Per hoc enim quod monstratur hic, quod Christi crucifixi corpus fuit in resurrectione pro semper gloriosum, id, quod importat, esse impassibile, etc. ut in 1. Corinth. 15. patet: quod articulus iste, utpote radicem crucifixionis iteratæ efficaciter subruens, oppugnat omnino, et expugnat hæresim prædictam. Sed et quæcumque corpus Christi gloriosum post resurrectionem dicent, eamdem eadem ratione funditus reprobabunt. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, illam hæresim merito damnari á Philipp. 3. ut est *in arg. cont.* Nam corpus claritatis est idem, quod corpus gloriosum: ut patet penetranti terminos, et videnti 1. Cor. 15. Item per dictum Matth. 26. "Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei." Tunc enim cum discipulis bibit de genimine vitis novum, id est novo modo, idest non ex indigentia corporali (ut prius faciebat) sed solum ex potestate (ut in resp. ad 3.) quando post resurrectionem dixit Luc. 24. *Habetis hic aliquid, quod manducetur?* et de eo verificatum est illud Act. 10. "Nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit á mortuis:" statum autem suum post resurrectionem designat per ly *in regno Patris mei.* Porro constat, quod regnum Patris sui importat gloriam etiam corporis, idest corpus gloriosum. In cujus evidens signum est, quod dicitur Matth. 16. "Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, etc. sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo." Et cap. 17. "Post dies sex assumpsit Petrum, Jacobum, Joannem, etc. et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus, sicut sol." Vide singula. Regnum Patris sui vocat regnum suum, idest sui ipsius Christi, et regnum Patris etiam vocat gloriam Patris, et consequenter gloriam suam, idest suiipsius Christi. In hoc regno, et gloria se videndum testatur à quibusdam, idest, á Petro, Jacobo, Joanne, de quibus statim subditur ly *post dies*, etc. antequam gustent mortem, et coram his tribus tunc in corpore glorioso, multumque resplendente veraciter apparuit. Veraciter inquam: ut patet ex 2. Pet.

1. *non indoctas fabulas secuti, notam*, etc. Cum igitur transfiguratio hæc sit quoddam exemplar gloriæ habendæ per modum permanentis ab eodem Christo in regno suo, idest in statu resurrectionis (ut patet apud Sanctos Doctores) relinquitur ex prædictis manifeste pro certo concludendum; quod Christus, se habiturum post resurrectionem corpus gloriosum, significavit per hoc, quod dixit Matth. 26. se tunc, etiam quoad corpus bibens de genimine vitis, futurum actualiter esse in regno Patris sui. Item damnari merito eamdem hæresim per dictum Luc. 14. "Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum." Ac si aperte dicat. Tunc eram vobiscum, sed nunc non sum vobiscum. Hoc enim Christi dictum non potest verificari de præsentia corporali, cum ipsos apostolos tunc præsentialiter ore ad os alloqueretur, sed necessario verificari debet de statu, idest de conditione corporali: hoc est, quod ipse nunc post resurrectionem non habebat conditiones corporeas cum apostolis communes, quales prius habuerat, idest quod corpus suum non erat amplius animale, passibile, corruptibile, mortale, infirmum, sed spirituale, impassibile, incorruptibile, immortale, gloriosum. Et (ut brevius, copiosiusque dicatur) quod, licet esset ejusdem naturæ, erat tamen alterius gloriæ. Vide 1. Corinth. 15. et Addition. 82. 83. 84. 85. articulis, etc. inde penetrando, quid sit corpus esse, non per modum transeuntis, sed permanentis glorificatum: quantæ damnationis digna, insuper et quantæ ignorantiæ plena sit hæresis prænarrata, non sine magna admiratione conspicies. Quod si addideris ly "Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur," Rom. 6. et ly "neque ut sæpe offerat semetipsum, semel enim oblatus est," Hebr. 9. et ly "una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos," Hebr. 10. tunc directissime eamdem condemnatam á scripturis tam apertis invenies, ut nihil supra. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Apellitarum*, et *Passionistarum*, quæ recitata est in ar. 2. app. Per hoc enim quod cum cicatricibus resurrexit Christus, patet, eum surrexisse in carne, quoniam non nisi in carne cicatrices vulnerum sunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á dictis ibi, scilicet ar. 1. append. Item per dictum Joan. 20. quod ponitur *in arg. cont.* Ubi et notabis, quam bonus sit Christus *his, qui recto sunt corde*, Psalm. 72. quando tam bonus est etiam distortis corde (qualis tunc Thomas fuerat). Porro propter ly *conveniens* in conclusione dictum: vide q. 41. art. 1. corol. post conclusio. et appendices multorum sequentium articulorum qui de convenientia alicujus operis circa Christum facti inquirunt. Sed de scripturarum convenientia, ut, pro quanto oportet, huc applices, vide 2. 2. q. 122. ar. 2. app. et q. 140. art. 1. app. et q. 179. ar. 2. app. et 1. 2. q. 68. ar. 4. app. *Tertio* vides: etc.

---

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA QUINTA,

### DE MANIFESTATIONE RESURRECTIONIS, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de manifestatione resurrectionis Christi.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum Christi resurrectio omnibus manifestari debuerit, an solum quibusdam specialiter personis.

Secundo, utrum fuisset conveniens quod eis videntibus resurgeret.

Tertio, utrum post resurrectionem debuerit cum suis discipulis conversari.

Quarto, utrum fuerit conveniens quod suis discipulis in aliena effigie appareret.

Quinto, utrum resurrectionem suam argumentis manifestare debuerit.

Sexto, de sufficientia illorum argumentorum.

## ARTICULUS I.

*Utrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari.

1. Christi passio fuit omnibus manifestata, eo publice patiente. Ergo gloria resurrectionis ipsius omnibus manifestari debuit.

Conseq. probat., quia sicut publico peccato debetur publica pœna, secundum illud 1. Tim. 5 *Peccantes coram omnibus argue*, ita merito publico debetur publicum præmium. Cum ergo *claritas resurrectionis sit præmium humilitatis passionis*, ut August. dicit super Joan. tract. 104. videtur, quod sicut passio fuit publica, debuerit et publica esse resurrectio.

2. Illud, quod ad communem utilitatem pertinet, omnibus debet manifestari. Sed resurrectio Christi pertinet ad communem utilitatem. Ergo resurrexio Christi omnibus debuit manifestari, et non quibusdam specialiter.

Minor prob., quia sicut passio Christi ordinatur ad nostram salutem, ita et ejus resurrectio; secundum illud Rom. 4. *Resurrexit propter justificationem nostram.*

3. Mulieres non poterant ferre testimonium de resurrectione Christi. Ergo videtur quod inconvenienter resurrectio Christi manifestata fuerit primo mulieribus, quam aliis communiter.

Anteced. prob., quia testimonium resurrectionis Christi debebat ferri publice prædicando, quod mulieri non permittitur, dicitur enim Cor. 1. c. 14. «Mulieres in Ecclesiis taceant,» et 1. Tim. 2. «Docere mulieri non permitto.

Conseq. probat., quia illi quibus manifestata est resurrectio Christi, fuerunt resurrectionis testes. Unde dicitur Act. 3. «Quem Deus suscitavit á mortuis, cujus nos testes sumus.»

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur Act. 10. "Quem Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus "præordinatis á Deo."

*Determinatio.*

Conclusio. Resurrectio Christi non debuit primo omni populo manifestari, sed quibusdam quorum testimonio deferretur in aliorum notitiam.

Prob. Ea, quæ per divinam revelationem ex speciali munere gratiæ cognoscuntur, non immediate omnibus manifestantur, sed quibusdam immediate, per quos ad aliorum notitiam deferantur. Sed resurrectio Christi cognita fuit ex speciali munere gratiæ, et ex divina revelatione. Ergo non debuit primo omnibus manifestari, sed tantum aliquibus, per quos ad aliorum notitiam deveniret.

Maior prob. ex differentia, quæ est inter ea, quæ communi lege naturæ innotescunt, et quæ ex munere gratiæ manifestantur. Eorum enim quæ cognoscuntur, quædam cognoscuntur communi lege naturæ, quædam autem cognoscuntur ex speciali munere gratiæ, sicut sunt ea quæ divinitus revelantur; quorum quidem, ut Dion. dicit in lib. cœl. hierarquiæ cap. 4. «Hæc est lex divinitus instituta, ut á Deo immediate superioribus revelentur; quibus "mediantibus deferantur ad inferiores:» sicut patet in ordinatione cœlestium spirituum: ea igitur quæ munere gratiæ cognoscuntur, non omnibus communiter immediate manifestantur.

Minor prob. Ea quæ pertinent ad futuram gloriam, communem hominum cognitionem excedunt, secundum illud Isaiæ 64. "Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus "te." Et ideo ejusmodi ab homine non cognoscuntur, nisi divinitus revelata. Sicut Apost. dicit 1. Cor. 2. «Nobis revelabit Deus per spiritum suum.» Sed Christi resurrectio pertinet ad futuram

gloriam; resurrexit enim Christus gloriosa resurrectione. Ergo resurrectio Christi ex speciali gratiæ munere fuit hominibus manifestata per divinam revelationem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod non est eadem ratio de passione, et de resurrectione. Pasio enim Christi peracta est in corpore adhuc habente naturam passibilem, quæ communi lege nota est omnibus, et ideo passio Christi omni populo immediate manifestari potuit. Resurrectio autem Christi facta est *per gloriam Patris*, ut dicitur Rom. 6. et ideo immediate manifestata est, non omnibus, sed aliquibus tantum.

Ad id autem quod dicitur, quod publice peccantibus pœna publica imponitur, intelligendum est de pœna præsentis vitæ; et similiter publica merita præsentis vitæ publice præmiari oportet: ut alii provocentur, vel terreantur. Sed pœnæ et præmia futuræ vitæ, non publice omnibus manifestantur, sed specialiter illis, qui ad hoc præordinati sunt á Deo.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod illud quod est ad communem utilitatem, debet omnibus manifestari, vel immediate omnibus, si sit ex cognitis communi lege naturæ, vel aliquibus, per quos aliis manifestetur, si sit ex cognitis per divinam revelationem. Tunc ad minorem dicitur quod resurrectio Christi, sicut est ad communem omnium salutem, ita in notitiam omnium pervenit: non quidem sic, quod immediate omnibus manifestaretur; sed quibusdam, per quorum testimonium deferretur ad omnes.

Ad 3. Neg. antec. Ad prob. dicitur quod mulieri non permittitur publice docere in Ecclesia, permittitur tamen ei privatim aliquos domesticos admonitione instruere: et ideo, sicut Ambrosius dicit super Lucam cap. ult. *Ad eos fœmina mittitur, qui domestici sunt*, non autem mittitur ad hoc quod resurrectionis testimonium ferat ad populum.

Apparuit autem Dominus resurgens ex mortuis primo mulieribus, ut mulier, quæ primo nuncium mortis ad hominem detulit, primo etiam vitam resurgentis Christi in gloria nunciaret: unde Cyrillus dicit lib. 12. in Joan. cap. 20. « Fœmina, quæ quondam mortis fuit ministra « venerandum Resurrectionis mysterium « prima percipit et nunciat. Adeptum « est igitur fœmineum genus, et ignominiæ absolutionem, et maledictionis « repudium. »

Secundo, ut per hoc ostenderetur quod quantum ad statum gloriæ pertinet, nullum detrimentum patietur fœmineus sexus; sed si maiori charitate ferbuerint, maiori etiam gloria ex visione divina potientur: eo quod mulieres quæ Dominum arctius amaverunt, in tantum ut ab ejus sepulcro discipulis recedentibus, non recederent, primo viderunt Dominum in gloria resurgentem.

## ARTICULUS II.

*Utrum fuisset conveniens quod discipuli viderent Christum resurgere.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, fuisse conveniens quod discipuli viderent Christum resurgere.

1. Illi ad quos pertinere debebat resurrectionem Christi testificari, conveniens fuisset ut resurrectionem Christi propriis oculis viderent. Sed ad discipulos pertinebat resurrectionem Christi testificari. Ergo conveniens fuisset ut ipsam resurrectionem Christi viderent.

Maior prob., quia certissimum est testimonium de visu.

Minor probat., quia dicitur Act. 4. « Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi « Domini nostri. »

2. Discipuli ad habendam fidei certitudinem ascensionem Christi viderunt: *videntibus enim illis elevatus est*, Act. 1. Ergo videtur quod videntibus discipulis, debuerit Christus resurgere.

Conseq. prob., quia etiam de resur-

rectione Christi oportet certam fidem habere.

3. Discipulis videntibus, Dominus Lazarum resuscitavit. Ergo discipulis videntibus debuit Christus resurgere.

Conseq. prob., quia resurrectio Lazari quoddam indicium fuit futuræ resurrectionis Christi.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Marci ult. dicitur: « Resurgens Dominus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, quæ non vidit eum resurgere.» Sed cum eum quæreret in sepulcro, audivit ab Angelo: surrexit, non est hic. Ergo nullus vidit eum resurgere.

*Determinatio.*

Conclusio. Christi resurrectio non debuit immediate ab hominibus videri, sed ab Angelis nunciari.

Prob. Ea quæ supra homines sunt, debent hominibus per Angelos revelari, Sed resurrectio Christi supra homines fuit. Ergo resurrectio Christi non debuit ab hominibus videri, sed hominibus ab Angelis revelari.

Maior prob., quia ea quæ á Deo sunt ordinata sunt. Est autem hic ordo divinitus institutus, ut ea quæ supra homines sunt, hominibus ab Angelis revelentur, ut patet per Dionysium cap. 4. cœlestis hier.

Minor prob., quia Christus resurgens non rediit ad vitam communiter hominibus notam, sed ad vitam quamdam immortalem, et Deo conformem, secundum illud ad Rom. 6. *Quod enim vivit, vivit Deo.*

Et confirmatur conclusio, quia Hilarius dicit super Matth. Can. ult. quod ideo Angelus prior resurrectionis est index, ut quodam famulatu paternæ voluntatis resurrectio nunciaretur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod Apostoli potuerunt testificari Christi resurrectionem, etiam de visu, quia Christum post resurrectionem viventem oculata fide viderunt, quem mortuum sciverant. Sed sicut ad visionem beatam pervenitur per auditum fidei, ita ad visionem Christi resurgentis pervenerunt homines per ea quæ prius ab Angelis audierunt.

Ad 2. Negat. conseq. non enim est eadem ratio de ascensione et resurrectione: ascensio enim quantum ad terminum á quo, non transcendebat communem hominum notitiam, sed solum quantum ad terminum ad quem: et ideo discipuli potuerunt videre ascensionem Christi, quantum ad terminum á quo, idest secundum quod elevabatur á terra; non autem viderunt ipsam, quantum ad terminum ad quem, quia non viderunt quomodo reciperetur in cœlo; resurrectio autem Christi transcendebat communem notitiam, et quantum ad terminum á quo, secundum quod anima rediit ab inferis, et corpus de sepulcro clauso exivit, et quantum ad terminum ad quem, secundum quod est adeptus vitam gloriosam: et ideo non debuit resurrectio sic fieri, ut ab hominibus videretur.

Ad 3. Neg. conseq. Lazarus enim resuscitatus est, ut rediret ad vitam quam prius habuerat, quæ communem notitiam hominum non transcendit; et ideo non est eadem ratio de resurrectione Lazari ex una parte, et de resurrectione Christi ex altera. Et licet Lazari resurrectio fuerit quoddam resurrectionis Christi indicium, non tamen est necesse ut in omnibus resurrectioni Christi assimiletur.

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus post resurrectionem debuerit continue cum discipulis conversari.*

*Pro affirmativa.* — Videtur, quod Christus post resurrectionem debuerit continue cum discipulis conversari.

1. Christus ad hoc discipulis post resurrectionem apparuit, ut eos de fide

resurrectionis certificaret, et consolationem perturbatis afferret, secundum illud Joan. 20. *Gravisi sunt discipuli viso Domino.* Ergo videtur quod cum eis continue debuerit conversari.

Conseq. probat., quia magis fuissent certificati et consolati, si eis continue suam præsentiam exhibuisset.

2. Christus resurgens á mortuis, non statim ascendit in cœlum, sed post dies quadraginta, ut habetur Act. 1. Ergo videtur quod in illis quadraginta diebus debuerit continue cum discipulis conversari.

Conseq. prob., quia illo tempore intermedio, in nullo alio loco potuit convenientius esse quam ubi discipuli ejus erant pariter congregati.

3. Ipso die resurrectionis dominicæ quinquies Christus apparuisse legitur, ut Augustinus dicit in libro 3. de consensu Evang. cap. ult. Primo quidem, mulieribus ad monumentum: secundo, eisdem regredientibus á monumento in itinere: tertio, Petro: quarto, duobus discipulis euntibus in castellum: quinto, pluribus in Hierusalem, ubi non erat Thomas. Ergo etiam videtur, quod et aliis diebus ante suam ascensionem ad minus pluries debuerit apparere.

4. Dominus ante passionem suam dixerat discipulis, Matth. 26. "Postquam "resurrexero, præcedam vos in Gali-"læam," quod etiam angelus et ipsemet Dominus post resurrectionem mulieribus dixit: et tamen antea in Hierusalem ab eis visus est: et ipso die resurrectionis, ut dictum est, et etiam die octavo, ut legitur Joan. 20. Ergo non videtur, quod convenienti modo post resurrectionem fuerit cum discipulis conversatus.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 20 dicitur, quod *post dies octo Christus discipulis apparuit.* Ergo non continue conversabatur cum eis.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus non debuit post resurrectionem continue cum discipulis conversari, sed eis aliquando apparere.

Probatur. Duo erant discipulis circa resurrectionem Christi manifestanda, scilicet veritas resurrectionis, et gloria resurgentis. Ergo non debuit Christus cum discipulis continue conversari; sed aliquoties eis apparere.

Conseq. prob., quia ad veritatem resurrectionis manifestandam sufficit quod pluries eis apparuit et cum eis familiariter est locutus, et comedit, et bibit, et se eis palpandum præbuit: ad gloriam autem resurgentis manifestandam noluit continue conversari cum eis, sicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat: unde Lucæ ult. dicit eis, « Hæc sunt verba "quæ locutus sum ad vos, cum adhuc "essem vobiscum. » Tunc quidem erat cum eis præsentia corporali; sed ante cum eis fuerat, non solum corporali præsentia, sed etiam per similitudinem mortalitatis. Unde Beda cap. 97. in Luc. prædicta verba exponens dicit: « Cum "adhuc essem vobiscum, idest cum "adhuc essem in carne mortali, in qua "estis et vos. Tunc quidem in eadem "carne suscitatus erat, sed cum illis in "eadem mortalitate non erat. »

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad prob. negatur assumptum: frequens enim Christi apparitio sufficiebat ad certificandum discipulos de veritate resurrectionis; conversatio autem continua eos in errorem ducere potuisset, ut ad similem vitam eum resurrexisse crederent, quam prius habuerat. Consolationem autem de continua sua præsentia eis in alia vita repromisit, secundum illud Joan. 16. «Iterum videbo vos, et gaudium vestrum "nemo tollet á vobis.»

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod Christus non ideo non continue conversabatur cum discipulis, quia reputaret se alibi convenientius esse; sed quia hoc discipulis instruendis conve-

nientius judicabat, si non continue conversaretur cum eis ratione prædicta: incognitum autem est quibus locis intermedio tempore corporaliter fuerit, cum hoc scriptura non tradat, et in omni loco sit dominatio ejus.

Ad 3. Neg. conseq. non enim est eadem ratio de frequentia apparendi prima die et aliis diebus: ideo enim prima die frequentius apparuit, quia per plura indicia erant discipuli admonendi, ut á principio fidem resurrectionis reciperent. Postquam autem jam eam receperant, non oportebat eos jam certificatos tam frequentibus apparitionibus instrui: unde in Evangelio non legitur quod post primum diem eis apparuerit, nisi quinquies; ut enim Augustinus dicit libro 3. de consensu Evang. post primas quinque apparitiones, sexto eis apparuit, quando vidit eum Thomas post dies octo: septimo, ad Mare Tyberiadis in captione piscium: octavo, in monte Galilææ, secundum Matthæum: nono, quod dicit Marcus *novissime recumbentibus*: decimo, ipsa die ascensionis, non jam in terra, sed elevatus in nube, cum in cœlum ascenderet. Sed non omnia scripta sunt, sicut Joannes fatetur: crebra enim erat ejus cum eis conversatio, priusquam ascendisset in cœlum, et hoc ad consolationem ipsorum; unde 1. ad Cor. 15. dicitur, quod "visus est plusquam quingentibus fratribus simul, deinde visus est "Jacobo:" de quibus apparitionibus in Evangelio mentio non habetur.

Ad 4. dicitur ad antecedens, multipliciter: primo, quod sicut Chrysostomus dicit Homil. 83. in Matth. exponens illud, quod dicitur Matth. 26. *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam*: "non (inquit) in longinquam quamdam "regionem, ut eis appareat, vadit; sed "in ipsa gente et ipsis fere regionibus "in quibus cum eo plurimum fuerant "conversati, ut et hinc crederent quoniam "qui crucifixus est, ipse est qui et re"surrexit." Propter hoc etiam in Galilæam se ire dicit, ut à timore Judæorum liberarentur. Sic ergo, ut Ambrosius dicit super Luc. "Dominus manda"verat discipulis ut in Galilæa eum vi"derent; sed illis ob metum intra con"clave residentibus, ipse primum se ob"tulit; nec hoc est promissi transgres"sio; sed potius festinata ex benignita"te impletio: postmodum vero confir"matis animis, illi Galilæam petierunt."

Vel nihil obstat, si dicamus pauciores intra conclave, et complures in monte fuisse: ut enim Eusebius dicit, "duo "Evangelistæ, scilicet Lucas et Joan"nes, solis undecim hunc scribunt ap"paruisse in Hierusalem; cæteri vero "duo in Galilæam properare, non solis "undecim, sed universis discipulis et "fratribus, dixerunt Angelum et salva"torem jussisse. De quibus Paulus me"minit, dicens: deinde apparuit plus"quam quingentis fratribus simul."

Est autem verior solutio, quod prius in Hierusalem latitantibus semel aut bis visus est, ad eorum consolationem: in Galilæa vero, non clam, aut semel, aut bis; sed cum multa potestate ostensionem sui fecit, præbens se eis viventem post passionem in signis multis, ut Lucas testatur in Actibus, etc.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum Christus debuerit discipulis in alia effigie apparere.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non debuerit discipulis in alia effigie apparere.

1. Ille in quo fuit una sola effigies, non potest secundum veritatem, sed ficte solum in alia effigie apparere. Sed in Christo non fuit nisi una effigies. Ergo Christus non potuit secundum veritatem in alia effigie apparere; sed si apparuit, ejus apparitio fuit fictio: quod est inconveniens dicere.

Maior prob., quia non potest apparere, secundum veritatem, nisi quod est.

Inconveniens prob., quia Augustinus

dicit lib. 83. Qq. qu. 13. *Si fallit Christus, veritas non est.*

Aliter. Si Christus apparuisset in alia effigie, ejus apparitio non fuisset vera, sed fictitia: quod est inconveniens. Ergo Christus non apparuit in alia effigie.

Conseq. prob. Qui non habet nisi unam figuram, non potest secundum veritatem in alia effigie apparere. Sed Christus habuit solam unam effigiem. Ergo non potuit vere in alia effigie apparere.

Inconveniens, sive falsitas consequentis probatur ex Augustino, ut in alia forma.

2. Præstigiosa apparitio non convenit Christo. Sed apparitio quæ fit in alia effigie, est præstigiosa. Ergo apparere in alia effigie non convenit Christo.

Maior prob., quia præstigia fiunt magicis artibus, quæ Christo non conveniunt, secundum illud 2. ad Cor. 9. *Quæ conventio Christi ad Belial?*

Minor prob., quia nihil potest in alia effigie apparere quam habet, nisi oculi intuentium aliquibus præstigiis detineantur.

3. «Si vel unum medacium in Sacra « Scriptura recipiatur, infirmabitur tota « Sacræ Scripturæ auctoritas,» ut Augustinus dicit in Epist. 8. et 9. Ergo, si vel in una apparitione Christus discipulis apparuit, aliter quam esset, infirmabitur quicquid discipuli post resurrectionem viderunt in Christo: quod est inconveniens. Ergo non debuit Christus in alia effigie discipulis apparere.

Conseq. probat., quia sicut per Sacram Scripturam nostra fides certificatur, ita discipuli certificati sunt de fide resurrectionis per Christi apparitiones.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Marc. ult. dicitur: *Post hæc duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in villam.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenienter Christus apparuit post resurrectionem suam quibusdam in sua effigie, quibusdam vero in alia effigie.

Prob. Divina innotescunt hominibus diversimode, secundum quod diversimode sunt affecti illi, quibus innotescunt: illi enim, qui habent mentem bene dispositam, secundum veritatem divinam percipiunt; illi vero, qui non habent mentem bene dispositam, divina percipiunt cum quadam confusione dubietatis vel erroris. "Animalis enim homo non " percipit, ea quæ sunt spiritus Dei," ut dicitur 1. Cor. 2. Sed resurrectio Christi manifestanda fuit hominibus per modum, quo eis divina revelantur. Ergo convenienter Christus post resurrectionem suam, quibusdam qui erant ad bene credendum dispositi, apparuit in sua effigie; illis autem qui jam videbantur circa fidem tepescere, ut erant duo discipuli euntes in villam, qui propterea dicebant: "nos autem sperabamus quia ip- " se esset redempturus Israel,» in alia effigie apparuit.

Et confirmatur hæc ratio auctoritate Greg. dicentis Hom. 23. in Evang. quod Christus " talem se exhibuit eis in cor- " pore, qualis apud illos erat in mente. " Quia enim adhuc in eorum cordibus pe- " regrinus erat à fide, ire se longius fin- " xit," scilicet ac si esset peregrinus. Convenienter igitur Dominus, secundum varias diversorum, quibus apparebat, dispositiones, in diversa effigie apparebat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Conceditur id, quod in priori discursu concluditur, scilicet, quod Christus apparuerit secundum fictam effigiem: non enim discipuli, quibus apparuit Christus in alia effigie, veram Christi effigiem intuebantur, sed fictam, secundum quod ab eis videbatur. Negatur autem quod hoc fuerit inconveniens; fuit enim rationabile, ut in corpore ostensum est. Ad probationem dicitur, quod" non "omne quod fingimus, mendacium est,» ut

August. dicit in lib. 2. de quæst. Evang. q. ult. "sed quando illud fingimus, "quod nihil significat, tunc est menda- "cium: cum autem fictio nostra refertur "in aliquam significationem, non est "mendacium, sed aliqua figura verita- "tis; alioquin omnia, quæ à sapientibus, "et á sanctis viris, vel etiam ab ipso "Domino figurate dicta sunt, mendacia "deputabuntur, quia secundum usita- "tam intellectum, non consistit veritas "in talibus dictis. Sicut autem finguntur dicta, ita finguntur facta sine men- "dacio ad aliquam rem significandam." Et ita factum est in dicta apparitione, ut dictum est. Et ad aliam formam negatur, quod consequens sit inconveniens. Fuit enim apparitio Christi vera; effigies tamen, in qua apparuit, ficta fuit. Ad probationem dicitur, sicut in responsione ad aliam formam dictum est.

Ad 2. Dicitur, quod sicut August. dicit in lib. de consensu Evang. cap. 25. "Dominus poterat transformare carnem "suam, ut alia revera esset effigies ab "illa quam solebant discipuli intueri, "quando quidem et ante passionem suam "transformatus est in monte, ut facies "ejus claresceret, sicut sol." Et secundum hoc ad formam argumenti dici posset negando minorem; corpus enim gloriosum Christi poterat apparere in alia effigie absque ullo præstigio.

Sed tamen non sic Christus apparuit illis discipulis in alia effigie, quasi ipse effigiem immutaverit, quia dicitur Lucæ ult. quod "oculi eorum tenebantur, ne "eum agnoscerent;" et non quod Dominus effigiem sui corporis immutaverit. Unde ipse August. dicit, quod "non in- "congrue accipimus hoc impedimentum "in oculis eorum á Satana factum fuisse; "ne agnosceretur Jesus." Et secundum hoc ad formam dicitur ad maiorem, quod præstigiosa apparitio non convenit Christo, quasi Christus præstigium aliquod fecerit: non tamen inconvenit quod Dominus aliquod Satanæ præstigium intervenire permiserit, ut scilicet per illud tenerentur oculi discipulorum, ne eum agnoscerent.

Ad 3. Dicitur, quod consequentia vera esset, si discipuli ab alienæ effigiei aspectu non fuissent reducti ad videndum vere Christi effigiem, sed quia per alienam effigiem ad veræ effigiei visionem reducti sunt, non habet consequentia veritatem. Sicut enim August. dicit ibid. "Tantum á Christo facta est pro- "missio," ut scilicet prædicto modo oculi eorum tenerentur "usque ad frac- "tionem panis, ut unitate corporis ejus "participata removeri intelligatur im- "pedimentum inimici, ut Christus pos- "sit agnosci." Unde ibidem subditur, quod "aperti sunt oculi eorum, et cog- "noverunt eum; non quod antea clausis "oculis ambularent, sed inerat aliquid, "quo non sinerentur congnoscere, quod "videbant," quod scilicet caligo, et aliquis humor efficere solet.

## ARTICULUS V.

### *Utrum Christus veritatem resurrectionis debuerit argumentis declarare.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus veritatem resurrectionis non debuerit argumentis declarare.

1. Ubi quæritur fides, tollenda sunt argumenta, ut Amb. dicit in lib. 1. de fide. cap. 5. Sed circa resurrectionem Christi quæritur fides. Ergo circa resurrectionem Christi non habent locum argumenta.

2. Ad Christum non pertinebat meritum evacuare. Ergo ad eum non pertinebat resurrectionem per argumenta confirmare.

Conseq. prob., quia Greg. dicit Hom 26. *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.*

3. Christus venit in mundum, ut per eum homines beatitudinem adipiscantur, secundum illud Joan. 10. *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Ergo Christus non debuit per aliqua ar-

gumenta resurrectionem suam manifestare.

Conseq. prob., quia per hujusmodi ostensiones argumentorum videtur humanæ beatitudini impedimentum præstari: dicitur enim Joan. 20. *Beati, qui non viderunt et crediderunt.*

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Act. 1. dicitur, quod Christus apparuit discipulis *per dies quadraginta in multis argumentis, loquens de regno Dei.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* Argumentum dicitur dupliciter. Quandoque dicitur argumentum quæcumque ratio rei dubiæ faciens fidem. Quandoque vero dicitur argumentum aliquod sensibile signum, quod inducitur ad alicujus veritatis manifestationem, quomodo aliquando etiam Arist. utitur nomine argumenti.

1.ª Conclusio. Christus non manifestavit discipulis resurrectionem suam argumentis, secundum quod argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem.

Prob. Nam cum omnis argumentativa ratio procedat ex aliquibus principiis: aut principia ex quibus processisset ratio ad probandam dominicam resurrectionem, fuissent discipulis nota, aut ignota. Non potest dici, quod fuerint ignota, quia ex hujusmodi principiis non potuisset haberi ratio manifestativa alicujus ignoti; ex ignotis enim non manifestatur aliquod ignotum. Si vero hujusmodi principia fuissent discipulis nota, non transcendissent humanam rationem; et ita non essent efficacia ad fidem resurrectionis astruendam. Et hoc quia oportet principia ex eodem genere assumere cum eo quod per principia probandum est, ut dicitur 1. Post. tex. 20. Nulla igitur principia haberi poterant, ex quibus procederet ratio ad dominicæ resurrectionis veritatem astruendam.

2.ª Conclusio. Christus probavit discipulis suam resurrectionem per auctoritatem Sacræ Scripturæ, quæ est fidei fundamentum.

Prob. Quia dixit eis: *oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, et Psalmis, et prophetis de me*, ut dicitur Lucæ. cap. ult.

3.ª Conclusio. Christus suam resurrectionem argumentis declaravit, in quantum per quædam evidentia signa se vere resurrexisse ostendit.

Manifestatur: Nam ubi nos habemus Act. 1. *in multis argumentis*, in Græco ponitur, *temnirion*, quod significat signum evidens ad probandum.

4.ª Conclusio. Convenienter Dominus manifestavit discipulis suis resurrectionem suam per evidentia signa.

Prob. Propter duo enim hoc convenienter factum est. Primo, quia non erant corda eorum disposita ad hoc quod de facili fidem resurrectionis acciperent. Unde ipse dicit Luc. ult. « O stulti, et " tardi corde ad credendum » et Marc. ult. « Exprobravit illis incredulitatem " eorum, et duritiam cordis. »

Secundo, ut per hujusmodi signa eis ostensa, efficacius eorum testimonium redderetur, secundum illud 1. Jo. 1. " Quod vidimus et audivimus, et manus " nostræ contrectaverunt, hoc testamur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod Amb. ibi loquitur de argumentis, secundum rationem humanam procedentibus, quæ invalida sunt ad ea, quæ sunt fidei ostendenda.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod meritum fidei est ex hoc quod homo ex mandato Dei credit quod non videt, unde illa sola ratio meritum excludit, quæ facit videre per scientiam illud quod credendum proponitur, et talis est ratio demonstrativa: hujusmodi autem rationes non induxit Christus ad declarandam resurrectionem suam.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. negatur assumptum. Meritum enim beatitudinis, quod causat fides, non totaliter

excluditur per hoc, quod inducuntur aliqua signa ad ea quæ sunt fidei, nisi homo vellet credere tantum ea quæ videt. Sed quod aliquis credat ea quæ non videt, per aliqua signa visa, non totaliter fidem, nec meritum ejus evacuat. Sicut Thomas, cui dictum est: *Quia vidisti me Thoma credisti*, aliud vidit et aliud credidit; vidit vulnera, et credidit Deum. Est tamen perfectioris fidei ille, qui non requirit hujusmodi auxilia ad arguendum. Unde ad arguendum defectum fidei in quibusdam, Dominus dicit Joan. 4. *Nisi signa, et prodigia videritis, non creditis.* Et secundum hoc intelligi potest quod illi, qui sunt tam prompti animi ut credant Deo, etiam signis non visis, sint beati per comparationem ad illos, qui non credunt, nisi talia videant. Et quia discipuli adhuc non erant dispositi ad tantam fidei perfectionem, convenienter inducti sunt ad credendum per evidentia signa. Et sic patet quod nullum impedimentum humanæ saluti oppositum est, dum Christus suam resurrectionem per signa monstravit; immo ex hoc plurimum utilitatis fides nostra accepit, dum evidentia resurrectionis Christi signa discipulis sunt ostensa.

## ARTICULUS VI.

*Utrum argumenta quæ Christus induxit, sufficienter manifestaverint resurrectionem ejus.*

*Pro negativa.*—Videtur, quod argumenta quæ Christus induxit non sufficienter manifestaverint veritatem resurrectionis ejus.

1. Nihil ostendit Christus discipulis post resurrectionem, quod etiam Angeli hominibus apparentes non ostenderint, vel ostendere non potuerint. Ergo signa quæ Christus discipulis exhibuit, non fuerunt sufficientia ad ejus resurrectionem manifestandam.

Anteced prob. Nam Angeli frequenter in humana effigie se hominibus ostenderunt et cum hominibus loquebantur et conversabantur et commedebant, ac si essent homines veri. Sicut patet Gen. 18. de Angelis, quos Abraham suscepit hospitio, et in libro Tobiæ de Angelo, qui eum duxit et reduxit.

Conseq. prob., quia Angeli non habent vera corpora naturaliter sibi unita; quod requiritur ad resurrectionem. Unde si Dominus non ostendit alia signa vitæ, quam ea quæ ostenderunt, vel ostendere possunt Angeli, non sufficienter ostendit veritatem suæ resurrectionis.

2. Christus ostendit discipulis suis quædam quæ videntur esse contraria naturæ humanæ, sicut quod ab oculis eorum evanuit, et quod ad eos januis clausis intravit. Quædam vero videntur esse contraria gloriæ, puta quod manducavit et bibit, et quod habuit vulnerum cicatrices. Ergo videtur quod illa argumenta non fuerint sufficientia, neque convenientia ad fidem resurrectionis ostendendam.

Conseq. prob., quia Christus resurrexit resurrectione gloriosa, idest habens simul humanam naturam cum gloria. Unde argumenta, per quæ veritatem gloriosæ resurrectionis ostendere volebat, non debuerunt esse contraria gloriæ, nec veritati humanæ naturæ.

3. Corpus Christi non erat tale post resurrectionem, quod tangi deberet ab homine mortali, unde et ipse dicit: Magdalenæ. Joan. 20. «Noli me tangere, «nondum enim ascendi ad Patrem meum.» Ergo non fuit conveniens, quod ad manifestandam veritatem resurrectionis suæ seipsum discipulis exhiberet palpandum.

4. Christus nullo argumento post resurrectionem ostendit corporis glorificati, in quo resurrexit, claritatem. Ergo videtur quod insufficientia fuerint illa argumenta ad manifestandam qualitatem resurrectionis Christi.

Conseq. prob., quia inter dotes glorificati corporis, præcipue videtur esse claritas, unde ad manifestandum sufficienter qualitatem resurrectionis Christi, erant inducenda aliqua argumenta ad os-

tendendam claritatem corporis Christi glorificati.

5. Evangelistæ inducendo Angelos in testes dominicæ resurrectionis, dissonant ab invicem. Ergo inconvenientia videntur testimonia resurrectionis Christi.

Antec. ostenditur. Nam apud Matth. Angelus super lapidem revolutum sedere dicitur, apud Marc. vero intus Angelus describitur visus á mulieribus ingressis monumentum. Et rursus ab istis unus, á Joanne duo sedentes, á Luca vero duo stantes describuntur.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Christus qui est Dei sapientia, suaviter, et convenienter disponit omnia, ut dicitur Sap. 8.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus manifestavit suam resurrectionem per sufficientia testimonia, et argumenta, sive signa.

Prob. Et primo, quod manifestaverit per sufficientia testimonia; duplici enim testimonio usus est Christus ad manifestandum discipulis suam resurrectionem, quorum neutrum potest refelli: primum est testimonium Angelorum, qui mulieribus resurrectionem dominicam annunciaverunt, ut patet per omnes evangelistas: aliud autem est testimonium scripturarum, quas ipse proposuit ad ostensionem suæ resurrectionis, ut dicitur Lucæ ult.

Quod vero argumenta sufficientia fuerint, ostenditur: per argumenta enim intendebat probare duo, scilicet quod ejus resurrectio esset vera, et quod esset gloriosa: et ad utrumque induxit sufficientia argumenta. Quod ejus resurrectio fuerit vera, ostendit dupliciter, scilicet ex parte corporis, et ex parte animæ.

Circa corpus tria ostendit. Primo, quod ejus corpus esset solidum, et non phantasticum, vel rarum, sicut est aer. Et hoc ostendit per hoc, quod corpus suum palpabile præbuit. Unde dicitur Luc. ult. "Palpate et videte, quia spi- "ritus carnem et ossa non habet, sicut "me videtis habere."

Secundo ostendit, quod esset corpus humanum, ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur.

Tertio ostendit eis, quod esset idem numero corpus, quod prius habuerat ostendendo eis vulnerum cicatrices. Unde ut legitur Lucæ ult. dixit eis: «videte «manus meas et pedes meos, quia ego «ipse sum.»

Veritatem autem suæ resurrectionis ex parte animæ iterato corpori unitæ ostendit per opera triplicis vitæ.

Primo, per opus vitæ nutritivæ in hoc quod cum discipulis manducavit et bibit, ut legitur Lucæ ult.

Secundo: per opera vitæ sensitivæ, in hoc quod discipulis ad interrogata respondebat et præsentes salutabat, in quo ostendebat se et videre et audire.

Tertio, per opera vitæ intellectivæ in hoc, quod cum eis loquebatur et de scripturis disserebat.

Et ne quid deesset ad perfectionem manifestationis, ostendit etiam se habere divinam naturam per miraculum quod fecit in piscibus capiendis, et per hoc, quod eis videntibus ascendit in cœlum. Quia dicitur Joan. 3. «Nemo ascendit in «cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fi- «lius hominis qui est in cœlo.»

Gloriam autem suæ resurrectionis ostendit discipulis, per hoc quod ad eos januis clausis intravit, secundum enim quod Greg. dicit Hom. 26. in Evang. «Palpandam carnem Dominus præbuit, «quam januis clausis introduxit, ut esse «post resurrectionem ostenderet corpus «suum et ejusdem naturæ, et alterius «gloriæ.»

Similiter etiam ad proprietatem gloriæ pertinebat, quod *subito ab oculis eorum evanuit*: ut dicitur Lucæ ult. Quia per hoc ostendebatur quod in potestate ejus erat videri et non videri, quod pertinet ad conditionem corporis

gloriosi, ut quæst. 54. dictum est art. 1. ad 2. et art. 3. ad 1.

Fuit igitur Christi resurrectio manifestata per testimonia Angelorum et scripturarum. Per argumenta demonstrantia veritatem corporis et animæ et divinitatis et gloriæ, in qua resurrexerat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur dupliciter: primo, quod etsi singula argumenta, quæ Christus induxit non sufficienter manifestarent veritatem suæ resurrectionis, tamen omnia simul, addito testimonio scripturarum et Angelorum et etiam ipsius Christi assertione miraculis confirmata, sufficientissime eam demonstrant. Angeli autem apparentes in specie humana non dixerunt se esse homines, sicut asseruit Christus vere se hominem esse. Et secundum hoc ad formam argumenti dicitur, quod etsi Angeli hominibus apparentes potuerint ostendere aliqua ex his quæ Christus discipulis ostendit, non tamen ostenderunt illa omnia simul cum confirmatione scripturarum.

Dicitur secundo, quod Angeli hominibus apparentes non potuerunt, nec possunt ostendere omnia ea quæ Christus discipulis ostendit, et in specie non possunt vere manducare, sicut Christus post resurrectionem vere manducavit. Quia enim corpora ab Angelis assumpta non erant corpora viva vel animata, non erat vera eorum comestio, sed solum vera cibi contritio et trajectio in interiorem partem corporis assumpti. Unde et Angelus dixit Tob. 10. «Cum essem vobiscum, videbar quidem voviscum manducare et bibere; sed ego cibo invisibili utor.» Corpus autem Christi vere fuit animatum, et ideo vera ejus comestio fuit: ut enim Aug. dicit lib. 13. de Civ. Dei. cap. 22, «non potestas, sed egestas edendi corporibus resurgentium auferetur.» Unde sicut Beda dicit, cap. 97. in Luc. «Christus manducavit potestate, non egestate.» Ad formam igitur negatur antecedens; Angeli enim non ostenderunt, nec ostendere potuerunt argumenta, quæ Christus ad comprobandam suam resurrectionem ostendit.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod à Christo inducebantur argumenta quædam ad probandam veritatem humanæ naturæ, quædam vero ad probandam gloriam resurgentis, ut in corpore dictum est. Conditio autem naturæ humanæ, secundum statum presentem, contrariatur conditioni gloriæ, secundum illud 1. Corint. 15. «Seminatur in infirmitate, "surget in virtute.» Et ideo ea quæ inducuntur ad ostendendam conditionem gloriæ, videntur habere contrarietatem ad naturam, non simpliciter, sed secundum statum præsentem et é converso. Unde Greg. dicit Homil. 26. in Evang. quod «duo mira et juxta humanam ra"tionem sibi valde contraria Dominus "ostendit, dum post resurrectionem, "corpus suum incorruptibile, et tamen "palpabile demonstravit.» Hæc autem contrarietas nullo modo infirmat argumenta inducta ad ostendendam veritatem resurrectionis Christi.

Ad 3. Neg. antec. Erat enim corpus Christi post resurrectionem tale, quod posset tangi et contrectari á discipulis. Ad prob. dicitur quod sicut Augustin. dicit super Joan. tract. 121. «Hoc quod Dominus dixit Magdalenæ: noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, sic dictum est, ut in illa fœmina figuraretur Ecclesia de gentibus, quæ in Christum non credidit, nisi cum ascendisset ad Patrem. Aut sic in se credi voluit Jesus, hoc est sic se spiritualiter tangi, quod ipse et Pater unum sunt; ejus quippe intimis sensibus, quodammodo ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecerit, ut Patri agnoscas æqualem: hæc autem carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat.» Quod autem alibi legitur Maria Christum tetigisse, quando simul cum aliis mulieribus accesit et tenuit pedes ejus, quæstionem

non facit, ut Severianus dicit: Si quidem illud de figura est, hoc de sexu; illud de divina gratia, hoc de humana natura.

Vel dicitur, sicut Chrisost. dicit Hom. 85. in Joan. «Volebat hæc mulier adhuc cum Christo conversari, sicut et ante passionem, et præ gaudio nihil magnum cogitabat, quamvis caro Christi multo melior facta esset resurgendo; et ideo dixit: nondum ascendi ad Patrem meum, quasi dicat: non æstimes me jam terrenam vitam agere: quod enim in terris me vides, hoc est, quia nondum ascendi ad Patrem meum, sed in promptu est quod ascendam.» Unde subditur: «ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.»

Erat igitur corpus Christi post resurrectionem tangibile. Quod autem non permiserit se semel á Magdalena tangi, fuit propter mysterium vel ad erigendam mulieris mentem ad aliquid magni de se cogitandum, et ut non crederet illum ad prioris vitæ statum resurrexisse.

Ad 4. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod sicut August. dicit in Dial. 63. ad Orosium, quæst. 14. "Dominus clarificata carne resurrexit; sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere, quia non possent oculis suis talem claritatem respicere: si enim antequam moreretur pro nobis, et resurgeret, quando transfiguratus est in monte, discipuli sui eum videre non potuerunt, quanto magis glorificata carne Domini, eum videre non potuerunt?" Ut igitur eum discipuli videre possent, noluit eis suam ostendere claritatem.

Est etiam considerandum, quod post resurrectionem hoc Dominus præcipue volebat ostendere, quod idem ipse esset, qui mortuus fuerat, quod multum poterat impedire, si eis sui corporis claritatem ostenderet. Nam immutatio quæ fit secundum aspectum, maxime ostendit diversitatem ejus, quod videtur: quia sensibilia communia, inter quæ est unum et multa, vel idem et diversum maxime dijudicat visus. Sed ante passionem, ne infirmitatem ejus discipuli despicerent, intendebat Christus gloriam majestatis suæ eis ostendere, quam maxime demonstrat claritas corporis. Et ideo ante passionem, gloriam suam discipulis per claritatem demonstravit, post resurrectionem autem eamdem gloriam eisdem per alia judicia ostendit.

Ad 5. Negatur antecedens. Non enim est aliqua inter Evangelistas vera dissonantia. Ad probationem dicitur, quod sicut August. dicit in lib. 3. de Consens. Evang. c. 24. "Possumus intelligere "unum Angelum visum à mulieribus, "secundum Mat. et Mar. ut eas ingressas "in monumentum accipiamus, in aliquod "scilicet spatium, quod erat aliqua ma"teria communitum, atque ibi vidisse "angelum sedentem supra lapidem re"volutum á monumento sicut dicit Matth. "ut hoc sit, sedentem à dextris, quod di"cit Marcus. Deinde dum introspicerent "locum, in quo jacuerat corpus Domi"ni, visos ab eis alios duos angelos, pri"mo quidem sedentes, ut dicit Jonanes, "et postea eos surrexisse, ut stantes vi"derentur," ut dicit Lucas: et sic apparet, quod nulla est inter Evangelistas dissonantia, dum testes angelicos dominicæ resurrectionis inducunt.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 55.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice universali interimas hæresim *Calvini* dicentis, institutionibus majorum renunciare, sive ab eis re-

cedere, non modo esse integrum, sed et honestum, pium, et salutare. Et hæresim *Brentii* dicentis: judicio proprio ita standum esse, ut nullo modo licitum sit, in causa æternæ salutis ita alienæ sententiæ adhærere, ut eam sine proprio judicio amplectamur. Articulus enim iste Sancti Doctoris per hoc, quod revelationes divinas de salute nostra (qualis est surrectio Christi) ad inferiores nonnisi per superiores venire juxta regulam á Deo institutam demonstrat, impugnat validissime illas hæreses, et expugnat. Radix siquidem universalis, quod institutionibus majorum non possimus tuta conscientia renunciare, sed illorum sententiæ proprium judicium pro Deo teneamur submittere, est hæc: quia scilicet revelare nobis viam salutis statuit Deus solum mediantibus superioribus nostris (ideo ipse nobis eos pro rectoribus assignavit, ut not. post prob.) et non aliter. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eas merito damnari per hoc, quod dicitur Act. 10. " Corneli, mitte, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic dicet tibi, quid te oporteat facere. » Mirum certe vehementer est istud in illarum hæresum apertam damnationem, si, ut par est, appendatur. Ecce. Angelus Domini é cœlo ad Cornelii consolationem, et instructionem descendit. Consolatur autem eum per hoc, quod in context. illo dicit. " Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.» Verumtamen, quando eumdem de via salutis, quam tenere debeat, instruere vult, mittit ipsum ad Petrum Apostolum. Numquid Angelus ipse cœlos tamdiu inhabitans, quæ sit via salutis ad cœlos conducens, ignorat, quia de hac via per se ipsum non instruit Cornelium, sed ad alium pro tali pœna instructione remittit? Ut quid ille, qui de orationum, atque eleemosynarum acceptatione divina hominem certificaverat; de iis, quæ ad fidem, et bonos mores fidei consona pertinent, speciatim non certificat? scilicet dicendo, credendo crede sic, vel sic, vive moraliter sic, vel sic: sed quasi viam hanc fidei catholicæ, atque morum nesciens dicit. *Mitte, et accersi Simonem*, etc. Sciebat iste Angelus, jamdudum à Christo Domino Deo suo, et nostro claves scientiæ cœlorum, confirmationisque fidelium, ac totius pastoralis officii Simoni, qui cognominatur Petrus, fuisse traditas, Matth. 16. Luc. 22. Joan. 21. et ideo ipse, tamquam deferens magisterio Petri, ac in eo Christum ejus institutorem reverenter honorans, Cornelium ad scholas Petri pro via salutis addiscenda prudens, atque sciens dirigit. Ac si facto suo cunctis seculis, tam admirando, dixerit. Ego (ò Corneli) non sum assignatus á Deo tibi, et Ecclesiæ toti pro regula inffallibili doctrinæ fidei, et eorum quæ pro salute adipiscenda te, atque alios oportet facere, sed Simon Petrus; et idcirco, ubi ventum est ad hoc negotium, ego ipse tamquam falcem in alienam messem mittere veritus, idest renuens alienum officium á Deo meo tam solemniter (ut supra) institutum, et approbatum usurpare, digitum ori meo lubens superpono, et ad ordinarium totius doctrinæ ecclesiasticæ te remitto. " Accersi *ergo* Simonem, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid,» etc. Ex his limpidissime patet: quam efficacissime et radix universalis præmissa contra hæreses firmetur, et hæreses illæ condemnentur. Item merito damnari ab Act. 10. *quem Deus*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Manifestare siquidem immediate omni populo, idest inferioribus secreta fidei Deum nolle, hic demonstratur, sed solum testibus ab ipso præordinatis, idest superioribus ad hoc ab ipso datis, et postea mediantibus illis omni populo. Quis non videat hanc legem á Deo statutam, et consequenter per hanc eamdem hæresum *Calvinistarum*, *Brentianorumque* damnationem? Item á dictis 2. 2. art. num. 81. 217. 552. cum Elucid. Et art. 1. 2. art. num. 378. cum Elucid. et ab Addit. art. num. 413. cum Elucid. Videbis etiam has abundantissime esse damnatas á veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 16 concl. 5. et Exod. 18. concl. 1 et num. 4. concl. 3. Item cap. 2. concl. 10. Item cap. 12. concl. 9. Item cap. 21. concl. 8. Item cap. 23. concl. 5. Et omnino in Deuteron. 17. concl. 7. 8. 9. Consule cum his, et 2. 2. quæst. 2. art. 6. ad 3. et bene nota pro semper. Cæterum pro captu textus quæsiti hujus in ly *debuit*, vel ly *non debuit*, vide supra citata in q. 54. art. 4. append. circa scilicet convenientiam, etc. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á scripturis, quod non fuit conveniens, discipulos videre Christum resurgere. Ut Mar. ult. *Resurgens*, etc. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Porro ad videndum, quomodo valeat ista *consequentia*; Christus, dum resurrexit, ab hominum nullo visus est, ergo conveniens fuit, ut á nullo horum tunc videretur: id cognosce ex dictis q. 35. art. 8. circa concl. et q. 54. ar. 4. append. videndo inibi citata. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem interimas vel hæresim, vel temeritatem *quorumdam*, qui dixerunt, quod Christus per quadraginta dies, qui fluxerunt á resurrectione usque ad ascensionem, mansit in arca fœderis. Hæretica est positio hæc, si ejus sensus sit, quod Christus ibi manserit continue. Nam sic non apparuisset toties discipulis, quoties narrant Evangelistæ, et Apostolus, 1. Cor. 15. et sic esset contra sacram scripturam. Temeraria autem solum est, si ejus sensus sit, quod tempore intermedio, demptis scilicet illis apparitionibus, manserit ibi per quadraginta dies prædictos. Propositio enim temeraria est, quæ absque auctoritate, sine delectu, sine consilio, sine ratione, audacter, et insolenter asseritur. Cujusmodi est prænarrata positio. Incognitum enim est, quibus in locis intermedio tempore corporaliter esset Christus (ut contra illam dicitur in text. ad 2.) cum hæc scriptura non tradat, et in omni loco sit dominatio ejus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam quidem pro hæresi in primo sensu damnari Joan. 20. ut *in arg. cont.* Item á dictis apparitionibus in arg. 3. et resp. ad 3. Illam autem pro temeraria in secundo sensu repelli á D. Hieronymo per illud suum universaiter, et veraciter pronunciatum contra sine ratione quippiam locutos: *eadem* (inquit) *facilitate rejicitur, qua probatur.* Item ab eodem, qui tales quasi ad digitum ostendens, et postea improbans dicit. " Quadam facilitate verborum, immo audacia, edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt. Puerilia sunt hæc, et circulatorum ludo similia, docere, quod ignores, immo (ut cum stomacho loquar) nec hoc quidem scire, quod nescias. » Hæc ille in Epist. ad Paulinum presbyt. tom. div. hist. lib. cap 6. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus convenienter apparuit quibusdam discipulis in alia effigie. Ut Marc. ult. secundum quod est *in arg. cont.* Ac si apertius dicat. Ostensus est in alia effigie: ergo conveniens fuit, ut sic ostenderetur. Porro de valore talium consequentiarum semper de factis á Christo in Evangelio ubilibet narratis subintellectarum vide q. 35. ar. 8. et q. 41. ar. 1. corol. post concl. et citat. in qu. 54. art. 4. append. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod Christus debuit declarare, idest conveniens fuit, quod declararet suam resurrectionem per argumenta. Ut Act. 1. secundum quod est *in arg. cont.* Pro ly *debuit* sine errore intelligendo et hic, et in plurib. aliis art. vide 1. q. 21. ar. 1. ad 3. Pro consequentia vero in lib. Act. subintellecta, vide supra citata omnia in ar. 4. app. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito à scripturis esse insinuatum, quod argumenta Christi ad suam resurrectionem manifestandam fuerunt sufficientia, et efficacia. Ut per hoc, quod dicitur de Christo Sap. 8. " Sapientia disponit omnia suaviter. » Et Sap. 11. " Omnia in numero, pondere, et mensura disposuisti Domine. » Et Marc. 7. " Bene omnia fecit. » Ab his enim generalibus dictis, si ad propositum arguas, videbis, hinc haberi et sufficientiam, et efficaciam argumentorum prædictorum ad manifestationem veritatis de resurrectione. Quod si Christum esse non solum sapientem, sed et sapientiam (ut *in arg. cont.*) dices, quod ex scripturis ipsis habetur, Christum non posse non facere sapienter, immo sapientissime, idest sine ulla commixtione cujusvis vel minimæ insipientiæ, omnia illa, quæ facit: et consequenter etiam argumentorum istorum ostensionem, alioquin Christus non esset sapientia: cum nomina abstracta, cujusmodi est hoc nomen sapientia, nihil sui

oppositi admixtum in seipsis compatiantur, et hoc ad differentiam concretorum, ut sic. Item per ea, quæ dicuntur q. 1. art. 1. corol. post concl. et q. 43. ar. 4. app. et q. 44. 45. art. multorum append. Vide etiam citata in hujus quæstionis ar. 4. app. *Secundo* vides: quomodo etc.

---

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA SEXTA,

DE RESURRECTIONIS CHRISTI CAUSALITATE, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causalitate resurrectionis Christi.

*Et circa hoc quæruntur duo.*

Primo, utrum resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis.

Secundo, utrum resurrectio Christi sit causa nostræ justificationis.

### ARTICULUS I.

*Utrum resurrectio Christi, sit causa resurrectionis corporum.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod resurrectio Christi non sit causa resurrectionis corporum.

1. Si resurrectio Christi est causa sufficiens resurrectionis nostræ secundum corpus, sequitur quod statim eo resurgente omnes mortui debuerunt resurgere.

Conseq. prob., quia posita causa sufficienti necesse est effectum poni.

2. Christo etiam non resurgente mortui resurgerent: ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis corporum.

Antecedens prob. Causa resurrectionis mortuorum est divina justitia, ut scilicet corpora simul præmientur, vel puniantur cum animabus, sicut communicaverunt in merito vel peccato, ut Dion. dicit ult. cap. cœl. hierarch. Et etiam Dam. in 4. lib. cap. 28. Ergo etiam Christo non resurgente, mortui resurgerent.

Conseq. hæc prob., quia justitiam Dei necesse esset impleri, etiam si Christus non resurrexisset.

3. Si resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum, aut est causa exemplaris, aut effectiva, aut meritoria. Sed non est causa exemplaris, nec effectiva, nec meritoria. Ergo resurrectio Christi nullo modo est causa resurrectionis nostræ.

Minor prob. quoad omnes partes: non est causa exemplaris, quia resurrectionem corporum operabitur Deus, secundum illud Joan. 5. *Sicut Pater suscitat mortuos*, Deus autem non indiget inspicere aliquod exemplar extra se. Nec est causa effectiva, quia causa efficiens non agit nisi per contactum vel spiritualem vel corporalem; manifestum est autem, quod resurrectio Christi non habet contactum corporalem ad mortuos, qui resurgent, propter distantiam temporis et loci; similiter etiam, nec contactum spiritualem, qui est per fidem et charitatem; quia etiam infideles et peccatores resurgent. Neque etiam est causa meritoria, quia Christus resurgens jam non erat viator, et ita non erat in statu merendi.

4. Christus moriendo mortem nostram destruxit. Ergo Christi mors, et non Christi resurrectio est causa resurrectionis nostræ.

Conseq. prob., quia cum mors sit privatio vitæ, nihil videtur esse aliud destruere mortem, quam reducere vitam, quod ad resurrectionem pertinet.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Super illud 1. Cor. 15. *Si Christus prædicatur, quod resurrexit á mortuis,*

etc. dicit Glos. interl. *Qui est causa efficiens resurrectionis nostræ.*

*Determinatio.*

Conclusio. Resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ.

Prob. tripliciter: illud quod est primum in genere resurrectionis nostræ, est causa nostræ resurrectionis. Sed resurrectio Christi est primum in genere resurrectionis nostræ, ut dictum est q. 53. art. 3. Ergo resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ.

Maior probat., quia primum in quolibet genere est causa omnium aliorum in illo genere, ut dicitur 2. Metaph. c. 4.

Secundo prob. concl. auctoritate Apost. 1. Cor. 15. dicentis, «Christus resurrexit á mortuis, primitiæ dormientium. «Quoniam quidem per hominem mors, «et per hominem resurrectio mortuorum.»

Tertio prob. concl. Illud, quod est propinquius principio vitæ, prius participat vitam, et per ipsum vita derivatur ad alia. Sed corpus Christi est propinquius principio vitæ, quam corpora nostra. Ergo corpus Christi prius fuit vivificatum, et per ipsum vita ad corpora nostra derivatur.

Maior prob. quia habet hoc naturalis ordo rerum divinitus institutus, ut quælibet causa primo operetur in id, quod est sibi propinquius, et per illud operetur in alia magis remota; sicut ignis primo calefacit aerem sibi propinquum, per quem calefacit corpora distantia, et ipse Deus primo illuminat substantias sibi propinquas, per quas illuminat magis remotas, ut Dion. 13. cap. cœl. hierarch. Illud igitur, quod est propinquius vitali principio, prius vitam participat, et per ipsum cætera vivificantur.

Minor probatur: nam principium humanæ vivificationis est Verbum Dei, de quo dicitur in Psalm. 35. *Apud te est fons vitæ*, et ipse dicit Joan. 5. «Sicut «Pater suscitat mortuos et vivificat, sic «et Filius quos vult vivificat» cui principio est maxime propinquum Christi corpus, quod est ei in persona unitum. Et ideo Verbum Dei primo tribuit vitam immortalem corpori sibi personaliter unito, et per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis. Quæ ratio cum auctoritate inducta probat non solum conclusionem, sed etiam confirmat minorem primæ rationis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod est vera de causa naturaliter agente ex necessitate, non autem de causa operante per voluntatem. Resurrectio autem Christi est causa nostræ resurrectionis per virtutem Verbi, ut in corp. dictum est: Verbum autem operatur secundum voluntatem. Et ideo non oportet, quod statim sequatur effectus, sed secundum dispositionem Verbi Dei, ut scilicet primo conformemur Christo patienti et morienti in hac vita passibili et mortali; deinde perveniamus ad participandum et percipiendum similitudinem resurrectionis ipsius.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad probationem negatur conseq. Justitia enim Dei est causa prima resurrectionis nostræ; resurrectio autem Christi est causa secundaria et quasi instrumentalis. Licet autem virtus principalis agentis non determinetur ad hoc instrumentum determinate, tamen ex quo per hoc instrumentum operatur, instrumentum illud est causa efficiens. Sic ergo divina justitia, quantum est de se, non est obligata ad resurrectionem nostram causandam per resurrectionem Christi; potuit enim alio modo nos Deus liberare, quam per Christi passionem et resurrectionem, ut dictum est qu. 46. art. 2. et 3. Ex quo tamen decrevit hoc modo nos liberare; manifestum est, quod resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis. Ex hoc igitur, quod justitia Dei est causa nostræ resurrectionis non sequitur, quod resurrectio Christi non sit etiam causa, stante divino decreto, quo decrevit nos

per passionem liberare. Ad prob. dicitur, quod justitia debet impleri eo modo, quo Deus decrevit ipsam impleri.

Ad 3. Negatur minor quantum ad primam et secundam partem. Resurrectio enim Christi non est, proprie loquendo, causa meritoria nostræ resurrectionis, sed est causa efficiens et exemplaris. Efficiens quidem, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, et operatur in virtute ejus, ut dictum est supra quæst. 13. ar. 2. et 3. Et ideo sicut alia, quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, virtute suæ divinitatis, sunt nobis salutaria, ut dictum est, quæst. 48. art. 6. ita et resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis virtute divina, cujus proprium est mortuos vivificare. Quæ quidem virtus præsentialiter attingit omnia loca et tempora; et talis contactus virtualis sufficit ad rationem hujus efficientiæ. Et quia ut dictum est in solutione præcedenti, primordialis causa resurrectionis humanæ est divina justitia, ex qua Christus habet potestatem judicium facere; in quantum filius hominis est; virtus effectiva resurrectionis ejus se extendit, non solum ad bonos, sed etiam ad malos, qui sunt ejus judicio subjecti; sicut autem resurrectio corporis Christi ex eo, quod corpus illud est personaliter Verbo unitum, est prima tempore, ita etiam est prima dignitate et perfectione, ut dicit Glos. interl. super 1. Cor. 15. Id autem, quod est perfectissimum ad exemplar ejus, quod est minus perfectum, secundum suum modum; ideo resurrectio Christi est causa exemplaris nostræ resurrectionis, quod quidem exemplar necessarium est, non ex parte resuscitantis, qui non indiget exemplari; sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni conformari, secundum illud Philipp. 3. «Reformavit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.» Est tamen sciendum, quod resurrectio Christi est quidem causa effectiva resurrectionis bonorum et malorum; sed est causa exemplaris tantum bonorum, qui sunt facti conformes filiationi ipsius, ut dicitur Rom. 8. Ex quibus manifeste patet responsio ad prob. primæ et secundæ partis minoris negatæ. Exemplar enim non est necessarium propter Deum resuscitantem, sed propter resuscitandos. Et agit effective virtute divinitatis, cujus humanitas est instrumentum, secundum quem modum dicitur effective resuscitare.

Ad 4. Dicitur ad conseq. quod secundum rationem efficientiæ, tam mors Christi, quam ejus resurrectio est causa tam resurrectionis nostræ, quam destructionis mortis: idest passio Christi est causa efficiens destructionis mortis nostræ, et nostræ resurrectionis; et similiter resurrectio Christi est causa destructionis mortis, et resurrectionis nostræ. Secundum tamen rationem exemplaritatis mors Christi, per quam recessit á vita mortali, est causa destructionis mortis nostræ. Resurrectio vero ejus, per quam inchoavit vitam immortalem, est causa reparationis vitæ nostræ. Passio tamen Christi est ulterius causa meritoria, ut dictum est supra q. 48. art. 1.

## ARTICULUS II.

*Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum.*

*Pro negativa.*— Videtur, quod resurrectio Christi non sit causa resurrectionis animarum.

1. Resurrectio Christi non pertinet ad substantiam Dei, sed ad dispensationem humanam. Ergo resurrectio Christi est causa quidem resurrectionis corporum, non animarum.

Conseq. prob., quia Aug. dicit tract. 23. in Joan. quod «corpora resurgunt "per dispensationem humanam, animæ "vero resurgunt per substantiam Dei.»

2. Corpus non agit in spiritum. Sed resurrectio Christi pertinet ad corpus ejus,

quod cecidit per mortem. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum.

3. Non omnium animæ resurgent. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum.

Anteced prob., quia quidam *ibunt in supplicium æternum*, ut dicitur Matth. 25.

Conseq. prob., quia enim resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum, omnium corpora resurgent, secundum illud 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus*. Ergo si eadem Christi resurrectio esset causa resurrectionis animarum, omnes animæ resurgerent.

4. Per passionem Christi facta est remissio peccatorum, per quam fit resurrectio animarum, secundum illud Apoc. 1. « Lavit nos á peccatis nostris in san« guine suo. » Ergo resurrectionis animarum, magis est causa Christi passio, quam ejus resurrectio.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Apost. dicit Rom. 4. « Resurrexit « propter justificationem nostram,» quæ nihil aliud est, quam resurrectio animarum: et super illud Psal. 29. « Ad ves« perum demorabitur fletus,» Glos. dicit, quod «resurrectio Christi est causa re« surrectionis nostræ, et animæ in præ« senti, et corporis in futuro. »

*Determinatio.*

1.ª Conclusio. Resurrectio Christi est causa effectiva resurrectionis non solum corporum, sed etiam animarum.

Prob. Resurrectio Christi agit virtute divinitatis, quæ quidem se extendit non solum ad resurrectionem corporum, sed etiam animarum. Ergo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectivam, non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum.

Prima pars antecedentis habita est ar. præced. ad 3. Secunda vero pars prob. Quia á Deo est, et quod anima vivat per gratiam, et quod corpus vivat per animam.

2.ª Conclusio. Resurrectio Christi est etiam causa exemplaris respectu resurrectionis animarum.

Prob., quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari, ut sicut secundum Apost. Rom. 6. « Christus resurrexit á mortuis per glo« riam Patris, ita et nos in novitate vitæ « ambulemus; et sicut ipse resurgens ex « mortuis jam non moritur, ita et nos « existimemus nos mortuos esse peccato, « ut iterum vivamus in illo. » Habet igitur resurrectio Christi rationem efficientiæ, et exemplaritatis non solum resurrectionis corporum, sed etiam animarum.

AD ARGUMENTA.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod Aug. dicit resurrectionem animarum fieri per substantiam Dei quantum ad participationem, quia scilicet participando divinam bonitatem, animæ fiunt bonæ et justæ, non autem participando quamcumque creaturam; unde cum dixisset; « animæ resurgunt per substantiam Dei,» subdit: « participatione enim " Dei fit anima beata, non participatione " animæ sanctæ,» sed participando gloriam corporis Christi, quæ est creatura quoddam, efficiuntur corpora nostra gloriosa.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod corpus non agit in spiritum virtute propria, potest tamen agere in spiritum, ut est instrumentum divinitatis. Efficientia resurrectionis Christi pertingit ad animam non per propriam virtutem ipsius corporis resurgentis, sed per virtutem divinitatis cui personaliter unitur.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de resurrectione corporum et animarum. Resurrectio enim animarum pertinet ad meritum. quod est effectus justificationis: resurrectio vero corporum ordinatur ad pœnam vel præmium, quæ sunt effectus ju-

dicantis. Ad Christum autem non pertinet omnes justificare sed judicare; et ideo omnes resuscitat secundum corpus, sed non omnes secundum animam.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod in justificatione animarum duo concurrunt, scilicet remissio culpæ, et novitas vitæ per gratiam. Quantum ergo ad efficientiam, quæ est per virtutem divinam, tam passio Christi, quam ejus resurrectio est causa justificationis, quoad utrumque. Sed quantum ad exemplaritatem, proprie passio et mors Christi est causa remissionis culpæ, per quam morimur peccato; resurrectio vero Christi est causa novitatis vitæ, quæ est per gratiam, sive justitiam, et ideo Apost. dicit Rom. 4. Quod *Christus traditus est* (scilicet in mortem) *propter delicta nostra* (scilicet tollenda) *et resurrexit propter justificationem nostram.* Sed passio Christi est etiam causa meritoria, ut art. præced. ad 3. dictum est.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

### EX PRÆCED. 56.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ. Ut per dictum 1. Corinth. 15. *Si Christus,* etc. secundum quod cum Glos. est *in arg. cont.* Pro cujus ampliori captu vide capitulum illud, ubi ex ipsius Apostoli perspicuis et verbis, et argumentationibus patet, quod non potest negari hæc aperta ibi veritas, scilicet quod resurrectio Christi sit causa resurrectionis nostræ. Item per dictum Job. c. 19. " Scio, quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. » Constat enim hic, quod post ly *vivit* ponitur ly *surrecturus sum* ac si dicatur: ex ordine contextus agnosce quod vita immortalis, quæ est resurrectio Christi, est causa, ad quam sequitur resurrectio mea. Item per dictum Rom. 8. " Qui suscitavit Christum á mortuis, vivificavit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis. » Ecce, quod propter Christi resurrectionem, cujus spiritus habitat in electis, tamquam per causam instrumentariam (ut d. resp. ad 2.) Deus suscitabit corpora ipsorum. Licet autem Apostolus per ly *propter inhabitantem spiritum*; restringat suum sermonem ad electos, eo quod intendit hic loqui de resurrectione cum bona immutatione dotium quatuor, postea ab eodem expressarum, 1. Cor. 15. et consequenter de resurrectione, ut est causa exemplaris (ut in resp. ad 3.) tamen ex suo hoc dicto habetur quoque universaliter, quod omnium hominum corpora suscitabuntur á Deo propter Christi resurrectionem, tamquam instrumentum effectivum solum respectu resurrectionis malorum, Christus enim est caput omnium absolute etiam infidelium, dum hic viverent q. 8. art. 3. et hoc sufficit ad resuscitari à Deo propter Christum. Item a. 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Cum enim in contextu docuisset Apostolus, resurrectionem Christi esse causam resurrectionis nostræ, oportet in ly *omnes resurgemus* intelligere secundum planum ejusdem Apostoli sensum, non bonorum tantum qui immutabuntur, sed etiam malorum, qui non immutabuntur, resurrectionis causam esse resurrectionem Christi. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Glossa quod resurrectio Christi est causa resurrectionis animarum. A scripturis quidem, ut Rom. 4. secundum quod est *in arg. cont.* Item Rom. 14. «In hoc mortuus est Christus, et resurrexit, ut et vivorum, et mortuorum dominetur. »

Idest, ut ex contextu habetur, ut ei, scilicet Christo, et vivamus, et moriamur. Ubi nota quod ly *ut* dicit non solum causam finalem, sed etiam efficientem, et exemplarem. Ac si aperte dicat. Resurrexit Christus non tantum ad hunc finem, ut sibi vivamus, sed etiam resurgendo causavit efficienter, et exemplariter hoc, scilicet quod sibi vivamus. Pro intellectu quoque ejusdem sententiæ Apostoli ad propositum nota, quod vivere Christo, est vivere secundum voluntatem Christi, quod est vivere in gratia ejus operando secundum ipsam, per quam gratiam anima vere dicitur resurgere. Hoc modo exposuit idem Apost. dicendo Gal. 2. " Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus. » Idest, ut dicit 1. Corinth. 15. " Gratia Dei sum id, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit. Laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. » Item ar. 2. Cor. 5. " Pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. » Expone tu, ut supra, ad articuli propositum, et pro hujus captu vide etiam resp. ad 4. A Glossa autem insinuatur id in principio dictum per hoc, quod super Psalm. 29. *Ad vesperum*, etc. dicit ut recitatur *in arg. cont.* Secundo vides: etc.

---

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA,

DE ASCENSIONE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ascensione Christi.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum fuerit conveniens Christum ascendere.

Secundo, secundum quam naturam conveniat sibi ascensio.

Tertio, utrum propria virtute ascenderit.

Quarto, utrum ascenderit super omnes cœlos corporeos.

Quinto, utrum ascenderit super omnes spirituales creaturas.

Sexto, de effectu ascensionis.

### ARTICULUS I.

*Utrum fuerit conveniens Christum ascendere.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod non fuerit conveniens Christum ascendere.

1. Ei qui possidet suum bonum sine motu, non convenit ascendere. Sed Christus possidebat suum bonum sine motu. Ergo Christo non convenit ascendere.

Maior prob., quia ascendere est quidam motus.

Minor prob. Ille *qui optimo modo se habet, possidet suum bonum sine motu*, ut dicitur 2. Cel. t. 65. et seq. Sed Christus optime se habuit, quia secundum divinam naturam est summum bonum, et secundum humanam naturam est summe glorificatus. Ergo Christus habet suum bonum sine motu.

2. Christo non fuit melius esse in cœlo, quam in terra. Ergo Christus non debuit in cœlum ascendere.

Antec. prob., quia nihil accrevit sibi per hoc, quod fuit in cœlo, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus.

Conseq. prob., quia omne quod movetur, propter aliquid melius movetur.

3. Magis salutare fuisset hominibus, quod Christus semper conversaretur nobiscum in terris. Ergo videtur quod non fuerit conveniens Christum ascendere in cœlum.

Antec. prob., quia ipsemet Christus dixit discipulis suis Lucæ 17. *Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis et non videbitis.*

Conseq. prob., quia Filius Dei humanam naturam assumpsit ad nostam salutem.

4. Christus non ascendit immediate in cœlum post suam resurrectionem. Er-

go videtur quod nec post quadraginta dies ascendere debuerit.

Anteced. prob., quia ipse dixit post resurrect. Joan. 20. *Nondum ascendi ad Patrem meum.*

Conseq. prob., quia corpus Christi in nullo mutatum fuit post resurrectionem, ut dicit Greg. 14. Mor. cap. 29.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dominus dicit Joan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.*

*Determinatio.*

Conclusio. Conveniens fuit quod Christus post resurrectionem ascenderet in cœlum.

Prob. Locus proportionatus, et conveniens corpori Christi post resurrectionem non est terra, sed cœlum. Ergo conveniens fuit quod Christus post resurrectionem non remaneret in terra, sed in cœlum ascenderet.

Anteced. prob., quia Christus post resurrectionem vitam immortalem et incorruptibilem inchoavit: locus autem in quo nos habitamus, est locus generationis et corruptionis; et locus cœlestis est locus incorruptionis. Et sic locus cœlestis, et non terrestris est proportionatus corpori Christi post suam resurrectionem.

Conseq. prob., quia locus debet esse proportionatus locato.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor: loquendo de Christo secundum naturam assumptam, secundum quam ei convenit ascendere, ut dicetur: non enim secundum humanitatem Christus possidebat omne bonum, sine alioquo motu. Ad maiorem probationis dicitur quod illud optime se habens, quod sine motu possidet suum bonum est ipse Deus; quia est omnino immutabilis, secundum illud Malac. 3. *Ego Dominus, et non mutor.* Quælibet autem creatura est aliquo modo mutabilis, ut ostensum est 1. p. q. 9. art. 2. in corp. Et ut patet per Aug. 8. super Gen. ad lit. c. 14. Et quia natura assumpta á Filio Dei, remansit creatura, ut patet ex his quæ dicta sunt, qu. 2. art. 1. non est inconveniens, si ei aliquis motus attribuatur

Ad 2. Negatur antec. Ad prob. dicitur quod per hoc quod Christus ascendit in cœlum, nil ei accrevit quantum ad ea quæ sunt de essentia gloriæ, sive secundum corpus, sive secundum animam; tamen accrevit ei aliquid quantum ad decentiam loci quod est bene esse gloriæ, non quod corpus ejus aliquid aut perfectionis aut conservationis acquireret ex corpore cœlesti, sed solummodo propter quamdam decentiam; hoc autem aliquo modo pertinebat ad ejus gloriam, et de hac decentia gaudium quoddam habuit, non quidem quod tunc de novo de hoc gaudere inciperet, quando in cœlum ascendit; sed quia novo modo de hoc gavisus est, sicut de re impleta. Unde super illud Psal. 15. « Delectationes in dextera tua, usque in finem,» dicit Glos. ord. «delectatio, et lætitia erit mihi in con«cessu tuo, humanis obtutibus subtracto.»

Ad 3. Negat. anteced. loquendo de præsentia corporali, licet verum sit de præsentia divinitatis ipsius. Et propterea licet corporalis Christi præsentia fuerit fidelibus subtracta per ascensionem; præsentia tamen divinitatis ipsius semper adest fidelibus, secundum quod ipse dicit Matth. ult. « Ecce ego vobiscum sum " omnibus diebus, usque ad consumma- " tionem seculi. » Qui enim «ascendit in " cœlum, non deserit adoptatos, » ut Leo Papa dicit. Sed ipsa ascensio Christi in cœlos, qua corporalem suam præsentiam nobis subtraxit, magis fuit utilis nobis, quam præsentia corporalis fuisset. Primo quidem propter fidei augmentum, quæ est de non visis. Unde ipse Dominus dicit discipulis suis Joan. 16. quod Spiritus Sanctus adveniens arguet mundum de justitia, scilicet eorum qui credunt, ut Aug. dicit tractatu 95. in Joan.

"Ipsa quippe fidelium comparatio, infi-"delium est vituperatio.» Unde subdit: "quia ad Patrem vado, et jam non vi-"debitis me. Beati enim qui non vident "et credunt. Erit igitur vestra justitia, "de qua mundus arguetur, quoniam in "me, quem videbitis, credetis.»

Secundo, ad spei sublevationem. Unde ipse Dominus dicit Joan. 14. "Si "abiero et præparavero vobis locum, "iterum veniam, et accipiam vos ad me "ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis.» Per hoc enim quod Christus humanam naturam assumptam in cœlo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi, quia "ubi "fuerit corpus, illuc congregabuntur et "aquilæ,» ut dicitur Matth. 24. Unde et Micheæ 2. dicitur; «ascendit pandens "iter ante eos.»

Tertio, ad erigendum charitatis affectum in cœlestia. Unde dicitur ad Coloss. 3. «Quæ sursum sunt quærite, ubi "Christus est in dextera Dei sedens, "quæ sursum sunt sapite, et non quæ "super terram:» ut enim dicitur Matth. 6. Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor "tuum.» Et quia Spiritus Sanctus est amor nos in cœlestia rapiens, ideo Dominus dicit discipulis Joan. 16. "Expedit "vobis, ut ego vadam: si enim non ab-"iero, Paracletus non veniet ad vos: si "autem abiero, mittam eum ad vos.» Quod exponens Aug. tract. 94. in Joan. dicit: "Non potestis capere spiritum, quam-"diu secundum carnem nosse persistitis "Christum. Christo autem descedente "corporaliter, non solum Spiritus San-"tus, sed Pater et Filius illis affuit spi-"ritualiter.» Ex quidus patet, quod subtractio corporalis magis fuit nobis utilis quam si præsentia corporali nobis affuiset. Ad probationem autem dicitur quod illa verba dicit Dominus ad significandas magnas tribulationes, quas passuri erant Apostoli, in quarum comparatione visum eis fuisset quod dies, in quibus cum Domino conversati sunt, essent sine aliqua tribulatione; et ideo eis dixit quod desiderabunt unum diem talem qualem habuerunt, dum erant cum Domino, ne scilicet tanta paterentur. Vel per illum Filii hominis diem intelligitur fruitio divinitatis in patria simul cum Christo. Ex quibus non sequitur quod præsentia corporalis Christi fuisset eis utilior.

Ad 4. Neg. conseq. Licet enim Christo resurgenti in vitam immortalem congrueret locus cœlestis, tamen ascensionem distulit, ut veritas resurrectionis comprobaretur. Unde dicit. Act. 1. quod "post passionem suam præbuit seipsum "vivum discipulis, in multis argumentis "per dies quadraginta.» Unde dicit quædam Glos. ordin. quod «quia per quadraginta horas mortuus fuerat, quadraginta diebus se vivere confirmat. Vel per quadraginia dies tempus præsentis seculi, quo Christus in Ecclesia conversatur, potest intelligi; quia homo constans ex quatuor elementis, et eruditur contra transgressionem decalogi.» Ad prob. autem dicitur, quod Christus post resurrectionem in nullo est mutatus quantum ad substantialia gloriæ, est tamen mutatus loco, ut dictum est in responsione ad primum.

## ARTICULUS II.

### *Utrum conveniat Christo ascendere in cœlum secundum divinam naturam.*

*Pro affirmativa.* = Videtur, quod ascendere in cœlum conveniat Christo, secundum divinam naturam.

1. In Psal. 46. dicitur: *ascendit Deus in jubilatione*, et Deuter. 33. *Ascensor cœli auxiliator tuus.* Ergo Christo convenit ascendere in cœlum, secundum quod Deus.

Conseq. prob., quia ista dicuntur de Deo, etiam ante Filii Dei incarnationem.

2. Christus descendit de cœlo, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus. Ergo Christus ascendit in cœlum, secundum quod Deus.

Anteced. probat., quia humana ejus

natura non fuit in cœlo ante incarnationem, ut de cœlo descenderet, sed solum divina.

Conseq. probat. Quia ejusdem est ascendere in cœlum, cujus est descendere de cœlo, secundum illud Jo. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Et ad Ephes. 4. *Qui descendit ipse est, et qui ascendit.*

3. Christus sua ascensione ascendit ad Patrem. Ergo videtur quod Christus ascenderit secundum quod Deus.

Conseq. prob. Quia Christus non pervenit ad æqualitatem Patris, quod est ad Patrem ascendere, secundum quod est homo, sic enim dicit: *Pater maior me est*, ut habetur Joan. 14.

PRO NEGATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Super illud ad Ephes. 4. "Quod autem ascendit, quid est nisi, quia et "descendit," dicit Glos. interlin. «Constat quod secundum humanitatem Christus descendit, et ascendit.»

*Determinatio.*

*Distinctio.* Ly, secundum, quod in quæsito ponitur, duo significare potest, scilicet conditionem ascendentis et causam ascensionis.

1.ª Conclusio. Ascendere non convenit Christo, secundum conditionem divinæ naturæ.

Prob. dupliciter: Primo: ei quo nihil est altius non convenit ascendere. Sed divinitate nihil est altius. Ergo divinitati, nec Christo ratione divinitatis convenit ascendere.

Secundo: ascensio est motus localis. Sed divinæ naturæ non convenit motus localis. Ergo divinæ naturæ non convenit, ascendere, et per consequens, nec Christo convenit, secundum divinitatem ascendere.

2.ª Conclusio. Ascensio convenit Christo secundum conditionem humanæ naturæ.

Prob. quia humana natura continetur loco, et motui subjici potest.

Corollarium. Unde in hoc sensu, scilicet prout ly secundum, dicit conditionem ascendentis poterimus dicere, quod Christus ascendit in cœlum secundum quod homo, et non secundum quod Deus.

3.ª Conclusio. Si ly, secundum, designet causam ascensionis, dicendum est quod Christus ascendit in coelum, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus.

Prob., quia Christus ascendit in coelum, non virtute humanitatis, sed divinitatis.

Et confirmatur: quia Aug. dicit in Serm. 3. de ascensione, qui est 176. "De nostro fuit quod Filius Dei pependit "in cruce, sed de suo quod ascendit."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, dupliciter. Primo quod auctoritates illæ prophetice dicuntur de Deo, secundum quod erat incarnandus.

Secundo dicitur, quod ascendere, etsi non proprie conveniat divinæ naturæ, potest tamen ei metaphorice convenire, prout scilicet dicitur in cor hominis ascendere, quando cor hominis se subjicit et humiliat Deo. Et eodem modo metaphorice dicitur ascendere respectu cujuslibet creaturæ, ex eo quod eam subjicit sibi.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod duplex descensus attribuitur Christo. Unus quidem quo dicitur descendisse de coelo, qui descensus attribuitur Deo homini, secundum quod Deus. Non enim intelligendus est iste descensus secundum motum localem, sed secundum exinanitionem, qua cum in forma Dei esset servi formam suscepit. Sicut enim dicitur exinanitus, non ex eo quod suam plenitudinem amiserit, sed ex eo quod nostram parvitatem suscepit, ita dicitur descendisse de coelo, non quod coelum deseruerit, sed quia naturam terrenam assumpsit in unitatem personæ. Alius est descensus, quo descendit in inferiores partes terræ, ut dicitur ad Ephes. 4.

qui quidem est descensus localis, unde competit Christo secundum conditionem humanæ naturæ. Si igitur in antecedente sit sermo de priori descensu, verum est quod non descendit secundum quod homo, sed secundum quod Deus, assumendo naturam humanam, non deserendo coelum; sed tunc negatur conseq. Ad prob. dicitur quod idem est, qui descendit de coelo, et qui in coelum ascendit, sed secundum diversa in eo considerata. Descendit de coelo, secundum quod est Deus; et ascendit secundum quod est homo. Unde Aug. dicit in lib. 4. de Symb. cap. 7. « Quis est "qui descendit? Deus homo. Quis est "qui ascendit? idem ipse Deus homo. » Si vero sermo sit de descensu in inferiores partes terræ, falsum est antecedens: descendit quidem in inferiores partes terræ Deus, non secundum conditionem divinæ naturæ, sed secundum conditionem naturæ humanæ. Probatio autem loquitur de alio descensu, ut de se patet.

Ad 3. Dicitur ad antec. Quod Christus dicitur ascendisse ad Patrem in quantum ascendit ad concessum paternæ dexteræ quod quidem convenit Christo aliqualiter, secundum divinam naturam, aliqualiter vero secundum [humanam, ut dicetur quæst. 58. ar. 2. et 3.

## ARTICULUS III.

### *Utrum Christus ascenderit propria virtute.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non ascenderit propria virtute.

1. Ille qui assumitur et elevatur, non ascendit propria virtute. Sed Christus ascendens fuit assumptus et elevatus. Ergo Christus non ascendit propria virtute.

Maior probatur, quia qui assumitur et elevatur, ab alio movetur.

Minor prob. Quia Marc. ult. dicitur, quod "Dominus Jesus, postquam locu- "tus est discipulis, assumptus est in cœ- "lum. » Et Act. 1. dicitur. "Videnti- "bus illis elevatus est, et nubes susce- "pit eum ab oculis eorum. »

2. Qui habet corpus terrenum, non potest ascendere propria virtute. Sed Christus habebat corpus terrenum. Ergo Christus non ascendit propria virtute.

Maior prob., quia contra naturam corporis terreni est ferri sursum, motus autem qui est contra naturam ejus quod movetur, non potest esse ex propria virtute ejus, quod movetur. Sicut ferri sursum non potest esse ex propria virtute lapidis, quia ferri sursum est contra naturam lapidis.

3. Motus ille quo Christus ascendit, non fuit á virtute divina. Ergo Christus non ascendit propria virtute.

Conseq. prob., quia propria virtus Christi est virtus divina.

Anteced. prob., quia cum virtus divina sit infinita, motus ille fuisset in instanti, et sic non potuisset videntibus discipulis elevari in cœlum.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Isaiæ 63. dicitur: "iste formosus in "stola sua, gradiens in multitudine for- "titudinis suæ." Et Greg. dicit in Homil. ascens. 29. in Evang. "Notan- "dum est, quod Helias in curru dicitur "ascendisse, ut videlicet aperte demons- "traretur, quia homo purus adjutorio "indigebat alieno. Redemptor autem "noster, non curru, non angelis suble- "vatus legitur, quia qui fecerat omnia, "super omnia sua virtute ferebatur."

*Determinatio.*

*Distinctio.* Propria virtus Christi est duplex: una conveniens ei secundum naturam humanam; alia vero secundum naturam divinam.

Declaratur, quia in Christo est duplex natura, divina scilicet et humana; et secundum utramque naturam potest accipi propria virtus ejus.

*Subdistinctio.* Sed secundum huma-

nam naturam potest accipi duplex virtus Christi: una quidem naturalis, quæ procedit ex principiis naturæ; alia est virtus gloriæ.

1.ª Conclusio. Christus non ascendit in cœlum propria virtute naturæ humanæ naturali.

Et hæc est ex se manifestata, et eam probat secundum argum. inductum pro negativa: non enim natura humana habet virtutem naturalem ascendendi sursum.

2.ª Conclusio. Christus ascendit in cœlum propria virtute convenienti naturæ humanæ ex gloria animæ.

Quidam assignabant rationem hujus conclusionis ex hoc, quod arbitrantur in corporibus beatorum prædominari naturam cœlestis corporis. Ad cujus evidentiam est sciendum, quod isti dixerunt quod corpus glorificatum habet vim ascendendi sursum ex natura quintæ essentiæ, quæ (ut dicunt) est lux, quam ponunt esse de compositione humani corporis, et per eam elementa contraria conciliari in unum. Ita, quod in statu hujus mortalitatis, natura elementaris in corporibus humanis dominatur, et ideo secundum naturam elementi prædominantis corpus humanum naturali virtute deorsum fertur. In statu autem gloriæ prædominabitur natura cœlestis, per cujus inclinationem et virtutem corpus Christi, et alia sanctorum corpora feruntur in cœlum. Ex quibus sic potest secundum ipsos probari conclusio.

In cujus corpore prædominatur cœlestis virtus, sive quintæ essentiæ natura, propria virtute ascendit. Sed in corpore Christi glorificato prædominatur natura cœlestis, sive quinta essentia. Ergo corpus Christi propria virtute ascendit sursum.

Sed de hac opinione dictum est 1. p. qu. 76. artic. 7. Et amplius de ea agetur infra in sup. art. 1. in corp. quæstionis 84.

Hac ergo opinione prætermissa, alii assignant rationem prædictæ virtutis, ex parte animæ glorificatæ, ex cujus redundantia glorificabitur corpus, ut Aug. dicit ad Diosc. Epist. 56. Erit enim tanta obedientia corporis gloriosi ad animam beatam, ut August. dicit in lib. 22. de Civit. Dei cap. ult. ut «ubi volet spiritus, «ibi protinus erit corpus, nec volet ali- «quid spiritus, quod nec spiritum possit «decere, nec corpus.» Decet autem corpus gloriosum et immortale esse in loco cœlesti, sicut dictum est, et ideo ex virtute animæ volentis, corpus Christi ascendit in cœlum.

Ex quibus sic in forma prob. concl. Cujus anima et corpus sunt glorificata, ascendit propria virtute. Sed Christi anima et corpus post resurrectionem fuerunt glorificata. Ergo Christus ascendit propria virtute, convenienti humanæ naturæ ex gloria.

Maior prob., quia corporis gloriosi est integra obedientia ad animam gloriosam, ita ut ubi volet spiritus, sit corpus, et nihil vult spiritus, nisi deceat corpus: et cum corpus gloriosum deceat locus sursum cœlestis patriæ, sequitur quod corpus gloriosum virtute animæ gloriosæ sursum ascendat.

3.ª Conclusio. Christus ascendit in cœlum propria virtute divinitatis primo et principaliter. Secundo virtute animæ glorificatæ moventis corpus, prout vult.

Manifest. Quia sicut corpus efficitur gloriosum participatione animæ, *ita participatione Dei fit anima beata*, ut Aug. dicit tract. 23. in Joan. Unde prima origo ascensionis in cœlum est virtus divina.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod ille qui assumitur, et elevatur ab alio habente diversam virtutem ab eo, qui assumitur et elevatur, ab alio elevatur: non autem ille qui assumitur ab eo qui habet eamdem virtutem, cum eo qui assumitur. Tunc ad minorem dicitur, quod Christus est assumptus á Patre, qui non habet

aliam virtutem á Christo. Sicut igitur dicitur Christus propria virtute surrexisse, et tamen est suscitatus á Patre, eo quod eadem est virtus Patris et Filii: ita etiam ex propria virtute ascendit in cœlum, et tamen á Patre est elevatus et assumptus.

Ad 2. Dicitur, quod hoc argum. probat primam concl. videlicet, quod Christus non ascenderit per propriam virtutem naturalem corporis; ascendit tamen propria virtute, quæ est virtus divina; et propria virtute, quæ est animæ beatæ. Et licet ascendere sursum sit contra naturam humani corporis, secundum statum præsentem, in quo corpus non est omnino subjectum spiritui; tamen non erit contra naturam, neque violentum corpori glorioso, cujus tota natura est omnino subjecta spiritui.

Ad 3. Neg. antec. Ad prob. dicitur, quod etsi virtus divina sit infinita et infinite operetur, quantum sit ex parte operantis, tamen effectus virtutis ejus recipitur in rebus, secundum earum capacitatem, et secundum Dei dispositionem. Corpus autem non est capax, ut in instanti localiter moveatur, quia oportet quod commetiatur se spatio, secundum cujus divisionem dividitur tempus, ut dicitur 6. Phys. tex. 37. et ideo non oportet, quod corpus motum á Deo moveatur in instanti, sed movetur ea velocitate, qua Deus disponit.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christus ascenderit super omnes cœlos.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christus non ascenderit super omnes cœlos.

1. Ille qui est in cœlo, non ascendit super omnes cœlos. Sed Christus est in cœlo. Ergo Christus non ascendit super omnes cœlos.

Minor prob., quia in Psal. 10. dicitur. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.*

2. Ille qui habet corpus, non ascendit super omnes cœlos. Sed Christus ascendit cum corpore. Ergo Christus non ascendit super omnes cœlos.

Maior probatur, quia omne corpus oportet esse in loco, extra cœlum autem nullus est locus, ut prob. 1. cœl. text. 69.

3. Corpus cœleste est indivisibile. Ergo Christus non potuit ascendere super omnes cœlos.

Conseq. prob. Quia Christus cum suo corpore non potuit ascendere super omnes cœlos, non pertranseundo medios cœlos: nec suum corpus potuit esse simul cum corpore cœlesti in eodem loco. Ergo si debuit transire, necessarium erat dividere cœlum. Ex hoc igitur quod cœlum est indivisibile, sequi videtur quod corpus Christi non potuerit super omnes cœlos ascendere.

4. Qui elevatus fuit in nube, non potest ascendere supra omnes cœlos. Sed Christus elevatus fuit in nube. Ergo Christus non ascendit super omnes cœlos.

Maior probatur, quia nubes non possunt elevari supra cœlum.

Minor probat., quia Act. 1. dicitur: quod *nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

5. Corpus Christi non potest in perpetuum manere supra omnes cœlos. Ergo Christus non ascendit supra omnes cœlos.

Conseq. prob. quia ibi credimus in perpetuum Christum permansurum, quo ascendit.

Antecedens prob. Quia quod est contra naturam, non potest esse perpetuum. Sed quod corpus terrenum, quale erat corpus Christi, sit super cœlum, est contra ejus naturam. Ergo corpus Christi non potest in perpetuum supra cœlos manere.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dicitur ad Ephes. 3. *Ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.*

*Determinatio.*

Conclusio. Convenientissimum est

corpori Christi, quod sit super omnia corpora constitutum in alto.

Prob. Corpori, quod magis inter omnia corpora participat bonitatem divinam, convenientissimum est, quod sit super omnia corpora constitutum in alto. Sed corpus Christi inter omnia corpora magis participat bonitatem divinam. Ergo corpori Christi convenientissimum est, quod sit super omnia corpora constitutum in alto.

Maior manifestatur: quia quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem divinam, tanto sunt superiora corporali ordine, qui est ordo localis. Unde videmus quod corpora, quæ sunt magis formalia, sunt naturaliter superiora, ut patet per Phil. 4. Phys. et 2. de cœl. tex. 30. Per formam enim unumquodque participat divinum esse, ut patet 1. Phys. 1. 81.

Minor prob. Corpus gloriosum magis participat divinam bonitatem per gloriam, quam corpus naturale per formam suæ naturæ. Sed corpus Christi inter omnia corpora est maxime gloriosum. Ergo corpus Christi magis quam omnia alia corpora naturalia et gloriosa participat divinam bonitatem, et per hoc sibi inter omnia corpora debetur eminentior et excellentior locus.

Et confirmatur conclusio et ratio; quia super illud ad Ephes. 4. *Ascendens in altum*, dicit Glos. interl. *loco et dignitate.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod sedes Dei dicitur esse in cœlo, non sicut in continente, sed magis sicut in contento. Unde non oportet aliquam partem cœli eo superiorem esse; sed ipsum esse super omnes cœlos, secundum illud Psal. 8. *Elevata est magnificentia tua super cœlos.*

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod locus habet rationem continentis. Unde primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum cœlum. In tantum igitur corpus indiget esse in loco per se, in quantum indiget contineri á corpore cœlesti: corpora autem gloriosa, et maxime corpus Christi non indiget tali continentia, quia nihil recipit á corporibus cœlestibus, sed á Deo, mediante anima; unde nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam cœlestium corporum, et non esse in loco continente. Nec tamen oportet quod extra cœlum sit vacuum, quia nec est ibi aliqua potentia susceptiva alicujus corporis; sed potentia illud perveniendi est in Christo; quod autem Aristo. probat lib. 1. de cœl. text. 69. quod extra cœlum non est corpus; intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis, ut per ejus probationes, quas inducit, apparet.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod Christus ascendendo super cœlos, pertransivit alios cœlos medios, non dividendo cœlos, sed faciendo quod ejus corpus esset simul cum corporibus cœlestibus. Et quamvis de natura corporis non sit quod possit esse in eodem loco cum alio corpore; potest tamen hoc Deus facere per miraculum, sicut et fecit quod corpus Christi de clauso utero virginis exiret, et quod intraret januis clausis ad discipulos, ut Greg. dicit Homil. 26. Evangel. corpus ergo Christi simul potest esse cum alio Corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis; sed per divinam virtutem assistentem et hoc operantem.

Ad 4. Dicitur, quod maior est vera, quando nubes præbet adminiculum ascendenti in ea. Tunc ad minorem dicitur, quod nubes illa non præbuit adminiculum Christo ascendenti per modum vehiculi; sed apparuit in signum divinitatis, secundum quod gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube, ut Greg. dicit Hom. 29. in Evangel.

Ad 5. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod corpus gloriosum non habet ex principiis suæ naturæ, quod

possit in cœlum aut supra cœlum esse; sed habet hoc ex anima beata, ex qua recipit gloriam. Et sicut motus gloriosi corporis sursum non est per violentiam, ita nec quies est violenta. Unde nihil prohibet eam esse sempiternam.

## ARTICULUS V.

### *Utrum corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spiritualem.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Corpus Christi non ascenderit super omnem creaturam spiritualem.

1. Eorum quæ non dicuntur secundum unam rationem, non potest convenienter fieri camparatio. Sed locus non eadem ratione attribuitur corporibus, et spiritualibus creaturis, ut patet ex his quæ dicta sunt 1. par. quæst. 53. Ergo videtur, quod non possit dici corpus Christi ascendisse super omnem creaturam spiritualem.

2. Nobiliori rei sublimior debetur locus. Sed *omni corpori spiritus præfertur*, ut August. dicit in lib. de ver. Relig. cop. 55. Ergo Christus non ascendit super omnem spiritualem creaturam.

3. Nullus est locus super omnem spiritualem creaturam. Ergo corpus Christi non potuit ascendere super omnem spiritualem creaturam.

Anteced. prob., quia in omni loco est aliquod corpus, cum nihil sit vacuum in natura.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Ad Ephes. 2. dicitur: «constituit illum,» scilicet Christum «super omnem «principatum et potestatem et supra omne nomen, quod nominatur, sive in hoc «sæculo, sive in futuro.»

*Determinatio.*

Conclusio. Corpori Christi debetur locus altior ultra omnem creaturam, etiam spiritualem.

Prob. Corpori, quod excedit dignitatem omnium spiritualium substantiarum, debetur locus altior, etiam ultra creaturam spiritualem. Sed corpus Christi excedit dignitatem omnium substantiarum spiritualium. Ergo corpori Christi debetur locus altior, non solum supra omnia corpora; sed etiam ultra omnem creaturam spiritualem.

Maior manifestatur, quia tanto alicui rei debetur altior locus, quanto est nobilior: sive debeatur ei locus per modum contactus corporalis, sicut corporibus; sive per modum contactus spiritualis, sicut spiritualibus substantiis. Et exinde est, quod spiritualibus substantiis debetur secundum quamdam congruentiam locus cœlestis, qui est supremus locorum; quia ille substantiæ sunt supremæ in ordine substantiarum. Nobilissimo igitur corpori nobilissimus debetur locus. Et si excedat nobilitatem spiritualium substantiarum, debetur ei super substantias spirituales locus.

Minor manifestatur. Corpus enim Christi, etsi considerando conditiones naturæ corporeæ, sit infra spirituales substantias, considerando tamen dignitatem unionis, qua est personaliter Deo conjunctum, excellit dignitatem omnium substantiarum spiritualium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod maior est vera de his, quæ in nulla una ratione conveniunt; si autem conveniant in una aliqua ratione, potest inter illa fieri comparatio. Tunc ad minorem dicitur, quod licet alia ratione attribuatur locus corporali et spirituali substantiæ, tamen hoc est in utraque ratione commune, quod digniori rei attribuitur superior locus.

Ad 2. Dicitur ad minorem. Quod est vera de corpore Christi, secundum conditionem naturæ corporeæ, non autem secundum rationem unionis.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod comparatio ista potest attendi dupliciter: vel secundum rationem locorum, et sic nullus locus excedit dignitatem substantiæ spiritualis; alio modo secundum dignitatem eorum, quibus attribuitur locus.

Et sic corpori Christi debetur, ut sit supra spirituales creaturas.

## ARTICULUS VI.

*Utrum ascensio Christi sit causa nostræ salutis.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod ascensio Christi non sit causa nostræ salutis.

1. Christus per suam ascensionem nihil nobis meruit. Ergo Christi ascensio non est causa nostræ salutis.

Antecedens prob. Quia ascensio pertinet ad exaltationis ejus præmium, quod non est idem cum merito, sicut nec via est idem quod terminus.

Conseq. probat., quia Christus fuit causa nostræ salutis, in quantum salutem nostram meruit.

2. Ascensio Christi non est causa ascensionis nostræ. Ergo ascensio Christi non est causa salutis nostræ.

Antecedens prob. Quia causa nostræ ascensionis fuit passio Christi; dicitur enim ad Heb. 10. "Habemus fiduciam in "introitu sanctorum per sanguinem ipsius. »

Consequentia prob. Quia si ascensio Christi esset causa nostræ salutis, maxime hoc videtur quantum ad hoc quod ascensio ejus sit causa nostræ ascensionis.

3. Salus nobis per Christum collata est sempiterna, secundum illud Isaiæ 51. *Salus autem mea in sempiternum erit.* Sed Christus non ascendit in cœlum, ut ibidem in sempiternum esset. Ergo ejus ascensio non est causa nostræ salutis.

Minor prob., quia Act. 1. dicitur: « quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet. » Legitur etiam multis sanctis se demonstrasse in terris post suam ascensionem, sicut de Paulo legitur Act. 9.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 16. dicitur: *Expedit vobis, ut ego vadam*, idest per ascensionem á vobis recedam.





*Determinatio.*

Conclusio. Ascensio Christi est causa nostræ salutis.

Prob. Est enim causa salutis nostræ ascensio Christi dupliciter. Uno modo ex parte nostra: alio modo ex parte ipsius. Ex parte quidem nostra est causa nostræ salutis, quia per ascensionem Christi movetur mens nostra in ipsum Christum, et hoc quadrupliciter. Primo datur locus fidei. Secundo spei. Tertio charitati, ut dictum est art. 1. ad 3. Quarto reverentia nostra augetur ad ipsum, dum jam non existimamus eum sicut hominem terrenum; sed sicut Deum cœlestem, sicut et Apost. dicit 2. Cor. 5. «Et si cognovimus secundum carnem «Christum» idest mortalem, per quod putavimus eum tantum hominem, ut Glos. ord. et interl. exponit, «sed nunc jam « non novimus. »

Ex parte autem sua, Christi ascensio est causa nostræ salutis, quantum ad ea quæ fecit, ascendens propter nostram salutem.

Primo quidem viam nobis præparavit ascendendi in cœlum, secundum quod ipse dicit Joan. 14. *Vado parare vobis locum:* Et Mich. 2. *Ascendit pandens iter ante eos.* Quia enim ipse est caput nostrum, oportet illuc sequi membra, quo caput præcessit. Unde dicitur Joan. 14. *Ut ubi ego sum, et vos sitis.* Et in hujus signum, animas sanctorum, quas ab inferno eduxerat, in cœlum traduxit, secundum illud Psal. 67. «Ascendens in alt« tum, captivam duxit captivitatem, » quia scilicet eos qui fuerant á diabolo captivati, secum duxit in cœlum, quasi in locum peregrinum humanæ naturæ, bona captione captivos, utpote per victoriam acquisitos.

Secundo, quia sicut Pontifex in veteri testamento intrabat sanctuarium, ut assisteret Deo pro populo, ita « Christus « intravit cœlum ad interpellandum pro « nobis, » ut dicitur ad Heb. 7. Ipsa enim repræsentatio sui ex natura hu-

mana, quam in cælum intulit, est quædam interpellatio pro nobis, ut ex quo Deus humanam naturam sic exaltavit in Christo, etiam eorum misereatur, pro quibus Filius Dei humanam naturam assumpsit.

Tertio, ut in cœlorum sede quasi Deus et Dominus constitutus, exinde divina dona hominibus mitteret, secundum illud ad Ephes. 4. *Ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia*, scilicet *donis suis*, secundum Glosam interl.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod Christus fuit causa nostræ salutis, non solum per modum meriti, sed etiam per modum efficientis. Fuit causa per modum meriti per suam passionem; per ascensionem autem fuit causa per modum efficientis, ut etiam de resurrectione dictum est in quæst. 56. art. 1. ad 3.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod causa nostræ ascensionis fuit et passio et ascensio, diverso tamen modo. Passio enim Christi est causa nostræ ascensionis in cœlum proprie loquendo per remotionem peccati prohibentis et per modum meriti. Ascensio autem Christi est directe causa ascensionis nostræ, quasi inchoando ipsam in capite nostro, cui oportet membra conjungi.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod Christus ascendens in cœlum, adeptus est sibi et nobis in perpetuum, jus et dignitatem mansionis cœlestis, cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus quandoque corporaliter ad terram descendat, vel ut ostendat se omnibus, sicut in judicio faciet, vel ut ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo, ut legitur Act. 9. Et ne quis credat hoc factum fuisse, Christo, ibi non corporaliter præsente, sed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc, quod ipse Apost. dicit 1. Cor. 15. ad confirmandam resurrectionis fidem. «Novissime omnium tamquam «abortivo visus est et mihi.» Quæ quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo.

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 57.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Albanensium* dicentium, quod Christus in cœlum non ascendit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á symbolo fidei catholicæ per ly *ascendit ad cælos*. Item ab Act. 1. " Videntibus illis elevatus est; et nubes suscepit eum ab oculis eorum: » etc. Item Marc. 16. " Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum. » Item á Psalm. 67. " Ascendisti in altum, cepisti captivitatem. » Quod propheta de Christo adimplendum propter certitudinem dixit in præterito, et Apostolus jam adimpletum de eodem prædicavit Eph. 4. " Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos. » Item ab Ecclesia catholica per hoc, quod solemnissime celebrat, et multifarie in ipsis officiis protestatur admirabilem ascensionem Christi. Quam magnæ vero autoritatis sit consuetudo Ecclesiæ catholicæ, vide 2. 2. qu. 10. art. 12. corp. Item á Jo. 20. *Ascendo*, etc. ut *in arg. cont.* Hoc est, mihi ex nunc congruit ascendere (ut in ad 4.) et tempore suo actualiter ascendam. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem, tamquam in fundamento, subruas, et interimas hæresim *Apellitarum* dicentium, quod Christus sine carne et resurrexit,

et in cœlum ascendit. Et hæresim *Carpocratianorum* dicentium, quod Christi anima, post crucifixum corpus, fuit in cœlum recepta, caro autem in terra dimissa, nec umquam glorificata. Et hæresim *Seleuciani* dicentis, quod Christus carnem spoliavit, antequam in cœlum conscenderet, et in sole posuit. Et hæresim *Passionistarum* dicentium, quod Christus in passione ita carnem dimisit, et in cœlum sic ascendit, ut non sit jam in carne divinitas: neque enim (inquiunt) post passionem surrexit in carne, neque cum carne ascendit. Articulus namque præsens per hoc, quod dicit, Christum, secundum quod homo est, ascendisse, securim ponit ad radicem, id, quod est funditus subruere omnes prædictas hæreses. Nam, si, secundum quod homo, ascendit, utique carnem humanam neque in passione, neque in terra dimisit, et ipsam neque spoliavit, neque in sole posuit: sed cum eadem, quam prius habebat, in cœlum ascendit. Cæterum illas ipsas hæreses, pro quanto dicunt, Christum non surrexisse in carne, neque cum carne glorificata, impugnat, et expugnat per rationem quæst. 54. art. 1. 3. et per scripturas in eorumdem Elucid. append. Similiter contra eas, pro quanto divinitatem Christi post passionem non esse in carne dicunt, militat efficaciter qu. 50. art. 2. 3. et ibi Elucid. app. Sat erit ergo nunc illas, in quantum Christum sine carne dicunt ascendisse, tamquam directe contra præsentem articulum existentes, esse damnatas á scripturis, etc. demonstrare. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, eas merito condemnari ab Ephes. 4. cum Glos. secundum quod est *in arg. cont.* Item á Concilio *Lateranensi* sub *Innoc. III.* in de sum. Trinit. et fid. cath. " Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, etc. quod unigenitus Dei Filius á tota Trinitate communiter incarnatus ex Maria semper Virgine, etc. descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, ascendit in coelum, sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque. » Item ab Isai. 63. " Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus. » Hæc enim sunt verba in persona angelorum dicta (secundum Dionys. in libr. de coel. hierar.) admirantium, Christi ascendentis carnem esse rubricatis vulneribus stigmatizatam, ascendit enim cum cicatricibus, qu. 54. art. 4. quæ proculdubio non affuissent ibi, nisi Christus cum corpore, quod crucifixum fuerat, ascendisset. Item ad Ephes. 2. " Conresuscitavit nos, et consedere fecit in coelestibus, in Christo Jesu. » Quod utique dicitur ad denotandum, quod Christus resurrexit, ascendit, et ad Patris dexteram sedet cum carne nobis consubstantiali. Item ab Ecclesia, dum inter multa hoc ipsum de Christo eum ascendentem in missis, officiisque manifestantia dicit in hymno ascensionis: *Regnat Deus, Dei caro. Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem, interimas hæresim cujusdam á simili de resurrectione, ut supra art. num. 297. append. dicentis, quod Christus non ascendit propria virtute divina. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab Isa. 63. secundum quod cum D. Greg. ponitur *in arg. cont.* Item á dictis ibid. art. 297. pro quanto possunt á simili adaptari ad propositum ascensionis; maxime demonstrando, quod Christus ascendens est verus Deus per loca inibi citata. Patet enim omnibus, quod Deus verus propria virtute potest non solum corpus illud elevare in coelum, sed et quæcumque alia facere, etiam supra id, quod nos intelligimus, quoniam Deus ipse est omnipotens, 1. qu. 25. art. 2. 3. et in veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 1. concl. 1. etc. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus ascendit super omnes coelos, ut Psalm. 18. " Á summo coelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. » Usque ad summum ejus, » idest, super omnes coelos. Vide art. 2. ad 2. Item Hebr. 7. *Excelsior cœlis factus.* De Christo enim dicit hoc. *Excelsior cœlis factus*, idest, super omnes coelos, et nullam coelorum partem habet seipso superiorem. Item per hoc, quod dicitur Luc. 14. *Dicebat ad invitatos parabolam, intendens, quomodo primos recubitus eligerent,*

etc. Ibi enim constat, quod recumbens in novissimo loco vocatur postea ad locum superiorem, in quo sibi gloria est coram discumbentibus. Secundum ergo hanc parabolæ regulam denotatur, quod Christus ascendit super coelorum locum superiorem, quod est ascendisse super omnes coelos. Christus enim à Patre missus in hunc mundum ad desponsandum Ecclesiam sanctam, et consequenter á patre missus ad nuptias, recubuit semper ante mortem in novissimo loco. Nam et nascitur in vilissimo loco, idest in stabulo inter bovem, atque asinum: et conversatur pene sine ullius æstimationis loco, dum scilicet non habet, ubi caput suum reclinet, vulpibus in hoc, atque coeli volucribus pauperior, Luc. 9. Et moritur in turpissimo loco, scilicet Calvariæ, loco damnatorum, necnon in cruce, patibulo maledictorum, Deut. 21. ut etiam quoad locum, atque patibulum dicere possit illud Psalm. 17. *Dolores inferni circumdederunt me.* Vide q. 50. art. 2. vel 3. append. Relinquebatur ergo secundum scripturam illam, quod assumptus á Deo esset Christus ad locum omni alio superiorem, in quo esset *sibi gloria* præ, et *coram simul discumbentibus*, idest omnibus cæteris comprehensoribus. Item ab Apost. Eph. 4. qui dicturus id, quod præsens art. habet *in arg. cont.* quasi exponens præmissæ parabolæ regulam ante dixerat ly " quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? » Ac si aperte diceret: Christo debebatur talis super omnes coelos ascensus ex sua infra terrarum viscera humilitate. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito à scripturis insinuatum esse, quod Christus ascendit corpore super omnem creaturam spiritualem. Ut per dictum Ephe. 1. constituit, et secundum quod ponitur *in arg. cont.* Item per dictum Heb. 1. " Novissime Deus locutus est nobis in filio suo, etc. Sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.» His enim verbis filium incarnatum, in quo sane Deus novissime nobis locutus est, ascendisse super omnem creaturam spiritualem, docet Apost.: alioquin, ut patet, non sederet nunc ex tempore ad dexteram majestatis in excelsis melior angelis effectus. Item per dictum Phil. 2. " Propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. » Ubi nota ly *propter quod*, idest propter dictam humilem obedientiam ejus. Ad planum ergo sensum loquitur de Christo quantum ad humanam naturam. Constat ergo ad literam ibi, quod Christus quoad humanitatem suam, qua crucifixus est, idest etiam secundum corpus, habet nomen super omne nomen, idest dignitatem realem, nomen siquidem refert rem, quam significat, secundum Phil. supra omnem aliam realem dignitatem creatam etiam spiritualium substantiarum. Dico ly *creatam*, quia illa dictio universalis, scilicet omne, non tenetur universaliter absolute, sed tantum universaliter accommode, idest in genere tali, scilicet, creaturarum. In cujus signum Christus loquens de ascensione, qua ivit ad patrem, dixit Joan. 14. *Vado ad patrem, quia pater major me est.* Hoc est, stando in isto proposito. Vado ascendere ad patrem, et tanta erit excellentia magnitudinis humanæ naturæ per talem ascensionem sibi collatæ, ut solus pater, cointellige et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, 1. qu. 31. art. 3. 4. sit major me secundum humanitatem meam. Per hoc ergo intelligi datur non solum, quod ex obedientia ad Patrem, qui Christo secundum humanitatem major est, ascendebat in coelum, qui sensus est planior, sed etiam istud ad primum illud consequens, scilicet, quod Christi humanitas remanet ibi omnibus aliis rebus major. Item per dictum Apocal. 18. " Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum. » Ab oppositis enim connotat etiam hanc regulam, scilicet: quantum humiliavit se, et in poenis fuit, tantum date ei honorem, et gaudium. Cum igitur Christus humiliaverit se, et in poenis fuerit, plusquam omnes creaturae, ut patet de humilitate, Phil. 2. et de poenis psal. 74. Nam calix Christi fuit *vini meri*, q. 46. art. 6. caeterorum autem fuit *plenus mixto*, scilicet per consolationem, sequitur quod apocalypsis ipsa ab oppositis dixerit ad propositum, quo homo

Christus in ascensione ad coelos adeptus est ex divina justitia honorem, exaltationem, et gaudium supra omnes creaturas, quaecumque sint illae, scilicet, tum factae, tum factibiles. *Secundo* consequenter ex dictis habes: reprobatam merito esse haeresim *Metamorphistarum* dicentium, corpus Christi, cum ascendit in coelum plane Deum esse factum, et hoc scilicet corpus Christi esse Deum, omnino proprie dici debere. Articulus enim praesens, maxime junctus art. 4. cum totam corporis Christi dignitatem dependere supponat ex participatione bonitatis divinae, pro certo tenendum esse relinquit, quod tunc corpus Christi non est factum Deus, et hujus contrarium non tantum improprie, sed etiam falsissime dici, atque ideo haeresim praedictam efficaciter impugnat, et expugnat. Pro ampliori quoque ejus damnatione vide supra art. num. 109. 145. Elucid. et 1. pa. qu. 14. art. 16. et qu. 75. ar. 7. Elucidat. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim Pauperum de Lugduno, (ut refert Car. Turrecrem. De ecclesia lib. 4. c. 35.) dicentium: post ascensionem Christi nulla esse servanda statuta ecclesiæ, nec alicujus esse valoris. Constat, enim, quod, data ista hæresi, ascensio Christi fuisset causa diminutionis nostræ salutis et consequenter fuisset causa nostri damni. Diminuitur namque salus nostra ex eo, quod minus adstringimur ad observantiam mandatorum divinorum, quoniam tanto quis est melioris conditionis, quanto magis conjungitur Deo, quod fit per custodiam mandatorum ipsorum á Charitate procedentem. Doctrinam hanc tradit S. Thom. his verbis in 1. 2. qu. 98. art. 5. ad secundum. " Homo, quantum Deo magis conjungitur, tanto efficitur melioris conditionis, et ideo, quanto populus Judæorum erat adstrictus magis ad divinum cultum, dignior erat aliis populis: unde dicitur Deut 4. Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, justaque judicia, et universam legem? Simiter etiam, quantum ad hoc sunt melioris conditionis clerici, quam laici, et religiosi, quam sæculares." Ubi ex eo quod ad plura servanda obligabantur Judæi, quam Gentiles (ut argumentum concluserat) salutis majoris causam esse datam Judæis ipsis, quam Gentilibus, manifestum esse vult. Nec hoc diminuit veram hominis libertatem, scil. adstringi mandatis divinis: immo eam auget, et dicere contrarium est astuta tentatio hominum diabolicorum, ut de his omnibus patet in veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 3. concl. 1. 2. et Num. 2. conc. 10. et Exod. 18. conc. 1. Item 2. a. num. 81. 217. 552. Elucid. Quod vero mandata ecclesiæ sint mandata divina, idest á Deo profecta, non quia Ecclesia sit Deus, sed quia est loco Dei, patet per dictum Christi ad ecclesiam ipsam Luc. 10. *qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Salutiferum ergo vehementer est, statutis Ecclesiæ servandis obligari, et oppositum est damnificum. Cæterum ( quoad ultimam partem illius hæresis, quis non videat, quod ascensio Christi fuisset causa damni ecclesiæ, si ex hoc, quod Chrystus jam ascendisset, sequeretur, quod deinceps statuta Ecclesiæ nullius essent valoris? Igitur, cum sanctus Doctor demonstret in art. præsenti, quod Christi ascensio est causa nostræ salutis, patet quod hæresim illam efficaciter hic oppugnat, et expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ( ut explicatum et applicatum est ) ostendas, illam merito damnari á Joa 16. Expedit, etc. *in arg. cont.* Item á Symbolo fidei per hoc, quod Patres Conc. Nicæni exponendo dicunt: " Qui propter nos homines, et propter nostram salutem ascendit in coelum. Ubi. nota quod ly propter nos homines, et propter nostram salutem, cadit super singulos art. sequentes. ita, ut dicamus hæc omnia esse de fide, scilicet: Qui conceptus est, propter nos, et propter nostram salutem: Natus est, propter, etc. Descendit ad inferos, propter, etc. Tertia die resurrexit, propter, etc. Ascendit in coelum, propter, etc. Sedet ad dexteram Patris propter, etc. Venturus est judicare vivos et mortuos, etc. propter nos homines, et propter nostram salutem. » De fide ergo firmissime tenendum est, quod et ascensio Christi, et singula præmissa humanitatis ejus mysteria sunt causa nostrae salutis. *Tertio* vides: quomodo, etc.

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA OCTAVA,

### DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM PATRIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de sessione Christi ad dexteram Patris.

*Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, utrum Christus sedeat ad dexteram Dei Patris.

Secundo, utrum hoc conveniat sibi secundum divinam naturam.

Tertio, utrum conveniat sibi secundum humanam naturam.

Quarto, urum hoc sit proprium Christi.

### ARTICULUS I.

*Utrum Christo conveniat sedere ad dexteram Patris.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod Christo non conveniat sedere ad dexteram Dei Patris.

1. Nihil corporale convenit Deo. Sed dextera, et sinistra sunt differentiæ positionum corporalium. Ergo videtur, quod Christus non sedeat ad dexteram Patris.

Maior prob., quia *Deus spiritus est*, ut habetur Joan. 4.

2. Si Christus sedet ad dexteram Patris sequitur, quod Pater sedeat ad sinistram Filii, quod est inconveniens.

Consequentia patet, quia si aliquis sedet ad dexteram alicujus, ille sedet ad sinistram ejus.

3. Sedere et stare videntur habere oppositionem ad invicem. Sed Stephanus dicit Act. 7. "Ecce video cœlos apertos, "et Filium hominis stantem à dextris "virtutis Dei." Ergo videtur, quod Christus non sedeat ad dexteram Patris.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Marc. ult. Dicitur: «Dominus quidem «Jesus, postquam locutus est eis, ascendit «in cœlum, et sedet á dextris Dei.»

*Determinatio.*

Conclusio. Christo convenit sedere ad dexteram Patris. Quæ conclusio primo declaratur, deinde probatur. Nomine enim sessionis duo significari possunt, scilicet quies secundum illud Lucæ ult. *Sedete hic in civitate*; et regia, vel judiciaria potestas, secundum illud Prov. 20. "rex qui sedet in solio judicii, dis-"sipat omne malum intuitu suo." Et utroque modo convenit Christo sedere ad dexteram Patris. Dextera etiam Dei Patris duo significare potest, vel Patris beatitudinem, secundum illud Psal. 15. "Delectationes in dextera tua usque in "finem." Vel potestatem Patris, unde sedere ad dexteram Patris, est Patri conregnare, sive conjudicare; et utroque etiam horum modorum Christus ad dexteram Patris sedere intelligitur. Sensus ergo conclusionis est, quod Christo convenit sedere, idest quiescere in beatitudine Patris, et habere regiam et judiciariam potestatem Patris, cum quo judicium exercet, et ei conregnat.

Probatur conclusio, quoad utramque partem. Et quod Christo conveniat sedere, idest quiescere, seu habitare in beatitudine Patris, ostenditur, quia Christus æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris. Unde August. dicit lib. 1. de symbolo cap. 4. "Sedet "ad dexteram Patris; sedere, habitare "intelligite, quomodo dicimus de quo-"cumque homine, in illa patria sedit per "tres annos. Sic ergo credite Christum "habitare in dextera Dei Patris; beatus "enim est, et ipsius beatitudinis nomen "est dextera Patris."

Quod vero Christo conveniat sedere ad dexteram Patris, secundum quod sedere est conregnare, ostenditur, quia Christus assidet Patri regnando, et judicando. Unde August. dicit in 2. lib. de symb. cap. 7. "Ipsam dexteram intelligite po-"testatem, quam accepit ille homo sus-"ceptus á Deo, ut veniat judicaturus, "qui prius venerat judicandus."

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quando dicimus Christum sedere ad dexteram, non accipitur dextera, ut est

localis corporeorum locorum differentia. Dicit enim Dam. in 4. lib. ort. fid. cap. 2. "Non localem dexteram Patris dici- "mus. Qualiter enim qui incircumscrip- "tibilis est, localem adipiscetur dexte- "ram? dextera enim et sinistra, eorum "quæ circumscribuntur sunt. Sed dexte- "ram Patris dicimus gloriam et honorem "divinitatis."

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod ratio illa procedit, secundum quod sedere ad dexteram intelligitur corporaliter. Unde August. dicit in lib. 1. de symb. cap. 4. "Si carnaliter "acceperimus, quod Christus sedet ad "dexteram Patris, ille erit ad sinistram. "Ubi autem» (scilicet in æterna beatitudine) «omnis dextera est, quia nulla est "ibi miseria.»

Ad 3. Dicitur ad anteced. quod sedere et stare, secundum quod in corporalibus dicuntur, habent oppositionem, non autem secundum quod secundum similitudinem accipiuntur in spiritualibus, sicut in proposito, unde Gregorius dicit Hom. 29. Evang. "Sedere "judicantis est, stare vero pugnantis, "vel adjuvantis: Stephanus ergo in la- "bore certaminis positus, stantem vidit "quem adjutorem habuit. Sed hunc "post ascensionem Marc. sedere descri- "bit, quia post ascensionis suæ gloriam "judex in fine videbitur.»

## ARTICULUS II.

*Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo, secundum quod Deus.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod sedere ad dexteram Patris non conveniat Christo, secundum quod Deus.

1. Ei qui est ipsa dextera Patris, non convenit sedere ad dexteram Patris. Sed Christus in quantum Deus, est ipsa dextera Patris. Ergo Christo in quantum est Deus, non convenit sedere ad dexteram Patris.

Maior prob., quia non videtur idem esse dextera alicujus, et ille qui sedet ad dexteram ejus.

Secundo, Christus non est assumptus in cœlum secundum quod Deus. Ergo Christus non sedet ad dexteram Patris, secundum quod Deus.

Conseq. prob., quia Marc. ult. dicitur quod "Dominus Jesus assumptus est in "coelum, et sedet á dextris Dei," ex quibus verbis videtur sequi, quod sit á dextris, secundum quod est assumptus in coelum.

3. Christus secundum quod Deus, est æqualis Patri et Spiritui Sancto. Ergo si Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris, pari ratione Spiritus Sanctus sedebit ad dexteram Patris et Filii, et ipse Pater ad dexteram Filii et Spiritus Sancti; quod tamen nusquam invenitur in scripturis.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Dam. dicit in 4. lib. cap. 2. quod dexteram Patris *dicimus gloriam, et honorem divinitatis*, in qua Filius Dei extat ante sæcula, ut Deus et Patri consubstantialis.

*Determinatio.*

Conclusio. Christus secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris.

Prob. Ei qui habet simul cum Patre gloriam divinitatis et beatitudinem et judiciariam potestatem, immutabiliter et regaliter convenit ad dexteram Dei Patris sedere. Sed Christus, secundum quod Deus, habet simul cum Patre gloriam divinitatis et beatitudinem et judiciariam potestatem, et hoc immutabiliter et regaliter. Ergo Christus secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris.

Maior prob., quia sicut patet ex dictis in art. præced., nomine dexteræ tria intelligi possunt. Secundum Dam. lib. 4. cap. 2. *Gloria divinitatis.* Secundum August. lib. 1. de symb. cap. 4. *Beatitudo Patris.* Et secundum eumdem *judiciaria potestas.* Sessio autem, ut etiam art. præced. dictum est, inhabitationem, vel regiam, seu judiciariam dignitatem designat. Sedere igitur ad dexteram

Patris nihil aliud est, quam simul cum Patre habere gloriam divinitatis et beatitudinem et judiciariam potestatem, immutabiliter et regaliter. Ille igitur, qui hæc sic habet, sedet ad dexteram Patris.

Deinde declaratur conclusio quantum ad illam præpositionem, ad; hæc enim præpositio, ad, quæ transitiva est, solam distinctionem personalem importat et ordinem originis, non autem gradum naturæ, vel dignitatis, qui nullus in divinis personis invenitur, ut in 1. par. quæst. 42. art. 3. dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod nomen dexteræ in divinis accipitur dupliciter, uno modo, secundum quod appropriatur uni personæ divinæ; et sic Filius dicitur dextera Patris, sicut et virtus Patris. Et hoc modo Filius non sedet ad dexteram, sed est ipsa dextera Patris. Alio modo accipitur dextera, secundum significationes tres prædictas in corpore. Et sic Filius non est dextera, sed sedet ad dexteram Patris. Et ad formam, negatur minor; Filius enim non est dextera, secundum quod hic accipitur dexteræ nomen, sed sedet ad dexteram.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod Christus, secundum quod homo, est assumptus ad divinum honorem, qui in prædicta sessione designatur. Ille tamen divinus honor convenit Christo, in quantum est Deus non per aliquam assumptionem, sed per æternam originem.

Ad 2. Negatur conseq. Quod enim Pater sedeat ad dexteram Filii et Spiritus Sancti, nullo modo potest dici, quia Filius et Spiritus Sanctus trahunt originem á Patre, et non é converso. Sed Spiritus Sanctus potest quidem proprie dici quod sedeat ad dexteram Patris, vel Filii secundum sensum prædictum, tamen secundum quamdam appropriationem, sedere ad dexteram, attribuitur Filio, cui appropriatur æqualitas, sicut dicit Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 5. quod «in "Patre est unitas, in Filio æqualitas, in "Spiritu Sancto unitatis', æqualitatisque "connexio.»

## ARTICULUS III.

*Verum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo, secundum quod homo.*

*Pro negativa.*—Videtur, quod sedere ad dexteram Patris non conveniat Christo, secundum quod homo.

1. Christo secundum quod homo, non convenit gloria et honor divinitatis. Ergo videtur quod Christus secundum quod homo, non sedeat ad dexteram Patris.

Conseq. prob., quia Dam. dicit in 4. lib. c. 2. *Dexteram Patris dicimus gloriam et honorem divinitatis.*

2. Christus secundum quod homo est subjectus Patri, ut dicitur 1. Cor. 15. Ergo videtur quod Christus secundum quod homo non sedeat ad dexteram Patris.

Conseq. prob., quia sedere ad dexteram regnantis, subjectionem excludere videtur; qui enim sedet ad dexteram regnantis, quodammodo illi conregnat: qui igitur est subjectus, non sedet ad dexteram ejus, cui est subjectus.

3. Esse æqualem Deo non convenit Christo, in quantum est homo. Sed sedere ad dexteram Dei Patris est esse Patri æqualem. Ergo sedere ad dexteram Dei Patris non convenit Christo, secundum quod est homo.

Maior prob., quia Christus de se loquens, secundum quod est homo, dicit Joan. 14. *Pater maior me est.*

Minor probat., quia super illud Rom. 8. *Qui est ad dexteram Dei*, dicit Glos. ex Ambros. idest «æqualis Patri in ho-"nore, quo Deus Pater est, vel ad dex-"teram Patris, idest in potioribus bo-"nis Dei.» Et super illud ad Hebr. 1. "Sedet ad dexteram majestatis in ex-"celsis,» dicit Glos. interl. «idest ad "æqualitatem Patris super omnia et lo-"co et dignitate.»

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

August. in lib. 2. de Symb. cap. 7. dicit: « Ipsam dexteram intelligite potes- " tatem, quam accepit ille homo suscep- " tus á Deo, ut veniat judicaturus, qui " prius venerat judicandus.

*Determinatio.*

1.ª *Distinctio.* Nomine dexteræ Patris intelligitur, vel ipsa gloria deitatis ipsius, vel ejus beatitudo æterna, vel potestas judiciaria et regalis.

Præpositia illa (ad) duo designat, scilicet quemdam accesum ad dexteram, qui accessus duo includit, scilicet convenientiam inter accedentem, et eum ad quem fit accesus et distinctionem inter utrumque, scilicet inter Patrem, et Filium.

2.ª *Distinctio.* Hæc autem convenientia et distinctio inter Patrem et Christum, potest intelligi tripliciter. Uno modo ut sit convenientia in natura, et distinctio in persona. Alio modo in gratia unionis quæ é converso importat distinctionem naturæ, scilicet humanæ et divinæ, et unitatem suppositi, scilicet Verbi, quod in utraque natura subsistit.

Tertio modo potest prædictus accessus intelligi secundum gratiam habitualem. Et sic significatur convenientia in habituali gratia, et distinctio dantis et recipientis ipsam.

3.ª *Distinctio.* Ly, secundum quod homo, potest designare duo, scilicet vel conditionem naturæ humanæ, vel unitatem suppositi.

1.ª Conclusio. Christus secundum quod ly (ad) dicit convenientiam in natura, sedet ad dexteram Patris, idest habet gloriam deitatis Patris.

Manifestatur, quia Christus habet eamdem naturam cum Patre. Unde ea quæ prædicta sunt, scilicet gloria deitatis, beatitudo æterna, et potestas judiciaria et regalis, conveniunt essentialiter Christo, secundum quod est Dei Filius, sicut et Patri. Et hoc est esse in æqualitate Patris, et ad ejus dexteram sedere.

2.ª Conclusio. Christus, secundum quod homo, est ad dexteram Patris, si tamen ly, secundum, non designet conditionem humanæ naturæ, sed unitatem suppositi.

Manifestatur. Quia illud suppositum Christi subsistens in natura humana, est Filius Dei, ac per hoc sedet ad dexteram Patris.

3.ª Conclusio. Christus, secundum quod homo, idest secundum humanæ naturæ conditionem, sedet ad dexteram Patris, idest in bonis paternis potioribus, præ cæteris creaturis.

Manifestatur. Quia Christus secundum quod homo, habet maiorem beatitudinem, quam habeant cæteræ creaturæ, et habet judiciariam potestatem super omnes creaturas.

4.ª Conclusio. Si designetur unitas suppositi Christi, Christus secundum quod homo, est ad dexteram Patris, secundum æqualitatem honoris.

Manifestatur. Quia eodem honore veneramur Filium Dei cum natura assumpta, ut dictum est quæst. 25. art. 1.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod Christus secundum conditionem humanæ naturæ assumptæ, non habet gloriam et honorem deitatis; tamen eam habet ratione personæ, cui humana natura unitur. Unde ibidem Dam. subdit "in qua " scilicet gloria deitatis Dei Filius exis- " tens ante sæcula, ut Deus, et Patri con- " substantialis, sedet conglorificata carne " ejus: adoratur enim una hypostasis " una adoratione cum carne ejus ab om- " ni creatura. »

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod Christus secundum quod homo, est subjectus Patri, prout ly, secundum quod, designat conditionem naturæ; et secundum hoc non competit ei sedere ad dexteram Patris secundum rationem æqualitatis, secundum quod est homo; sic autem competit ei sedere ad dexteram Pa-

tris secundum quod per dexteram designatur excellentia beatitudinis, et judiciaria potestas super omnem creaturam.

Ad 3. Dicitur ad minorem: quod sedere ad dexteram Patris, non solum significat esse Patri æqualem, sed significat etiam esse in potioribus bonis Dei. Esse igitur in æqualitate Patris non pertinet ad naturam humanam Christi, sed solum ad personam assumentem. Sed esse in potioribus bonis Dei, secundum quod importat excessum creaturarum aliarum, convenit etiam ipsi naturæ assumptæ.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum sedere ad dexteram Patris sit proprium Christi.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod sedere ad dexteram Patris non sit proprium Christi.

1. Resuscitari non est proprium Christi. Ergo nec sedere ad dexteram Dei in cœlestibus est proprium Christi.

Antecedens simul, et conseq. prob., quia Apost. dicit ad Ephes. 2. quod *Deus conresuscitavit nos, et consedere fecit in cœlestibus, etc.*

2. Habitare in beatitudine Patris, non est proprium Chisti. Sed sedere ad dexteram Patris est habitare in beatitudine Patris. Ergo sedere ad dexteram Patris non est proprium Christi. Maior patet, quia habitare in beatitudine Patris convenit multis aliis.

3. Ipse Dominus dicit Apoc. 3. "Qui "vicerit, dabo ei sedere in throno meo "mecum, sicut et ego vici, et sedi cum "Patre meo in throno ejus." Ergo etiam alii, qui vincunt, sedent ad dexteram Patris.

Conseq. probat., quia per hoc sedet Christus ad dexteram Patris, quod sedet in throno ejus.

4. Matth. 20. Dominus dicit: "sedere autem ad dexteram meam, vel "sinistram, non est meum dare vobis, "sed quibus paratum est á Patre meo." Quod frustra diceretur, nisi esset aliquibus aliis á Christo paratum sedere ad dexteram. Ergo sedere ad dexteram non convenit soli Christo.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Sedere ad dexteram Patris non convenit Angelis, qui sunt superiores omnibus aliis creaturis. Ergo sedere ad dexteram Patris nulli creaturæ convenit, sed soli Christo.

Anteced. prob. Heb. 1. dicitur: "ad "quem Angelorum dixit aliquando, se"de á dextris meis," idest in meis bonis potioribus, vel mihi secundum divinitatem æquali? quasi dicat; ad nullum.

*Determinatio.*

Conclusio. Nulli alii, nec Angelo, nec homini, convenit sedere ad dexteram Patris, sed soli Christo.

Prob. Esse in æqualitate Patris, et in excellenti possessione divinorum bonorum præ cæteris creaturis, nulli convenit creaturæ, sed soli Christo. Sed sedere ad dexteram Patris est esse in æqualitate Patris, et in excellenti possessione divinorum bonorum præ cæteris creaturis. Ergo sedere ad dexteram Patris nulli creaturæ, sed soli Christo convenit.

Maior manifestatur, quia Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, in quantum secundum divinam naturam est in æqualitate Patris, et secundum humanam naturam in excellenti possessione divinorum bonorum præ cæteris aliis creaturis, ut dictum est art. 1. 2. et 3. hujus quæst.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod resuscitari eo modo, quo, Christus resurrexit, est Christi proprium; sicut sedere ad dexteram. Dicit autem Apost. quod Deus conresuscitavit nos, quia cum Christus sit caput nostrum, collatum est etiam nobis qui sumus ejus membra, conresuscitari et consedere in cœlestibus.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod sedere in dextera non significat simplici-

ter esse in beatitudine; sed habere beatitudinem cum quadam dominativa potestate, et quasi propriam et naturalem, quod soli Christo convenit. Potest tamen dici quod omnis sanctus qui est in beatitudine, sit ad dexteram Dei constitutus. Unde Matth. 25. dicitur: quod *statuet oves á dextris*; non tamen alii sancti sedent á dextris Dei, sicut Christus, ut ex dictis patet.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod per thronum significatur judiciaria potestas, quam Christus habet á Patre; et secundum hoc dicitur sedere in throno Patris. Alii autem sancti habent eam á Christo, et secundum hoc dicuntur in throno Christi sedere, secundum illud Matth. 19. « Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. »

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod sicut Chrysost. dicit super Matth. Hom. 66. «Locus ille, » idest consessus dexteræ « invius est omnibus, non solum hominibus, sed etiam angelis: sicut enim « præcipuum unigeniti ponit Paulus « Apost. dicens. Ad quem autem angelorum dixit umquam: sede á dextris « meis? Dominus ergo, non quasi existentibus quibusdam qui sessuri sint, « sed condescendens interrogantium supplicationi, respondit: hoc enim unum « solum quærebant præ aliis, stare apud « ipsum. »

Potest amen dici quod filii Zebedæi petebant excellentiam habere præ aliis in participando judiciariam potestatem ejus. Unde non petebant quod sederent ad dexteram, vel sinistram Patris, sed ad dexteram vel sinistram Christi.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 58.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum fuisse á scripturis, et symbolo, August. Chrysost. quod Christo convenit sedere ad dexteram Patris. A scripturis quidem, ut *in arg cont.* A symbolo autem per ly *sedet ad dexteram Patris.* A D. August. quoque in serm. de ascensio. " Quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad Patris dexteram collocavit. » A D. Chrysost. etiam in serm. de ascensi. " Nos, qui et terra videbamur indigni, hodie elevati sumus ad cœlum: et coelorum transivimus fines, et ipsa sede regali decoramur. » Hæc autem ab utroque istorum Doctorum dicuntur, ut patet legenti, de Christo etiam secundum humanitatem, sedente ad dexteram Patris. De convenientia tandem, pro quanto ad præsentem materiam consequentiarum subintelligendarum, servit, vide q. 55. art. 4. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Damasc. quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris. A Damasc. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis autem, ut Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Per hoc enim quod Christum esse veraciter æqualem Deo Patri, dicit Apost. subindicat virtualiter, quod Christus secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris. Si enim est, secundum quod Deus, æqualis Patri, utique deitatem, beatitudinem, judiciariamque potestatem, habet immutabiliter simul, idest æqualiter cum Patre, et á Patre, á quo per generationem accipit essentiam divinam, quæ realiter est omnia hæc, scilicet deitas, beatitudo, judiciariaque potestas. Dum ergo quis dicit, Filium Dei non per rapinam, sed vere per naturam, esse æqualem Patri, ille brevibus verbis dicit: Christum, ut Deum, sedere ad dexte-

ram Patris. Pro cujus rei ampliori notitia vide Exam. post ad 3. Item á Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo; sede á dexteris meis.* Hoc est: Dixit Deus Pater Christo, ut Deo. *Sede*, etc. Quod quidem sic exponendum fore docet illud Matth. 22. "Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei David: Ait illis. Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo sede á dexteris meis? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum.» Christus ergo (secundum Evangelii dictum) est filius David, et est dominus David, et ipse, secundum quod est filius David, non est dominus David: et é converso, idest, secundum quod est Dominus David, non est filius David. Sedet autem, ut dominus David, á dexteris patris. Non enim inquit David in Psal. illo: Dixit dominus filio meo, *sede*, etc. sed inquit: *Dixit Dominus Domino meo.* Christus vero, ut filius David, est homo, et, ut dominus David, est Deus. Alioquin, si propter quamdam solum reverentiam civilem quibusdam patribus solicitam ipse David vocasset filium suum dominum, tunc aliquis pharisæorum potuisset Christo talia de psalmo referenti respondere. Ergo secundum psalmum illum Christus, secundum quod Deus est, sedet ad dexteram Patris. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, August. et Chrysost. quod Christus, secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis autem, ut Apocalyp. 5. "Dignus est agnus, qui occissus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Omnes audivi dicentes sedenti in throno, et agno. Benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Amen.» Ecce, quod agno, qui occisus est, idest Christo secundum quod homo, omnes coelestes curiæ attribuunt divinitatem, gloriam, potestatem simul et sedenti in throno. Hoc autem est dicere, Christum, secundum quod homo est, sedere ad dexteram Patris (ut patet art. 2. not. post ad 3.). A D. Chrysost. item, ut de hoc cum D. August. habetur art. 1. append. *Secundo* consequenter habes: quomodo per rationem, tamquam á simili, interimas hæresim August. de Roma, (ut refert Cardinalis Turrecremata de Ecclesia, lib. 1. cap. 68.) dicentis: quod Christi anima videt Deum, tam clare, et intense, quantum Deus videt seipsum. Hoc enim dictum ipsius idem valet (ut patet ex dictis) quod dicere: quod Christus, secundum quod homo, idest secundum humanitatem suam, sedet æqualiter ad dexteram Patris. Consequenter ergo etiam per hujus art. rationem, velut á simili, potest, et debet rejici hæresis illa. *Tertio* habes: quomodo per rationem similiter ostendas, hanc merito damnari in suo simili á concilio, etc. ut patet supra art. num. 60. 68. 104. 145. Elucid. Item 1. qu. 75. art. 7. Elucid. Item Addit. art. num. 389. 398. Elucid. *Quarto* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito à scripturis esse insinuatum, quod sedere ad dexteram Patris soli Christo convenit. Ut ab Hebr. 1. *Ad quem*, etc. ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Pro quo notabis; quod ly *sede á dexteris meis* adducitur ibi tamquam quoddam eminentissimum. Intendit enim per talem sententiam Apostolus ostendere, Christum esse præstantiorem angelis, et consequenter legem novam lege veteri, ut quæ per Christum data sit, vetus autem per angelos. Ac si dixerit ibi Apostolus. Cui angelorum dedit aliquando Deus Pater locum tam eminentem, qui est sedere á dexteris suis? Quasi respondeat dicens: Est tam altus iste locus, ut nullus angelorum, et multo minus aliarum creaturarum, illuc attingere possit. Cæterum tu et hic, et alibi observa notationem pro lectoribus in 2. 2. q. 70. art. append. positam. *Secundo* vides: etc.

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA NONA,

### DE JUDICIARIA POTESTATE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de judiciaria potestate Christi.

*Et circa hoc quæruntur sex.*

Primo, utrum judiciaria potestas sit attribuenda Christo.

Secundo, utrum conveniat sibi, secundum quod est homo.

Tertio, utrum eam fuerit ex meritis adeptus.

Quarto, utrum ejus potestas judiciaria sit universalis respectu omnium hominum.

Quinto, utrum præter judicium quod agit in hoc tempore, sit expectandum aliud universale judicium futurum per ipsum.

Sexto, utrum ejus judiciaria potestas etiam ad angelos se extendat.

De executione autem finalis judicii convenientius agetur, cum considerabimus de his quæ pertinent ad finem mundi (in supplem. quæst. LXXXVIII. et seq.) nunc autem sufficit ea sola tangere quæ pertinent ad Christi dignitatem.

### ARTICULUS I.

*Utrum judiciaria potestas sit specialiter attribuenda Christo.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod judiciaria potestas non sit specialiter attribuenda Christo.

1. Illud quod convenit toti Trinitati non est specialiter attribuendum Christo. Sed judiciaria potestas convenit toti Trinitati. Ergo judiciaria potestas non est specialiter attribuenda Christo.

Minor prob. Esse Dominum, convenit toti Trinitati. Sed judicium aliquorum pertinet ad Dominum, secundum illud Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Ergo judiciaria potestas convenit toti Trinitati.

2. Dan. 7. dicitur: *Antiquus dierum sedit*; et postea subditur: *Judicium sedit et libri aperti sunt.* Sed antiquus dierum intelligitur Pater, quia, ut Hilar. dicit lib. 2. de Trin. et lib. de Synodis, *In Patre est æternitas.* Ergo judiciaria potestas magis est attribuenda Patri quam Christo.

3. Arguere pertinet ad Spiritum Sanctum. Ergo judiciaria potestas magis debet attribui Spiritui Sancto, quam Christo.

Anteced. prob., quia Dominus dicit Joan. 16. *Cum autem venerit ille*, scilicet Spiritus Sanctus, *arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio.*

Conseq. prob., quia ejus videtur esse judicare cujus est arguere.

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Act. 10. dicitur de Christo. "Hic est "qui constitutus est á Deo judex vivo- "rum et mortuorum.

*Determinatio.*

CONCLUSIO. Judiciaria potestas proprie attribuitur Filio.

Prob. Ei qui est sapientia genita et veritas á Patre procedens, Patrem perfecte repræsentans, proprie convenit judiciaria potestas. Sed Filius est ipsa sapientia genita, et veritas á Patre procedens, Patrem perfecte repræsentans. Ergo Filio convenit proprie judiciaria potestas.

Maior probat. Nam ad judicium faciendum tria requiruntur. Primum est potestas coërcendi subditos. Unde dicitur Eccles. 7. « Noli quærere fie- "ri judex, nisi valeas virtute irrumpere "iniquitates. » Secundo requiritur rectitudinis zelus, ut scilicet aliquis non ex odio, vel livore, sed ex amore justitiæ judicium proferat. Secundum illud Prov. 3. « Quem enim diligit Dominus, corri- "pit: et quasi pater in filio complacet "sibi. » Tertio requiritur sapientia, secundum quam formatur judicium. Unde dicitur Eccl. 10. «Judex sapiens judica- "bit populum suum.» Duo prima præexiguntur ad judicium, sed tertium proprie est, secundum quod accipitur forma

judicii, quia ipsa ratio judicii est lex sapientiæ, vel veritatis, secundum quam judicatur. Ei igitur, qui est ipsa sapientia, proprie attribuitur judicium, et sic patet maior.

Et confirmatur conclusio, et ratio auctoritate August. dicentis in lib. de ver. Relig. cap. 31. «Hæc est incommutabilis illa veritas quæ lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis artificis. Ut autem nos et omnes animæ rationales, secundum veritatem de inferioribus recte judicamus, sic de nobis quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas judicat. De ipsa vero, nec Pater: non enim minor est, quam ipse: et ideo quæ Pater judicat, per ipsam judicat,» et postea concludit: «Pater ergō non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior: potest enim aliquid esse commune toti Trinitati, et tamen attribui alicui personæ. Judiciaria ergo potestas est quidem communis toti Trinitati, ut ratio probat, tamen per quamdam appropriationem attribuitur Filio, ut in corp. dictum est.

Ad 2. Dicitur, quod hoc argumentum probat, quod Patri attribuatur auctoritas judicandi: Patri enim attribuitur æternitas, propter commendationem principii, ut August. dicit in 6. de Trin. cap. 10. Filio autem attribuitur ipsa ratio judicii, quia Filius est ars et sapientia Patris, et sicut Pater facit omnia per Filium, in quantum Filius est ars ejus, ita etiam judicat omnia per Filium, in quantum est sapientia et veritas ejus. Et hoc significatur in Daniele loco cit. Ubi primo dicitur, quod «antiquus dierum «sedit,» et postea subditur, quod «Filius «hominis pervenit usque ad antiquum «dierum, et dedit ei potestatem et ho«norem et regnum.» Per quod datur intelligi, quod autoritas judicandi est apud Patrem, á quo Filius accepit potestatem judicandi.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem, quod sicut August. dicit super Joan. Tract. 95. «Ita dixit «Christus, quod Spiritus Sanctus ar«guet mundum de peccato, tamquam di«ceret. Ille diffundet in cordibus vestris «charitatem. Sic enim timore depulso, «arguendi habebitis libertatem.» Sic ergo Spiritui Sancto attribuitur judicium, non quantum ad judicii rationem, sed quantum ad effectum judicandi, quem homines habent.

## ARTICULUS II.

*Utrum judiciaria potestas conveniat Christo, secundum quod est homo.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod judiciaria potestas non conveniat Christo, secundum quod est homo.

1. «Judicium attribuitur Filio, in «quantum est ipsa lex primæ veritatis;» ut August. dicit in lib. de ver. Relig. cap. 31. Ergo judiciaria potestas non convenit Christo, secundum quod est homo; sed secundum quod est Deus.

Conseq. prob., quia esse ipsa lex primæ veritatis convenit Christo, in quantum est Deus.

2. Ad judiciariam potestatem pertinet præmiare bene agentes, sicut et punire malos. Ergo videtur, quod judiciaria potestas non conveniat Christo, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

Conseq. probat., quia præmium bonorum operum est beatitudo æterna quæ non datur, nisi á Deo: dicit enim Aug. Tract. 23. in Joan. quod «participatione Dei fit anima beata, non autem par«ticipatione animæ sanctæ.»

3. Illud ad quod pertinet judicare occulta cordium, non convenit Christo in quantum homo; sed inquantum Deus. Sed ad judiciariam potestatem Christi pertinet judicare occulta cordium, secundum illud 1. Cor. 4. "Nolite ante "tempus judicare, quoad usque veniat "Dominus, qui et illuminabit abscon"dita tenebrarum et manifestabit consi-

"lia cordium." Ergo judiciaria potestas non convenit Christo, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

Maior prob. quia judicare occulta cordium pertinet ad solam divinam virtutem, secundum illud Hierem. 17. "Pravum est cor hominis et inscrutabile, "quis cognoscet illud? Ego Dominus "scrutans corda et probans renes, et qui "do unicuique juxta viam suam."

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 5. dicitur: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.*

*Determinatio.*

*Chrysostomi sententia.*

Chrysost. Hom. 38. in Joan. sentire videtur, quod judiciaria potestas non conveniat Christo, secundum quod est homo; sed solum secundum quod est Deus. Actoritatem autem inductam ex Joan. 5. dicit non posse intelligi, ut verba sonant: quia si ratio quare Christo datum est judicium facere, esset quia filius hominis est, sequeretur quod omnibus aliis hominibus data esset hæc judiciaria potestas. Unde ipse dictam Joan. autoritatem sic exponit. Potestatem dedit ei judicium facere: et postea subditur: quia filius hominis est, nolite mirari hoc: non enim suscepit judicium, quoniam homo est; sed quia ineffabilis Filius Dei est, propterea judex est. Quia vero ea quæ dicebantur erant maiora, quam secundum hominem, ideo hanc opinionem solvit dicens: ne miremini, quia filius hominis est, etenim ipse est etiam Filius Dei: quod quidem probat per resurrectionis effectum: unde subdit, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Punctuat igitur Chrysos. sent. Joan. 5. hoc modo. Potestatem dedit ei judicium facere, et postea subditur: Quia filius hominis est: nolite mirari hoc, Quasi dicat: ne miremini, quod Pater dederit facere judicium ei, qui filius hominis est; quia etsi sit hominis filius, est etiam Filius Dei, cujus vocem qui in monumentis sunt, audient, et ut est Filius Dei, convenit ei judicium facere."

Conclusio. Christo etiam secundum quod est homo, convenit habere judiciariam potestatem.

Probatur. Ad eum qui est caput totius Ecclesiæ, et cujus pedibus omnia sunt subjecta, pertinet habere judiciariam potestatem. Sed Christus etiam in natura humana est caput totius Ecclesiæ, et pedibus ejus omnia sunt subjecta, ut dictum est supra quæst. 8. per totam. Ergo ad Christum, etiam secundum quod homo, pertinet habere judiciariam potestatem.

Maior manifestatur. Pro quo est sciendum quod quamvis apud Deum remaneat primæva auctoritas judicandi; hominibus autem committitur á Deo judiciaria potestas respectu eorum, qui jurisdictioni eorum subjiciuntur. Unde dicitur Deu. 1. *Quod justum est judicate:* et postea subditur, *quia Dei judicium est*, cujus scilicet auctoritate vos judicatis. Ei igitur qui tamquam caput habet jurisdictionem super totam Ecclesiam convenit habere judiciariam potestatem.

Et confirmatur conclusio. Nam competit Christo, etiam secundum humanam naturam, judiciaria potestas, propter tria.

Primo quidem propter convenientiam et affinitatem ipsius Christi ad homines; sicut enim Deus per causas medias, tamquam propinquiores effectibus, operatur, ita judicat per hominem Christum homines, ut sit suavius judicium hominibus. Unde Apostol. dicit Heb. 4. "Non "habemus pontificem, qui non possit "compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato: adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus."

Secundo, quia in finali judicio, ut August. dicit super Joan. tract. 23. erit resurrectio corporum mortuorum, quæ suscitat Deus per filium hominis, sicut

per eumdem Christum suscitat animas, in quantum est Filius Dei.

Tertio, quia ut August. dicit in lib. de Verb. Dom. Serm. 64. "Rectum "erat, ut illi qui erant judicandi, vide- "rent judicem. Judicandi autem erant "boni et mali: restabat ut in judicio "forma servi, et bonis et malis osten- "deretur, forma Dei solis bonis serva- "retur." Auctoritatem autem inductam ex Joan. 5. August. super Joan. tract. 19. sic dicit esse intelligendam. "Potes- "tatem dedit eis judicium facere, quia "Filius hominis est," non quidem prop- ter conditionem naturæ; quia tunc "om- "nes homines hujusmodi potestatem ha- "berent," ut Chrysost. objiciebat; sed hoc pertinet ad gratiam capitis, quam Christus in humana natura accepit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Judi- cium enim pertinet ad veritatem, ut ad regulam judicii; sed ad hominem qui est veritate imbutus, pertinet, secundum quod est unum quodammodo cum ipsa veritate, quasi quædam lex, et justitia quædam animata. Unde August. in lib. de ver. Rel. cap. 31. introducit, quod dicitur 1. Cor. 2. *Spiritualis judicat om- nia.* Anima autem Christi præ cæteris creaturis magis fuit unita veritati, et ma- gis repleta veritate, secundum illud Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis.* Et secundum hoc ad animam Christi pertinet omnia judicare. Et ad probationem consequentiæ dicitur, quod lex ipsa primæ veritatis est Christus, ut est Filius Dei, tamen Christi animæ, ut est maxime unita veritati, convenit esse legem animatam.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod solius Dei est sui participatione animas beatas facere. Sed adducere ho- mines ad beatitudinem convenit Christo, in quantum est caput et auctor salutis eorum, secundum illud ad Heb. 2. "Qui "multos Filios in gloriam adduxerat "auctorem salutis eorum per passionem "consummari."

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dici- tur, quod cognoscere et dijudicare oc- culta cordium, per se quidem pertinet ad solum Deum; sed ex refluentia divinita- tis ad animam Christi convenit etiam ei cognoscere et judicare occulta cordium, ut dictum est supra quæst. 10. art. 2. cum de scientia Christi ageretur. Et ideo dicitur Rom. 2. "In die cum ju- "dicabit Deus occulta hominum per Je- "sum Christum."

## ARTICULUS III.

*Utrum Christus ex meritis adeptus fuerit judiciariam potestatem.*

*Pro negativa.*— Videtur, quod Chris- tus non ex meritis adeptus fuerit judi- ciariam potestatem.

1. Christus obtinuit regiam potesta- tem absque meritis. Ergo Christus non obtinuit judiciariam potestatem ex me- ritis.

Anteced. prob., quia regia potestas competit Christo ex hoc ipso, quod est unigenitus Dei. Dicitur enim Luc. 1. "Dabit ei Dominus sedem David Patris "ejus, et regnabit in domo Jacob in "æternum."

Conseq. prob., quia judiciaria potes- tas assequitur regiam dignitatem, secun- dum illud Prov. 20. "Rex, qui sedet in "solio judicii, dissipat omne malum in- "tuitu suo."

2. Gratia capitis non competit Christo ex meritis; sed consequitur personalem unionem divinæ et humanæ naturæ, se- cundum illud. "Vidimus gloriam ejus, "gloriam quasi unigeniti á Patre, ple- "num gratiæ et veritatis, et de pleni- "tudine ejus omnes nos accepimus," quod pertinet ad rationem capitis. Ergo Chris- tus non habuit ex meritis judiciariam potestatem.

Conseq. prob., quia judiciaria potes- tas competit Christo in quantum est ca- put nostrum.

3. Judicare omnia convenit his quibus

convenit per gratiam. Ergo judiciaria potestas non convenit Christo, nec aliis, ex meritis, sed ex sola gratia.

Anteced prob., quia ille qui omnia judicat, est homo spiritualis, ut dicitur 1. Cor. 2. Est autem homo spiritualis per gratiam. Ergo judicare omnia convenit his, quibus convenit per gratiam.

Conseq. prob., quia gratia non ex meritis, alioquin jam non esset gratia, ut dicitur Rom. 11.

FRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Job. 36. dicitur: «causa tua quasi impii judicata est, judicium causamque recipies,» et Aug. dicit in lib. de Verb. Dom. Serm. ult. «Sedebit judex, qui «stetit sub judice, damnabit vero reos, «qui falso factus est reus.»

*Determinatio.*

Conclusio. Christus obtinuit judiciariam potestatem ex merito.

Prob. Christus pro Dei justitia pugnavit, et vicit, et injuste judicatus est. Ergo secundum Dei justitiam debuit judiciariam potestatem obtinere. Unde ipse dicit Apoc. 3. «Ego vici, et sedi in «throno Patris mei.» In throno autem intelligitur judiciaria potestas, secundum illud Psal. 9. «Sedisti super thronum, «qui judicas justitiam.»

Declaratur autem conclusio, præmittendo, quod nihil prohibet unum et idem deberi alicui ex causis diversis, sicut gloria corporis resurgentis debita fuit Christo, non solum propter congruentiam divinitatis et propter gloriam animæ, sed etiam ex merito humilitatis passionis.

Sic in proposito dicendum est, quod judiciaria potestas homini Christo competit, et propter divinam personam, et propter capitis dignitatem, et propter plenitudinem gratiæ habitualis; et tamen etiam ex merito eam obtinuit, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Habuit enim Christus judiciariam potestatem, et ex unione ad Verbum Dei, et etiam ex meritis, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Dicitur, quod Christo competit quidem judiciaria potestas propter dignitatem gratiæ capitalis, et ex hac parte non ex meritis; cum quo tamen stat, quod eam etiam habuerit ex meritis.

Negatur igitur conseq. Et ad probationem dicitur, quod judiciaria potestas, non solum competit Christo ex gratia capitis, sed etiam ex merito.

Ad 3. Similiter negatur consequentia. Judiciaria enim potestas competit quidem Christo ex excellentia gratiæ habitualis quæ est perfectiva animæ Christi. Cum quo tamen stat, quod eam obtinuerit etiam ex merito.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Christo conveniat judiciaria potestas quantum ad omnes res humanas.*

*Pro negativa.* = Videtur, quod ad Christum non pertineat judiciaria potestas quantum ad omnes res humanas.

1. Lucæ 12. legitur, quod cum quidam de turba Christo diceret, «dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem,» ille respondit, «homo, quis me «constituit judicem, aut divisorem super «vos?» Ergo Christus non habet judicium super omnes res humanas.

2. Nondum videmus omnia esse Christo subjecta, ut dicitur Heb. 2. Ergo Christus non habet judiciariam potestatem super omnes res humanas.

Conseq. probat., quia nullus habet judicium, nisi super ea, quæ sunt sibi subjecta.

3. August. dicit 10. de Civ. Dei cap. 2. quod "ad judicium divinum pertinet "hoc, quod interdum boni affliguntur "in hoc mundo, et interdum prosperantur; et similiter mali." Ergo non omnia judicia Dei circa res humanas pertinent ad judiciariam potestatem Christi.

Conseq. prob., quia hæc bonorum et malorum afflictio et prosperitas fuit etiam ante Christi incarnationem.

PRO AEFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Joan. 5. dicitur: *Pater omne judicium dedit Filio.*

*Determinatio.*

*Distinctio.* De Christo possumus loqui, vel secundum divinam naturam, vel secundum humanam.

1.ª Conclusio. Christus secundum divinam naturam habet judiciariam potestatem super omnia.

Manifestatur: nam omne judicium Patris pertinet ad Filium, secundum naturam divinam. Sicut enim Pater facit omnia Verbo suo, ita omnia judicat Verbo suo.

2.ª Conclusio. Omnes res humanæ subjiciuntur judicio Christi, secundum humanam naturam.

Probatur tripliciter. Primo enim hoc apparet si consideremus habitudinem animæ Christi ad Verbum Dei, sic ratiocinando. Anima quæ est plena veritate Verbi Dei, habet judicium super omnia. Sed anima Christi est plena veritate Verbi Dei. Ergo anima Christi habet judicium super omnia.

Maior manifestatur. Quia *si spiritualis judicat omnia*, ut dicitur 1. Cor. 2. in quantum mens ejus Verbo Dei inhæret, multo magis anima, quæ est plena veritate Verbi Dei, super omnia judicium habet.

2. Apparet idem ex merito mortis ejus; quia ut dicitur Rom. 14. "in "hoc Christus mortuus est, et resurrexit, "ut vivorum et mortuorum dominetur." Et ideo super omnes habet judicium, propter quod et Apostolus subdit ibi quod "omnes stabimus ante tribunal "Christi." Et Dan. 7. dicitur, quod «de- "dit ei potestatem et honorem et reg- "num, et omnes tribus et populi et "linguæ servient ei."

Tertio apparet idem ex comparatione rerum humanarum ad finem humanæ salutis, hac ratione. Cui committitur principale, committitur etiam et accessorium. Sed ad salutem æternam, ad quam omnes res humanæ ordinantur, sicut secundarium ad principale, homines admittuntur, vel etiam ab ea repelluntur judicio Christi, ut dicitur Matth. 25. Ergo omnes res humanæ pertinent ad judicium Christi. Habet igitur Christus homo judiciariam potestatem super omnes res humanas, tum quia ejus mens fuit plena veritate Verbi Dei; tum quia eam meruit per suam passionem; tum etiam, quia judicio Christi commissum est admittere, vel excludere homines ab æterna salute, ad quam tamquam ad ultimum finem omnes res ordinantur humanæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negat. conseq. Habebat enim Dominus potestatem judicandi inter illos fratres; noluit tamen suam potestatem exercere. Sicut enim dictum est art. præced. judiciaria potestas consequitur regiam dignitatem; Christus autem quamvis esset rex constitutus á Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum temporaliter administrare voluit: unde ipse dicit Joan. 18. «Regnum meum non «est de hoc mundo.» Similiter etiam judiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre. Unde Ambros. lib. 7. super Luc. exponens inductam sententiam, dicit: "Bene terrena declinat "qui propter divina descenderat, nec ju- "dex dignatur esse litium et arbiter fa- "cultatum; vivorum habens, mortuo- "rumque judicium, arbitriumque meri- "torum."

Ad 2. Dicitur ad anteced. quod Christo sunt omnia subjecta quantum ad potestatem, quam á Patre super omnia accepit, secundum illud Matt. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Nondum tamen sunt omnia ei subjecta quantum ad executionem suæ po-

testatis. Sed hoc erit in futuro, quando de omnibus voluntatem suam adimplebit, quosdam quidem salvando, quosdam autem puniendo.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probat. dicitur, quod ante incarnationem hujusmodi judicia exercebantur per Christum, in quantum Dei Verbum est, cujus potestatis facta est particeps per incarnationem anima ei personaliter unita.

## ARTICULUS V.

### *Utrum post judicium quod agitur in præsenti tempore, restet aliud judicium.*

*Pro negativa.* — Videtur, quod post judicium quod in præsenti tempore agitur, non restet aliud judicium generale.

1. Post ultimam retributionem præmiorum et pœnarum non restat aliud judicium. Sed in hoc præsenti tempore fit retributio præmiorum et pœnarum. Ergo post judicium quod in præsenti tempore agitur, non restat aliud judicium.

Maior prob., quia tale judicium esset frustra.

Minor prob. quia Dominus dixit Latroni Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Et Luc. 16. dicitur quod *mortuus est dives et sepultus est in inferno.*

2. In hoc tempore Dei judicium exercetur et quantum ad temporalia et quantum ad spiritualia. Ergo videtur quod non sit expectandum aliud finale judicium.

Conseq. prob., quia Nahum 1. dicitur secundum aliam litteram: *Non judicabit Deus bis in idipsum.*

3. Præmium, seu pœna non debetur corpori nisi propter animam. Ergo non requiritur aliud judicium finale ad hoc quod homo præmietur aut puniatur in corpore, præter illud, quo nunc puniuntur, aut præmiantur animæ.

Antec. prob. Meritum, vel demeritum non pertinet ad corpus, nisi prout est instrumentum animæ. Ergo præmium et pœna non debetur corpori, nisi propter animam.

Conseq. prob., quia præmium et pœna respondent merito et demerito.

*PRO AFFIRMATIVA.*

*Argumentum sed contra.*

Jo. 12. dicitur: *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Ergo erit quoddam judicium in novissimo die præter judicium, quod nunc agitur.

*Determinatio.*

Conclusio. Post judicium quod agitur in præsenti tempore, restat aliud judicium finale agendum in novissimo die.

Prob. Vita hominis est mutabilis et non terminatur omnino, nisi usque ad novissimum diem. Ergo post judicium quod in morte cujuslibet hominis fit, remanet aliud judicium in novissimo die faciendum.

Conseq. prob., quia judicium de aliqua re mutabili perfecte dari non potest ante ejus consummationem; sicut judicium de aliqua actione, qualis sit, perfecte dari non potest, antequam sit consummata et in se et in suis effectibus, quia multæ actiones videntur esse utiles quæ ex effectibus demonstrantur nocivæ. Ex hoc igitur quod vita hominis, quæ est mutabilis, non terminatur omnino, nisi usque ad judicii diem, sequitur quod non possit de eo dari completum, et perfectum judicium, nisi usque ad ultimum diem.

Antec. prob. Et quod vita hominis sit mutabilis ostenditur, quia homo potest mutari de malo in bonum, et de bono in malum, et de bono in melius, et de malo in peius. Quod vero vita hominis non terminetur omnino, nisi usque ad novissimum diem ostenditur; quia etsi vita temporalis hominis terminetur per mortem, secundum se, remanet tamen dependens secundum quid ex futuris multipliciter. Uno modo secundum quod adhuc vivit in memoriis hominum, in quibus quandoque remanet homo, licet

jam mortuus, bonæ, vel malæ famæ, contra veritatem.

Alio modo secundum quod vivit in filiis, qui sunt quasi aliquid patris; juxta illud Eccli. 30. « mortuus est pater ejus, « et quasi non est mortuus: similem enim « reliquit sibi post se,» cum tamen sæpissime bonorum parentum pessimi sint filii: quandoque vero pessimorum parentum é contrario optimi supersint filii.

Tertio, quantum ad effectum suorum operum. Sicut ex deceptione Arrii, et aliorum seductorum, pullulat infidelitas usque ad finem mundi, et usque tunc proficit fides ex prædicatione apostolorum.

Quarto, quantum ad corpus, quod quandoque honorifice traditur sepulturæ, quandoque vero relinquitur insepultum, et tandem incineratum omnino resolvitur.

Quinto, quantum ad ea, in quibus homo suum affectum defixit, puta in quibuscumque temporalibus rebus, quarum quædam citius finiuntur, quædam vero diutius durant, quæ omnia subduntur existimationi divini judicii. Et ideo de his omnibus perfectum et manifestum judicium haberi non potest quamdiu hujus temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale judicium in novissimo die, in quo perfecte id, quod ad unumquemque hominem pertinet, quocumque modo perfecte et manifeste judicetur.

AD ARGUMENTA.

*Aliorum responsio.*

Ad 1. Dicitur, quod opinio quorumdam fuit quod animæ sanctorum non præmiantur in cœlo, nec animæ damnatorum puniuntur in inferno usque ad diem judicii, secundum quam opinionem, sive potius errorem, neganda esset minor.

*Reprobatio.*

Sed hæc positio apparet falsa ex hoc, quod Apost. 2. Cor. 5. dicit: « audemus, « et bonam voluntatem habemus « magis peregrinari á corpore et præ- « sentes esse ad Dominum; » quod est jam « non ambulare per fidem, sed per « speciem,» ut patet ex his quæ subsequuntur. Hoc autem est videre Deum per essentiam, in quo consistit vita æterna, ut patet Jo. 17. Unde manifestum est animas á corporibus separatas esse in vita æterna.

*Vera responsio.*

Et ideo dicendum est quod post mortem, quantum ad ea quæ sunt animæ, homo sortitur quemdam immutabilem statum. Et ideo, quantum ad præmium animæ, non oportet ulterius differre judicium; sed quia sunt alia quædam pertinentia ad hominem, quæ toto temporis cursu aguntur, quæ non sunt aliena á divino judicio, oportet iterum in fine temporis omnia hæc in judicium adduci. Licet enim homo, secundum hæc non mereatur, nec demereatur, tamen pertinent ad aliquod ejus præmium, vel pœnam. Unde oportet hæc omnia æstimari in finali judicio. Ad formam igitur argumenti negatur minor; non enim in hoc tempore fit ultima retributio simpliciter; sed solum respectu eorum, quæ ad animam pertinent, ut dictum est.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod *Deus non judicabit bis in idipsum* secundum idem; sed secundum diversa non est inconveniens Deum idem bis judicare. In morte igitur judicat Deus opera hominum secundum se; in finali vero judicio judicabit eadem opera respectu eorum, quæ ex ipsis operibus post mortem operantis consequuta sunt.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod licet præmium, vel pœna corporis dependeat ex præmio, vel pœna animæ; tamen quia anima non est mutabilis, nisi per accidens propter corpus, statim separata á corpore habet statum immutabilem, et accipit suum judicium. Sed corpus usque ad finem temporis remanet mutabilitati subjectum, ideo oportet

quod tunc in finali judicio suum præmium vel pœnam recipiat.

## ARTICULUS VI.

### *Utrum judiciaria potestas Christi se extendat ad Angelos.*

*Pro negativa.*=Videtur, quod judiciaria potestas Christi non se extendat ad Angelos.

1. Ad illos, qui jam sunt judicati, non se extendit judiciaria potestas Christi. Sed Angeli tam boni quam mali judicati sunt á principio mundi, quando quibusdam cadentibus per peccatum, alii sunt in beatitudine confirmati. Ergo ad Angelos non se extendit judiciaria potestas Christi.

Maior prob., quia illi, qui judicati sunt, non indigent iterum judicari.

2. Angeli venient cum Christo judicaturi, secundum illud Matth. 25. «Cum "venerit Filius hominis in majestate sua, "et omnes Angeli cum eo.» Ergo videtur quod Angeli non sint judicandi á Christo.

Conseq. prob., quia non est ejusdem judicare et judicari.

3. Si Christus est judex non solum hominum, sed etiam Angelorum, pari ratione erit judex omnium creaturarum. Quod tamen est falsum. Ergo Christus non est, judex Angelorum.

Conseq. prob., quia Angeli sunt superiores aliis creaturis.

Falsitas consequentis prob. quia hoc videtur esse proprium providentiæ Dei. Unde dicitur Job. 34. "Quem constituit alium super terram, aut quem "posuit super orbem, quem fabricatus "est?»

PRO AFFIRMATIVA.

*Argumentum sed contra.*

Sancti judicabunt Angelos secundum illud. 1. Cor. 6. "An nescitis quoniam "Angelos judicabimus? Ergo multo magis Christus habet judiciariam potestatem super Angelos.

Conseq. prob., quia sancti non judicabunt, nisi auctoritate Christi.

*Determinatio.*

Conclusio. Angeli subsunt judiciariæ potentiæ Christi, non solum quantum ad divinam naturam, prout est Verbum Dei; sed etiam ratione humanæ naturæ

Probat. tripliciter. Primo ex propinquitate naturæ assumptæ ad Deum quia ut dicitur Hebr. 2. «Nusquam Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit.» Et ideo anima Christi magis est repleta virtute Verbi Dei, quam aliquis Angelorum, unde et Angelos illuminat, sicut dicit Dion. 7. cap. cœl. Hierar. Et ideo de eis habet judicare.

Secundo, quia per humilitatem passionis, humana natura in Christo meruit exaltari super Angelos, ita sicut dicitur ad Philip. 2. "ut in nomine Jesu omne "genu flectatur, cœlestium, terrestrium "et infernorum;» et ideo Christus habet judiciariam potestatem etiam super omnes Angelos et bonos et malos. In cujus signum dicitur Apoc. 7. quod «om"nes Angeli stabant in circuitu throni.»

Tertio, ratione eorum, quæ circa homines operantur, quorum Christus speciali quodammodo est caput. Unde dicitur Heb. 1. "Omnes sunt adminis"tratorii spiritus in ministerium missi "propter eos qui hæreditatem capiunt "salutis.»

Deinde declaratur concl. ostendendo quomodo angeli subsint judiciariæ potestati Christi; subsunt enim angeli judicio Christi dupliciter. Primo modo quantum ad dispensationem eorum quæ per ipsos aguntur, quæ quidem dispensatio fit etiam per hominem Christum, cui angeli ministrabant, ut dicitur Matth. 4. et á quo dæmones petebant, ut in porcos mitterentur, ut dicitur Matth. 8.

Secundo quantum ad alia accidentalia præmia bonorum angelorum, quæ sunt gaudia, quæ habent de salute hominum, secundum illud Luc. 15. «Gaudium erit «angelis Dei super uno peccatore pœni-

« tentiam agente, » Et etiam quantum ad pœnas accidentales dœmonum, quibus torquentur, vel hic, vel recludantur in inferno. Et hoc etiam pertinet ad hominem Christum: unde Marci 1. dicitur quod dœmon clamavit: «quid nobis et tibi Jesu Nazarene? venisti ante tempus « perdere nos »

Tertio modo subjiciuntur angeli tam boni, quam mali judiciariæ potestati Christi, quantum ad præmium essentiale bonorum angelorum, quod est beatido æterna, et quantum ad pœnam essentialem malorum angelorum, quæ est damnatio æterna. Sed hoc non pertinet ad Christum in quantum homo; sed factum est per Christum in quantum est Verbum Dei ab initio mundi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod angeli boni et mali fuerunt judicati á principio mundi quantum ad pœnam, vel præmium essentiale; non autem quantum ad alia de quibus in declaratione conclusionis dictum est.

Et formalius dicitur ad maiorem, quod ad illos qui jam quantum ad omnia judicati sunt, non se extenderet potestas judiciaria Christi. Si autem non quo ad omnia judicati sint, secus est. Et ad minorem dicitur, ut dictum est.

Ad 2. Nèg. conseq. Sicut enim dicit Aug. in lib. de ver. relig. cap. 31. "Licet spiritualis judicet omnia, ipse tamen judicatur ab ipsa veritate:" et ideo licet angeli ex eo, quod sunt spirituales, judicent; judicantur tamen á Christo, in quantum est veritas. Ad probationem dicitur, quod non est ejusdem respectu ejusdem, judicare, et judicari, tamen unius potest quædam judicare, et à quodam judicari.

Ad 3. Conceditur consequentia, et negatur falsitas consequentis. Habet enim Christus judicium, non solum super Angelos; sed etiam super administrationem totius creaturæ; si enim ut Aug. dicit in 3. de Trin. cap. 4. "Inferiora quodam ordine reguntur á Deo per superiora," oportet dicere quod omnia reguntur per animam Christi, quæ est super omnem creaturam. Unde et Apostolus dicit Hebr. 2. «Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum » (scilicet subjectum ei) "de quo "loquimur," idest Christo. Ad probat. dicitur, quod propter hoc non constituit Deus alium super terram, quia unus et idem est Deus et homo Dominus Jesus Christus. De cujus incarnationis mysterio ad præsens dicta sufficiant.

---

## UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 59.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, quod judiciaria potestas est attribuenda Filio Dei. Ut Act. 10. secundum quod est *in arg. cont.* Item á Joan. 5. "Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio." Item, complectendo omnia dicta scripturarum de hoc, á ly "et iterum venturus est judicare vivos, et mortuos," scilicet, "secundum scripturas." Hoc enim de Filio Dei dicitur in symbolo fidei. Quod quidem exponendo Patres Concilii generalis secundi, explicite apposuerunt ly *secundm scripturas*, quod implicite ibi per Apostolos intellectum fuerat, dicentes: *resurrexit tertia die secundum scripturas.* Nam, licet hoc ad art. resurrectionis, tamquam ad difficillimum creditu, cum á privatione ad habitum non detur regressus secundum philosophos naturales, ponatur immediate: non tamen illi soli art. servit, sed toti

symbolo. Ut dicamus: " Credo in Deum Patrem: creatorem cœli, et terræ, secundum scripturas. Et in *etc.* qui conceptus est, *etc.* secundum scripturas. Natus, *etc.* secundum scripturas. Passus, crucifixus, mortuus, et sepultus, secundum scripturas. Descendit ad, *etc.* secundum scripturas. Resurrexit, *etc.* secundum scripturas. Sedet ad, *etc.* secundum scripturas. Inde venturus est judicare, *etc.* secundum scripturas. Credo in Spiritum Sanctum vivificantem, secundum scripturas. Qui locutus est, *etc.* secundum scripturas. Et unam sanctam catholicam, *etc.* secundum scripturas. Confiteor unum baptisma, *etc.* secundum scripturas. Expecto resurrectionem, *etc.* secundum scripturas. Et vitam venturi, *etc.* secundum scripturas. » Sic quoque ad omnes, et singulas particulas á PP. in prædicto Conc. explicatas subintellige ly " secundum scripturas. Ut consubstantialem Patri, secundum scripturas. Genitum non factum, secundum scripturas. Simul adoratur, et conglorificatur, secundum scripturas. Qui ex Patre procedit, secundum scripturas. » Et sic de aliis. Unde cum secundum scripturas ipse Spiritus Sanctus procedat etiam á Filio de necessitate, si procedit á Patre, ut declaratur á Conc. maxime *Florent.* et in 1. qu. 36. art. 2. cum Elucid. constat aperte, quod idem spiritus ex Patre, Filioque procedit, secundum sensum etiam Conc. 1. *Constantin.* quod est illud secundum Conc. generale. Christus igitur, ut revertamur ad principium, habet judiciariam potestatem, secundum symboli, et scripturarum sanctarum multiplex testimonium. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod Christus, secundum quod homo, judex est universalis. Ut Jo. 5. *potestatem*, etc. prout est *in arg. cont.* Pro cujus captu adhibe exposition. B Aug. in tract. 19. super Jo. quæ et brevibus summatur hic in text. corpor. ante medium. Item per hoc, quod dicitur Matth. 25. " Cum venerit Filius hominis, *etc.* Congregabuntur ante eum omnes gentes, » etc. Ibi enim tractat de judice venturo ad judicandum omnes tum oves, tum hædos: et ipsum judicem vocat filium hominis. Hoc autem nomine significatur, more solito, Christus secundum quod homo. Item per hoc, quod subditur ibid. *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis*, etc. Manifestum est enim quod homines non sunt fratres Christi secundum divinitatem, sed secundum humanitatem. Christus ergo ibi loquitur, prout est homo: et, qui ibi loquitur, est judex: ideoque etiam manifestum inde est, quod Christus, secundum quod homo, judicaturus est. Valent ad hunc locum dicta in q. 54. ar. 4. scilicet, quod Christus cum cicatricibus resurrexit, ascendit in cœlum, et venturus est. Nam dicitur Act. 1. *Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, ita veniet*, idest secundum modum illum, quo ascendit, ad judicandum redibit. At cum cicatricibus ascendit (ut dictum est) ergo cum cicatricibus veniet ad judicandum. Est igitur, secundum scripturam illam Act. 1. judex, secundum quod homo. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod judiciariam potestatem habet Christus ex merito. Ut Job. 56. secundum quod cum expositione B. August. ponitur *in arg. cont.* Item Matth. 26. " Amodo videbitis filium hominis sedentem á dexteris virtutis, Dei, et venientem in nubibus cœli. » His enim verbis Christus se venturum judicem illorum manifestat: ut vel sic, scilicet timore ducti, prospiciant suæ ipsorum saluti, saltem postquam occiderint ipsum. Ubi nota ly *amodo:* quod propter hanc causam. Propter hoc enim (inquit) quod ego judicor inique à vobis, ego idem juste judicabo vos. Igitur se mereri, judicem rectum aliorum á Deo fieri, demonstrat ex eo, quod spontanea voluntate se subjicit distorto judicio illorum. Si enim *Deus facit judicium injuriam patientibus*, Psal. 145. idest si injuriam ab hominibus illatam patienter pro amore Dei sustinentes merentur ex hoc, et vindicari de facientibus sibi injuriam, et remunerari de sua patientia: nulli dubium esse debet, quod Christus ex hoc, quod tot, tantasque injurias patienter sustinuit, meruerit et vindicari de suis inimicis á Deo, et de tanta sua patientia remunerari ab ipso. Pro tali autem vindicari, et remunerari computatur, ipsum Christum esse á Deo judicem justum universalem constitutum. Confirmatur

vero Glossa data super ly *Amodo*, ex Luca dicente c. 22. " Ex hoc autem erit Filius hominis á dexteris virtutis Dei. » Ubi patet expresse, meritum designari per ly *ex hoc*. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Concilio, quod ad judiciariam Christi potestatem pertinent et omnes res humanæ, et omnia Dei judicia etiam antiquitus facta circa res humanas. A scripturis quidem, ut Jo. 5. *Pater*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi signanter pondera ly *omnes*; et inde statim patebit intentum. Ad quod simul recole conclusionem implicitam in *prima*, idest, in illa, quæ exprimitur. Vide in Eluc. princip. et not. post ejus probat. Item Matth. 12. " De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii. » Item Rom. 2. " testimonium reddente conscientia ipsorum: et inter se cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die, cum judicabit Deus occulta hominum per Jesum Christum. » Item Eccl. 12. " Omnia, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit. » Item Luc. 16. " Redde rationem villicationis tuæ, » etc. Item Matth. 25. " Homo quidam vocavit servos, et tradidit illis bona sua, etc. Venit Dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, etc. Euge serve bone, et fidelis, etc. Accessit autem, et qui duo talenta, etc. Euge, etc. Intra in gaudium Domini tui. Et, qui unum talentum, etc. Serve male, et piger, sciebas, etc. servum inutilem ejicite in, » etc. Ecce. De rebus humanis omnia et verba per Matth. 12. et cogitata per Rom. 2. et facta per Eccl. 12. et possessiones, mercationes, commutationes, etc, per Luc. 16. et quæcumque nobis à Deo credita tum in majori, tum in mediocri tum in minori numero beneficia per Matth. 25. judicio Christi, tum quoad præmiationem, tum quoad punitionem, subsunt. Tu autem (quod facile est: et alibi quoque facere debes) observa diligenter notationem pro lectoribus in 2. 2. q. 70. art. 1. positam. A Conc. *Sirmiensi* autem pro illa parte, qua fuit sacrum (ad differentiam partis, qua fuit profanum) intentum in principio expressum insinuatur can. 13. " Si quis, quod scriptum est, faciamus hominem, non patrem ad filium, sed ipsum ad semetipsum asserit dixisse: anathema sit. » Et can. 15. " Si quis illud, quod scriptum est. Pluit Dominus á Domino, non de Patre, et Filio perceperit: sed ipsum á semetipso pluere dixerit, anathema sit. Pluit enim Dominus filius á Domino patre. » Ubi patet, quod judicia Dei et in bonum facta, ut est illud Gen. 1. *faciamus hominem ad imaginem*, etc. et in malum facta, ut est illud Gen. 19. *Pluit*, etc. exercentur á patre per filium: atque ideo pertinent ad judiciariam potestatem Christi. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Barborianorum*, *Gnosticorum*, *Albanensium*, *Sadducæorum*, et *Flagellantium* dicentium: judicium universale, seu extremum, non esse futurum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Jo. 12. ut cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Item á symbolo fidei per ly *venturus est judicare vivos*, *et mortuos*. Item à Matth. 25. " Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et separabit eos, etc. ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. » Item á Matth. 13. " Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium. » Hoc enim fiet jussu Christi judicis, juxta illud ibid. " In tempore messis dicam messoribus. Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum, » etc. Messis, ut ibi subditur, est consummatio sæculi: messores sunt angeli. *Mittet ergo Filius hominis angelos suos*, etc. ut ibi. Item á dictis in Addit. art. num. 366. cum Elucid. et in veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 17. concl. 1. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod judiciaria potestas Christi extenditur super angelos. Ut 1. Cor. 6. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Pro cujus clariori notitia ad-

verte, quod quilibet, ut prudens Dominus, ab iis, quibus administrationem, seu dispensationem de aliquibus rebus commisit, exigit rationem dispensationis, seu administrationis eorum (ut de hoc habes exemplum in Luc. 16.) Cum igitur Christus angelis bonis commiserit administrationem custodiæ circa hominum salutem, 1. q. 113. art. 1. 2. 3. et permiserit malis impugnationem contra homines, ibi q. 114 art. 1. oportet dicere, quod ipse Christus, qui nonnisi prudentissime omnia agit, atque gubernat, 1. q. 103. art. 5. 7. 8. rationem exiget ab angelis tum bonis, tum malis de his omnibus, quæ circa homines operati fuerunt, et bonos quidem de bona administratione præmiaturus, malos autem de mala puniturus. Maxime vero ad ipsum hoc facere pertinebit, quia est caput omnium tum hominum, tam angelorum, etiam secundum quod homo, qu. 8. art. 3. 4. et officium capitis est solicitum esse de statu membrorum, ut patet. Illud autem, scilicet rationem exigere á dispensatoribus et eos juxta qualitatem suæ dispensationis tractare; de membrorum etiam statu solicitum esse, disponere, ac ordinare, ac recognoscere: illud, inquam, est judicare (ut sapienti cuique facile patere potest). Et hoc per ly *judicabimus*, Christo á fortiori applicatum designavit ibi Apostolus. Ubi quoque annotandum est: quod interrogatio illa, qua utitur, quamdam emphasim ad propositum præsens valde facientem habet, *an nescitis* (inquit) *quod angelos judicabimus*? Ac si aperte dicat. Hoc tam manifestum est, quod scire deberetis, et miror, si non sciatis. Multo igitur magis secundum hanc emphaticam Apostoli locutionem, manifestum esse docetur, quod Christus angelos judicabit. Item á malis dæmonibus tamquam á veritate coactis (licet de se alias mentiantur, Joan. 8.) idipsum insinuatur per hoc, quod Christo dicunt Matth. 8. *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Ubi constat penetrantibus, quod ipsi vel nolentes subindicant, Christum esse venturum judicem ad torquendum semetipsos (id, quod erit in novissimo die) quamvis de suo apponant mendacium istud, scilicet quod ipse nunc venerit ante tempus ad sic torquendum eos, scilicet ad ejiciendum coacte eos, tamquam judex, de corpore illo, quod tyrannice, q. 49. a. 2. possidebant. Per locum ergo á simili (quandoquidem et hi natura sunt angeli) designatur ibi, quod Christus venturus est judex bonorum angelorum, apposito tamen modo, scilicet ad præmiandum eos. *Secundo* vides: etc.

---

## FINIS

TOMI NONI, SEU HUJUS PRIMI VOLUMINIS TERTIÆ PARTIS, CONTINENTIS QUÆSTIONIS Á PRIMA USQUE AD QUINQUAGESIMAM NONAM INCLUSIVE.

# Index

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM, QUÆ IN HOC TERTIÆ PARTIS PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

## TRACTATUS DE DEO INCARNATO.

Prologus. . . . . 7

QUÆSTIO PRIMA,

*De convenientia incarnationis, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari. . . . . 8
2. Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari. . . . . 10
3. Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. . . . . 13
4. Utrum principalius Christi incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale. . . . . 16
5. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi. . . . . 17
6. Utrum incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi. . . . . 20

Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 1.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 23

QUÆSTIO SECUNDA,

*De modo unionis Verbi incarnati, in duodecim articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura. . . . . 29
2. Utrum unio Verbi incarnati sit facta in persona. . . . . 33
3. Utrum unio Verbi incarnati facta sit in supposito, sive in hypostasi. . . 36
4. Utrum persona, vel hypostasis Christi, post incarnationem, sit composita. . 39
5. Utrum sit facta aliqua unio animæ et corporis in Christo. . . . . 40
6. Utrum natura humana fuerit unita Verbo accidentaliter. . . . . 43
7. Utrum unio naturæ divinæ et humanæ sit aliquid creatum. . . . . 47
8. Utrum unio Verbi incarnati sit idem quod assumptio. . . . . 48
9. Utrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum. . . . 51
10. Utrum unio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam. . . . . 52
11. Utrum unionem Verbi incarnati aliqua merita præcesserint. . . . . 54

12. Utrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis. . . . . 56
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 2.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. à Porrec. ad duodecim præc. art. appositæ. . . . . 58

## QUÆSTIO TERTIA,

*De modo unionis ex parte personæ assumentis, in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum personæ divinæ conveniat assumere nuturam creatam. . . . . 69
2. Utrum divinæ naturæ conveniat assumere. . . . . 70
3. Utrum abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere. . . 72
4. Utrum una persona possit sine alia, naturam creatam assumere. . . . . 74
5. Utrum quælibet persona divina potuerit humanam naturam assumere. . . 75
6. Utrum plures personæ divinæ possent assumere unam numero naturam. . 77
7. Utrum una persona divina possit assumere duas naturas humanas. . . . 79
8. Utrum fuerit magis conveniens, quod persona Filii assumeret humanam naturam, quam alia persona divina. . . . . 82
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 3.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad octo præc. art. appositæ. . . . . 84

## QUÆSTIO QUARTA,

*De modo unionis ex parte naturæ humanæ assumptæ, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis á Filio Dei, quam aliqua alia natura. . . . . 88
2. Utrum Filius Dei assumpserit personam. . . . . 91
3. Utrum persona divina assumpserit hominem. . . . . 92
4. Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis. . . . . 93
5. Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam in omnibus individuis. 95
6. Utrum conveniens fuerit, quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ. . . . . 97
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 4.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 98

## QUÆSTIO QUINTA,

*De modo unionis ex parte partium humanæ naturæ, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus. . . . . 101
2. Utrum Dei Filius debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem. . . . . 103
3. Utrum Filius Dei assumpserit animam. . . . . 104
4. Utrum Filius Dei debuerit assumere intellectum. . . . . 107
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 5.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc art. appositæ. . . . . 109

## QUÆSTIO SEXTA,

*De modo assumptionis quantum ad ordinem, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Filius Dei assumpserit carnem, mediante anima. . . . . 111
2. Utrum Dei Filius assumpserit animam, mediante spiritu, sive mente. . . 114
3. Utrum anima prius fuerit assumpta á Dei Filio, quam caro. . . . . 116
4. Utrum caro Christi fuerit prius á Verbo assumpta, quam anima unita. . . 117
5. Utrum tota humana natura sit assumpta, mediantibus partibus. . . . . 120
6. Utrum humana natura sit assumpta, mediante gratia. . . . . 121
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 6.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 123

## QUÆSTIO SEPTIMA,

*De gratia Christi, prout est quidam singularis homo, in tredecim articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis. . . . . 125
2. Utrum in Christo fuerint virtutes. . . . . 127
3. Utrum in Christo fuerit fides. . . . . 129
4. Utrum in Christo fuerit spes. . . . . 130
5. Utrum in Christo fuerint dona. . . . . 131
6. Utrum in Christo fuerit donum timoris. . . . . 132
7. Utrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ. . . . . 134
8. Utrum in Christo fuerit prophetia. . . . . 135
9. Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiæ. . . . . 137
10. Utrum plenitudo gratiæ sit propria Christi. . . . . 139
11. Utrum gratia Christi sit infinita. . . . . 141
12. Utrum gratia Christi potuerit augeri. . . . . 143
13. Utrum gratia habitualis Christi subsequatur unionem. . . . . 145
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 7.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad tredecim præc. art. appositæ. . . . . 147

## QUÆSTIO OCTAVA,

*De gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiæ, in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus sit caput Ecclesiae. . . . . 150
2. Utrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora. . . . . 152
3. Utrum Christus sit caput omnium hominum. . . . . 154
4. Utrum Christus sit caput angelorum. . . . . 156
5. Utrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiae, sit eadem cum gratia habituali ejus secundum quod est quidam homo singularis. . . . 157
6. Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo. . . . . 159
7. Utrum diabolus sit caput omnium malorum. . . . . 161
8. Utrum antichristus possit etiam dici caput omnium malorum. . . . . 163
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 8.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad octo præc. art. appositæ. . . . . 164

## QUÆSTIO NONA,

*De scientia Christi in communi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus habuerit aliquam scientiam præter divinam. . . . . 170
2. Utrum Christus habuerit scientiam, quam habent beati, vel comprehensores. 172
3. Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam. . . . . 174
4. Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam. . . . . 176
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 9.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 171

## QUÆSTIO DECIMA,

*De scientia beata animæ Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum anima Christi comprehenderit Verbum, sive divinam essentiam. . . 179
2. Utrum anima Christi in Verbo cognoverit omnia. . . . . 181
3. Utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita. . . . . 183
4. Utrum anima Christi videat Verbum, sive divinam essentiam clarius qualibet alia creatura. . . . . 186
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 10.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 188

## QUÆSTIO DECIMA PRIMA,

*De scientia indita, vel infusa animæ Christi, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus secundum scientiam inditam, vel infusam omnia sciat. . . 191
2. Utrum Christus potuerit uti scientia indita, non convertendo se ad phantasmata. 192
3. Utrum scientia indita animæ Christi fuerit collativa. . . . . 194
4. Utrum scientia indita in Christo fuerit maior scientia angelorum. . . . . 195
5. Utrum scientia indita animæ Christi fuerit habitualis. . . . . 197
6. Utrum scientia indita animæ Christi fuerit distincta per diversos habitus. . . 198
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 11.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex. præc. art. appositæ. . . . . 200

## QUÆSTIO DECIMA SECUNDA,

*De scientia animæ Christi acquisita, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus secundum scientiam acquisitam cognoverit omnia. . . . .201
2. Utrum Christus in scientia acquisita profecerit. . . . . 202
3. Utrum Christus aliquid ab homine didicerit. . . . . 204
4. Utrum Christus aliquid acceperit ab angelis. . . . . 206
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 12.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 207

## QUÆSTIO DECIMA TERTIA,

De *potentia animæ Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

2. Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter. . . . . 209
2. Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. . . . . 211
3. Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis. . . 214
4. Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis. . . . . 215
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 13.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor praec. art. appositae. . . . . 217

## QUÆSTIO DECIMA QUARTA,

De *defectibus corporis assumptis á Filio Dei, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus. . 218
2. Utrum Christus assumpserit necessitatem subjacendi his corporalibus defectibus. 221
3. Utrum Christus defectus corporales contraxerit. . . . . 222
4. Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit. . . 223
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. 14.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor praec. art. appositae. . . . . 225

## QUÆSTIO DECIMA QUINTA,

De *defectibus animæ á Christo assumptis, in decem articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum in Christo fuerit peccatum. . . . . 227
2. Utrum in Christo fuerit fomes peccati. . . . . 229
3. Utrum in Christo fuerit ignorantia. . . . . 231
4. Utrum anima Christi fuerit passibilis. . . . . 232
5. Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis. . . . . 234
6. Utrum in Christo fuerit tristitia. . . . . 235
7. Utrum in Christo fuerit timor. . . . . 237
8. Utrum in Christo fuerit admiratio. . . . . 238
9. Utrum in Christo fuerit ira. . . . . 239
10. Utrum Christus simul fuerit viator et comprehensor. . . . . 241
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 15.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad decem praec art. appositae. . . . . 242

## QUÆSTIO DECIMA SEXTA,

*De consequentibus unionem quantum ad ea quæ conveniunt Christo secundum esse, et fieri, in duodecim articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum haec sit vera, Deus est homo. . . . . 247
2. Utrum haec sit vera, homo est Deus. . . . . 251
3. Utrum Christus possit dici homo dominicus. . . . . 252
4. Utrum ea quæ conveniunt Filio hominis, possint praedicari de Filio Dei et é converso. . . . . 254
5. Utrum ea quæ conveniunt Filio hominis, possint praedicari de divina natura, et quae conveniunt Filio Dei, possint praedicari de natura humana: an scilicet possit dici: divinitas est passa, et humanitas est aeterna, vel Deus. . . 256
6. Utrum hæc sit vera: Deus factus est homo. . . . . 257
7. Utrum hæc sit vera: homo factus est Deus. . . . . 259
8. Utrum hæc sit vera: Christus est creatura.. . . . . 261
9. Utrum hæc sit vera: iste homo (demonstrato Christo) incepit esse. . . . 262
10. Utrum hæc sit vera: Christus in quantum homo est creatura.. . . . . 264
11. Utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est Deus.. . . . . 266
12. Utrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.. . . . . 267
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 16.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad duodecim præc. art. appositæ.. . . . . 269

## QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA,

*De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad esse, in duos articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus sit unum, vel duo. . . . . 275
2. Utrum in Christo sit tantum unum esse. . . . . 279
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 17.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad duos præc. art. appositæ. . . . . 281

## QUÆSTIO DECIMA OCTAVA,

*De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad voluntatem, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum in Christo sint duæ voluntates. . . . . 283
2. Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis præter voluntatem rationis. . . . . 285
3. Utrum in Christo fuerint duæ voluntates quantum ad rationem. . . . . 287
4. Utrum in Christo sit liberum arbitrium.. . . . . 288
5. Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volito. . . . . 290
6. Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum. . . . . 291
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 18.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ.. . . . . 294

## QUÆSTIO DECIMA NONA,

*De pertinentibus ad unitatem Christi quantum ad operationem, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis, et humanitatis. . . 298
2. Utrum in Christo sint plures operationes humanæ. . . . . 302
3. Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria.. . . . . 304
4. Utrum Christus aliis mereri potuerit.. . . . . 306
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 19.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 307

## QUÆSTIO VIGESIMA,

*De convenientibus Christo, secundum quod Patri fuit subjectus, in duos articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum dicendum sit Christum esse subjectum Patri. . . . . 310
2. Utrum Christus sit subjectus sibi ipsi. . . . . 312
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 20.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. à Porrec. ad duos præc. art. appositæ. . . . . 314

## QUÆSTIO VIGESIMA PRIMA.

*De oratione Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christo competat orare. . . . . 314
2. Utrum Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem. . . . 316
3. Utrum fuerit conveniens Christum pro se orare. . . . . 318
4. Utrum oratio Christi semper fuerit exaudita. . . . . 319
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 21.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 321

## QUÆSTIO VIGESIMA SECUNDA,

*De sacerdotio Christi, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christo conveniat esse sacerdotem. . . . . 323
2. Utrum Christus fuerit simul sacerdos, et hostia. . . . . 324
3. Utrum effectus sacerdotii Christi sit expiatio peccatorum. . . . . 326
4. Utrum effectus sacerdotii Christi, non solum ad alios pervenerit, sed etiam ad ipsum Christum. . . . . 328
5. Utrum sacerdotium Christi permaneat in æternum. . . . . 329
6. Utrum sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech. . . . 321
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 22.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 332

## QUÆSTIO VIGESIMA TERTIA,

*De adoptione Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Deo conveniat filios adoptare. . . . . 335
2. Utrum adoptare conveniat toti Trinitati. . . . . 337
3. Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturæ. . . . . 338
4. Utrum Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei adoptivus. . . . . 340
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 23.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 341

## QUÆSTIO VIGESIMA QUARTA,

*De prædestinatione Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christo conveniat esse prædestinatum. . . . . 342
2. Utrum hæc sit vera Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei. . . . . 345
3. Utrum prædestinatio Christi sit exemplar nostræ prædestinationis. . . . 346
4. Utrum prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis. . . . . 348
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 24.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. à Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 348

## QUÆSTIO VIGESIMA QUINTA,

*De adoratione Christi, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et ejus humanitas . . . . . 351

2. Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ. . . . . 353
3. Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriæ. . . . . 354
4. Utrum crux Christi sit adoranda adoratione latriæ. . . . . 356
5. Utrum mater Christi sit adoranda adoratione latriæ. . . . . 358
6. Utrum reliquiæ sanctorum sint adorandæ. . . . . 359
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 25.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 360

## QUÆSTIO VIGESIMA SEXTA,

*De eo quod Christus mediator Dei, et hominum dicitur, in duos articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum esse mediatorem Dei, et hominum sit proprium Christo. . . . . 367
2. Utrum Christus sit secundum quod homo mediator Dei et hominum. . . . . 368
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 26.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad duos præc. art. appositæ. . . . . 370

## QUÆSTIO VIGESIMA SEPTIMA,

*De Beatæ Virginis Mariæ sanctificatione, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Beata Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero. 372
2. Utrum Beata Virgo Maria fuerit sanctificata ante animationem, seu aliis verbis, utrum Beata Virgo Maria in primo instanti suæ conceptionis fuerit præservata et immunis á peccato originali. . . . . 374
3. Utrum per sanctificationem fuerit Beata Virgo immunis á fomite peccati. . 377
4. Utrum Beata Virgo per hujusmodi sanctificationem fuerit consecuta, ut numquam peccaret. . . . . 379
5. Utrum Beata Virgo per hanc sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum. . . . . 381
6. Utrum sanctificari in utero fuerit proprium Beatæ Virgini. . . . . 382
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 27.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 384

## QUÆSTIO VIGESIMA OCTAVA,

*De Virginitate Beatæ Mariæ, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Beata Maria fuerit virgo in concipiendo. . . . . 388
2. Utrum Mater Dei fuerit virgo in partu. . . . . 390
3. Utrum Mater Dei permanserit virgo post partum. . . . . 392
4. Utrum Mater Dei virginitatem voverit . . . . . 394
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 28.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 396

## QUÆSTIO VIGESIMA NONA,

*De Matris Dei desponsione, in duos articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus nasci debuerit de virgine desponsata. . . . . 398
2. Utrum inter Mariam, et Joseph fuerit verum matrimonium. . . . . 401
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. 29.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad duos praec. art. appositae. . . . . 403

## QUÆSTIO TRIGESIMA,

*De Beatæ Mariæ Virginis annuntiatione, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum necessarium fuerit annuntiari Beatae Virgini, quod in ea erat gerendum. . . . . 403
2. Utrum annuntiatio Beatae Virginis debuerit fieri per Angelum. . . . . 404
3. Utrum Angelus annuntians debuerit Beatae Virgini visione corporali apparere. 406
4. Utrum annuntiatio fuerit convenienti ordine perfecta. . . . . 408

Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 30.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 410

## QUÆSTIO TRIGESIMA PRIMA,

*De conceptione Salvatoris quoad materiam, de qua corpus ejus conceptum est, in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam. . . . . 411
2. Utrum caro Christi fuerit sumpta de David. . . . . 412
3. Utrum convenienter genealogia Christi ab Evangelistis texatur. . . . . 414
4. Utrum decuerit Christum nasci de fœmina. . . . . 418
5. Utrum corpus Christi de purissimis sanguinibus virginis formatum fuerit. . 420
6. Utrum corpus Christi fuerit in antiquis Patribus secundum aliquid signatum. 422
7. Utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia. . . . . 424
8. Utrum Christus in lumbis Abrahæ fuerit decimatus. . . . . 425
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 31.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad octo præc. art. appositæ. . . . . 427

## QUÆSTIO TRIGESIMA SECUNDA,

*De conceptione Christi quoad activum principium, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi. . . 432
2. Utrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu Sancto. . . . . 434
3. Utrum Spiritus Sanctus debeat dici pater Christi secundum carnem. . . . 435
4. Utrum Beata Virgo aliquid active egerit in conceptione Christi. . . . . 437
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 32.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 439

## QUÆSTIO TRIGESIMA TERTIA,

*De modo et ordine conceptionis Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis. . . 442
2. Utrum corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suæ conceptionis. 444
3. Utrum corpus Christi in primo instanti suæ conceptionis fuerit á Verbo assumptum. . . . . 446
4. Utrum conceptio Christi fuerit naturalis vel miraculosa. . . . . 447
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 33.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 448

## QUÆSTIO TRIGESIMA QUARTA,

*De perfectione prolis conceptæ, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus, in primo instanti suæ conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam. . . . . 451
2. Utrum Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit usum liberi arbitrii. . . . . 452
3. Utrum Christus in primo instanti suæ conceptionis mereri potuerit. . . 454
4. Utrum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suæ conceptionis. . . . . 455
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 34.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 457

## QUÆSTIO TRIGESIMA QUINTA,

*De nativitate Christi, in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum nativitas sit naturæ vel personæ. . . . . 460
2. Utrum attribuenda sit Christo aliqua nativitas temporalis. . . . . 461

3. Utrum Beata Virgo possit dici mater Christi secundum ejus temporalem nativitatem. . . . . 463
4. Utrum Beata Virgo debeat dici mater Dei. . . . . 464
5. Utrum in Christo sint duæ filiationes. . . . . 466
6. Utrum Christus fuerit natus sine dolore matris. . . . . 469
7. Utrum Christus debuerit in Bethleem nasci. . . . . 470
8. Utrum Christus fuerit tempore congruo natus. . . . . 471
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 35.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad octo præc. art. appositæ. . . . . 473

## QUÆSTIO TRIGESIMA SEXTA,

*De manifestatione Christi nati, in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta. . . . . 478
2. Utrum nativitas Christi debuerit aliquibus manifestari. . . . . 479
3. Utrum sint convenienter electi illi, quibus est Christi nativitas manifestata. 480
4. Utrum Christus per se ipsum nativitatem suam manifestare debuerit. . . 482
5. Utrum nativitas Christi debuerit per Angelos, et stellam manifestari. . . 483
6. Utrum nativitas Christi ordine convenienti fuerit manifestata. . . . . 485
7. Utrum stella, quæ Magis apparuit, fuerit una de cœlestibus stellis. . . . 487
8. Utrum Magi convenienter venerint ad adorandum Christum. . . . . 489
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 36.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad octo præc. art. appositæ. . . . . 490

## QUÆSTIO TRIGESIMA SEPTIMA,

*De legalibus circa puerum Jesum observatis, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus debuerit circumcidi. . . . . 494
2. Utrum convenienter fuerit Christo nomen impositum. . . . . 495
3. Utrum Christus convenienter fuerit in templo oblatus. . . . . 497
4. Utrum mater Dei convenienter ad templum purganda acceserit. . . . . 499
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 37.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor praec. art. appositae. . . . . 500

## QUÆSTIO TRIGESIMA OCTAVA,

*De baptismo Joannis, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum conveniens fuerit quod Joannes baptizaret. . . . . 502
2. Utrum baptismus Joannis fuerit á Deo. . . . . 503
3. Utrum in baptismo Joannis gratia daretur. . . . . 505
4. Utrum alii præter Christum baptismo Joannis baptizari debuerint. . . . 507
5. Utrum baptismus Joannis debuerit cessare, Christo baptizato. . . . . 508
6. Utrum baptizati baptismo Joannis essent postea baptismo Christi rebaptizandi. . . . . 509
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. 38.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex praec. art. appositae. . . . . 512

## QUÆSTIO TRIGESIMA NONA,

*De baptizatione Christi, in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum fuerit conveniens Christum baptizari. . . . . 514
2. Utrum Christus debuerit baptismo Joannis baptizari. . . . . 515
3. Utrum Christus convenienti tempore fuerit baptizatus. . . . . 516
4. Utrum Christus debuerit in Jordane baptizari. . . . . 518
5. Utrum Christo baptizato, cœli debuerint aperiri. . . . . 519
6. Utrum convenienter Spiritus Sanctus super Christum baptizatum descenderit in specie columbæ. . . . . 521

7. Utrum illa columba in qua apparuit Spiritus Sanctus, fuerit verum animal. 524
8. Utrum convenienter Christo baptizato, fuerit vox Patris audita Filium protestantis. . . . . 525
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 39.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad octo praec art. appositae. . . . . 526

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA,

*De modo conversationis Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum inter homines conversari. . . . . 530
2. Utrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit. . . . . 532
3. Utrum Christus in hoc mundo debuerit pauperem vitam ducere. . . . . 534
4. Utrum Christus in hac vita, secundum legem conversatus fuerit. . . . . 536
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 40.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 537

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA PRIMA,

*De tentatione Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum tentari. . . . . 539
2. Utrum Christus tentari debuit in deserto. . . . . 541
3. Utrum tentatio Christi debuerit esse post jejunium. . . . . 542
4. Utrum fuerit conveniens ordo, et modus tentationis Christi. . . . . 544
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 41.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 547

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA SECUNDA,

*De doctrina Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum judæis, et non gentibus prædicare. . . 549
2. Utrum Christus debuerit judæis sine eorum offensione prædicare. . . . . 550
3. Utrum Christus omnia publice docere debuerit. . . . . 552
4. Utrum Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere. . . . . 553
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 42.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. à Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 555

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA TERTIA,

*De miraculis á Christo factis in generali, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus debuerit facere miracula. . . . . 559
2. Utrum Christus fecerit miracula divina virtute. . . . . 560
3. Utrum Christus inceperit facere miracula in nuptiis. . . . . 561
4. Utrum miracula per Christum facta sufficienter ejus divinitatem ostenderint. 562
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 43.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 564

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA QUARTA,

*De singulis miraculorum speciebus, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum miracula facta per Christum circa spirituales substantias, fuerint convenientia. . . . . 568
2. Utrum convenienter facta fuerint miracula, per Christum circa cœlestia corpora. . . . . 571
3. Utrum convenienter Christus circa homines miracula fecerit. . . . . 573
4. Utrum convenienter Christus fecerit miracula circa creaturas irrationales. . 577
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 44.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 579

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA QUINTA,

*De transfiguratione Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum fuerit conveniens Christum transfigurari. . . . . 581
2. Utrum claritas Christi in transfiguratione fuerit claritas gloriosa. . . . . 582
3. Utrum testes transfigurationis convenienter fuerint inducti. . . . . 584
4. Utrum convenienter auditum fuerit testimonium paternæ vocis in transfiguratione Christi. . . . . 586
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 45.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 588

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA SEXTA,

*De passione Christi, in duodecim articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum fuerit necessarium Christum pati pro humani generis liberatione. . 591
2. Utrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanæ, quam per passionem Christi. . . . . 592
3. Utrum fuerit aliquis modus convenientior ad liberationem humani generis, quam per passionem Christi. . . . . 594
4. Utrum Christus pati debuerit in cruce. . . . . 595
5. Utrum Christus omnes passiones sustinuerit. . . . . 597
6. Utrum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus. . . . . 599
7. Utrum Christus passus sit secundum totam animam. . . . . 602
8. Utrum tota anima Christi in passione frueretur fruitione beata. . . . . 604
9. Utrum Christus fuerit convenienti tempore passus. . . . . 605
10. Utrum Christus fuerit convenienti loco passus. . . . . 607
11. Utrum conveniens fuerit Christum cum latronibus crucifigi. . . . . 608
12. Utrum passio Christi sit ejus divinitati attribuenda. . . . . 610
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 46.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. à Porrec. ad duodecim præc. art. appositæ. . . . . 611

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA SEPTIMA,

*De causa efficiente passionis Christi, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus fuerit ab alio occisus. . . . . 618
2. Utrum Christus fuerit ex obedientia mortuus. . . . . 620
3. Utrum Deus Pater tradiderit Christum passioni. . . . . 621
4. Utrum conveniens fuerit Christum pati á gentibus. . . . . 622
5. Utrum Christi persecutores eum cognoverint. . . . . 623
6. Utrum peccatum crucifigentium Christum fuerit gravissimum. . . . . 625
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 47.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 626

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA OCTAVA,

*De modo passionis Christi quantum ad effectum, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti. . . . 632
2. Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis. . 633
3. Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii. . . . . 634
4. Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis. 636
5. Utrum esse redemptorem sit proprium Christi. . . . . 638
6. Utrum passio Christi operata sit nostram salutem, per modum efficientis. . 639
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 48.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 640

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA NONA,

*De effectibus passionis Christi, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum per passionem Christi simus liberati á peccato. . . . . 644
2. Utrum per passionem Christi simus liberati á potestate diaboli. . . . . 645
3. Utrum per passionem Christi homines sint liberati á pœna peccati. . . . 647
4. Utrum per passionem Christi simus Deo reconciliati. . . . . 648
5. Utrum Christus sua passione aperuerit nobis januam cœli. . . . . 649
6. Utrum Christus per suam passionem meruerit exaltari. . . . . 650
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 49.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 652

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA,

*De morte Christi, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum mori. . . . . 655
2. Utrum in morte Christi fuerit separata divinitas á carne. . . . . 656
3. Utrum in morte Christi fuerit facta separatio divinitatis ab anima. . . . 658
4. Utrum Christus in triduo mortis fuerit homo. . . . . 659
5. Utrum fuerit simpliciter idem numero corpus Christi viventis et mortui. . 660
6. Utrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem. . . . . 662
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 50.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 664

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA PRIMA,

*De sepultura Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum fuerit conveniens Christum sepeliri. . . . . 668
2. Utrum convenienti modo Christus fuerit sepultus. . . . . 669
3. Utrum corpus Christi in sepulcro fuerit incineratum. . . . . 671
4. Utrum Christus fuerit in sepulcro solum una die et duabus noctibus. . . 672
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 51.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 673

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA SECUNDA,

*De descensu Christi ad inferos, in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum fuerit conveniens Christum ad infernum descendere. . . . . 676
2. Utrum Christus descenderit ad infernum damnatorum. . . . . 677
3. Utrum Christus fuerit totus in inferno. . . . . 679
4. Utrum Christus aliquam moram traxerit in inferno. . . . . 680
5. Utrum Christus descendens ad inferos sanctos Patres inde liberaverit. . . 681
6. Utrum Christus aliquos damnatos ab inferno liberaverit. . . . . 683
7. Utrum pueri, qui cum originali peccato decesserant, fuerint á Christo ab inferis liberati. . . . . 684
8. Utrum Christus suo descensu liberaverit animas á purgatorio. . . . . 686
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 52.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad octo praec art. appositae. . . . . 687

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA TERTIA,

*De resurrectione Christi, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum fuerit necessarium Christum resurgere. . . . . 692
2. Utrum fuerit conveniens Christum tertia die resurgere. . . . . 693
3. Utrum Christus primo resurrexit. . . . . 695
4. Utrum Christus fuerit causa suæ resurrectionis. . . . . 697

Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 53.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 698

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA QUARTA,

*De qualitate Christi resurgentis, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christus post resurrectionem habuerit verum corpus. . . . . 700
2. Utrum Christi corpus resurrexit integrum. . . . . 701
3. Utrum Christi corpus resurrexerit gloriosum. . . . . 703
4. Utrum corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere. . . . . 705
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 54.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. à Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. . . . . 706

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA QUINTA,

*De manifestatione resurrectionis, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari. . . . . 709
2. Utrum fuisset conveniens quod discipuli viderent Christum resurgere. . . 710
3. Utrum Christus post resurrectionem debuerit continue cum discipulis conversari. . . . . 711
4. Utrum Christus debuerit discipulis in alia effigie apparere. . . . . 713
5. Utrum Christus veritatem resurrectionis debuerit argumentis declarare. . . 715
6. Utrum argumenta quæ Christus induxit, sufficienter manifestaverint resurrectionem ejus. . . . . 717
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. 55.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex praec. art. appositae. . . . . 720

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA SEXTA,

*De resurrectionis Christi causalitate, in duos articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum resurrectio Christi, sit causa resurrectionis corporum. . . . . 723
2. Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum. . . . . 725
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex praeced. 56.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad duos praec. art. appositae. . . . . 727

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA,

*De ascensione Christi, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum fuerit conveniens Christum ascendere. . . . . 728
2. Utrum conveniat Christo ascendere in cœlum secundum divinam naturam. . 730
3. Utrum Christus ascenderit propria virtute. . . . . 732
4. Utrum Christus ascenderit super omnes cœlos. . . . . 734
5. Utrum corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spiritualem. . . 736
6. Utrum ascensio Christi sit causa nostræ salutis. . . . . 737
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 57.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 738

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA OCTAVA,

*De sessione Christi ad dexteram Patris, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum Christo conveniat sedere ad dexteram Patris. . . . . 742
2. Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo, secundum quod Deus. 743
3. Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo, secundum quod homo. 744
4. Utrum sedere ad dexteram Patris sit proprium Christi. . . . . 746
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 58.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor praec. art. appositae. . . . . 747

## QUÆSTIO QUINQUAGESIMA NONA,

*De judiciaria potestate Christi, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum judiciaria potestas sit specialiter attribuenda Christo. . . . . 749
2. Utrum judiciaria potestas conveniat Christo, secundum quod est homo. . . 750
3. Utrum Christus ex meritis adeptus fuerit judiciariam potestatem. . . . . 752
4. Utrum Christo conveniat judiciaria potestas quantum ad omnes res humanas. 753
5. Utrum post judicium quod agitur in præsenti tempore, restet aliud judicium. 755
6. Utrum judiciaria potestas Christi se extendat ad Angelos. . . . . 757
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 59.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. . . . . 758

FINIS INDICIS TOMI NONI.

208.8
M 469
26419
MEDICI, REV. HIERONIMUS, de
AUTHOR Formalis Explicatio
Summae Theologicae S. Thome Aquin.
TITLE Tome 9
Continens tertiae partis primum
volumen
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
[redacted]
26419